BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XLVIII
F
19
NAPOLI

XLVIII 19

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

PARS SECVNDA.

T. 2

Digitized by Google

VERA CONCILII TRIDENTINI HISTORIA,

Contra falſam Petri Suauis Polani narrationem, ſcripta & aſſerta à P. SFORTIA PALLAVICINO, Societatis IESV, poſteà S. R. E. Cardinale Presbytero.

Primùm Italico idiomate in lucem edita; deinde ab ipſo Auctore aucta & recenſita; ac Latinè reddita à P. IOANNE BAPTISTA GIATTINO, *Panormitano, eiuſdem Societatis* IESV *Sacerdote.*

PARS SECVNDA.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. LXX.

B. R. NAPOLI
NAPOLI

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER NONVS.

ARGVMENTVM.

OPINIONVM *varietas Romæ de Seſſione ſexta iam habita. Contentiones inter Tridentinos Patres, admittendum necne, vt Epiſcopi in quibuſdam cauſis agerent tamquam à Sede Apoſtolica delegati. Declaratio ſuperioris Decreti de moribus reformandis, ab omnibus approbati. Pontificium Diploma, quo Epiſcopi Cardinales & à ſuis Sedibus abeſſe vetiti, & pluribus Eccleſiis præeſſe. Indignatio Cæſaris in Pontificem, quòd is fœdus renouare noluerit. Regis Angliæ mors. Canones confecti, in Seſſione ſeptima promulgandi de Sacramentis vniuersè, ac de duobus prioribus ſpeciatim. Hiſtoricæ de Canonum ſenſu animaduerſiones; & eorum quæ Suauis opponit, examen; ac de iis etiam, quæ ibi diſputat de plurium Sacerdotiorum in eodem Clerico coniunctione, ac de commendatitiis Sacerdotiis, quas* Commendas *appellant. Morum emendationes à Synodo conſtitutæ; & quanta ipſius fuerit in eo libertas. Seſſio ſeptima celebrata. Colonienſis Septemuir Archiepiſcopatu priuatus. Epidemius Tridenti morbus; adeoque multorum Patrum inde diſceſſus. Seſſio octaua, in qua actum ac decretum, plurimis Patrum ſuffragantibus, de transferendo Bononiam Concilio. Hiſpanorum repugnantia, qui ceteris abeuntibus Tridenti perſi-*

ſtunt, atque ab Oratore Toletano iubentur ibi permanere. Pontificis Aulæque Romanæ ſenſa de his euentis. Querela Cæſaris cum Pontifice, ac poſtulationes, vti Synodus Tridentum reduceretur. Repulſa per grauem indignationem ab eo accepta. Franciſci Primi Galliæ Regis obitus. Legati ad ambos Principes miſſi. Seſſio nona Bononiæ habita, vbi Decretorum promulgatio ad alteram Seſſionem prorogata, certo die indictam.

CAPVT PRIMVM.

Variæ Romæ de habita Seſſione ſententiæ; & quæ Tridenti agitata ad diſciplinæ Decretum continuandum & promulgandum.

1547.

LEGATIS non minus erat Romæ quàm Tridenti cer- 1
taminis. Eorum conſtantia in propoſito promulgan-
di Decreti de Iuſtificatione, Romæ pluribus haud
probata, ſeu ex beneuolentia, adeoque ſollicitis; ſeu
ex æmulatione, adeoque cenſoribus; ſeu ex incerta
humanorum conſiliorum conditione, quæ diſſidium opinionum
permittit vel inter ſapientes ac probos. Maffeius præſertim à Ve-
rallo Nuntio admonitus [a] per eos dies, Ceruinum dehortatus fuerat
ab eo conſilio, tamquam ab importuno, aptoque abalienandæ à
Concilio ac Pontifice Cæſaris voluntatis, tunc & recente armorum
proſperitate potentioris, adeoque & ſenſu acrioris, & magis veren-
di, corruptâ per illum modicæ gratificationis neglectum gratiâ,
copioſis in fœdus ſumptibus coëmptâ.

a Ex litteris 7. Ianuar. 1547.

Alij in Romano Conuentu operam mentemque Ceruini com- 2
mendabant, ſed [b] modum duritiemque agendi reprehendebant.
Erat inter hos Franciſcus Cardinalis Sfondratus, Ceruino vel inge-
nio vel animo aduerſus: Legatum tamen acriter tuebatur Moro-
nus [c], quicum is coniunctiſſimæ neceſſitudinis vinculo adſtrictus
erat iam tum, cùm in Belgio alter apud Cæſarem ac Ferdinandum
Regem Nuntius aderat, alter iam Purpuratus Farneſij Cardinalis
comes aduenerat, cui poſtmodum in legatione ſuffectus. Nec ſe-
gniùs eidem Polus patrocinabatur, qui Patauio Romam regreſſus,
ſui olim collegæ virtutem & ſapientiam per omnem opportunita-
tem extollebat. Ac Pontifex quidem factum comprobauit; [d] tum
quòd priùs illud mandato comprobauerat; tum quòd comproba-
tum tunc cernebat ab ipſo euentu, qui oppugnationum contentio-

b Litteræ ſecretiores Romà ad Ceruinum miſſæ 7. Ian. 1547.

c Colligitur ex plurimis eiuſmodi litteris.

d Litteræ Maffei ad Ceruinum 23. Ianur. 1547. & duæ litteræ ſecretiores 19. & 24.

numque loco, quas dogmatum Decreto minabantur Patres, eorum admirabilem conſenſionem obtinuerat. 1547.

3 Quod autem ad diſciplinæ formam ſpectabat, cùm animaduerteret Paulus, [e] expeti à Synodo, vt de Purpuratis Patribus decerneretur dilucidè, ac citra omnem verborum ambiguitatem diſputationi obnoxiam, æquum duxit, illi gratificari; ita tamen, vt & lex ipſum ceu Legiſlatorem, eoſdemque Purpuratos ceu Conſiliarios agnoſceret; adeoque in ipſis honor tum prompti ad nouum ſubeundum vinculum animi, tum exercitæ declarationis, moleſtiam noui oneris leuaret. Quapropter communi illorum conſenſu ac plauſu promulgauit [f] in Senatu Diploma, quo ipſi quoque Cardinales obſtringebantur, vt in ſuis Sedibus reſiderent: iis verò, qui pluribus Eccleſiis, ſeu commendatis ſeu aliâ ratione præeſſent, iniungebatur vt vnicam retinerent, quam infra ſex menſes ipſi elegiſſent, ſi Eccleſiæ ad Apoſtolicam Sedem liberè pertinebant; & intra annum, ſi Epiſcopi eſſent ab alio nominandi. Quòd ſi electionem omiſiſſent, à reliquis omnibus Eccleſiis excidiſſe cenſerentur, præter illam quam poſtremam acceperant.

e In prædictis Maſſiæ litteris.

f 18. Febr.

4 Dum ea Romæ agitarentur, Legati dedere operam Tridenti concinnando emendationis Decreto. At Suauis nihil planè gnarus rerum publicè geſtarum, cuiuſmodi fuere, Patrum diſſenſiones ex memorato Decreto in Seſſione ſubortæ, plurimique cœtus generales, habiti poſteà illius perficiendi gratiâ, ad omnia alia refert id, quod in hiſce congreſſibus pertractatum eſt; erroreſque exorditur à tempore, affirmans, primum cœtum proximo Seſſioni die coactum; ibi narrat, longiùs diſputatum, an proſequendæ ſanctiones de Eccleſiæ auctoritate, an verò de Sacramentorum articulis, venditans in iis arcana quædam politicæ calliditatis; cùm tamen ne dubitatio quidem inciderit, quippe de re multò antè confirmata: atque in reliquis omnibus tantum peccat, tantumque comminiſcitur, vt quamquam legitima Concilij acta mihi præſtò ſint, verear, ne in opinionem calumniantis incurram, dum cogor ſæpiùs affirmare de tanto calumniatore, ipſum mentiri.

5 Itaque Montanus in primo conſeſſu generali, biduo poſt Seſſionem, [g] conqueſtus eſt, pleroſque tam obſtinatè ſuis ſententiis inhærere; octo ſupra viginti Decretum abſolutè comprobaſſe; quatuor quæſiiſſe titulum, *repræſentantis vniuerſalem Eccleſiam*; totidem cenſuiſſe, emendationem nonniſi integram ſimul perficiendam eſſe; ſex expetiiſſe, vt mentio de Cardinalibus nominatim haberetur; placuiſſe duodecim, ne Epiſcopis non reſidentibus major irroga-

g 15. Ianuarij 1547.

1547. retur pœna, quàm quæ in iure communi erat ſtatuta: quînam fieri poſſe, vt in tanta varietate quidquam firmaretur? De titulo, præter rationes ſuprà allatas, recitauit ibi & quæ ſcripſerant duo ſapientiſſimi Purpurati, Turrecremata & Caietanus, qui ob eam rem Conſtantienſe ac Baſileenſe Concilia reprehendunt. De manſione Cardinalium apud ſuas Sedes ſatis eſſe debere, quòd prætermiſſo ob reuerentiam nomine, ipſe gradus per formas æquè pollentes obligaretur: eos, ne vellent cuncta vnâ horâ vnâque operâ reformare, & ſcriptorum documentis, & exemplorum auctoritate commoneri. Quod ſpectabat ad pœnas, pœnarumque executores, nihil amplius præter ea, de quibus aliàs diſſertum erat, ſibi ſuppetere. Proinde rogati à ſe Patres, vt de rebus præteritis illas excogitarent rationes, quæ forent communiter acceptæ. Deinde propoſuit, vt in proxima Seſſione Sacramentorum dogmata ſtabilirentur, & de tollendis manſionis obſtaculis adhuc conſultaretur.

Pacecus dixit, Decretum ſibi abſolutè comprobatum, & quorumdam repugnantiam diſplicuiſſe. Tunc verò in rem ſibi videri, vt peculiares cœtus haberentur, quibus Iuriſperiti intereſſent, ac poſteà in generali conſeſſu de communi ſententia Decretum reconcinnaretur; quod pluribus placuit. Sed Bernardus Dias Epiſcopus Calaguritanus, & Didacus Alaba Aſturienſis arbitrabantur, confirmandum illud eſſe ſeruatâ eius formâ, ſolumque adiectis iis, quæ à nonnullis optabantur; atque ad id poſtremi Lateranenſis Concilij adduxerunt exempla. Reſpondit primus Legatus; Quæ in Decreto varianda eſſent, non ab vno alteróve, ſed à tot Patribus poſtulari, eademque tot eſſe, vt ab ipſis in Decreto & Concilio exiſtimatio adimeretur; præterquam quòd in Lateranenſi Romanus Pontifex aderat, qui poterat quibuſcumque obluctantibus Decretum comprobare, quod Tridentino, à quo Pontifex aberat, minimè contingebat. 6

Pacenſis oblatam à ſe ſchedulam defenſurus ſignificauit, non alia de cauſa expetitam à ſe ampliorem inſcriptionis dignitatem, niſi vt hæreticis opponeretur, qui pernegabant, à Concilio legitimè congregato vniuerſalem Eccleſiam repræſentari. Ad quæ Legatus ait, Poſſe his obuiàm iri per huiuſmodi articuli declarationem: atque id iam cœtui probabatur, cùm Philippus Archintus Salutiarum Epiſcopus, vir commendati alioqui nominis, cœpit inconſideranter contendere, huiuſmodi repræſentationem haud ineſſe Concilio; propterea, quòd cùm Eccleſia conflerur ex capite ſimul ac membris, ex viuis & defunctis, atque ex cunctis fidelibus, ibi neque 7

que Caput adeſſe, neque quemquam ex defunctis, nec pleroſque 1547.
fidelium; perinde quaſi ipſa repræſentationis vox hoc ipſum non ſonet, ibi per Delegatos & per imaginem præſens reddi id quod in ſe ipſo reuerà non adeſt. Sed Archinti ſermo interruptus collegarum conuitiis, vociferantium, eam diſſertationem hæreſim ſapere. Eamdem Legati pariter improbarunt, adiicientes, illi titulo ſe aduerſari non præſentis Concilij reſpectu, ſed futurorum, quæ fortaſſis vſum huiuſmodi appellationis ad æmulationem Sedis Apoſtolicæ detorquerent. Archintus communi obiurgatione perculſus, excuſationemque emendicatus, nullam tamen commodam nactus, declarauit, ſuæ mentis non eſſe, Oecumenicarum Synodorum auctoritati quidquam detrahere, ſed in eos ſuam diſputationem collimare, qui Pontificem aliquo modo ſubiicere Concilio moliebantur, quod de quibuſdam vulpeculis reſcierat. Verba hæc indignationem plurium inflammarunt, & Hiſpanorum inprimis; inter quos Calaguritanus profeſſus eſt, neminem ibi non paratum adeſſe ad defendendam vel profuſione ſanguinis Pontificiam auctoritatem: quòd ſi quis conſuetudinem aliquam vituperabat, non idcircò poteſtatem operantis, ſed operationis honeſtatem inficiari. Tum is concrepuit obſtrepentium rumor, vt oportuerit ſilentium à Legatis indici.

8 Biduo pòſt conuenere rurſus Patres.[h] Hìc Montanus ſignificauit, peculiares cœtus habitum iri, de Fidei dogmatibus coram collega, de morum reſtitutione coram ſe. Tum ab altero Præſide errorum ſyllabus recitatus, qui de Sacramentis apud recentiores hæreticos deprehenſi fuerant; ab altero catalogus obſtaculorum, quæ adhuc amouenda ſupererant, vt Epiſcopi ſuis in Eccleſiis reſiderent, è peculiaribus libellis excerpta, traditis ab Epiſcopis. Vnde Patres mirificè recreati, cùm intelligerent, Decretum præteritum tamquam futurorum pignus ipſis afferri, non tamquam ſuſcepti laboris

9 metam. Duas hebdomadas expenſâre, iterùm coacti Patres, eiſque propoſita emendationis Decreta, [i] adiectis aliis, aliiſque mutatis; tum cuncti admoniti, vt eorum exemplar ſibi caperent, ſuam de illis ſententiam in proximo cœtu dicturi. Sæpiùs inde conuentus habiti, ac multùm ſententiæ variarunt, multumque proinde certatum: nec defuerunt, qui in diſputationem intempeſtiuè deuenerint de iis quæ eſſent vel non eſſent in poteſtate Synodi, vt oſtenderent, leges aliquot fuiſſe propoſitas illius conuentus auctoritate maiores: quod animos exulcerauerat, quaſi eâdem operâ intenderetur, & illius Concilij auctoritatem deprimi, & hoc pacto integram

h 17. Ianuar.

i Vltimâ Ianuarij 1547.

 ac

1547. ac neceſſariam diſciplinæ correctionem declinari. Quapropter cùm denuò ſuper his in quodam conuentu ſeptimâ Februarij agendum eſſet, Ceruinus incredibili ſollicitudine afficiebatur, veritus, ne in illius diei cœtu vulnus immedicabile infligeretur à commotis vtrimque partibus, inuicemque ſuſpectis: idcircò per breuem epiſtolam Legatum alterum præuenit, cuí tamquam Legatorum Principi ius erat dicendi, obtentâ ſpecie, ne per præſentiam exhiberet moleſtiam, (an quò rem accuratiùs ille perpenderet?) neque per ſubitariam contradictionem altercatio inter eos excitaretur, quod accidere ſolet in diſceptantium congreſſibus, quodque de præferuido hominis ingenio timendum erat. Exponebat ibi Ceruinus quem ipſe conceperat metum, ſuadebatque collegæ, vt animis leniendis intentus, ſuſpiciones abſtergeret, adhiberetque generales dicendi formulas de Concilij poteſtate; eam Synodo ineſſe ampliſſimam in rebus à Romano Pontifice illi commiſſis, non item in reliquis: Pontificem verò paratum fore ad ſuam quoque omnem poteſtatem exerendam in eo, quod è Chriſtiana Republica futurum eſſet; ipſos pariter Legatos ſuam amplè operam ſtudiumque polliceri, vt idipſum à Pontifice conſequerentur.

k 7. Februarij.

In cœtu poſteà diei ſeptimæ [k] ita Montarſus diſſerüit; Multorum audiri querelas de corruptis hominum, adeoque Eccleſiaſticorum moribus (id præcipuè querebantur Hiſpanienſes, aliique ipſis addicti, & Aquenſis Archiepiſcopus) ſed inter homines, & inter Eccleſiaſticos, inquit, nos pariter connumeramur, nobiſque noſtræ labes inſunt. Demus igitur operam idoneis remediis potiùs quàm ineptis expoſtulationibus. Diſputatum (ſubiecit) ab aliis de Synodi auctoritate fuiſſe, & an ipſi liceret morum emendationem præſcribere; an ea eſſet in Pontificem reiicienda (poſteriorem ſententiam dixerant Campeggius Epiſcopus Feltrienſis, Nobilius Acienſis, & Zannettinus Chironienſis) ſed quid commodi per eam diſceptationem obtineri, dum reipsâ leges ſtatuebantur quæcumque Patribus probarentur? Haud poſſe quidem ab ipſis leges ſanciri, quibus manus Pontificiæ ligarentur, quod quidam ex Epiſcopis (erat hic Ioannes Fonſeca Stabienſis Antiſtes) propoſuerat; huic enim ſatis reſponſum à Paſquali Pontifice, in Canone *Incepiſti*, tit. *de electione*, vbi ad Archiepiſcopum Panormitanum, ad quem Pallium miſerat, ſub conditione, vt iureiurando ſponderet, ſeſe in fide atque obedientia perſtiturum, hæc ſcribit: *Dicunt hoc non inueniri ſtatutum in Conciliis; quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia vlla præfixerint; cùm omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem & facta ſint, & robur* 10

robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis pariter excipiatur auctoritas. Fuiſſe quoque quoſdam ex Patribus auctores (id maximè Hiſpani contenderant) vt cuncti Sacerdotiis præditi ad examen reuocarentur, quo expungerentur omnes inepti; vt cuncta iam indulta laxamenta pariter abrogarentur; cunctæ plurium Sacerdotiorum coniunctiones. At tam acria conſilia tempori nequaquam congruere: legiſlatorem quandoque ob nimium diſciplinæ ſtudium non infructuoſum modò, ſed ridiculum euadere. Conſiderarent vtique non profutura tantùm, ſed poſſibilia; & vbi duas haſce conditiones nacti eſſent, omnem in ea curam impenderent. Hæc Montani verba quietis gratiſque auribus accepta. Tum Ceruinus Nouatorum errores propoſuit, de Sacramentis generatim, ac de duobus prioribus ſpeciatim, iam expenſos ferè quotidie in congreſſibus peculiaribus Theologorum, vbi plurimi aderant Patres; & pro iis, quæ ibi agitata fuerant, in quatuor claſſes diſtributi. Multi ex his erroribus ſine controuerſia erant hæretici, alij cum aliqua declaratione damnandi, alij omittendi; poſtremi in primam claſſem, tametſi non ita perſpicuè, redigendi. Enimuerò ſi tantum curæ à publicis Magiſtratibus impendi poſſet in comprobando bono, quantum in condemnando malo, multò præſtantiùs floreret virtus: ſed labor ille quia neceſſarius, vtique toleratur; hic planè intolerabilis videtur, vel quia tantùm in melius tendit, vel propter alias penitiores difficultates. 1547.

CAPVT II.

Epiſcoporum diſſenſio, an quibuſdam in cauſis agendum ab ipſis eſſet tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis. Decretum emendationis pro comprobato concorditer habitum. Pontificis diploma, quo iubentur Cardinales in ſuis Diœceſibus reſidere, & pluribus Eccleſiis haud præeſſe.

1 Diebus ſingulis præter Dominicos continuati de moribus reparandis congreſſus, donec in generali cœtu vigeſimaquartâ Februarij Decreta, quæ ſelecti Patres conflauerant, ſunt propoſita. Verùm Giennenſis, antequam ſuam mentem patefaceret, Montanum eſt percontatus, quæ relata fuerant in ſuperiori Seſſione, confirmata necne fuiſſent; aliter quippe ſi pars altera poneretur, aliter ſi altera ſe locuturum. Videbatur ad id vſque temporis Montano, haud poſſe pro confirmatis haberi ea Decreta, ob contradicentium numerum. Collega oppoſitum arbitrabatur; quare

1547. ad accuratius examen poſtridie habendum ea delata; cùm Fæſulanus per inquietam, quâ agi ſolebat, Epiſcopalis auctoritatis zelotypiam, cœpit libellum legere, quo refellebat, Epiſcopis, in cauſis de quibus dictum eſt, agendum eſſe tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatis; cauſatus, id quod ipſorum muneris eſt, alterius nomine nequaquam ab illis præſtandum: & neſcio quæ Clementis Primi verba in hanc ſententiam adduxit. Pighinus Aliphanus tunc Epiſcopus, ratus ſuum eſſe tueri Pontificiam auctoritatem, cuius & Romæ in duodecimuirali iudicio, & Tridenti adminiſter erat, interpellauit, affirmans, enuntiationes huiuſmodi hæreſim ſonare; idcircò libellum traderet, ſe enim paratum eſſe accuſationem ſuſtinere, nixum Canone *Omnis*, diſtinct. 22. vbi Nicolaus Secundus pronuntiat, cunctas reliquas Eccleſias & Patriarchis, & Metropolitis, & Epiſcopis ſubiectas, à Romana fuiſſe conſtitutas: ac proinde qui illarum ius detrahit, eum iniuſtè agere; qui verò hanc impugnat, in hæreſim labi.

At Fæſulanus ſua dicta propugnare, promptumque ſe profiteri ad cenſuram Concilij ſubeundam. Aliphanum Albengenſis ſecutus Apoſtolicæ Cameræ auditor: cumque vtrique licere ſibi videretur perinde in Tridentina Synodo ac in Romanis tribunalibus Iudices agere, vociferari; Martellum, quippe ſæpiùs in huiuſmodi errata relapſum, haud ampliùs tolerandum. Fæſulano Pacecus affuit, aitque, Concilium libertate frui; interpellandi verò & obiurgandi poteſtatem penes ſolos Præſides eſſe. In eamdem ſententiam Hiſpani ceteri locuti vnà cum Vigerio Senogallienſi Epiſcopo, qui illis adhærebat: ſed præ ceteris Stabienſis excanduit, inter quem & Auditorem Cameræ acerbior altercatio ſuborta: quiritari Calaguritanus, adimi Concilio libertatem, ac veniam proinde poſcere, ſe ſuam ad Eccleſiam recipiendi. Armacanus, qui ante biduum Româ redierat, quò ſui priuati negotij causâ profectus fuerat, [a] teſtari, ſibi Pontificem declaraſſe, velle ſe, vt Patres in Concilio plenam loquendi libertatem exercerent; quod plauſu ab Hiſpanis acceptum, quandoquidem per eam Pontificis laudem licebat ipſis impune miniſtros Pontificios redarguere. 2

a In Diario 22. Februar. 1547.

Adhuc tamen Auditores Romani Fæſulanum vrgebant, vt libellum traderet: quare primus Legatorum anathema, niſi libellum traderet, Epiſcopo denuntiauit. Qua in re fortaſſe, vtpote ſubitariâ, minùs conſultè ſe geſſit; cùm per importunam iuſſionem, in diſcrimen adduceret & Fæſulanum, ſimul certamine ſimul patrocinio inflammatum, ſe agendi præcipitem in contumaciam, & ſuam aucto- 3

auctoritatem in deſpicatum, ob impunem contumaciam pralabendi. At Fæſulanus, quamuis ſerò & grauatè, ſe fregit, ac libellum Ceruino porrexit; non tamen rumor & altercatio deferbuere: quocircà Montanus grauem orationem exorſus, Niſi ſuam ipſe ſpem fixiſſet in Deo, haud proſpera ſe fuiſſe præſagiturum de eo Concilio, cuius diſſidia ad aures iam peruenerant non modò Catholicorum cum mœrore, ſed hæreticorum etiam cum deſpectu. Credi à ſe, Fæſulanum bono ſtudio impulſum: anteacta ipſi condonanda, modò inpoſterum ab ea agendi ratione abſtineret. Tum alter Legatus ad Aliphanum & Albengenſem conuerſus, eos leniter corripuit, quòd ſibi aſſumpſiſſent partes Præſidum, in quibus debitum in Apoſtolicam Sedem ſtudium minimè deſiderabatur, & iniunctum munus ac poteſtas inerat eiuſdem ſtudij in huiuſmodi euentibus exercendi: quod ipſi Præſides patienter audiebant, ceteris pariter eſſe tolerandum. Poſtremò cohortatus eſt eos Patres, qui ſe iurgio laceſſiuerant, vt ſibi inuicem, pro eo ac Epiſcopos Chriſtianos decebat, iras offenſioneſque remitterent. Ad hæc ſe illi mutuò amanter amplexati: Fæſulano redditus à Ceruino libellus; ac tandem ex perturbatione coorta ſerenitas. 1547.

4 Die poſtero [b] retulit ad conuentum Montanus; Diſpectis à ſe diligentiùs ſuperioris Seſſionis ſuffragiis, aliter iam ſentire tum de Patrum numero conſentientium Decreto, tum proinde de legitima illius comprobatione. Eis igitur enumeratis, ipſorumque perpenſo tenore, rationem ſubduxit, ex iis Patribus, qui diſertis verbis Decretum probauerant, & iis qui Præſidum ſententiæ generatim adhæſerant, ſummam confici longè ſupra dimidium. Hiſce inſuper adiiciendos Generales religioſorum Ordinum Moderatores, & Abbates, alioſque ex Epiſcopis, qui ſua ſuffragia generatim cum Concilij iudicio conformauerant; vnde Decreti confirmationem multis partibus potiorem eſſe. Quod concordi conſenſu declaratum. Poſt hæc Montanus adiecit, velle ſe ſolatij communis gratiâ Epiſtolam Farneſij Cardinalis recitare, quod præſtitit: quâ nuntiabatur, in Senatu decimaoctaua Februarij Diploma fuiſſe à Pontifice promulgatum, quod ſuprà narrauimus, de manſione Cardinalium Epiſcoporum apud ſuas Sedes præſcripta, & de plurium Eccleſiarum cura eiſdem interdicta. b 15. Febr.

5 In huius deliberatione Diplomatis Pontifex diu hæſerat, quòd iam conceſſa, nunc ſibi reuocanda cernebat; gnarus, quantò facilius ſit non concedere, quàm priuare conceſſis, adeoque legum eſſe, futuris conſulere, non præteritis. Et ipſe quidem ſuam hanc

1547. voluntatem ſignificarat, [c] addideratque, ex repulſa, quam nuper tulerant Cardinales Ferrarienſis, Barbonius, & Sfortia, de plurium Eccleſiarum coniunctione, [d] ſatis patere, id quod inpoſterum obſeruandum erat, iam in præſentia præſtari. Sed reſcripſit Ceruinus, vrgentem reipsâ morbum ſolâ nouæ corruptelæ abſtinentiâ non ſatis curari. Quemadmodum haud fas erat Concilio, iudicare aut corrigere quæ Pontifex egerat in legum relaxationibus hac illâve ratione impertiendis; ita hîc aptè repeti poſſe quod antiqua Synodus Marcellino Pontifici dixit, *Teipſum iudica*. His itaque rationibus adductus Pontifex, neque quicquam in Purpuratis Patribus durius nactus, ad conficiendum Diploma ſe flexit, quod ſumma cum Pontificis commendatione à Synodo ſuſceptum eſt [e]; tum quod reipſa laudem merebatur, tum quòd vniuersè grata eſt abruptio canalis, quo in paucorum domum vbertim confluunt laxationum commoda, dum ceteri aridam legum ſeueritatem patiuntur.

c Epiſt. Maffei ad Ceruinum, 5. Febr. 1547.
d Litteræ Maffei, 21. Februar.
e Ex Diario, 25. Februar.

CAPVT III.

Quid actum inter Pontificem & Cæſarem de Synodo, ac de fœdere: & varia tum intra tum extra Concilium funera.

DVm hæc agebantur, vehementer ambigebat Pontifex, [a] continuandum necne ſibi fœdus cum Cæſare: Legatoſque ipſorum ſententiam rogauerat; qui tamen quid ex eo reſcripſerint, mihi incompertum. Soluebatur ille promiſſione perſiſtendi amplius in eo fœdere; non modò quia ſex menſes condicti iam fluxerant, ſed etiam quia Cæſar cum Palatino, [b] cum Wirtembergico, cum variis liberis Ciuitatibus concordauerat, neglectâ conditione, dummodò Pontificis obſequio ſe ſubmitterent; quin etiam ne exſpectato quidem illius conſenſu, pro eo ac fœdere ſancitum erat, neque re Nuntio communicatâ [c]. Nouum Septemuirum Mauritium Saxonem, ab ipſo ſuffectum Ioanni Frederico, quippe perduelli, ac Brandeburgicum ſecum fœderatos haud compulerat vt à Pontifice Septemuiratus comprobationem depoſcerent, ſuoſque Oratores ad Concilium mitterent, atque ereptas Eccleſias ſuis Epiſcopis reſtituerent. Et ex altera parte, cùm animaduerteret Cæſar, longè duriſſimam accidere perduellibus Religionis mutationem, [d] ſatius exiſtimabat, lento greſſu quàm ſaltu procedere; priuſque ad ſuam illos obſequelam, deinde ad Dei & Petri obedientiam adigere. Sed euentus conſilij fallaciam patefecit, cùm ipſa in Deum contumacia ſæpius contumaciam in Cæſarem exciuerit. 1

a Litteræ Maffei ad Ceruinum, 26. Nouemb. & 4. Decemb. 1547.
b Litteræ Maffei ad Ceruinum, 23. Februar. 1547.
c Litteræ Maffei ad Ceruinum, 4. Decemb. 1546.
d Litteræ Ceruini ad Farneſ. 24. Februar. 1547.

Quando-

2 Quandoquidem itaque Pontifici liberum erat fœdus prorogare vel ſoluere, eius continuationem ex vna parte ſuadebat dubitatio, ne Cæſar ab ipſo deſtitutus corrueret in concordiam indecoram Eccleſiæ, animarumque ſaluti pernicioſam; ex altera, nec ærarium Pontificium, quod Concilij ſumptibus hauriebatur, tam magnis ſuppetiis ſatis erat, nec illarum indigebat Carolus; propterea quòd Ferdinandus Rex in hoſtium ditiones traductis copiis, Ioannem Fredericum, ac Lantgrauium eò quoque ſua transferre arma coëgerat: proinde Superioris Germaniæ vrbes hæreticæ ſub Cæſaris imperium deuenerant, grauibus ab illo impoſitis tributis oneratæ;[e] adeò vt à ſolis Auguſtanis trecenta florenorum millia fuerint collata. Verùm hæ omnes rationes oppoſitis planè ceſſiſſent, niſi quædam ceteris validior his acceſſiſſet: ea erat nouum, quod muſſabatur, Regis Galliæ conſilium inferendi contra Cæſarem in Italiam arma. Hic enim vnà cum filij iactura initæ concordiæ fructus amiſerat: adeoque ad ſua priſtina iura, quibus in pacificatione ceſſerat, conuerterat animum, nouâ ſuſpicione agitatus ob æmuli res proſperas in Germania, precibuſque ac pollicitationibus Proteſtantium exſtimulatus. Quapropter Pontifex, vbi in fœdere perſeueraſſet, ſatis intelligebat, oportere vt ipſe Cæſari auxilia ſuppeditaret in eo pariter euentu, per grauiſſimum & periculum & incommodum, abruptâ cum Franciſco Rege amicitiâ, quem adeò præcipuum Eccleſiæ membrum agnoſcebat, adeò neceſſarium ad felicem exitum defenſionemque Religionis. Iraque vt hunc turbinem armis Catholicis minitantem diſſolueret, Goronum Bertanum Phanenſis Epiſcopi fratrem ad Cæſarem miſit,[f] ad pacem illi cum Gallo ſuadendam; iuſſitque Tridento tranſeuntem Legatis mandata communicare, ab eiſque noua documenta deſumere. At cùm Gorono iter facienti infortunium contigiſſet, ſuffectus illi Epiſcopus ipſius frater, vir & prudentiâ ornatus, & Cæſarianis gratioſus: vbi tamen Goronus conualuit, ad ſuum obeundum munus ipſe perrexit.[g]

3 Hæc itaque ratio, ne in ſocietatem belli aduerſus Gallum adigeretur, fœderis continuationem Pontifici diſſuaſit, non ea quam per inſulſam nequitiam Suauis colorat, dum commemoratas à me cauſas aut ignorans aut diſſimulans, & in temporis etiam anticipatione peccans, rem tribuit felicitati Cæſaris, Paulo plus nimio iam ſuſpectæ. Quaſi verò ſubtiliſſimum id eſſet arcanum, quod Pontifici iam tum latuiſſet, cùm fœdus ſanciuit; & quaſi longè ſuſpectior futura illi non eſſet potentia Proteſtantium, qui & capitales hoſtes in Sedem Apoſtolicam coniurauerant, ac inauratos laqueos Pontificiæ

1547.

e Ex litteris Ceruini ad Farneſ. 4. Februar. ex Diar. 2. Febr.

f Litteræ Farneſij, 2. & 25. Ianuarij 1547.

g Litteræ Ceruini ad Farneſ. 4. Februar. 1547.

 gulæ

1547. gulæ iniiciendos in Italiam deportauerant. Iam verò, cùm ceſſatio
beneficij iniuriæ ferè loco habeatur, hæc ſuppetiarum prætermiſ-
ſio, ſimul & promulgatio Dogmatum Fidei per Synodum habita,
effecerunt, [h] vt per eos dies Cæſaris ſanguis aceſceret; de quo Car-
dinalis Auguſtanus Legatos admonuit, adiectis precibus, vt pro
Chriſtianæ gentis incolumitate his turbis occurrerent. Verùm dum
negotium pacificationis cum Franciſco Rege pendebat, nouum fœ-
deris nexum Pontifex recuſabat. Cùm autem à Cæſare per litteras
vrgeretur, & per officia flagrantiſſima in libello à Mendoza exhibi-
to, vbi de Concilio primo loco agebatur, Paulus nihil operæ quà
voce quà calamo intermiſerat, vt Mendozæ, ac per eum Cæſari pa-
làm faceret, quàm ſtudioſè, quàm ſincerè, quàm rectè in rebus ad
Concilium expeditionemque ſpectantibus ſeſe geſſiſſet. Sed vbi
[i] reſciuit, eo pacto ſe minimè profeciſſe, accuratum ea de re Com-
mentarium ad Verallum Nuntium miſit, in cuius ore ſperabat ra-
tiones illas longè efficaciores futuras, quàm in litteris Cæſariano-
rum: atque ad id fiduciariam epiſtolam Cæſari per ipſum redden-
dam conſcripſit, quâ delatis ſibi à Mendoza litteris reſpondebat.

h Maſſarelli Diarium, die 24. Februar. 1547.

i Litteræ Farneſij ad Verallum, 15. Februar. 1547. inter Commentarios Ceruinorum.

Exponebat Commentarius, vnaque diſſoluebat id, quod in epi- 4
ſtola Mendozæ de vtroque negotio continebatur. Quod ſpectabat
ad Concilium; ſignificarat Cæſar, fuiſſe ſibi firmiſſimè propoſi-
tum, vt in eo auctoritas Pontificia illæſa perſtaret: ſe quidem cu-
piiſſe, vti dogmatum definitio retardaretur, tum anteà de noxa Ori-
ginaria, ne intempeſtiuè Proteſtantes irritaret, tum maximè poſt-
eà de Iuſtificatione, quippe quòd nondum ſatis maturum videba-
tur, ac prætereà inſignium Academiarum ſuper eo ſententiam au-
diendam: idipſum tamen à ſe modeſtè propoſitum, & in Pontifi-
cis poteſtate prudentiaque repoſitum. Sollicitè pariter inſtitiſſe
morum reparationi, quòd eam generis Chriſtiani calamitatibus ef-
ficaciſſimum maximeque expetitum remedium exiſtimaſſet. Obſti-
tiſſe tum ſuſpenſioni Concilij, tum tranſlationi, ne obtentum præ-
beret Lutheranorum contumaciæ iam alioqui patefactæ, quando-
quidem recuſabant Synodo ab Imperij Comitiis acceptæ ſe ſub-
mittere; neue in deſperationem traheret etiam Catholicos, qui in
huiuſmodi Synodo ſpem omnem componendæ Eccleſiæ colloca-
uerant. His itaque reſponſum: Pontificem in expetendo Concilio
Cæſari nihil ceſſiſſe, cùm id tantâ ſollicitudine habendum curaſſet,
inter tot difficultates coëgiſſet, tam graui ſumptu ſuſtinuiſſet: poſt-
eà verò Eccleſiæ dignitatem poſtulaſſe, ne Concilium iam coactum
otiaretur, præſertim in eo quod ſibi vel maximè curandum erat,
hoc

hoc eſt, in hæreſi extinguenda. Peruicaciam Proteſtantium eiuſmodi eſſe, vt Cæſarem ad arma capeſſenda compulerit; quantò minùs ſperandum, eos ad frugem per damnationis moram adductum iri: nihilominùs Pontificem in gratiam Cæſaris haud recuſaſſe negotio ſuperſedere, dummodò abſque Synodi dedecore id fieret, eâ videlicet ſuſpensâ: ſed nondum id præſtitum, quòd Cæſari non probaretur. In maturando Iuſtificationis Decreto ſex menſes impenſos: Academiarum ea de re ſenſa in eorumdem ſcriptis patere; quòd ſi diſertè illa exquirerentur, hoc ipſum Concilij dignitati derogaturum, cuius erat, cunctas Academias docere ex diuini Spiritus ſibi præſentis afflatu. Ad reparandam diſciplinam adeò pronum eſſe Pontificem, vt vtriuſque argumenti tractationem ſimul habendam permiſerit, aduerſus quàm rerum ordo ac dignitas poſtulare videbantur: dediſſe prætereà mandata & amplam auctoritatem de iis agendi etiam quæ ſuam ad Aulam pertinebant. Si tantam in Synodo cunctationem præuidiſſet, & induxiſſet in animum, varias nationum iam inueteratas conſuetudines à ſe tantùm poſſe facilè corrigi abſque Concilio, daturum ſe fuiſſe operam, vt ad eam diem id effectum conſpiceretur, quod etiam vt in poſterum fieret paratus erat. Tranſlationem grauiſſimis de cauſis opportunam ſibi viſam; ab ea tamen animum auertiſſe, non quidem ob adductas à Cæſare rationes, quibus neutiquam acquieſcebat; ſed ob aduerſum illius animum, cui ſe concordem præoptabat in iis etiam quæ minùs idonea ex aliis rationibus exiſtimaſſet. 1547.

5 In iis, quæ ad ſecundum caput, id eſt ad bellum ſpectabant, ſuam Carolus voluntatem ſignificarat expeditionis continuandæ, donec Proteſtantes ad obſequium Sedis Apoſtolicæ pertraxiſſet. Hoc Cæſaris ſtudium Pontifex commendabat, aiebatque, id à ſe ſperari, cùm ad illud ipſum obtinendum fœdus coiſſet, tametſi poſtmodum per concordiam cum Wirtembergico, variiſque hæreticis vrbibus initam, inſcio Pontifice, fuiſſet à pactionibus reſilitum, ſibique materia querelarum exhibita. Verùm cùm poſceret Cæſar, vti Pontifex ſuppetiarum continuationem ſponderet vltra temporis ſpatium in fœdere conſtitutum; is reſpondebat, ſe ob exploratas ſibi priùs ſuarum virium anguſtias, ad eos menſes promiſſionem ſuam coarctaſſe: nunc verò Cæſarem quà rebus proſperè geſtis, quà hoſtibus poſt fœderis Smalcaldici diſſolutionem debilitatis, quà impoſito populis iam ſubiectis tributo, noui ſubſidij neceſſitate minimè premi: ſed potiſſimum inter ſubſidia videri ipſam cum Gallo pacificationem, cui perficiendæ nullam à ſe operam per

1547. litteras ac per Nuntios prætermitti. Ceterùm quemadmodum in aliis pluribus aduerſus Fidei hoſtes expeditionibus Cæſari citra omnem obligationem opem tulerat; ita ſe contra Lutheranos illi ſubuenturum, quantum & neceſſitas poſceret, & vires paterentur.

Querebatur dein Cæſar, Pontificem ſcriptis ad Heluetios & ad Galliæ Regem litteris, expeditioni obfuiſſe: cùm per eas palàm fieret, bellum non eâ ſolâ gratiâ ſuſceptum, vt Proteſtantes ob contumaciam in Imperium plecterentur, ſed vt ad veterem Religionem adigerentur. Ad hæc Pontifex: Mirari ſe huiuſcemodi querimoniam; cùm enim Cæſare ipſo petente hæ conditiones in ſancito fœdere fuiſſent appoſitæ, & Apoſtolicus Legatus cum tanto militum numero contra Fidei perduelles miſſus eſſet; quiſnam verum rei conſilium ignorare poſſet, bello prorſus politico ſibi confiſto? Præterquam quod illæ Pontificiæ litteræ quæſitæ, ſollicitatæ, atque inſpectæ iam fuerant à Cæſaris adminiſtris: proinde ſi pernicioſæ euaſiſſent, Pontificem iuſtiùs expoſtulaturum, quòd ab iis viris quibus ipſi fides habenda erat, ea fuiſſent efflagitata, quæ ſuſceptis armis nocerent. 6

Adiiciebat Cæſar: Se, vt Pontificis cohortationibus morem gereret, bellum aggreſſum, ex quo potiſſimum emolumentum in Apoſtolicam Sedem erat redundaturum. His Pontifex reponebat: Admodum ſe lætari, tantum ſua conſilia valuiſſe apud Cæſarem, qui hoc poſito, tametſi nihil aliud à Pontifice accepiſſet, plurimum ipſi deberet, quòd eius operâ expeditionem ſuſcepiſſet, quæ tantum Dei obſequio, tantum Cæſaris gloriæ conducebat, ac tam feliciter ceſſerat: decerptum hactenus fructum vnicè penes Cæſarem eſſe, vrbibus locíſque ſuam in poteſtatem redactis; Sedis verò Apoſtolicæ emolumenta eſſe ſolùm in ſpe: quamquam hæc ipſa ſpes niti firmiſſimè videretur in eo, quod Cæſar Diuinæ gloriæ fœderiſque pactionibus debebat.

Conquerebatur iterùm Cæſar, complures ex Italicis militibus ſtipendiorum penuriâ diſceſſiſſe. Contrà ſubiiciebatur, ea fuiſſe ſemper integre perſoluta, perinde ac planè in duobus ſuperioribus ſubſidiis à Pontifice Pannoniæ ſuppeditatis. Proinde aliquorum reditum tribuendum potiùs locorum aſperitati vel incommodis, quibus illi ſe ibi malè acceptos querebantur; Italos omnium primos illic affuiſſe, adeoque ſtrenuè pugnaſſe, vt ipſe Cæſar ab iis ſibi ſatisfactum teſtaretur. 7

Petebat inſuper, vt ſtipendia ſupplerentur, totidem Germanis ſoluenda, quot Itali abſceſſerant. Reſpondebat Pontifex; Hunc

militum

militum ſeceſſum non Italis peculiarem fuiſſe, ſed Hiſpanis Germaniſque communem; pleroſque Italorum non caſtris, ſed vitâ in præliis deceſſiſſe; adeoque cenſere, nullâ ſe ampliùs obligatione teneri: verumtamen huiuſmodi ſupplementum modicam ad ſummam redigi, nec ſe recuſare expertorum hominum arbitrio rem committere, ſuoque cuicumque debito ſatisfacere. 1547.

8 Iterabantur à Cæſare querimoniæ, quòd nollet Pontifex in Hiſpania pagos Eccleſiaſticis beneficiarios diuendi, aliâve ratione pretium quingentorum ſcutorum millium ex his conquiri. Sed opponebat Pontifex apertum pactionum tenorem, quæ, quantum ad huiuſmodi venditionem ſpectabat, fuerant à Senatu Vaticano repudiatæ, conceſſo vt Cæſari aliunde ſatisfieret. Id porrò intelligi non poterat de quingentis ſcutorum millibus: nam pactiones, quas diximus Senatui propoſitas, habebant, Eccleſiarum in annuis prouentibus iacturam, eſſe à Cæſare reditibus æqualibus aliunde reparandam; adeoque nullum ineſſe ius Cæſari, quingenta ſcutorum millia, niſi cum ea iacturæ reparatione, depoſcendi. Aliàs Cæſaris Adminiſtris viſum abundè fuiſſe, à Pontifice oblata trecenta ſcutorum millia; & tamen huic ſummæ poſt reditum Farneſij Legati acceſſionem à ſe factam. Claudebatur reſponſio tum enumeratis ingentibus ſubſidiis, quæ Pontifex & Eccleſiaſtici variis modis in illud bellum Cæſari ſubminiſtrauerant, adeò vt ipſi magna ex parte ſubuenerint; tum argumento ex his aliiſque præteritis beneficiis deducto, quantum in Pontifice fiduciæ in poſterum Cæſari collocandum, pro eo ac ratio poſtulaſſet, citra omnem obſtrictæ fidei neceſſitatem.

Sic igitur Pontifex longioris obligationis vincula declinabat, donec pace compoſitâ inter Carolum & Franciſcum, metu ſolueretur, ne per fœdus cum Cæſare in Gallum arma conſociaret. Verùm vti ſpes pacis tunc tenuis affulgebat, ita nullus poſteà exitus fuit, & quòd Carolus à pacificatione nimis abhorreret, & quòd oblatum illius ſequeſtrum auerſabatur.[k]

9 Quòd ergo ad pacis negotium ſpectabât, iam initio Cæſar alienum ab ea animum Nuntio præ ſe tulerat, cauſatus haud poſſe ſaluâ dignitate ad illam pacem ſe flectere; propterea quòd crederetur ipſe alio implicatus bello ad eam per vim pertrahi. Sed reuerà nec poſſeſſas reſtituere prouincias is volebat, nec inire concordiam, vbi etiam conſenſiſſet Gallus, vt quæcumque ipſe obtinebat, ſibi retineret, acri curâ ſtimulatus, quòd Sabaudiæ Dux, ſanguine ac fœdere ſibi coniunctus, adhuc ditionis ſuæ parte non modicâ orbatus eſſet, quam ei tamquam Cæſaris clienti Gallus ademerat. Quapropter

k Ex variis litteris Veralli Nuntij ad Farneſiū Cardinalem, in volumine Archiuij Vaticani, cui titulus, *Littera Veralli*, anno 1542. vſque ad 1547.

1547. propter, vbi primum Goronus rem propoſuit, Carolus reſpondit commotior: Regi quod neque ſuum neque meum eſt, retinere non licet: animique commotio aucta eſt, delatâ ſibi Regis Galliæ ſplendidè minitantis voce (tametſi Gallicus apud Cæſarem Orator eam inficiatus ſit) à ſe nimirum eouſque moleſtiam Cæſari haud exhibitam, ne expeditionem in hæreticos interturbaret; tunc verò cùm victorem cerneret, velle ſe illi bellum inferre. Quâ voce ſatis intelligebat Carolus, triumphum ipſius Cæſaris à Gallis ante victoriam cani. Proinde in ea verba coram Oratore Gallico prorupit: Si id ita feret, ſe ad Gallum peruenturum, & viam callere; volens per hæc in memoriam reuocare anguſtias, in quas Gallos coniecerat, cùm armatus Galliam diuexauerat, vnde poſteà poſtrema inter eos concordia manauerat. Quod verò ad pacificationis ſequeſtrum, ad 9
Pontificem inquam, pertinebat, Cæſar incredibilem animi amaritiem conceperat ob id ipſum, ad quod pax conducere potuiſſet, videlicet ob memoratam ſubſidij ceſſationem: idcircò ad acerbiſſimas cum Nuncio querelas progreſſus, inter cetera dicebat, Boni paſtoris, quin etiam probi hominis non eſſe, in eiuſmodi rerum conditionibus ipſum deſerere: ab aliis morbum Gallicum contrahi in iuuenili ætate, at in ſenili à Pontifice, tametſi reuerà iuuenis etiam Gallis fuiſſet addictus. Cumque reſponderet Nuntius, Nulli partium adhærere Pontificem, ſubiecit ille: Ita enim uerò; ſed hæc in medio perſiſtendi ratio Chriſtianam Rempublicam euertit. Affirmabat, compertum ſibi eſſe, Paulum in Franciſci Regis gratiam à fœderis continuatione recedere; id pollicitum Oratori Gallorum Regis, proſperos ſibi ſucceſſus obturbare conantis, vt proinde Conſtantiam, Vlmæ & Auguſtæ exemplo ſe Cæſari dedere meditantem, rex ad obluctandum animauerit.

Ad has expoſtulationes haud deſtiterat Nuntius dignitatem & 10
cauſam ſui Principis ſuſtinere, commemoratis Pontificiis ſumptibus in eam Cæſaris expeditionem, ſeptingentis quinquaginta ſcutorum millibus, & traditâ facultate alia decies centena millia ab Eccleſiis excerpendi: belli periculis & incommodis duo nepotum dilectiſſima capita obiectaſſe, atque ſuæ ditionis nouena militum millia amiſiſſe; adeoque ingens videri Pontificis infortuńium, quòd tam caro pretio non beneuolentiam, ſed inimicitiam Cæſaris coëmiſſet. Sed quò ſimul eum deliniret, ſimul per ſpem alliceret ad concordiam, ſubiecit, Præterita tam ampla, tamque recentia beneficia, pignus futurorum, & quaſi firmiſſimum vadimonium eſſe poſſe; nihil quippe fortius ad noua beneficia conferenda homines

trahit,

trahit, quàm cura ne vetera, ſi ingentia fuere, deperdantur: quare 1547.
cùm in id coaleſcerent tum animi propenſio, tum ſtudium Religio-
nis, dubitari non poſſe, quin Pontifex libenti animo eſſet Cæſari
ſuppeditaturus quidquid per vires, rerumque conditiones licuiſſet.
Verùm nemini meliùs innoteſcere, quàm ipſi Cæſari, cuius poten-
tia ceteris præcellebat, quibuſdam in rebus peragendis reuerà mi-
nùs eſſe liberos, magiſque ſubiectos quàm ceteros, eos ipſos, qui ſu-
premi ceterorum Domini nuncupantur. Huiuſcemodi nubes inter
Cæſarem & Pontificem tunc obuoluebantur, è quibus erupêre poſt-
eà procellæ, grauem perniciem immenſumque terrorem Chriſtia-
næ Reipublicæ inferentes.

11 Varia cùm Patrum in Concilio funera, tum Principum extra
Concilium eos menſes nobilitarunt. [l] E Patribus obiit Ioannes [l] Diarium
Caluus, Minorum Obſeruantium Moderator, à Corſica, integrita- Maſſarelli,
te vitæ doctrinâque conſpicuus, vnde communem venerationem 21. Ianuarij
amoremque ſibi conciliarat. Deceſſit paulò pòſt [m] Henricus Lof- 1547.
fredus Epiſcopus Caputaquenſis, vir litteris ac Religionis ſtudio [m] 6. Martij,
præſtans, ac Cæſaris apprimè ſtudioſus, ſed linguâ minimè cau- vt in Diario.
tus; quapropter paucos ante dies, [n] dum de propoſitis emendationis [n] Diarium,
Decretis ferret ſententiam, ea ſophiſtica nominarat: de quo Mon- & Acta 8. &
tanus in alio cœtu acriter conqueſtus, diſſimulato eius nomine di- 16. Februar.
xit; Licere quidem cuique quæ ſibi viderentur de Decretis, velut
embryonibus non partubus, propoſitis expromere: ſed aliud eſſe
dicendi libertatem, aliud contumeliæ iactandæ licentiam; cùm præ-
ſertim ea contumelia Legatos peteret, qui peculiaribus congreſſi-
bus præerant; perinde ac ſi vellent per verborum ambages non di-
rigere, ſed in tricas coniicere Chriſti cultores. Sed dictum poſteà
Loffredus excuſauit, profeſſus, ſe nihil aliud per vocem ſophiſtica
ſignificare voluiſſe, niſi ambigua & obſcura. Iuſta illi ſolemniter
perſoluta, collegis omnibus confluentibus.

12 Alio externo funere ſublatus eſt Synodo vnus ex præcipuis do-
ctrinâ Epiſcopis. [o] Etenim vxore Guidobaldi Ducis Vrbinatis ex- [o] Litteræ
tinctâ, vir eius grauiſſimo oppreſſus mœrore, Bertanum ſupra cete- Ceruini ad
ros intimum ſibi tam inſtanter ad ſolatium popoſcerat, vt Legati Farneſium,
repugnare nequiuerint. Bertanus verò eâdem operâ ſimul mœſti- 28 Febr.
tiam ob amiſſam coniugem ex animo Ducis deterſit, ſimul aliena- 1547.
tionem à Pontifice ob veteres offenſiones; illum cohortatus, ad pro-
lem virilem ſibi quærendam per nuptias Victoriæ Farneſiæ Petri
Aloyſij filiæ, quæ poſtmodum Chriſtianarum Principum exem-
plar eluxit.

1547.

Maioris Principis ſub idem tempus viduitas obtigit, defunctâ [p] Anna Regis Romanorum coniuge, quæ Pannoniæ diadema viro detulerat, ſpinis magis quàm gemmis contextum. 13

Poſtridie quàm Anna obierat, [q] diem clauſit Henricus Octauus Angliæ Rex, idemque inter Chriſtianos Principes per annos plurimos maximè inglorius, planeque miſerrimus. [r] Quiſquis editam ab illo ſtragem euoluet tot hominum quà ſanguine, quà magiſtratu, quà doctrinâ præſtantium, vt inceſtas ſuas nuptias, & ſacrilegam hierarchiam ſuſtineret; mirabitur profectò, vel ex horrore Regem illum non contabuiſſe, qui ſe tot nobiliſſimorum capitum carnificem intuebatur. Retinuit, quamdiu vixit, inter incendia libidinis ac furoris aliquam etiam pietatis fauillam: nouas hæreſes ſemper abominatus eſt, & per Eccleſiaſticam, quam impiè ſibi arrogauerat auctoritatem, eos viros elegit Epiſcopos, quos poſteà ſub impiis illius ſucceſſoribus, vt Fidem Orthodoxam aſſererent, exilia & compedes nobilitarunt. Tot ab eo fuerant contracta connubia, & tam oppoſitæ ſententiæ prolatæ ad ea modò legitima modò irrita declaranda, ex norma non alterius legis quàm ſuæ exlegis libidinis, vt ad lites, adeoque ad bella vitanda, regni Ordines ſatius habuerint, ipſi parenti ſucceſſionis iudicium arbitriúmve permittere. Nominauit ille primò vnicum quem habebat virilis ſtirpis Eduardum, tertiæ coniugis Ianæ Seimeræ filium; deinde Mariam, primo loco genitam à Catharina prima & legitima ipſius coniuge; tertiò Eliſabetham, ex Anna Bolena ſuſceptam. Illud Henricus infortunium paſſus eſt, quod tantoperè Principes exhorrent; nimirum, paucos intra annos cunctos ſibi filios, nepotem nullum Regni ſucceſſores habuiſſe; vlciſcente fortaſſe Deo multiplices nuptias, quibus virilem ſibi prolem perpetuare conatus fuerat, cælo vel inuito. Eduardum monuit, ne primatu excepto, ab Eccleſia Catholica quidquam recederet; ſed extemplò conſtitit, perinde id fuiſſe, ac firmitatem parietis commendare, ſimulque fundamenti euerſionem imperare: mox enim ſucceſſor in hæreſim præceps corruit, & Britannia poſtmodò tamquam in Africam conuerſa eſt, monſtrorum omnium feracem.

Deludit Suauis conceptam tunc à Catholicis ſpem, futurum 14
nempe, vt filius à patre diſcordaret; aitque verè diſcordaſſe, exceptis confeſtim doctrinis Eccleſiæ Romanæ repugnantibus. Si ſpes omnes ſucceſſu vacuæ irriſionem merentur, oportebit Theologicam Spei virtutem deridere, quæ ſanè à Deo cunctis fidelibus præcipitur, & tamen in ipſorum pluribus euentu carebit. Sed me iuuat iterare

[p] 17. Ianuar. ex Diar. Maſſarelli.

[q] 28. Ianuarij.

[r] Vide Spondanum anno 1547. n. 16. & quos ipſe citat.

iterare quod dixi, & aliàs dicam, quò in lectorum animis altius imprimatur: Quòd huiuſmodi ſpes vacua fructu ceciderit, obſeruetur ab euentu, cuinam maiorem iacturam intulerit, an Romæ, quæ ſplendorem amiſit, ab Angliæ eiuſque Principum obſequio priùs ſibi collatum; an Angliæ, eiuſque Principibus, qui aureum illud pacis vinculum amiſere, ab ipſis ſeruilem dominantis Romæ catenam exiſtimatum. 1547.

CAPVT IV.

Confutantur varia Suauis dicta aduerſus Decreta Seſſionis ſeptimæ de Sacramentis nouæ Legis, eorumque numero: de diſcrimine inter ea ac Moſaica; ac de voto Baptiſmi, ad primam Iuſtitiæ ſuſceptionem neceſſario.

1 Regrediar cum Suaui ad Concilij res. Expiſcatur ille ex hæreticorum libris rationum momenta magis popularia aduerſus varia Fidei dogmata Tridenti ſancita; fingitque, à quibuſdam certis Theologis ea ibi propoſita in priuatis conuentibus, quorum nomina, propriaſque conditiones exprimit more fabularorum, ad vulgi fidem aucupandam: nullam tamen earumdem rationum ſolutionem poſteà refert, quippe qui ſatis non habet inſinuare, Decreta illa fuiſſe cum auditæ veritatis ignoratione confecta, ſed inſuper perſuadere contendit, cum pertinacia contra patefactam veritatem pronuntiata. Quamuis autem harum quas narrat diſputationum nihil comperiam; tamen quia nonnulla ex illis argumentis, cuiuſcumque ſint auctoris, reſponſionem aliquam poſtulant, ſaltem apud complures non apprimè doctos; breuiter hîc ea referam, ac refellam, non tamen quantum poteſt, ſed quantum ſufficit.

2 De numero Sacramentorum dicit, Omnes conueniſſe, ea ſeptem eſſe propter auctoritatem Scholaſticorum poſt Magiſtrum Sententiarum, ob auctoritatem Concilij Florentini, & Eccleſiæ Romanæ traditionem. Sed cur præteriit, ea de re Græcam pariter Eccleſiam conuenire, quæ octo ab hinc ſæculis à Romana deſciuit? Cùm tamen ſuper eo cum Romana conſentiat, fateri neceſſe eſt, id in vtraque à primo fonte dimanaſſe, à Christo videlicet & ab Apoſtolis.

3 Addit, à pleriſque diſſuaſum, ſtatui ſeptem, & non plura eſſe propria Sacramenta; ſed eos maluiſſe nihil ſanciri, an cuncta quæ

 propriè

1547. propriè dicuntur Sacramenta, ſeptem ne ſint, an pariter aliud quidpiam propriè ſit: ſtudetque huiuſmodi conſilium corroborare, quoniam ſententiis de Sacramenti definitione, & in quo ipſius natura ſita ſit, adeò variantibus, certò ſtatui non poterat, quæ & quot ea planè eſſent. Vulgaris omnino cauillatio! Ergo quoniam variæ ſunt opiniones de natura quantitatis, & an ſita ſit in peculiari aliquo accidente, an in ſola materia, an etiam in ſingulis corporum qualitatibus; idcircò fidenter nobis ſtatuere non licet, hoc illúdve quantum eſſe? quoniam tot ſunt argumenta de numeri natura, num is ſolis vnitatibus abſolutis conflетur; num relatio, vt aiunt, inſuper illis addenda, quæ vel reuerà aliquid ſit, vel ab ipſa ratione concipiatur; idcircò ne in ancipiti fortaſſe pendet qui & quot numeri inter vnitatem ac denarium intercedunt? Aliud eſt, quemadmodum alibi diximus, ignorare quid ſaltem extimè res quædam ſit, & pro vulgari nominis ſignificatione; aliud, eius intimam rationem haud penetrare. In priori ſenſu conſtat inter Scholaſticos, quid ſit Sacramentum; idque ſatis eſt, vt enumerentur: quo pacto vt enumerentur planetæ, opus non eſt, ipſorum naturam introſpicere, ſed ſufficit nominis ſignificationem percipere. Quapropter vocabulum Chriſtiani Sacramenti (tametſi per ampliorem ſignificationem ab antiquis Patribus ſæpè vſurpetur) quo pacto nunc intelligitur à Scholaſticis, ſonat ſigna quædam ſenſibilia, per ritus ac ceremonias exhibita Chriſti nomine, quæ, modò debitæ conditiones adſint, gratiam certiſſimè conferunt ſupra eam menſuram, quam exigunt meritum ac præparatio ſuſcipientis.

Ex hac declaratione palàm fit, cur inter Sacramenta non connumerentur Abbatis benedictio, Cardinalium creatio, martyrium, & huiuſmodi plurima, quæ Suauis memorat: nimirum quia priora duo gratiam non impertiunt; tertium, ſi eam confert, certo quodam ritu, ſtatiſque ceremoniis haud exercetur, neque Chriſti nomine, ſed potiùs in Chriſti odium infertur. Probè quidem obſeruauit Ioannes Carauaialius ex Ordine Minorum Obſeruantium, putari à Gabriele Biel, [a] ſuſceptionem Euchariſtiæ peculiare quoddam Sacramentum eſſe, vtpote quæ gratiam infundat; non tamen propterea reuocata in dubium fuit ſententia, quam ceteri ſcriptores complexi ſunt, & quæ à Florentino ſtatui, & à ratione confirmari viſa eſt. Siquidem Euchariſtiæ ſuſceptio diſtinctam gratiam non affert, ſed mera quædam applicatio eſt, quâ Euchariſtia reipsâ gratiam conferat. Vnde autem fiat, quòd huiuſce Sacramenti ſuſceptio non veniat (quod Petrus Cardinalis Aureolus opinatus eſt) in Sacra-

[a] In 4. diſtinct. 8.

Sacramenti conſtitutionem, quamuis Euchariſtia, niſi ſuſcipiatur, 1547.
gratiam neutiquam pariat, nihil attinet ad Sacramentorum numerum; & à nobis forſitan alibi declarabitur, vbi ea, quæ in alia Seſſione de Euchariſtia ſtabilita ſunt, recenſebimus.

5 Non igitur latebat Scholaſticos, nec apud eos diſcordabat ſignificatio Sacramentorum nouæ Legis, quantum opus erat, vt quænam propriè eſſent diſcernerentur. Hoc poſito, quis ambigat, à Synodo declarandum fuiſſe, ea propriè ſignificari? Qui non propriè loquitur, niſi à rerum conditionibus id ipſum explicetur, non docet, ſed decipit. Similiter neceſſe erat numerum ita ſtatuere, vt quilibet maior excluderetur: non modò quia liberum aliter fuiſſet cuique pro ſuo arbitratu noua comminiſci; ſed quia in aperto erat, eam ſemper fuiſſe ſententiam Eccleſiæ, ac præcipuè Synodi Florentinæ, quæ docet, ea ſeptem eſſe, & ſingulatim enumerat. Quod ſi non ſatis id foret, vt ea ſeptem eſſe dumtaxat declararetur; neque pariter eſſet ſatis, vt conſtaret non eſſe plures quàm tres Diuinas Perſonas, antiquiſſimum Trinitatis nomen ab Eccleſia vſitatum, & quòd tres tantummodò in ſacris Litteris numerentur, adeoque vnicuique licuiſſet Perſonarum cateruam in Deo fingere. Quis porrò, niſi mente captus diceret, Terram, Aquam, & Aërem, tria eſſe elementa; & vbi quis opponeret, ea eſſe quatuor, reſponderet, id neutiquam à ſe negatum, & in quatuor vnitatibus tres etiam contineri? Satis vnuſquiſque intelligit, an per huiuſmodi formam definiendi Eccleſia magiſterium ſe dignum exerceret ad fideles erudiendos. Non igitur eò quòd rationes à Suaui productæ ambiguum redderent eorum numerum, quæ apud Chriſtianos vera & propria ſunt Sacramenta, diſſuaſerunt nonnulli ea verba, *nec plura, nec pauciora*; ſed quia cenſebant, non alia verba eſſe adhibenda, niſi quæ vſurpauerant Florentina Synodus, quarta Carthaginenſis, Hugo Victorinus, & alij antiquiores. Verumtamen his reſponſum eſt, nondum eâ tempeſtate emerſiſſe duas illas hæreſes, quibus opprimendis opus erat illius veritatis explicatione, quæ in eorumdem Conciliorum Decretis implicitè continebatur: altera quippe hæreſis affirmabat, duo vel tria eſſe vera Sacramenta; altera verò, Sacramentum eſſe quodlibet ſignum, quo in ſacris Litteris gratiæ promiſſio continetur, cuiuſmodi ſunt etiam eleëmoſyna & precatio.

6 Quod attinet ad myſticas ſeptenarij numeri rationes, quas Suauis Patrum diſputationibus ad eos deridendos attribuit, obſeruandum eſt, aliud eſſe, veluti probationem dogmatis illas adducere, quod ſtultum ſanè fuiſſet; aliud verò, aliunde iam firmatâ illius

1547. probatione, numeri conuenientiam exquirere. Hoc ſanè aliquis ex Theologis ſuis ſcriptionibus præſtitit in tranſcurſu; quòd irriſionem ſi meretur, irridendus etiam erit, non inquam Plato, ſed S. Gregorius, & præ ceteris S. Auguſtinus, qui myſteria frequenter obſeruat in numeris. Enimuerò cùm certiſſimum nobis ſit, infinitam ineſſe Deo ſapientiam, nec vllam rationem atque conuenientiam, quamuis ſubtilem & abditam, occurrere nobis poſſe, quam ille non nouerit; ſuſpicari non licet, ne in eius operibus, ac verbis interpretandi id nobis contingat, quod Plutarcho accidit, cùm in Homeri verſibus ea diſciplinarum arcana deprehendit, de quibus numquam fortaſſe Poëta cogitauit. Præterquam quòd Catholici conuenientiam numeri ſeptenarij in Sacramentis haud certè [b] in huius numeri generatim excellentia fundant, ſed in eo quòd vetus Teſtamentum vbique hoc numero vtatur in purgaminibus antiquâ Lege præſcriptis, quæ conſtat vmbras ac figuras fuiſſe aliarum purgationum efficaciorum, quæ Legi gratiæ reſeruabantur: modò ſiquidem præcipiebat ſeptem animantes offerri, modò purgationes ſeptem diebus peragi, modò ſeptem vicibus aſpergi ſanguinem. Quare admodum veriſimile fuit, numero figuræ numerum rei figuratæ reſpondere.

[b] Vide S. Thomam in 4. diſt. 2. q. 8. & tertiâ Parte q. 65. art. 1. & contra Gentes lib. 4 cap. 58. & Bellar. de Effect. Sacramentorum l. 2. c. 26.

Refert Suauis, votum, hoc eſt deſiderium Baptiſmi, compluribus viſum ad iuſtificationem minimè neceſſarium, quandoquidem Cornelius & pius Latro abſque vlla Baptiſmi notitia gratiam ſuſcepere: verùm alios reſpondiſſe, votum ſaltem implicitum eſſe neceſſarium, quoniam hi ambo ſi nouiſſent Baptiſmum, expetiiſſent. 7
Sed primò quidem accuratiùs danda fuiſſet opera Suaui hiſce doctrinis intelligendis, ſi ſtudebat veriſimilius imitari Tridentinorum Theologorum dicta, qui numquam pij Latronis exemplum adduxiſſent; optimè gnari communis ſententiæ, docentis, obligatione ſuſcipiendi Baptiſmi, quamuis à Chriſto, antequam pateretur, prænuntiati, neminem deuinctum fuiſſe, niſi poſt illius mortem; tametſi varient opinationes Doctorum, quandonam primò vim habuerit illius ſuſcipiendi præceptum. Mirum itaque non eſt, ſi alter aduerſariorum ſine norma non tantùm veritatis, ſed ne veriſimilitudinis quidem, rationes comminiſcens ab altero aduerſario adductas, ita etiam de cetero eas mancas ac deformatas affert, vt id nonniſi ad fidem veritatis eleuandam valeat. Quænam hæc eſt explicandi ratio, quo pacto ipſa perfecta dilectio, quâ Deus amatur, & quæ ad iuſtificandum ſatis eſt, implicitum Baptiſmi votum inuoluat? Implicitum dicitur non id quod eſſet, ſed quod reapſe eſt, quamuis in

in altero inuolutum, adeoque non ſatis conſpicuum. Et hac ratio- 1547.
ne in voluntate generali peculiare quoddam implicitè continetur: non quia illud expeteretur, ſi tunc innoteſceret; ſed quia quicumque totum vult, ſingulas illius totius partes confusè vult.

8 Sic igitur res ſe habet: Homo expers Baptiſmatis, vt iuſtitiam adipiſcatur abſque Baptiſmate, neceſſe eſt ſuper omnia Deum diligat, velitque integram illius legem vniuersè obſeruare; quamquam ipſe peculiaria præcepta vel ignoret vel non reminiſcatur. Iam verò lege Chriſtianâ potiſſimè poſt Fidem Baptiſmus præcipitur; adeoque Baptiſmi votum ad iuſtitiam conſequendam eſt neceſſarium. Animaduertendum prætereà, huiuſmodi neceſſitatem non ſufficere rei quam intendimus explicandæ, cùm ea communis ſit voto adimplendi cetera præcepta; à quo tamen voto conferri iuſtitiam non dicimus, ſed ex eo vim infundendæ gratiæ adſcribi huic voto Baptiſmatis: quoniam nullius alterius Diuini præcepti obſeruatio fuit inſtituta vt conferat primam gratiam, & tamquam opus quod vitam ingenerat; ſed ſolùm quo antecedens augeatur iuſtitia, & tamquam opus quod à ſpiritali vita naſcatur. Quamobrem quia huiuſmodi opera vim non obtinent mortuæ animæ ad vitam reuocandæ, cùm reipsâ exercentur; multò minùs hanc vim obtinet votum ea perficiendi: ſed iſtam Baptiſmi ſuſceptionem ſuapte naturâ anima non viuens, ſed mortua præcedit, cui vt vitam conferat, ea ſuſceptio eſt inſtituta; adeoque ipſius ſuſceptionis voto, quod in perfectâ dilectione Dei continetur, hæc cæleſtis vitæ generatio aſſignatur. Quod autem dixi de voto Baptiſmi, locum habet proportione in voto Sacramenti Pœnitentiæ, reſpectu eorum, qui poſt acceptam à Baptiſmo vitam lapſi ſunt.

9 Deinde Dominicanis appingit, acriter eos ſtuduiſſe, vt Franciſcanorum opinio proſcriberetur, Sacramenta videlicet non eſſe gratiæ cauſas phyſicas, ſed ſolùm morales; Legatos verò, diffiſos à ſe poſſe illos ſatis comprimi, ea de re Romam ſcripſiſſe, ſimulque ſignificaſſe, Religioſorum licentiæ frænum iniiciendum: quod ne guttulam quidem veri continet. Etenim omnibus in comperto erat, certum eſſe, ac ſtatutum Concilio, nolle ſententiæ cuipiam officere, cui nobilis aliqua è ſcholis Catholicis militaret.

10 De diſcrimine inter Sacramenta veteris ac nouæ Legis, recitat Suauis multas diſſertationes, ſeu potiùs fabellas; vt in dubium reuocet Catholicam veritatem, quâ docemur, conferri ab alteris gratiam, ab alteris, quatenus Sacramenta ſunt, tantummodò ſignificari. Narrat primò, aliquem ex Theologis hanc definitionem diſſua-

1547. diſſuaſiſſe, admonentem, res omnes, quæ genere quodam conueniunt, adeoque omnia Sacramenta, debere pariter vnam certam proprietatem obtinere. Quis inficiatur? Sed non eam proprietatem, quam Suauis cum ſuis nouatoribus vellet, eſſe nimirum mera gratiæ ſigna. Communis proprietas, & quæ generatim ineſt tum veteribus tum nouis Sacramentis, in eo eſt ſita, quòd vtraque quædam ceremoniæ ſint ſubiectæ ſenſibus, à Deo inſtitutæ, & gratiam ſignificantes, tamquam Diuinæ ipſius gratiæ promiſſiones. Diſcrimen verò inter duo genera, quæ ſubalterna dicuntur à Dialecticis, ſub hoc ſuperiore genere contenta, inter, inquam, Sacramenta Moſaica & Chriſtiana, in eo eſt, quòd altera gratiam præſignificabant per futura Sacramenta Legis nouæ conferendam, altera verò eam ſignificant tamquam conferendam à ſe ipſis, eo ferè pacto, quo pluuiam ſignificant cùm ranæ in paludibus coaxantes, tum nubes in aëre conſtrictæ: illæ ſignificant pluuiam à venturis nubibus effundendam; hæ verò pluuiam quā ipſæ grauidæ ſunt, & quam ipſæ profundent. Nec certè hoc diſcrimen fuit à Scholaſticis voluntariè excogitatum: S. Paulus cunctas antiquæ Legis ceremonias appellauit elementa egena, vacua, & vmbras. Et è diuerſo habemus in Euangelio, hominem in Baptiſmo renaſci; remitti in cælo peccata, cui remittuntur à Sacerdote; à carne & ſanguine Chriſti, eam manducantibus, & hunc bibentibus, vitam conferri; per manuum impoſitionem Spiritum ſanctum accipi: quæ oſtendunt, Chriſtiana Sacramenta non eſſe ſterilia quædam ſigna, ſed effectrices cauſas, fœtas ſanctitate quam promittunt. Non tamen negauerim, potuiſſe à Suaui excuſationem aliquam adduci, cur difficile ſibi eſſet virtutem huiuſmodi in Chriſtianis Sacramentis credere: cùm enim ipſe tam frequenter ea ſuſcepiſſet, numquam intra ſe quidquam expertus fuerat, vnde hanc ſanctitatem ſibi affuſam coniiceret.

CAPVT V.

Expenduntur quæ Suauis diſputat de Charactere per triplex Sacramentum impreſſo.

PErgit Suauis diſſerere de Charactere, quem ſecundùm Catholicam veritatem imprimunt in anima tria Sacramenta, quæ iterari nefas eſt. Dicit, quibuſdam minimè probatum, hanc fuiſſe vniuerſalem veteremque ſententiam Catholicorum, cùm animaduerterent, Scotum [a] ſibi perſuaſiſſe, id neceſſariò non trahi *à verbis ſacræ Scripturæ, vel Patrum; ſed ſolùm ab Eccleſiæ* 1

a In 4. diſtinct. 6. quæſt. 9.

cleſiæ auctoritate: qui modus, inquit, *huic Doctori conſuetus eſt, vrbanè quidpiam negandi.* Enormis prorſus impoſtura: perinde quaſi Scotus Eccleſiæ auctoritatem flocci faceret. Vel vnus mihi demonſtretur locus, vbi religioſus ille non minùs quàm ingenioſus Theologus indicet, negari à ſe id, quod alibi faſſus fuerit auctoritate Eccleſiæ comprobari. Is itaque aliter, quàm alij communiter, opinatus, Scripturæ ac Patrum effata ſatis aperta non eſſe ad eam veritatem ſine vlla dubitatione firmandam, concludit; *Propter ergo ſolam auctoritatem Eccleſiæ, quantum occurrit ad præſens, eſt ponendum, Characterem imprimi: ad hoc autem poni poſſunt tres congruentiæ:* his verò allatis, cuncta poſteà oppoſita argumenta diſſoluit. Vnuſquiſque iam expendat, an hic ſit modus vrbanè & ciuiliter negandi. Quin ex hoc ipſo quòd Scotus ante tria ſæcula confeſſus fuerit, veritatem hanc in Eccleſiæ auctoritate niti, & proptereà ſe illi aſſentiri, ſatis liquet antiquitas & concordia huiuſce ſententiæ, quam eodem Scoti teſtimonio conatur Suauis oppugnare. 1547.

2 Mox enumerare aggreditur varia Scholaſticorum opinamenta, quidnam ſit Character; quaſi Theologis Tridentinis id fuiſſet definiendum: & tamen conſtat, huiuſmodi ſententias à Scholaſticis productas eâ ratione fuiſſe, quâ Ptolomæus mundi ſyſtema ordinauit; nimirum, non quòd ipſe arbitraretur hanc vniuerſitatem ita planè cum ſuis omnibus ſphæris ac ſideribus eſſe compactam & collocatam; ſed ſolùm quò ſtatum ſitumque rerum poſſibilem conſtrueret: qui ſi fortè veritati reſponderet, ea omnia euenirent phænomena, quæ in cælo terraque obſeruantur; tametſi Deus ac Natura moliri potuiſſent innumerabiles alios rerum ordines aptiores, nec nobis excogitatos, ex quibus eadem phænomena prouenirent. Idem Scholaſticis labor eſt de Charactere, aliiſque obſcuris quæſtionibus: varios, inquam, modos excogitant; qui ſi cum vero concordarent, idipſum planè eueniret, quod in ea re nobis oſtendunt non cæli phænomena, ſed cæli oracula. Ceterùm quoties contingit, vt perſpicuè quidem cônſtet rem quamdam eſſe, ſimulque vt omnino ſimul lateat quid illa ſit? Poteſt ne quidquam clarius patere, quàm eſſe tempus? Et tamen quidnam ſit tempus, adeò obſcurum eſt, vt vel ipſa perſpicaciſſima Auguſtini mens in tenebris hæſerit. Dei voluntatem eſſe liberam, adeò verum eſt, vt ne ab Ethnicis quidem plerumque negetur: ſed quid ſit hæc ipſa libera Dei voluntas, modus eſt adeò inexplicabilis, vt quæcumque ad eum diſſoluendum rationes excogitentur, omnes tandem vix probabiles habeantur. Itaque in huiuſmodi rebus, ad Fidei magiſterium ſpe-

1547. ctat docere an ſint; ad ingeniorum palæſtram, indagare quid ſint. Quare, vbi res agitur de dogmatis ſtatuendis, non de habendis diſputationum conflictibus, oportet Auguſtinum imitari; cui cùm è ſacris Literis exploratum eſſet, malos dæmones igne torqueri, animaduersâ explicandæ rei difficultate, *Satis eſt*, inquit, *ſcire id fieri miris ſed veris modis.* Suauis verò confidit perſuadere ſe poſſe, Hieronymum Oleaſtrum, virum doctiſſimum, auctorem fuiſſe, vt in Concilio ſtabiliretur de Charactere, aliorumque Sacramentorum effectis quædam ſententia, affirmans neſcio quod ornamentum ab illis omnibus impreſſum in animis; ita tamen, vt ab eorum quatuor imprimatur delebile, à tribus verò indelebile. Sententia quidem non modò ab aliis Scholis oppugnata, ſed à Thomiſtis plerumque deſerta, & quæ à S. Thoma in iuuenili priùs ætate concepta, in ſenili poſtmodum educata non fuit; quod ipſe quoque Suauis obſeruat.

Sed quoniam de huiuſce Characteris impreſſione Suauis perinde blaterat, ac ſi id eſſet arbitrarium Scholaſticorum inuentum; haud omnino prætereunda puto huius dogmatis fundamenta. Multa ſunt in ſacris Paginis effata, quibus dicimur à Deo ſignari, ſigillo imprimi, ſuæque hereditatis pignore donari: [b] quod ſæpè diſertius & clarius affirmant, nominatim de Baptiſmate, Confirmatione, & Ordine, antiquiſſimi Patres Græci ac Latini; [c] à quibus Magiſter Sententiarum poſteà deſumpſit, qui eorum dictis ſuum Opus contexuit: præcipuè verò notatu dignum eſt Auguſtini dictum productum à Seripando, acriter contendente, vt articulus non tamquam probabilior, pro eo ac aliqui ſentiebant, ſed tamquam certus reciperetur. Hæc igitur habet Auguſtinus in Epiſtola vigeſima tertia: *Baptiſmi Sacramentum ſufficit ad conſecrationem, quamuis ad vitæ æternæ participationem non ſufficiat: quæ conſecratio reum quidem facit hæreticum, extra Domini gregem habentem Dominicum Characterem: corrigendum tamen admonet ſacra Doctrina, non iterùm ſimiliter conſecrandum.* Idem vſurpat vocabulum hic Doctor alibi ſæpiſſimè; affirmatque tum ipſe tum alij veteres Patres, huiuſmodi Characterem ex anima euelli non poſſe, atque ea de cauſa tria quæ diximus Sacramenta iteranda non eſſe. 3

b 2. ad Cor. 1. & ad Eph. 11.

c Bellar. de Effect. Sacram. l. 2. c. 2.

Quemadmodum itaque ſimiles loquendi formulæ, quæ certè qualitatem aliquam nobis intimam & impreſſam ſonant, apud ſacras Literas, de gratia quâ iuſti reddimur, vſitatæ, trahebantur ab hæreticis ad non propriam ſed metaphoricam ſignificationem; ita quoque de Charactere fiebat. Quòd eas hoc pacto interpretarentur, 4

hæc

hæc erat ratio: quia nimirum inter homines poteſtas & adoptio nihil veræ qualitatis imprimunt; & tamen de ipſis eadem dicendi ratio adhibetur, cùm Iuriſperiti de illarum viribus ac nexibus ita loquantur, ac ſi phyſicæ reuerà qualitates intrinſecus ineſſent poſſeſſoribus: adeoque exiſtimandum, ſacras Litteras conſuetudinem hominum ſecutas, ſimilibus loquendi formis in eamdem ſententiam vſas fuiſſe; cùm alioquin humanum exemplum oſtenderet, opus non eſſe huiuſcemodi qualitatibus ſiue vt homo per iuſtitiam adoptetur à Deo, ſiue vt operandi poteſtatem in memoratis Sacramentis accipiat. 1547.

5 Sed ita diſputantibus diſparilis exempli ratio nequaquam animaduerſa: id enim apud homines ab ipſorum imbecillitate procedit, quæ potis non eſt alios nobilitare atque cohoneſtare per intimas reuerà animi dotes, ius ipſis aut hereditatis aut magiſtratus impertientes. Cùm autem id præſtare non poſſint, fingunt quodammodò eas dotes homini tribui ac infundi; adeoque inter ſe conueniunt in agnoſcendo colendoque eo filio adoptiuo, ſeu conſtituto Magiſtratu, perinde atque is qualitate interiori fuiſſet ornatus, quæ huiuſmodi cognationem aut poteſtatem illi contuliſſet. Atqui Deus quidquid vult poteſt, & quod efficit numeris omnibus perficit; quocircà quæ vellet homo, ſed nequit in iis quæ tribuit efficere, adeoque planè fingit, ea Deus reuerà præſtat per inditas animis penitus dotes, ſimulque per adiecta ſupra naturæ conditionem decora ac vires. His autem dotibus alia peccata delentur, & huiuſmodi eſt gratia, quâ iuſti reddimur; alia lituræ non ſubiacent, cuiuſmodi ſunt id quo quiſpiam Chriſtianus efficitur, id quo militarem Chriſti teſſeram obtinet, & id quo in hac militia magiſtratum ac poteſtatem accipit: atque hæc poſtrema decora Characteres appellantur, & ab illis Sacramentis imprimuntur, quæ ex inſtitutione Chriſti, veterique Eccleſiæ vſu ne poſt peccatum quidem iterari fas eſt. Iure quidem ille ſapiens queſtus eſt, humana ad Deorum numina in ſuis fabulis ab Homero tranſlata, optauitque, vt è contrario diuina ad homines tranſtuliſſet. At Suauis vti artis ſuæ, hoc eſt mendacis narrationis principem imitaretur, ea, quæ non cernit in hominibus, non credit in Deo.

1547.

Capvt VI.

Refelluntur, quæ Suauis obiectat articulo de intentione ad efficaciam Sacramenti neceſſaria, & de materia ac forma illud conſtituentibus.

Nvmquam Suauis aptiorem aditum ad imponendum populo ſpecioſis fallaciis nactus eſt, quàm in articulo de intentione, quâ ſi miniſter careat, nullum conficit Sacramentum. Hîc in ſcenam Catharinum inducit, miras excitantem tragœdias, atque amplificantem, ex hoc incertum pendere, num omnes Sacerdotes & omnes Epiſcopi verè Sacris initiati fuerint, à quorum ſingulis pendet efficacitas innumerabilium ſacrarum actionum, abſolutionum & conſecrationum, quas non hic vel ille ſolùm homo, ſed per infinitam ſucceſſionem exercuerint ij omnes Sacerdotes aut Epiſcopi, qui vel ab eo proximè, vel ab aliis per ipſum initiatis gradum ſuſcepere. Ad hæc cuiuſpiam patris anxietudinem deplorat, qui formidare poſſet, ne moribundus filius ob impiam miniſtri voluntatem Baptiſmi efficaciâ, adeoque cæleſti gloriâ fraudaretur. Narrat ad has Catharini rationes Concilij Patres obſtupuiſſe; non tamen idcircò deſtitiſſe, quin tamquam Fidei dogma communem ſententiam definirent. 1

Quiſnam tantus hic ſtupor? Nouáne & inexpectata hæc illis argumenta tonuere, an potius millies decantata, imò paſſim tam obuia, vt vel mediocribus ingeniis occurriſſent? Idem articulus nónne fuerat iiſdem verbis in Florentino ſancitus? nónne de illo iam ſcripſerant inſignes Doctores, quos mox proferemus? Quis igitur tantus ex improuiſo ſtupor inceſſit Theologis tam eruditis, ex oppoſitionibus tam vulgaribus? quæ quanti ſint ponderis, mox patebit.

Obſeruat deinde, Catharinum in ſua ſententia etiam poſt Tridentinam definitionem perſtitiſſe, ſimulque ſuſtinuiſſe, ſibi Concilium non aduerſari: vnde ſtudet Suauis arguere, aut illius Synodi auctoritatem à Catharino intrinſecus deſpectam, aut eorum Canonum ſententiam ne ipſis quidem Epiſcopis, qui eas protulerunt, notas fuiſſe. 2

a Continetur in Opuſculo, De intentione miniſtri.

Equidem exiſtimo Catharini ſententiam falſam eſſe; [a] ſed non ideò per Tridentinos Canones disertè damnatam: quapropter fas illi fuit affirmare, eam Concilio non contradicere; quippe duos eximios Ordinis ſui ſcriptores ſequebatur, Petrum Paludanum, qui propenſum animum in illam opinionem præ ſe tulit, & Syluestrum

Priera-

Prieratem, à nobis aliàs laudatum, cui pariter poſt Florentinam 1547.
Synodum probata eſt; vbi, ſicut indicauimus, in Armenorum documentis
habetur de intentione miniſtri id quod planè dicitur à
Tridentina. Quin etiam ſunt, [b] qui eamdem opinationem S. Thomæ
duobus in locis adſcribant: ac hiſce poſtremis annis Marius
Scribonius Doctor Gallicus in ſua Panalithia plurimis argumentis
eam tueri conatus eſt. Mihi ſanè licet affirmare, cùm excitata fuiſſet
neſcio quæ litteraria contentio inter Catharinum [c] & ſacri Palatij
Magiſtrum, appoſitiſque inuicem libellis litigaretur, rogatum
à Legatis Pontificem, Palatij ſui Magiſtrum moneret, vt ab inferenda
alteri moleſtia deſiſteret, affirmantibus, vitam & doctrinam
Catharini ab omnibus commendari. Vnde conficitur, opiniones
à Catharino defenſas, Patribus haud ſuſpectas fuiſſe, nec illis fuiſſe
in animo eas proſcribere. Porrò ſi res ita haberet, numquam commiſiſſent,
vt per communes acclamationes ad Epiſcoparum promoueretur;
neque is, qui tunc Synodo Legatus præerat, poſteà Pontifex
Maximus, nobiliori hominem Tiarâ exornaſſet. Itaque cenſeo,
ſententiam Tridenti proſcriptam, eamdem eſſe, quam Leo X. per
ſuam Conſtitutionem in Luthero damnauit; videlicet, ita fuiſſe
à Chriſto inſtitutum Sacramentum, vt etiamſi miniſter per manifeſtam
irriſionem ac ludibrium illud peragat, effectum conſequatur:
quæ inſtitutio apertiſſimè liquet quantum abhorreret ab Eccleſiæ
dignitate, à ſenſu fidelium, & à conditione ceterarum actionum,
quæ legitimè ab hominibus exercentur. At verò Catholici
Doctores, quos numerauimus, conueniunt in exigenda ad efficaciam
Sacramenti voluntate non modò exequendæ illius exterioris
actionis phyſicè conſideratæ, quam præſtat Eccleſia, quæ voluntas
in homine pariter eſt ludicrè Sacramentum adminiſtrante; ſed voluntatem
eius actionis exercendæ per eam exteriorem cæremoniam
hominis ſeriò agentis, quâ Eccleſia vtitur, ac per ſpeciem hominis
eò illam dirigentis, quò Eccleſia dirigit.

[b] Vaſquez, & alij.

[c] Literæ Legatorum ad Sfortiam Cardin. 16 Octobris 1546.

3 Hæc in me perſuaſio ex eo confirmatur, quòd comperiam, cùm
articulus Lutheri, ab illius libro de Captiuitate Babylonica deſumptus,
proponeretur Patribus proſcribendus, vbi dicit: *Quidquid credimus
nos recepturos, verè recipere, quidquid faciat vel non faciat, ſimulat
vel iocetur miniſter.* Verba articuli cenſuræ expoſiti hæc ſunt;
non requiri miniſtri intentionem ad valorem Sacramenti. Sed quidam ex
Theologis cenſuerunt, damnandum non eſſe ſine aliquo additamento,
cùm variæ de huiuſmodi intentione circumferantur ſententiæ;
ac præſertim cùm putarent complures, ſufficere, ſi miniſter

1547. id intendat exequi, quod efficere intendit Ecclęſia: aliique communiter aiebant, id iam in Florentino proſcriptum: & Seripandus illud damnandum affirmabat, quia in ſenſu Lutheri ſumebatur, qui ſoli fidei ſuſcipientis Sacramentum adſcribit omnia, ipſi verò Sacramento nihil, adeoque nihil pariter miniſtro Sacramentum conferenti, quod dogmati Catholico aduerſatur; relinquendum verò Theologorum diſputationibus, cuiuſmodi eſſe debeat hæc miniſtri voluntas, vt ipſe conficiat, & reuerà conferat Sacramentum. Hinc patet, nihil in Concilio decretum, quidnam illud ſit, in quod hæc miniſtri voluntas tendere debeat; ſed ſolùm fuiſſe requiſitam eam intentionem, per quam ille ſit reuerà Sacramenti effector, ac diſpenſator gratiæ, quæ per illud impertitur. Hoc poſito, volunt illi Doctores, dummodò miniſter ex animo curet eam exteriorem actionem eo modo ponere, quo illam poneret ſi intenderet Sacramenti effectum imprimere, atque ita reipsâ eam perficiat, interiorem voluntatem oppoſitam nihil officere Sacramenti efficaciæ.

Sed quoniam communis Scholaſticorum ſententia, quam veram exiſtimo, affirmat, opus eſſe voluntate ſaltem implicitâ adminiſtrandi reipsâ Sacramenti, libet mihi ſententiam illam breuiter ab ea inuidia vindicare, quam ipſi conflare nititur Suauis rationibus auctoritate Catharini perſonatis, exaggerato periculo irriti Sacramenti; quod periculum & in quolibet Sacramento ex ſeipſo proueniret, & in aliis planè innumeris, quæ ab illo ſubinde dependent. Vellem mihi reſponderet, num fortè in idem offendiculum non incurritur, quantumuis concedatur, huiuſmodi miniſtri voluntate opus non eſſe: ac primò quidem, in cunctis Confeſſionibus quid Sacerdoti facilius, dum abſoluit voce ſubmiſsâ, voculam Sacramento neceſſariam omittere, adeoque ſacram illam actionem irritam reddere, vt proinde homines innumeri Deum ſibi reconciliatum arbitrati, ſub dæmonis iugo perſiſtant? Perge porrò: Nónne idem pro ſua libidine committere poſſent pagorum Curiones in conferendo Baptiſmo, vbi nemo è ruſticis nouit, quænam ſit forma neceſſaria? Atque ex hoc ipſo, quòd aliquod in huiuſmodi adminiſtratione Baptiſmatis irritum ſit, quippe quod reliquorum omnium Sacramentorum oſtium eſt, oriri poſſet inanitas plurimarum ſacri Ordinis ſuſceptionum, adeoque innumerabilium conſecrationum & abſolutionum, quouſque mundi ſeries duraret. Quapropter in quauis ſententia confugere ad Diuinam Prouidentiam oportet, quæ aut hominum corda ita moderatur, vt arceat hæc incommoda; eoque ampliùs, quòd nullus priuatæ vtilitatis ſtimulus quemquam incitat 4

citat ad huiuſmodi ſacrilegium perpetrandum: nemo verò ſine vtilitatis dote noxam amat: aut peculiari ſuâ indulgentiâ occulto actionis vitio medetur, breuique ita res ordinat, vt Eccleſia ſua ſingularibus hiſce antidotis Diuino confectis ſanguine minimè defraudetur. 1547

5 Ceterà, quòd ſinguli homines poſt quamcumque adhibitam diligentiam certi omnino non ſint expiationis ſuæ, ſeu per Baptiſmi, ſeu per Pœnitentiæ Sacramentum habitæ, non ſolùm abſurdum non eſt, ſed potiùs conſonat Diuinis oraculis, & Eccleſiæ ſenſis de incerta perceptæ gratiæ notitia; nec cuiquam conqueri fas eſt, ſe innoxium hoc incommodo premi. Quicumque in peccato eſt, ſubiacet noxæ, adeoque indignus eſt, vt vmquam cum Deo in in gratiam redeat: aliter enim tot infantes, qui abſque noua ipſorum culpa Baptiſmo expertes decedunt, ſed aut parentum incuriâ, aut caſu repentino, dici poſſent iniuriâ cælo exulare: cùm potiùs ex hac inæquali infantium ſorte, ſine vlla vel in ipſis vel in ipſorum parentibus meritorum noxarumque inæqualitate, colligat S. Auguſtinus aduerſus Pelagium, tum ineſſe cunctis aliquam naturæ labem; tum à Deo per arbitrariam diſparemque clementiam vnum, non alterum liberari: cuicumque datur poſt culpam, ſiue originariam ſiue voluntariam, poſſe reſurgere, à Diuina miſericordia datur; cui negatur, à Diuina iuſtitia denegatur. Communis tamen ſententia eſt: Cùm ſenſus pœna primigeniæ culpæ non debeatur, neque quiſquam rationis compos excludatur è cælo, quin apud inferos non damni tantùm, ſed ſenſus etiam pœnam incurrat, adultis omnibus auxilium ſufficiens à Deo ſuppeditari; quo ſi præſtiterint id quod poſſunt ipſius vi præſtare, iuſtitiæ dotem, cælique gloriam conſequentur. Ad hoc obtinendum neceſſaria non eſt Baptiſmi ſuſceptio; quippe ad iuſtitiam accipiendam ſatis eſt perfectæ charitatis in Deum actus; ad quem perficiendum, illis ante obitum haud negatur auxilium, niſi ſibi ipſi defuerint, neglectis aliis auxiliis, ad alios actus minoris honeſtatis exercendos ſibi conceſſis.

6 Quod ſi quiſpiam hiſce reſponſionibus non ſatis acquieſceret, velletque de Diuina miſericordia ampliora ſentire; quis prohibet cum pluribus egregiis veterum Theologorum, [d] & cum recentioribus nec paucis nec obſcuris opinari, in huiuſmodi euentibus; in quibus

d S. Thom. 3. Par. q. 84. art. 8. reſpondens ſecundo argumento, refert hanc opinionem; nimirum, In infantibus ſuppleri tunc à Chriſto, & in adultis ab ipſorum fide ac pietate; dicitque, id poſſe ſuſtineri quod ſpectat ad infuſionem gratiæ, non tamen quod ſpectat ad Characterem, qui numquam imprimitur, niſi veri Sacramenti operâ. Hæc ſententia quam refert S. Thomas, fuit Alexandri Alenſis; eamdque ſecuti ſunt Durandus & Gabriel, à Suario citati in Comment. huius art. ſancti Thomæ, in verſu cuius initium eſt, *In argumento ſecundo.*

1547. quibus miniſtri ſimulatio nequeat vel homini qui Sacramentum ſuſcipit, vel eius genitoribus tranſlucere, tunc à Deo id quod deeſt, quantum fert neceſſitas, ſuppeditari; tum ne homo remedio deſtituatur, tum ne ordo Eccleſiæ perturbetur? Huiuſmodi voluntas in Deo tametſi admitteretur vniuerſè & certa, non ideò fieret, intentionem miniſtri Sacramento neceſſariam non eſſe; propterea quòd in his caſibus, in quibus ea deficeret, gratia certè ex vi Sacramenti, Diuinæque promiſſionis minimè infunderetur; ſed per liberalitatem, homini ex Dei promiſſo non debitam, quin tantummodò probabili argumentatione nobis innoteſcentem ex bonitate Diuina, eiuſque loquendi agendique ratione, quâ veriſimile fit, Deum ſtatuiſſe de ſe largiri id quod ob ſuorum nequitiam miniſtrorum defuiſſet; ſimulque velle, ne ſua ſeu vera ſeu prudenter credita promiſſio aliorum fiduciam fruſtraretur. Vt multa in pauca redigamus, duo ſunt certa: Alterum, Eccleſiam à Deo vniuerſè non deſeri, nec piam cuiuſque voluntatem peculiarem contemni; alterum, ſapientiæ potentiæque Diuinæ rationem non deeſſe, quâ id totum perficiat, etiamſi miniſtri voluntas ad efficaciam Sacramenti conſtituendam exigatur.

Cùm itaque ex huiuſce voluntatis neceſſitate ad vim Sacramenti 7
nihil abſurdi proueniat, ex aliis rationibus conficitur, reipsâ hanc neceſſitatem adeſſe: ac primò quidem ex ipſa natura omnium humanarum donarionum & conceſſionum, quibus ſine hac interiori voluntate nullus eſt vigor, ex communiori ſententia; præſertim cùm huiuſmodi voluntatis defectus naturâ ſuâ patet illi, ad quem ſpectar eas exequi; quemadmodum in re propoſita contingit, in qua executor promiſſæ gratiæ promiſſique Characteris Deus eſt, qui cordis intima peruadit. Secundò, ſacrarum Litterarum teſtimoniis id confirmatur de quibuſdam Sacramentis, ex quibus ad reliqua deducitur argumentum, cùm eadem vrgeat ratio. Profectò peccatorum arbitris dictum eſt: *Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis.* Nec cenſetur is remittere, qui verba ſine remittendi voluntate pronuntiat. Clariùs quoque Iacobus Apoſtolus in extrema Vnctione requirit Sacerdotis preces, quæ ſine dubio interiorem intentionem includunt: etenim precari non diceretur, qui preces Eccleſiæ proferret, ſed non animo Deum alloquendi.

Hæc erant Suaui recenſenda, ſi habebat in animo, lectores verâ 8
cognitione rerum imbuere, non autem ſententias ob oculos ponere, in eo veluti artificioſo ſitu, quo Bononienſis turris, quamuis ſolidis innixa fundamentis, prætento ruinæ periculo ſpectantes illudit.

Quâ-

Quânam ille ſinceritate potuit ceu productum à Catharino exemplum afferre illius Baptiſmi, quod a colludente adhuc puero Athanaſio prope littus maris, aliis pueris collatum, poſt accuratum examen rei, adhibito Sacerdotum conſilio, Alexander Patriarcha Alexandrinus tamquam rite adminiſtratum probauit? An non animaduertit, ſi luſus ille fuiſſet ludicra imitatio à pueris exercita, ſine animo in alteris reuerà Baptiſmi recipiendi, in altero ſine exteriori ſpecie illius reipsâ adminiſtrandi, eo exemplo firmatum iri id quod numquam voluit non inquam Catharinus, qui ſimulationem ſaltem reuerà operandi exigit ex parte miniſtri; ſed ne Lutherus quidem, qui fidem requirit, adeoque voluntatem accipiendæ iuſtitiæ ex parte Baptiſmum ſuſcipientis? Aliud igitur eſt, rem agere per oblectamentum, aliud per fictionem, & non reuerà. Quænam actio ad oblectamentum vetiùs fit, quàm aleæ ludus? & tamen ſeriò ludimus, & animo obligationis ex iuſtitia contrahendæ. Oblectationis itaque gratiâ inter eos pueros Baptiſmi Sacramentum adminiſtratum eſt, ſed ſimul cum illius perficiendi voluntate; idque potiſſimùm ex eo conijcitur, quòd in eo ludicro nemo ex iis qui priùs Baptiſmum ſuſceperant, oblati ſunt, ſed ſolùm catechumeni; quod diſcrimen ibi non fuiſſet adhibitum, ſi meram ſcenam voluiſſent inducere. 1547.

Alia Suauis mendacia prætereo minùs ad fallendum apta, adeoque confutationis minùs indiga. Sed mihi temperare non poſſum, quin poſtremum obſeruem quod in hac diſputatione committit, vbi de materia ac forma neceſſaria Sacramentis agens, & nominatim Baptiſmo, dicit, antiquitus ab Eccleſia non iterùm ſacro fonte eos ſuſcipi, qui iam inter quaſdam hæreticorum ſectas Baptiſmum acceperant, quamuis illæ materiâ ac formâ non vterentur, quæ neceſſariæ nunc putantur. Quod ipſe probat, quia nulla tunc de forma ac de materia habebatur notitia. At equidem hominem percontarer: Ignorabantúrne id temporis hæc vocabula materiæ ac formæ; an ignorabatur præterea res ipſa, quam nos per ea vocabula ſignificamus, hoc eſt id, quod ſuapte naturâ Sacramentum conſtat? Si ſolùm deerat huiuſmodi vocabulorum cognitio, quid eâ conſecutione turpiùs claudicans? Ignorat vulgus, quid importent in enſe vocabula materiæ ac formæ: num igitur enſem à ſecuri, & enſem ferreum à ligneo non diſcernet? Quod ſi exiſtimauerit Suauis, per ea prima tempora nondum in comperto fuiſſe, quibus partibus conſtaret Baptiſmi ratio, & quid illud eſſet quod nunc Scholaſticorum vocabulis explicamus per voces materiæ ac formæ, næ ille

1547. nimis craſſam comminiſcitur tunc in Eccleſia ignorantiam etiam Euangelij, quo apertè docemur & Baptiſmi materiam, hoc eſt aquam, & formam quâ Baptiſmum conferimus, hoc eſt, baptizantes *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* Quînam vnquam accidere potuit, vt in vniuerſa Chriſtiana Republica tam citò euanuerit traditio de iis, quibus conſtare debet Sacramentum maximè neceſſarium, maximè vniuerſale, maximeque nominatum præ reliquis quæ ſunt in Eccleſia? At verò, vbi etiam id accidiſſet, quid cauſæ erat, quòd aliqui Baptiſmi ab hæreticis collati, ſicut ipſe fatetur, ſufficere credebantur, aliqui non ſufficere, adeoque illos tunc iterare mos erat? Quænam alia poterit excogitari ratio, niſi quòd in illis, non his cernebatur Sacramenti ſubſtantia? Nulla ſunt rerum genera tam oppoſita, quàm falſum ac verum; vnde qui ſemel falſum protulit, poſteà ne falſi conuinceretur, opus foret numquam quidquam veri proferre.

CAPVT VII.

Dogmatum Canones promulgandi ordinantur, & quædam in iis obſeruata.

HVius tandem ponderis ſunt oppoſitiones, quibus veluti congeſtis montibus audet Suauis Concilium ſubuertere. Et ſanè etiamſi Diuinæ præſentiæ opem à Concilio mentis vi ſeparemus, non modò virorum qui aderant ſapientia, ſed etiam examinum diligentia omne diſcrimen arcebat, ne opus in lucem prodiret, quod non niſi à temerariis frontonibus deſpici poſſet. Mos ibi erat, auctorem primò ac librum notare, vnde quæcumque poſitio exponenda cenſuræ fuerat excerpta; deinde ſuper iis, de quibus damnandis conueniebat inter Theologos, breui commentario ab illis perſtringebantur diuinæ Scripturæ, Conciliorum ac Patrum teſtimonia, ac neruoſiora argumenta: ſuper iis in quibus diſcordabant, vtriuſque partis fundamenta breuiter notabantur: in iis etiam, de quibus omittendis conueniebant, rationes cur omittenda eſſent proferebantur. Id autem tantum eruditionis doctrinæque continebat, vt ſolus ille commentariolus ad ſolertiæ ac maturitatis exemplum abundè eſſet. De his poſteà, per manus Patrum traditis, in generalibus congreſſibus tandem ſtatuebatur. Quoniam autem argumentum de Sacramentis agitauerant Magiſter Sententiarum, ac S. Thomas, adeoque reliqui Scholaſtici illorum interpretes, vberius quàm Iuſtificationis argumentum, ſimulque continebatur à re- 1

cente

cente Florentino in documentis ad Armenios; haud neceſſarium viſum eſt, ex profeſſo ac propriis Decretis veram de eo doctrinam tradere, perinde ac in ſuperiori Seſſione peractum erat, ſed ſolùm per mera anathemata falſam damnare; quemadmodum de Originali peccato, in ea quæ vltimam Seſſionem præceſſerat, factum erat. 1547.

2 Poſt longas igitur obſeruationes emendationeſque, triginta Canones, dogmata Fidei continentes, in futuram Seſſionem parati ſunt, tredecim de Sacramentis generatim, quatuordecim propriè de Baptiſmo, & tres de Confirmatione; eorumque tenor tam exactè perpenſus ab ipſis ac limatus fuit, vt non modò in formam, omnino diuerſam ab ea quam deſignauerat Seripandus, redactus, ſed in generali cœtu, pridie Seſſionis habito, viginti lituras paſſus ſit.

3 Damnabatur hic quicumque diceret, *Sacramenta nouæ legis non fuiſſe omnia à Ieſu Chriſto Domino noſtro inſtituta, aut eſſe plura vel pauciora quàm ſeptem, videlicet, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, extremam Vnctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe verè & propriè Sacramentum.*

4 *Ea ipſa noua Legis Sacramenta à Sacramentis antiquæ Legis non differre, niſi quia cærimoniæ ſunt aliæ, & alÿ ritus externi.*

Hæc ſeptem Sacramenta ita eſſe inter ſe paria, vt nullâ ratione aliud ſit alio dignius.

Adiecta fuit ea vox, *nullâ ratione*, proptereà quòd placebat quibuſdam illius Canonis prætermiſſio, obſeruantibus, in quouis Sacramento quamdam eſſe propriam excellentiam, propter quam ſecundùm aliquam rationem infra reliqua non ſit. Id itaque, quod proſcribere voluerunt, fuit, ea omnino eſſe paria, quod affirmat Lutherus, ad Pragenſem Senatum ſcribens: *Nullum Sacramentum alio dignius eſt, quòd omnia eodem Dei verbo nituntur.* Quam ſententiam deprehenderunt aduerſari S. Dionyſio, S. Ambroſio, Melchiadi & Innocentio Romanis Pontificibus, in capite, *Cùm Martha.* de celebr. Miſſar.

5 *Sacramenta nouæ Legis non eſſe ad ſalutem neceſſaria, ſed ſuperflua; & ſine eis, aut eorum voto, per ſolam Fidem homines à Deo gratiam iuſtificationis adipiſci; licet omnia ſingulis neceſſaria non ſint.* Per hæc Lutheri hæreſis damnata, omnia Fidei, nihil effectioni Sacramenti tribuentis; atque idcircò ea ſunt adiecta verba, quibus excluditur omnium ſeptem Sacramentorum neceſſitas ad ſalutem.

6 *Hæc Sacramenta propter ſolam Fidem nutriendam inſtituta fuiſſe.*

Sacramenta nouæ Legis non continere gratiam quam ſignificant, aut gratiam ipſam non ponentibus obicem non conferre, quaſi ſigna tantùm externa

1547. *ſint accepta per fidem gratiæ, vel iuſtitiæ, & notæ quædam Chriſtianæ profeſſionis, quibus apud homines diſcernuntur fideles ab infidelibus.*

Non dari gratiam per huiuſmodi Sacramenta ſemper, & omnibus, quantum eſt ex parte Dei, etiam ſi ritè ea ſuſcipiant, ſed aliquando, & aliquibus.

Per ipſa noua Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, ſed ſolam fidem diuinæ promiſſionis ad gratiam conſequendam ſufficere.

In tribus Sacramentis, Baptiſmo ſcilicet, Confirmatione, & Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale & indelebile, vnde ea iterari non poſſunt.

Chriſtianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis adminiſtrandis habere poteſtatem.

In miniſtris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem ſaltem faciendi quod facit Eccleſia.

Miniſtrum in peccato mortali exiſtentem, modò omnia eſſentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, ſeruauerit, non conficere, aut conferre Sacramentum.

Receptos & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus, in ſolemni Sacramentorum adminiſtratione adhiberi conſuetos, aut contemni, aut ſine peccato à miniſtris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Eccleſiarum Paſtorem mutari poſſe.

Subſequebantur peculiares de Baptiſmo, qui erant: *Baptiſmum Ioannis habuiſſe eamdem vim cum Baptiſmo Chriſti.* Vt hic omitteretur, aliqui auctores erant; nam de illo Baptiſmo Scriptura dicit, fieri in remiſſionem peccatorum: ſed plures perſpicua cenſuere ipſius Ioannis verba: [a] *Ego quidem baptizo vos in aqua; qui autem poſt me venturus eſt, ipſe vos baptizabit in Spiritu ſancto, & igni.* Adduxeruntque aliquorum Patrum interpretationem, explicantium, Baptiſmum Ioannis eſſe in remiſſionem peccatorum ſecundùm ſpem: quæ remiſſio non per ipſum eſſet impertienda, ſed per Chriſti Baptiſmum, Ioannis verbis indicatum, cui viam ipſe ſternebat; atque à S. Auguſtino fuiſſe ad hanc rem adductum exemplum verborum Apoſtoli: *Nos correſuſcitauit, & conſedere fecit in cæleſtibus in Chriſto Ieſu.* Quæ pariter de ſpe, non de re ipſa intelligenda. 7

a Matth. cap. 3.

Aquam veram & naturalem non eſſe de neceſſitate Baptiſmi, atque ideò verba illa Domini noſtri Ieſu Chriſti, Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, ad metaphoram aliquam detorſerit. 8

In Eccleſia Romana, quæ omnium Eccleſiarum mater eſt & magiſtra, non eſſe veram de Baptiſmi Sacramento doctrinam.

Baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia, non eſſe verum Baptiſmum.

Bapti-

Baptiſmum liberum eſſe, hoc eſt, non neceſſarium ad ſalutem. 1547.

Baptizatum non poſſe, etiamſi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, niſi nolit credere.

Baptizatos per Baptiſmum ipſum ſolius tantum Fidei debitores fieri, non autem vniuerſæ Legis Chriſti ſeruandæ.

Baptizatos liberos eſſe ab omnibus ſanctæ Eccleſiæ præceptis, quæ vel ſcripta vel tradita ſunt, ita vt ea obſeruare non teneantur, niſi ſe ſuâ ſponte illis ſubmittere voluerint.

Ita reuocandos eſſe homines ad Baptiſmi ſuſcepti memoriam, vt vota omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, vi promiſſionis in Baptiſmo ipſo iam factæ, irrita eſſe intelligant, quaſi per ea & Fidei, quàm profeſſi ſunt, detrahatur, & ipſi Baptiſmo.

Additum conſultò fuit, *quæ poſt Baptiſmum fiunt.* Siquidem perpenderunt, cùm haud ſine probabilitate complures opinentur, religioſis votis nuncupatis expungi reliqua vota, idem de Baptiſmo ſentiri poſſe.

9 *Peccata omnia, quæ poſt Baptiſmum fiunt, ſolâ recordatione & fide ſuſcepti Baptiſmi vel dimitti, vel venialia fieri.*

Verum & ritè collatum Baptiſmum iterandum eſſe illi, qui apud infideles Fidem Chriſti negauerit, cùm ad pœnitentiam conuertitur.

Neminem eſſe baptizandum, niſi eâ ætate quâ Chriſtus baptizatus eſt, vel in ipſo mortis articulo.

Paruulos, eo quòd actum credendi non habent, ſuſcepto Baptiſmo inter fideles computandos non eſſe; ac propterea, cùm ad annos diſcretionis peruenerint, eſſe rebaptizandos, aut præſtare omitti eorum Baptiſma, quàm eos non actu proprio credentes baptizari in ſola Fide Eccleſiæ.

Huiuſmodi paruulos baptizatos cùm adoleuerint, interrogandos eſſe, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti ſunt: & vbi ſe nolle reſponderint, ſuo eſſe arbitrio relinquendos; nec aliâ interim pœnâ ad Chriſtianam vitam cogendos, niſi vt ab Euchariſtiæ, aliorumq́ Sacramentorum perceptione arceantur, donec reſipiſcant.

10 *Confirmationem baptizatorum otioſam cærimoniam eſſe, & non potiùs verum & proprium Sacramentum; aut olim nihil aliud fuiſſe, quàm catecheſim quamdam, quâ adoleſcentiæ proximi Fidei ſuæ rationem coram Eccleſia exponebant.*

Iniurios eſſe Spiritui ſancto eos, qui ſacro Confirmationis chriſmati virtutem aliquam tribuunt.

Sanctæ Confirmationis ordinarium miniſtrum non eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem Sacerdotem.

11 Poſt longam diſputationem addita fuit vox illa *ordinarium:* erant

 aliqui

1547. aliqui enim malebant hunc articulum omitti, cùm in Synodo Florentina habeatur, Romanos Pontifices grauibus de cauſis id meris Sacerdotibus indulſiſſe, dummodò Chriſma ab Epiſcopo conſecratum adhiberent: & in Epiſtola 26. lib. 3. Magnus Gregorius ad Ianuarium Calaritanum Epiſcopum ſcribit, delatum ad ſe fuiſſe, quoſdam offenſionem eſſe paſſos, quòd ſimplices Preſbyteros ipſe vetuiſſet baptizatos confirmare: id à ſe præſtitum pro veteris Eccleſiæ more; quod ſi aliqui id ipſum ægrè ferrent, Sacerdotibus certam eam à ſe tribui facultatem in iis regionibus, vbi non adeſſent Epiſcopi. Contrà verò Florentini Concilij auctoritati reſpondebat Nobilius Acienſis, factum ibi narrari, non articulum definiri; & cùm Sacramentorum miniſtri ſint à Christo delegati, non poſſe vlli delegari poteſtatem, quam ipſe per ſe à Chriſto non obtinet: atque ita ſenſerunt [b] Durandus è Dominicanis ſcriptoribus, Maior è Franciſcanis, & fortaſſe S. Bonauentura; ſed non Scotus, & Franciſcana vniuersè familia, quod affirmat Suauis. Quin plures Franciſcanorum & veteres & illuſtres ad ſententiam oppoſitam in ſuis commentariis acceſſerunt, ac præſertim [c] Antonius Andreæ, præclarus Scoti diſcipulus, [d] Petrus Cardinalis Aureolus, & ante ipſos [e] Richardus de Mediauilla, æqualis Scoto, & alij. Fuit tamen opinio Adriani VI. in iis quæ ante Pontificatum ſcripſit: quam temporis conditionem de induſtria præterit noſter Suauis, vt vnus Pontifex alteri contrarius in doctrina credatur: cùm videatur potiùs [f] Adrianus inito Pontificatu deceſſoris veſtigia ſecutus; & rogantibus Ioanne Glapione, & Franciſco de Angelis, qui Carolo V. alter poſt alterum à Confeſſione fuerunt, & poſtremus etiam Purpurâ decoratus, & à me ſæpiùs ambo nominati, facultatem Franciſcanis conceſſit Confirmationis in Indiis adminiſtrandæ, vbi deſint Epiſcopi: & legitimum illius facultatis exemplar in S. Franciſci Cœnobio Hiſpali aſſeruatur. Vſque adeò abhorret à vero, apud Minorum Ordinem haberi pro irritis huiuſmodi conceſſiones, quod Suauis contendit.

b In 4. diſtinct. 7.
c In 4. diſtinct. 7 q. 4
d In 4. diſtinct. 7. q. 1. articulo vnico.
e In 4. diſtinct. 7. art. 2. q. 1.
f Vide Arcadium de Concordia, cap. 15. lib. 2.

Imò nec Adriani Diploma fuit prima conceſſio, ſed anteceden- 12
tium conceſſionum confirmatio. Ex his priuilegiis antiquiſſimum quod hodie extat, à Ioanne XXII. iiſdem Patribus Minoribus conceſſum eſt per Orientis ac Septemtrionis regiones, quod à quodam Nicolai IV. Diplomate affertur & confirmatur; & legere eſt in quinto volumine [g] Annalium Ordinis Minorum, quos accurate ſcripſit Lucas Wadingus, nunc ſuperſtes, eruditione inſignis, his omnibus pari fide ac diligentiâ erutis ab Apoſtolico Tabulario.

g An 1447. n. 16.

Aliud

Aliud ibidem adducitur priuilegium [h] Eugenij IV. ac poſtmodum idem conceſſit Leo X. Ioanni Glapioni, & Franciſco ab Angelis, de quibus diximus; & præter Diplomata modò laudata refert alia duo, alterum Nicolai IV. alterum Vrbani V. atque horum omnium Diplomatum ampliſſima ſed generalis confirmatio à ſucceſſore Adriano conceſſa eſt, adhuc Cæſarauguſtæ commorante [i]. 1547.

h An. 1444. n. 45.

i Idem Lucas Wadingus tom 8. anno 1521. & 1522.

13 Sed ad Concilium. Quamquam neceſſe non eſſet hoc definiri, ferè omnes tamen in S. Thomæ ſententiam veniebant, quam præſtantiores Scholaſtici amplectebantur, poſſe huiuſmodi facultatem Pontificiâ delegatione ad ſimplices Sacerdotes extendi. Suauis facti non benè conſcius, ſemperque illi parti aduerſus quæ fauet Eccleſiæ, argumenta quaſi in eam tunc producta ſubdole comminiſcitur; cuiuſmodi eſt, mirum videri, quòd vnicæ S. Gregorij Epiſtolæ niterentur; quæ ſi caſu periiſſet, Eccleſia oppoſitum iudicaret. Nec aduertebat animo, id ipſum in cunctis litibus euenturum, in quibus ſemper ſententia ferretur contraria illi quæ fertur, ſi tabulæ, quibus victoris probatio nititur, periiſſent: quare Diuinæ prouidentiæ munus eſt, ſeruare perpetuò in Eccleſia eas veri probationes, quæ ſatis ſint ne in errorem ipſa prolabatur. Præterea nec innotuit Suaui, huic Gregorij facto conformari & vſum integrè ſubſecutum ac ſuprà demonſtratum, in Occidentis Eccleſia, & veterrimam in Orientis Eccleſia conſuetudinem, in quibus ſimplices Preſbyteri infantes poſt collatum Baptiſmum confirmant. Verum quidem eſt, huiuſmodi conſuetudinem haud apertè Romanorum Pontificum comprobatione firmatam; ſeu quod ſuſpicatus quiſpiam fuerit, eam a legitima Sedis Apoſtolicæ conceſſione non emanare, ſed potiùs ex eo quòd ſoleant Epiſcopi Sabbatis pridie Paſchatis & Pentecoſtes ſimul Baptiſmi Chriſmatiſque Sacramentum conferre, quod poſteà per abuſum atque incuriam ſimplices Sacerdotes imitati fuerint; ſeu veriùs, quòd credibile videretur, hanc facultatem priùs Epiſcopis conceſſam, fuiſſe poſteà reuocatam per Conſtitutionem Innocentij IV. quod eâ quâ ſolet doctrinâ ac rerum peritiâ benè probat Franciſcus Cardinalis Albitius in Commentario de rebus ad ſacræ Inquiſitionis tribunal pertinentibus: quod Opus vbi lucem ab auctore impetrauerit, eam abundè cunctis illius grauiſſimi thematis quæſtionibus affundet. Nihilominùs hæc reuocatio nihil officeret rei quam intendimus; nimirum, eſſe in Romani Pontificis poteſtate, facultatem illam indulgere, quod ab eodem auctore comprobatum apparebit aliis vetuſtis ac legitimis teſtimoniis. Iam verò vetus quam diximus conſuetudo apud Orientis

1547. rientis Eccleſias, ex ſua ſaltem origine ſe canonicam euidenter patefacit, ac de illa pluribus mentionem facit Petrus Arcadius [k] in Opere De concordia inter duas Eccleſias; oſtenditque, eam viguiſſe longè ante Photij ſchiſma, nec ea de cauſa fuiſſe Græcos vmquam reprehenſos. Idem de Ægypto teſtatur vetus ille auctor libri, qui S. Auguſtino adſcribitur, [l] Quæſtionum vtriuſque Teſtamenti: nec minùs alter antiquus ſcriptor Commentariorum, qui S. Ambroſio tribuuntur, ſuper Epiſtolis S. Pauli in cap.4. ad Epheſios; præter varia antiqua Concilia, quæ à Bellarmino [m] ad hanc rem adducuntur. Quapropter cùm in Synodo Florentina Græcis quædam fuiſſent obiecta aduerſus vndecim ipſorum ritus, qui minùs Catholici videbantur, quorum ſextus hanc ipſam conſuetudinem confirmandi per ſimplices Sacerdotes complectebatur, dicitur Mitylenenſis Epiſcopus omnia per legitimas rationes & Canones diſſoluiſſe, præter ritum coniugalis vinculi laxandi, & Patriarchæ Conſtantinopolitani creationem.

k In lib. 2.

l Quæſt.101.

m Lib.2. de Sacram.c.12.

Non igitur Epiſtolæ Gregorianæ iactura fuiſſet ſatis ad ſpoliandam Eccleſiam quacumque traditione, per quam conſtaret, hoc Sacramentum ad Epiſcoporum munus adeò coarctari, vt à Summi Pontificis auctoritate ad Sacerdotes ſimplices ampliari non poſſet. Ita corruit quod Suauis exaggerat, mirum videri, ſexcentorum annorum ſpatio, quot ſcilicet inter Chriſti & Gregorij ætatem interfluxerant, nullam hac de re in libris habitam mentionem. In primis hoc ex iis quæ attulimus falſum eſt: concedatur tamen. An illi mente exciderat, hoc ipſum compluribus aliis articulis eſſe commune, qui per primæua ſæcula pro veris potiùs animo vſuque ſumebantur, quàm in paginis ſcribebantur; eaque propter hæreticos, ſpretis traditionibus in vſu ante memoriam fundatis, fuiſſe auſos eas negare, Eccleſiamque peruertere? Quis autem ſibi perſuadeat, Magnum Gregorium, tantæ doctrinæ ac ſanctimoniæ virum, voluiſſe legem relaxare in eo quod Sacramentum conflat, niſi aut in traditionibus, aut in monumentis, quæ ad hæc ſæcula non peruenerint, id ex Chriſti conceſſione ſibi licere intellexiſſet? At enim (inſurget Suauis cum quibuſdam pauculis huius delegatæ poteſtatis impugnatoribus) cur Chriſtus in hoc ſolo Sacramento huiuſmodi conceſſionem indulſit, quandoquidem in reliquorum nullo tribuit proprio illius miniſtro facultatem miniſtri cuiuſdam delegandi, qui omni delegatione ſubmotâ illud reuerà conferre nequeat? 14

Id vnicè in Sacramento Confirmationis fieri non ita facilè admittetur, cùm à potiori Theologorum parte minores etiam Ordines 15

nes Sacramenta cenſeantur, qui tamen per Pontificiam delegationem conferantur ab Abbatibus, ordinariâ ad hoc miniſterium poteſtate carentibus. Nec fortaſſe aliud exemplum deeſſet, innixum probabilibus multorum auctorum ſententiis: proinde adeò incerta præmiſſa poſitio firmam parere conſecutionem non poteſt. Sed vt etiam ea poſitio certa ſit, liceret mihi cum Iuriſconſulto reſpondere, Nos nec ſcire nec debere legum omnium reddere rationes; ſatis eſſe, ex facto S. Gregorij, ex Orientalis Eccleſiæ traditione, palàm fieri, à Chriſto, cui ſtatuendi poteſtas inerat, ſic fuiſſe conſtitutum. Ad hæc, quemadmodum ſingulas ſingula Sacramenta peculiares leges habent, ob aliquam ſibi propriam conuenientiam, à quâ leges illæ exiguntur; ita huiuſmodi conuenientiam in re noſtra explicari arduum non eſt. Nónne rationi apprimè conſentaneum fuit, vt ex vna parte munus ex ordinaria poteſtate quemquam adſcribendi ad aliquem Chriſtianæ militiæ gradum, non eſſet penes inferiores Centuriones, ſed potiùs penes Tribunos militum, quâ planè ratione fieri ſolet apud exercitus: ex altera, cùm hoc Sacramentum, quamquam non æquè neceſſarium ſiue ad iuſtitiam conſequendam, ſiue ad ſeruanda mandata, ſiue ad augendas vires in poſtremo conflictu, ac Baptiſmus, Pœnitentia, extrema Vnctio, & Euchariſtia, tamen commune cunctis fidelibus eſſe deberet; & in quacumque regione, vbi Chriſti cultores degunt, Epiſcopi adeſſe non poſſint, præſertim iniquiſſimis inſectationum temporibus, poſſet ſupremus Princeps, vbi opportunum videretur, hoc munus inferioribus ducibus delegare? 1547.

16 Imò non defuit inter [a] Scholaſticos, qui putaret hanc ipſam delegationem Epiſcopis neutiquam interdictam: quæ opinatio à probabili non recederet, ſi huiuſmodi poteſtatem in Epiſcopis agnoſceret ſolùm ſpectatâ primâ Chriſti inſtitutione; ſed eam poſteà fateretur ipſis prohibitam à Summo Pontifice, qui ius illius delegationis ad Romanam Sedem reſtrinxerit; vt liquet ex vſu & vetuſtiſſimis Decretis: quâ pariter ratione penes ſe ſolum eſſe voluit poteſtatem relaxandi quædam vota, & quædam peccata remittendi. Verùm vtcumque res habeat, certum eſt, potuiſſe à Chriſto hoc pacto Sacramentum illud inſtitui, & per antiquiſſima Eccleſiæ monumenta conſtare, ſic fuiſſe inſtitutum.

[a] Ledeſma.

17 Hæc rationum momenta & præſtantiores Scholaſticos ad ita opinandum, & duo Concilia, non quidem ad idem ſtatuendum, ſed ad eò propendendum adduxerunt. Verùmtamen non ideò neceſſarium cenſebant aliqui, vt conceptus anteà Canon mutaretur,

1547. eum damnans, qui diceret, confirmandi poteſtatem in quouis alio, præterquam in Epiſcopo ineſſe: nam in delegato, vt qui propriâ virtute non agit, abſolutè & ſine vllo additamento dici non poteſt poteſtatem ineſſe. Satius tamen viſum, vt claritati conſuleretur, adiicere vocem illam, *Ordinarium*, à Florentino pariter vſurpatam, quâ & hinc ſententia communis de facultate delegata ſeruatur illæſa, & hinc hæreticorum error à proſcriptione non ſubducitur. Si rudioribus hominibus innoteſceret, quantum curæ animaduerſioniſque ſibi poſtulet quiuis penicilli ductus ad ſingularem cuiuſpiam picturæ præſtantiam, mirari deſinerent, quòd parua tabella diuturni temporis laborem abſumat: hinc verò fit, vt aduersùs quàm ceteris rebus accidit, ars in maiori ſit pretio apud quem ea magis abundet.

CAPVT VIII.

Duplex diſputatio, an Sacramenta poſt Adami lapſum ſtatim inſtituta fuerint: ac de remedio pro fidelium infantibus in vtero matris morientibus, ex Caietani ſententia.

DVo inſuper in diſputationem adducta: alterum fuit Lutheri pronuntiatum, à delectis Patribus ex eius libro diſputationum depromptum, quod in diſputatione anno 1520. ab illo habita continebatur; videlicet, *Statim poſt Adæ noxam fuiſſe Sacramenta, gratiam impertientia.* Id complures Theologi minimè damnandum putarunt, tum ob multorum ſententiam de Matrimonio (quod tamen alij Sacramentum tunc eſſe negabant) tum etiam, multoque magis, ob Auguſtini doctrinam vniuerſè receptam, videri credibile fuiſſe, quouis tempore inſtitutum à Deo remedium aliquod infantibus, ne omnes qui per eam ætatem morerentur, ineuitabili damnatione perirent. Quod remedium, cùm ex Diuina inſtitutione ac promiſſione certum omnino eſſet, nec eorumdem infantium merito deberetur; ſimulque de multorum ſententia, ritum aliquem ſubiectum ſenſibus exigeret, propriam Sacramenti rationem obtinere videbatur, & pro Sacramento à variis Scholaſticis habitum eſt. Itaque conſultius viſum, eam quæſtionem non aggredi. Etenim quod à Melanchthone, Pauli verba perperàm interpretante, affirmabatur, tranſitum ſcilicet per mare rubrum, fuiſſe verum Hebræorum Baptiſmum, non aliâ proſcriptione indigebat, niſi Decreto de forma Baptiſmo neceſſaria, ac de Inſtitutore omnium ſeptem Sacramentorum, qui Chriſtus eſt.

Alte-

2 Alterum in quo ſententiæ variarunt, fuit Caietani dictum. Peculiaris enim Theologorum cœtus, iis quæ ſelecti Patres ex hæreticorum libris extraxerant ad cenſuram, adiecit alia quædam, quæ ipſis in eodem argumento proſcribenda videbantur. Inter hæc opinionem Caietani appoſuerat, qui aliquid opis ſuppetere Chriſtianis putauit, quâ infantibus in vtero matris obeuntibus ſuccurreretur; ac proinde, quamquam timidè, meliorīſque iudicij correptioni ſe ſubdens, hæc ſcripſit: *Cautè & irreprehenſibiliter ageretur, ſi periclitantibus in vtero pueris ob maternam ægritudinem, vel partus difficultatem, benedictio in nomine Trinitatis daretur, & cauſæ diſcuſſio deinde Diuino reſeruaretur Tribunali: quis ſcit, ſi Diuina miſericordia huiuſmodi Baptiſmum in voto parentum acceptet, vbi nulla incuria, ſed ſola impoſſibilitas executionem Sacramenti excuſet?* 1547.

3 Vt hanc opinionem à cenſuris vindicaret, rationes quaſdam attulit Seripandus. In primis, quoniam aliter efficacior fuiſſet apud veteres fides, quàm apud nos ſeu Fides ſeu Baptiſmus; & tamen à S. Gregorio pronuntiari, nunc effici ab aqua id quod tunc fides efficiebat. Præterea, inſtitutum à Deo fuiſſe Baptiſmum, vti maximè neceſſarium ita facillimum, re quæ nuſquam deeſt ad illius materiam aſſumptâ, & ad illius miniſterium admiſſis etiam homine ethnico ac muliere: & tamen ſi hoc Sacramentum infantibus, antequam naſcantur obeuntibus, nequiret per votum parentum vtiliter admoueri, non ita fuiſſet inſtitutum, vt omnibus prodeſſe poſſet; quin eſſet ſtatus quidam hominis ineptus ad recipiendam iuſtitiam, videlicet in aluo materno. Tertiò, quia Diuina potentia & miſericordia in Lege veteri ad Sacramenta non coarctabantur, ſed per ſolam parentum fidem infantibus iuſtitiam infundebant, credendum non eſſe, eas in præſentia coarctari, poſtquam per effuſum Chriſti ſanguinem & hominum ſalus amplificata, & manus beneficentiæ Diuinæ ſunt dilatatæ.

4 Idcircò Patres articulum illum haud proſcribendum putarunt. Cuius rei cauſam adducebant; [a] quoniam is ad Baptiſmi doctrinam non ſpectabat, adeoque poſſet omitti, nec tamen per hoc ipſum ſilentium tolerandus declararetur: quamquam poſteà Dominicus Sotus, etiamſi eiuſdem Ordinis atque Caietanus, hæreſis illum notauerit, & Pius V. Pontifex Max. in eadem Schola eruditus, id ex libris tam eximij Theologi expungi iuſſerit: nec immeritò, cùm vniuerſali Chriſti effato, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei*, opponi videretur; quippe quòd induceret quamdam certam rationem cæli obtinendi citra

[a] In Actis apud Facchinettos.

 Bapti-

1547. Baptiſmum, vel proprium Baptiſmi votum: quidquid ſit de ſententia Gerſonis, putantis interdum relaxari à Deo hanc legem pro ſuo arbitratu ad parentum preces; vel de altera minùs laxa S. Bonauenturæ, & Epiſcopi Antiſſiodorenſis opinione, dicentium id ſaltem contingere, cùm inceptus iam Baptiſmus ex obſtaculo, ſed citra culpam, aut ex occulto vitio abſolui non poteſt.

Cùm autem producenda mihi fuerint oppoſita à Seripando argumenta, par eſſe videtur ea breuiter hîc diſſoluere, ne quis Theologiæ minùs peritus inſolubilia exiſtimet. Quod ſpectat ad primum: Facilius certè nunc eſt aquam haberi, vtpote vbiquè affluentem, ac baptizandi voluntatem cuilibet Chriſtiano promptam, quàm tunc veram Fidem, quæ ad modicam hominum claſſem reſtringebatur; nec etiam tunc Originariæ infantum noxæ, antequam naſcerentur, ex communi ſententia medebatur. Nec vrget validiùs altera ratio. Etenim vt fortuitò contingit interdum, aquam ſeu miniſtri voluntatem deſiderari; perinde fortuitus caſus eſt, quòd in aluo matris puer moriatur: natura ſiquidem omnes procreat vt naſcantur, cauſarumque ordinem ita diſponit, vt quiſque conceptus in lucem prodeat, niſi quid fortuitò incidens obſtiterit. Hinc fit, abſurdum non eſſe, ſtatum quemdam in natura reperiri recipiendæ per Sacramentum Iuſtitiæ minimè capacem; dummodò naturale non ſit, ſed ex accidente, & contra naturam ipſam, quòd ſtatus ille ſit homini poſtremus, quodque is ad alium ſtatum iuſtitiæ capacem non tranſierit. 5

Quod denique de Diuina miſericordia afferebatur; oſtenſum iam eſt, eam in Lege noua ad multò facilius exhibendum remedium ſe obligaſſe, quàm in veteri. Præterquam quod in his omnibus controuerſiis par eſt animo recolamus, noſtræ de Diuina miſericordia exiſtimationi euagandum non eſſe extra eos fines, quos Deus per ſacras Litteras commonſtrauit. Etenim vt ipſi liberum erat, homines non condere, vel ita procreare, vt ad claram Dei viſionem ius nullum illis tribueret, atque etiam vt hoc iure ob noxam genitoris eos priuaret; ita quoque potuit in reliquum, citra iuſtitiæ detrimentum, ſuam miſericordiam impertiri, eâ prorſus menſurâ quæ ipſi libuit: cùm præſertim id ita præſtiterit, vt pro cauſarum naturalium ſerie, ac ſublatis fortuitis euentibus, nullus hominum ſit, cui ſubſidia Chriſti ſanguinis applicari non poſſint. Qui hos fines auſit prætergredi, ſpecie pietatis ad impietatem Pelagianam accedit. Quo pacto rebelliones omnes initio præ ſe ferunt oſtentationem maioris in Principem beneuolentiæ; ita hæreſes omnes 6

ex

ex oſtentatione melioris de Deo exiſtimationis originem habent: 1547.
& quo pactô maiori fertur in Principem beneuolentiâ, qui animum illius iuſſis ſubmittit; ita meliora de Deo credit, qui mentem illius oraculis mancipat.

CAPVT IX.

Diſciplinæ leges ſtatutæ: præſertim, ne idem Epiſcopus pluribus Eccleſiis præſit; neque plura Sacerdotia ſeu ad vitam poſſidentis, ſeu perpetuò coniungantur. Ea quæ Suauis diſſerit de inſtitutione Sacerdotiorum, de Vnionibus, & Commendis, quas vocant, expenſa.

1 QVinque hîc Decreta à Concilio parata Suauis affert, de conuenienti, ſicut ipſe dicit, adminiſtratione trium Sacramentorum, de quibus Canones loquebantur, variaſque diſputationes enarrat habitas in huiuſmodi Decretis conformandis; ſemper intentus, ad quemlibet Eccleſiæ Catholicæ vſum tamquam abuſum colorandum: ſed de his omnibus in Actis Concilij nulla mentio. Et ſanè intelligebant optimè ſapientiſſimi Patres, tam virtutum quàm parietum ſtructuram à fundamentis inchoandam: hæc autem fundamenta in Republica Chriſtiana eſſe Rectores Eccleſiarum. Si hæ rectè fuerint diſtributæ, paucis opus eſſe legibus, eaſque religiosè ſeruatum iri: ſin huiuſmodi diſtributio labaſcat, innumeras leges, tametſi ritè cuſtodirentur, nequaquam ſuffecturas; vtpote quæ cunctis euentis conſulere nequeunt, ac prætereà quia ipſarum pauciſſimæ ſub improbis rectoribus obſeruantur, cùm illæ inſtar enſium ab hominis tractantis brachio robur trahunt.

2 Hæc itaque fundamenta diſciplinæ tunc Patres iacturi, denuò in diſputationem reuocarunt negotium de Epiſcoporum ſuis in Sedibus manſione. Cùm enim nullius cauſæ actio ad ea quæ diſtant protendatur, valeatque hîc effatum commune, Abſentes pro mortuis habendos, reliquæ dotes infructuoſæ agnoſcebantur, vbi per præſentiæ contactum non applicarentur ad agendum: ſed huic præſentiæ præualidum erat impedimentum plurium Sacerdotiorum in vno capite coniunctio, quòd pluribus in locis vnus idemque homo reſidere non poſſet.

3 Non obliuiſcitur hîc Suauis religionis ſtudium callidè præ ſe ferre, fortunata illa tempora ſuſpirans, quibus, prout ipſe iactat, Eccleſiæ patrimonium adminiſtrabatur à cœtu fidelium, *quibus commune*

1547. *mune erat Eccleſiæ nomen, atque ex vna communi maſſa, quæ opus erant ad pauperum miniſtrantiumq́ victum ac veſtitum deſumebantur, & maiori ſollicitudine illorum quàm horum indigentiæ proſpiciebatur.* Addit poſteà: *Hominum vitio vnius gradus facta deſcenſio, & maſſa illa vnica in quatuor partes diuiſa, atque pauperum pars poſtremo loco poſita, quæ felici ſæculo primum obtinebat.*

Seditioſorum mos eſt, pernicioſa quædam quieti publicæ diſſeminare, ſed popularis ſtudij obtento pallio; perinde ac antiqui Romanæ plebis Tribuni conſueuerant, qui proponebant promouebantque leges agrarias pauperibus gratas; iis videlicet qui minus habentes peculij, plus habent roboris quàm diuites, quia plures obtinent manus; quæ vbi conſpirauerint, in omnes dominantur, adeoque in euerſionis diſcrimen Romanam Rempublicam toties adduxerunt. En quò Suauis, eiuſdemque animi innouatores collimant, vt nempe regimen redigatur ad populum, vt non ſolùm Monarchia, ſed etiam Ariſtocratia profligetur. Huiuſmodi non fuiſſe nec primam, nec rectam, nec poſſibilem Eccleſiæ gubernationem, libro ſuperiore demonſtrauimus ex iis quæ vel Suauis affirmat. Nomen *Eccleſiæ* cunctis fidelibus eſſe commune, non habetur ex vſu ſolius antiquitatis in præſentia abolito; imò verò propugnatur à nobis tamquam Fidei dogma aduerſus recentiores hæreticos in Synodo Conſtantienſi damnatos. Quemadmodum tamen, ſicut Ariſtoteles obſeruat, nomine Ciuitatis comprehenditur interdum quidem vniuerſa ciuium multitudo, interdum verò primaria tantùm pars, quæ dominatur, & quæ Senatus eſt; ita pariter *Eccleſiæ* nomen non ſemper fideles omnes ſignificat, ſed aliquando ſumitur pro parte præcipua ac dominante, quæ Clerus eſt; nonnumquam verò arctiùs pro ſolis ſupremis Magiſtratibus, qui ſunt Epiſcopi. Iam quod attinet ad piam illam animi affectionem, quâ vellet Suauis, vt per Eccleſiaſticos prouentus pauperum indigentiæ primo loco ſubueniretur; libenter ab eo exquirerem, an ſibi eſſet exploratum, in aliqua Republica, aut quouis alio tempore, ſubuentum illis fuiſſe largiùs quàm Romæ ſub Pontificum Chriſtianorum dominatu. Omitto in præſentia pauperes voluntarios, cuiuſmodi ſunt tot Religioſorum millia, qui vitam ſuſtentant eleëmoſynis, quàm naturâ ſuâ incertis tam certis, ob numquam exhauſtam piorum diuitum liberalitatem: ſubſidia tantùm conſidero, quæ neceſſariam egeſtatem tolerantibus tribuuntur; nimirum Noſocomia, Xenodochia, expoſitorum infantium Pædotrophia, mendicorum orphanorum Confugia, puellarum diſperſarum Gynecæa, egentium Clericorum 4

Semi-

Seminaria, dotes virginibus dotis expertibus deſtinatas. Vnicum Noſocomium, quod S. Spiritus in Saxia vocant, fundos poſſidet, qui fortaſſe quater centies centenis ſcutorum millibus, vulgò quatuor millionibus æſtimantur. Hæc autem omnia, quæ his operibus impenduntur, ſimul accepta, paulò forſitan minora ſunt certis prouentibus, quos decerpit Romanus Pontifex nôn modò ex profana ditione ære alieno detracto; ſed ſimul etiam ex iis quæ iure Pontificio vniuerſa Eccleſia illi confert. 1547.

5 Oblatret iam, ſi poteſt, Suauis, aut quilibet ipſius vice in Romam, in eius Præſules, in eiuſdem regimen, quaſi in auaras erga pauperes manus. Reticeo quotidianas huius Vrbis eleëmoſynas, quæ alendo ſummo Principi ſatis forent. Quamquam autem pia hæc liberalitas auctior Romæ quàm in aliis vrbibus, quippe quæ Eccleſiæ Regia eſt, & Eccleſiaſticis diuitiis locupletiſſima; tamen in locis omnibus, qui Religionem ſacraſque leges Romanas amplexantur, hæc pauperum ſubſidia tam copioſa ſuppetunt, quà per certos reditus, quà per arbitrarias collationes, vt reliquas omnes antiquas recenteſque Reſpublicas ſtupore ſimul ac rubore poſſint afficere. Verùm quia quantauis ad id largitas adhibeatur, numquam illa cunctorum indigentiam exæquat, operæpretium reor, falſitatem quamdam pietate laruatam pâtefacere, quam Suauis ſpecioſe circumfert, dum per aſtum inſinuat, primam ac potiorem partem Eccleſiaſticorum prouentuum erogandam, & felicibus olim temporibus erogatam fuiſſe in pauperes, non in miniſtros. Ego verò ex aduerſo contendo, idipſum felici Reipublicæ ſtatui, & tum Dei, tum naturæ inſtitutis maximè repugnaturum. Hanc rem ſemel accuratè perpendamus.

6 Quinam fontes paupertatis ſunt? profectò quinque, Luxus, Crapula, Delictum, Inertia, Infortunium: Luxus quidem & Crapula, quia rem familiarem profundunt; Delictum & Inertia, quia alterum in cauſa eſt vt bonis meritò ſpoliemur, altera eadem cuſtodire negligit & acquirere; Infortunium, quia eas affert calamitates, ob quas huius vitæ bona fortunæ bona dicuntur, & quæ palàm faciunt, in illis bonis certum præmium virtuti debitum minimè collocari: priores tamen quatuor fontes frequentiores ſunt humanæ inopiæ ſcatebræ; vnde plerumque verum eſt ſcitum illud, Suæ quemque fortunæ fabrum eſſe. Quapropter inter inopes vix decimus quiſque reperietur, cuius inopia ex ipſius, vel ex maiorum culpa profecta non ſit; neque frænum vllum fortius cohibet indomitam hominis appetentiam, ne in cuncta vitia prolabatur, quàm

illa

1547. illa turpis egeſtas, quæ à ſingulis aut in ſeipſo, aut in ſua progenie formidatur. Neque pariter alius acutior ſtimulus quàm hic hominem incitat ad laborem, adeò ipſi & moleſtum ſimul & neceſſarium. Hinc fabulata eſt Antiquitas, Iouem de humano genere fuiſſe benemeritum, eique Iouis nomen à iuuando inditum, quia cùm per primam Saturni ætatem inculta tellus cibum proferret, & flumina vino fluerent, Iupiter hanc naturæ prodigentiam arcuit, ac per indigentiam induxit ſolertiam, quæ ingenia exacuit, cunctarumque artium parens fuit. Iam verò ſi adhuc in homine hic paupertatis horror, vel ſibi vel ſuis poſteris imminentis, ſatis non eſt ne tam multi ſubſtantiam ſuam profundant in vitia, ne leges flagitiosè perfringant, ne patriæ inutiles otio contabeſcant; quid fieret, vbi certâ & affluente rerum copiâ cunctorum inopiæ conſultum ſcirent?

At inquies. Num propterea miſericordia depellenda, & obdurandus animus aduerſus inopem mendicitatem? Auertat Deus. 7
Oſtenſum abundè eſt, nec vlli regioni, nec vlli terrarum Orbis regimini id magis aduerſari quàm Romæ, Romanæque gubernationi: tantùm affirmo, meram fore ſeu malitiam ſeu ſtultitiam, ex eo Romam veluti minùs piam damnare, quòd ibi cunctis pauperibus prompta, copioſa, certa ſubſidia non ſuppetant; atque ita ſtatuo: Extremæ cuidam indigentiæ largè conſulatur, liberalis exhibeatur commiſeratio quibuſdam infortuniis aut citra culpam, aut non citra excuſationem ingruentibus; ſimul etiam inopiæ, cui adnectitur imbecillitas, quæ alia quædam maior inopia eſt; perinde ac virium firmitas, quædam eſt diuitiarum poſſeſſio eò ſtabilior, quò minùs conſpicua, quippe interior: ceterùm præſtantiſſima eleëmoſyna ea eſt, quæ cuique opitulatur ad excolendum fructuosè fundum quemdam ſibi à natura conceſſum, hoc eſt manus; efficitque, vt eas adhibeat edendis operibus, Diuinæ gloriæ publicæque vtilitati conducentibus. Hac ratione conſulitur egeſtati, fouetur induſtria, patriæ bonum promouetur, & horror aduerſus paupertatem tamquam in laboris ſociam retinetur.

Pergit porrò Suauis deplorare, *id quod anteà egenis ſeruiebat, opulentis poſteà impenſum fuiſſe; & onera, quæ prius miniſteria & munia adminiſtrationis animarum appellabantur, in primis in rei profanæ compendia fuiſſe conuerſa, & beneficia poſteà nuncupata.* Aut per hæc Suauis redarguit recentes Chriſti cultores, quaſi minùs religioſos quàm veteres; aut hac poſitâ hominum conditione, morem Eccleſiæ carpit. Si reprehenſio recentes Chriſtianos petit, hæc mihi reſponſio 8
ſatis

ſatis eſſet, huic malo Pontificem mederi non poſſe, cùm ſibi regendi ſint homines quales Deus ac Natura procreant. Sed addo prætereà: ſi hoc ille ſignificare voluerit, eum falſa ſcienter affirmaſſe. In Suauis Vita nónue ſcriptum legitur, [a] illum dicere ſolitum, Chriſtianorum labes non recens, ſed cum Eccleſia ipſa fuiſſe exortas? Libet hîc mihi afferre verba quæ illic Suaui tribuuntur: *Eccleſias ab Apoſtolis inſtitutas, eorumq; præſentiâ ac ſermone inſtructas, non caruiſſe ſuis maculis: id perhiberi ab Apoſtolo Epiſtolâ tum ad Galatas tum maximè ad Corinthios datâ. Quod ad charitatem ſpectabat; alios adhæſiſſe Petro, alios Paulo, alios Apollo, per ſchiſma ac manifeſtam Chriſti diuiſionem: quod ſpectabat ad dogmata; fuiſſe qui mortuorum reditum ad vitam negarent: quod ad concordiam; apud infidelium tribunalia lites agitatas: quod ad mores; fornicationem fuiſſe vel idolorum cultoribus inauditam: quod ad ritus; Cœnam Domini migraſſe in conuiuia, vbi alius eſuriebat, alius ebrius erat: eam tamen agnoſci ab Apoſtolo tamquam veram Eccleſiam, & Corpus Chriſti.* Sic ille diſſerere conſueuerat, ſi credimus eius Achati, qui Suauis veluti herois cuiuſdam vitam deſcripſit. Quiſquis autem aliquid ex hiſtoriis delibauit, haud ignorat, antiquos Eccleſiaſticos non minùs de veteri Adamo quàm recentes habuiſſe. 1547.

a Pag. 141. & 142.

9 Similitudo Eccleſiæ, ſeu vetuſta tempora, ſeu recentia ſpectentur, videtur explicari poſſe mercatoris exemplo, qui olim ſub initio negotiationis paucos quoſdam nummos aureos habebat, aliquanto plures argenteos, & longè plurimos æneos. Aurei conſpicui erant, adeoque, tametſi pauci, notiores; paulò minùs argentei: ænei, quantumuis ampliori numero, ferè ignoti, quia & omnino pauci erant, & ob vilitatem ad ſe oculos perinde ac pretioſi non trahebant. Verùm vbi mercator diteſcere cepit, & opibus ſuperfluere, quodlibet nummorum genus proportione quadam excreuit; atque ita ænei ob immenſam copiam notabiles euaſere. Nónne igitur deſiperet, qui affirmaret, huiuſmodi mercatorem in paupertatem delapſum, quod prius tota illius pecunia ex auro erat, nunc verò æris affluentia ſuppetit? Idem planè Chriſtianis accidit, ac præſertim Eccleſiaſticis: in Eccleſia primæua pauci numerabantur, atque ex his paucis erant aliqui imbecilli, Fidemque abiurabant, alij exiles viribus modicæ virtutis; atque horum omnium fama obliuione contabuit. Erant denique nonnulli virtutis egregiæ, qui proinde ad noſtra tempora celebres perſtitere. Amplificata ſubinde Eccleſia eſt in multa centena millia myriadum: in his, perinde vt in reliquis humanis rebus, excellentia rara eſt, extra numerum defectus: num idcircò Eccleſia viluit? quin multis partibus excelluit. Enumerentur

1547. rentur tot centena capitum millia, quæ in vtroque ſexu induuntur ſacco, nudis in aſſeribus cubant, emendicatis menſarum reliquiis victitant; à nuptiis, à fortunis, à quouis vel mediocri commodo obſtricta votis arcentur; tota ſunt vel in Dei laudibus, vel in Dei contemplatione, vel in iuuandis proximis propter Deum. Enumerentur tot ſtrenui viri ex religioſis Ordinibus, quibus ſumma votorum ac poſtulationum eſt, ex hoc mundo ante mortem decedere, ac per incredibilem malorum colluuiem barbarorum ferociæ obuiàm ire, ſub aliis ſiderum motibus vni animarum lucro Chriſti causâ inhiantes; & obſeruemus, an parem huic heroicæ virtuti copiam quodcumque ex anteactis ſæculis ſimul oſtentet. Innumerabilis religioſorum Sacerdotum manus Eccleſiaſtica miniſteria nunc exercet, non modò ſolis alimentis contenta, quemadmodum per felicia illa tempora factum narrat Suauis; ſed etiam magna ex parte ipſius alimenti incerta; ſolumque certa, nonniſi tam anguſtum ſibi fore, vt ne mancipiis quidem citra querelam ſufficeret. Quòd ſi præter hos alioſque; ſeueriſſimo religionis ſtudio præſtantes, complures etiam conſpiciantur, qui ſpiritus cum corpore coniunctionem præ ſe ferant, & quantum per Dei legem ſibi licet, huiuſce vitæ bona cupiant: ſi etiam alij non pauci magis afficiantur iis quæ cernuntur, quàm iis quæ creduntur, Chriſti tamen cultui ſeruiant, cùm anteà Mars & Iupiter colerentur; quique plus minúſve in obſequium Chriſti ſuas cupiditates coërcent, cùm anteà vnica agendi norma voluptas, fluxæque vitæ vtilitas eſſet; num adeò ætati noſtræ ſuccenſendum eſt? Ex vniuerſa ſæculorum regionumque vaſtitate producatur, ſi adeſt, immenſa alia religioſorum miniſtrorum multitudo, quæ ob reuerentiam creditæ à ſe Diuinitatis, expectationemque bonorum ſenſibus latentium, tantum aduerſus naturæ cupiditates pugnauerit, quantum Catholicorum Clerus.

Sed fac auctas nunc eſſe hominum corruptelas; num idcircò, 10
quod ſecundo loco propoſueram, accuſanda Eccleſia eſt, ſi quod Deus in Teſtamento veteri præſtitit, imitata, humanæ ſe accommodet infirmitati, eam terrenis etiam præmiis alliciat ad ſubeundos ſacræ militiæ nexus, eiuſdemque labores obeundos? Nimis profectò laborat in ambiguo Suauiana incuſatio, in præſentia per ſacra miniſteria temporarium potiſſimè, non æternum quæri. Quidnam, cedo, potiſſimum in bello eſt, ſtipendiúmne, ac prædæ militum, an Reipublicæ defenſio? Nemo non dicet, ſi miles ſpectatur, plerumque ſtipendium ac prædas eſſe; ſi magiſtratus, qui militem conſcribunt, Reipublicæ bonum. Exprobrandum igitur magiſtratibus,

tibus, quòd amplis ſtipendiis duces alliciunt, quòd prædæ direptioniſque ſpe milites extimulant ad hoſtium regiones expugnandas? 1547.
Natura ipſa hanc nos prudentiam docuit, quæ homines nedum ad alia honeſta proſequenda, ſed ad vitam ſuſtentandam delectatione ciborum inuitat. Itaque ſi hominum conditio eiuſmodi eſt, vt bonorum adſpectabilium remuneratio plurimùm ipſos excitet ad eos perferendos labores, qui proſunt aliis, vt à ſenſibus remota ſibi comparent vera bona; egregium ſanè prudentiæ Religioniſque conſilium fuit, in Eccleſia tot centena prouentuum millia per vniuerſam Chriſtianæ gentis amplitudinem ſtatuiſſe, ad eorum tantummodò miniſtrorum mercedem, qui ad animarum cultum ſalutemque procurandam incumbunt.

11 Diſputationibus omiſſis, rem in opus deducamus. Sedeat Romæ Pontifex Religionis vel maximè ſtudioſus, cuiuſmodi multos extitiſſe per ſingula ſæcula nemini licet inficiari: conetur hic cuncta Sacerdotia abolere, & ſacra munia redigere ad miniſteria fructu carentia, idne poterit reipsâ perficere? Negabit quicumque non deſipit. Cur igitur vituperabitur quiſpiam, ſi quod fieri nequit haud præſtet? Sed progrediamur: finge homines hac in re aſſentiri Pontifici; num Diuinæ gloriæ id proderit? Delapſum illicò deplorabimus eum ordinem, à quo pendent Religionis exercitatio, cognitio, & conſeruatio. Atat præſtantiores illi ſufficerent, qui nunc numero, ſicut diximus, non pauci, ſolo pietatis amore ſeruiunt Eccleſiæ. Imò potiùs hi quoque deficerent. Hac ſimilitudine res perſpicua erit: Soli ſpiritus in animantibus vitæ functiones exercent: quid igitur, inquiet aliquis, craſſi tot humores proſunt? Plurimum enimuerò: his ſublatis nec formarentur quidem ipſi ſpiritus, neque conſeruarentur? Ita planè contingit in re propoſita: huiuſmodi præſtantium Sacerdotum cohortem nonniſi vel Religioſorum Ordines, vel Clericorum Seminaria ſuis in palæſtris & formant & perficiunt; hæc verò neutiquam perdurarent inter mortales, niſi dirigerentur, fouerentur, alerentur, in concordia atque officio continerentur à Præſulibus Eccleſiam moderantibus, qui nequeunt, vel, ſi libeat dicere, nolunt ad eam vitæ ſeueritatem redigi, ſed auctoritate, prudentiâ, opibus, plurimoque etiam ſtudio Religionis ornati, has Eccleſiaſticæ perfectionis palæſtras planè ſuſtentant. Et niſi iiſdem Præſulibus Clerici non regulares ſubiicerentur, quos præmiis poſſent afficere, & à quibus emolumenta ſimul & potentiam ſibi pararent; profectò neque facultas vlla, neque auctoritas ad ipſos rediret, ad regulares conſeruandos, niſi Catholicorum vniuerſitas

1547. tantam præmiorum copiam cerneret, ad quæ pro ſuo cuique gradu licet aſpirare, per ſingularis pietatis, peculiariſque cultus Diuini profeſſionem ſibi ſuſſve comparanda: corruptæ naturæ repugnantia vſque adeò inualeſceret, vt nec propagaretur, nec aleretur tam communiter amor Religionis, quo deinde inuitantur & multi ad Religioſos Ordines ſuſcipiendos, & ferè omnes plus minúſve ad eoſdem tutandos. Enimuerò ſi rectè res diſpicitur, omnes huiuſce Reipublicæ partes aliarum aliæ mutuò indigent. Si atheum eſt, exiſtimare vnius muſcæ corpus naturale caſu fuiſſe compactum; nónne atheum erit exiſtimare, ciuile corpus Eccleſiæ caſu compingi?

Quorſum igitur ex obſcuriſſimo antiquitatis fundo, Commendarum Vnionumque Sacerdotiorum, quas vocant, originem expiſcari? Harum inſtitutio, pro eo ac Suauis fatetur, bona eſt habita; ſed executio, prout in cunctis humanis rebus, interdum malè proceſſit. Verumtamen ſpectatâ ſingulorum, qui Sacerdotia cum reſidendi onere poſſident, operâ, quâ prauus hic bonorum inſtitutorum vſus culturam animorum fraudauerit, eius loco repoſuit Deus frequentia vbique terrarum agmina Religioſorum: quos tametſi populus carpit, ſeu libidine iudicandi damnandique eminentiores, ſeu quia faſtigium virtutis, quam ipſi profitentur, non attingunt; amat tamen, ac veneratur: quod ſanè in communi populi ſenſu animaduertere licuit, cùm actum eſt de ipſis amouendis vel ab iis cœnobiis, in quibus hominum infrequentia, ac prouentuum tenuitas diſciplinæ nitorem minuebant. Ex alia verò parte hæc opulenta Sacerdotia, ex multis in vnum coaleſcentibus quandoque conflata, præcelſiores Antiſtites ſuſtentant, qui ſiue ſanguinis ſiue gradus excellentiâ tamquam templi columnæ ſunt. Neque quiſquam hîc putet vindicari à me diſtributionem, quæ vbi perperàm fit, hominum certè non legum vitium eſt. Sed inter hæc vitia, quæ reuerà nonnumquam accidunt, mihi neutiquam perſuadeo, veram eſſe profuſam illam conceſſionem, quam Suauis nullo producto teſtimonio Clementi VII. affingit poſtremo Pontificatus anno. Nec equidem crediderim, ab vllo Theologorum fuiſſe Romæ traditam enormem illam ſententiam, quæ illis adſcribitur à Suaui quaſi communis doctrina, nimirum, Cùm alimenta Eccleſiaſtico conſentanea, hominis gradu metienda ſint, & Cardinales Regibus æquipararentur, nullos ipſis prouentus, qui regiam dignitatem non excederent, eſſe ſuperuacaneos. Ita ſanè ratiocinaretur, qui ſine rationis vſu ratiocinaretur; perinde quaſi Eccleſia Chriſti doceret, diuitias in ea exiſtimatione 12

matione ſuprà quàm par ſit habendas eſſe: quæ exiſtimatio non 1547.
Ariſtotelis ſolùm doctrinæ, ſed cuiuis Ethnicorum tolerandæ Reipublicæ aduerſaretur; dignitatem ſcilicet magiſtratuum vbertate prouentuum, cultuſque magnificentiâ metiendam; in quibus Purpurati Patres, qui ſupra quoſcumque Principes Regibus minores habentur in honore, infra priuatos proceres, adeoque infra opulentos mercatores non rarò cernuntur.

13 Multa coarctemus in pauca. Quò tandem euadit huiuſmodi pietatis ardor aduerſus Sacerdotia pinguiora? Inſurgunt Suauis amici, Eccleſiæ reformatores, hoc eſt hæretici, vociferantur in hanc corruptelam, eradere illam ſtudent, ac multas prouincias occupant. Quid de Sacerdotiis iuri Pontificio ereptis? num fortè ad ſtatum redigunt aureæ illius ætatis, à Suaui commendatæ, qui vel ipſas laudes detorquet ad inſtrumenta nequitiæ? num cuncta conuertunt in pauperum ſubſidia, & neceſſaria miniſtrantium alimenta? Nihil minus. Auferunt ſaltem Vniones & Commendas perperàm inductas, atque ad priſtinam inſtitutionem reuocant, & reſidendi neceſſitatem? Nihil ſanè: quin potiùs per ſacrilegum latrocinium in fiſcum dominantium abſorbent tum pinguia tum tenuia Sacerdotia, tum quæ poſſeſſoris manſionem apud ſe exigunt, tum quæ non exigunt Regularium reditus, ac denique quidquid fidelium pietas Chriſto Chriſtique cultui addictum voluit: cùm tamen ante iſtos ſtudioſos Eccleſiæ reformatores ea omnia partim in alimenta ſacrorum miniſtrorum, partim in præmia Eccleſiaſticorum de Eccleſia benè merentium, ſeu certè (ea pars malè diſtributa) in populorum emolumenta inſumeretur. Hoc pacto egregij Suauis heroës collabentem adminiſtrationem Eccleſiæ repararunt. Videamus porrò quid in hac Seſſione, quæ tandem perfecti poſtmodum huius operis tenue quoddam ſpecimen fuit, attulerit remedij Synodus, cui adeò Suauis obtrectat.

14 Ac primò quidem, vt inpoſterum rei conſuleret, tam fortem aggerem huius corruptelæ curſui oppoſuit, ne videlicet Sacerdotia, quæ ſuapte naturâ manſionem exigunt poſſidentium, copularentur aut commendarentur, niſi neceſſitas cogeret, vt centum iam annos firmus adhuc perſiſtat.

Deinde quod etiam ad præteritum ſpectat, à ſingulis abſtulit poſſeſſionem plurium quàm vnius Eccleſiæ Cathedralis, quocumque tandem nomine obtinerentur; quod etiam in Cardinalibus obſeruatum eſt.

Tertiò, in minoribus Sacerdotiis poteſtatem Epiſcopis fecit ex-

1547. pendendi legum laxamenta, per quæ à ſingulis fuerant impetrata, ex præſcripto Synodi Lugdunenſis: ac prætereà etiamſi ea ritè impetrata comperiſſent, eiſdem iniunxit, vt idoneos vicarios conſtituerent, quibus congruentem prouentuum partem attribuerent, ne animarum procuratio, & Eccleſiarum cultus vllo pacto negligerentur.

Quartò, ſi hæ Sacerdotiorum coniunctiones non eſſent ad vitam poſſidentis, ſed perpetuæ, Epiſcopis commiſit, vt cunctas eorum conceſſiones, à quadraginta annis habitas, in examen reuocarent; & quamuis reipsâ in opus deductæ fuiſſent, eas abrogarent, vbi compertum eſſet, illas aut falſo probato, aut vero occultato impetratas.

Poſtremò ſanciuit, vt quæ infra quadraginta annos conceſſæ fuerant, quæve impoſterum concederentur (cùm Pontificiam poteſtatem circumſcribere nec vellet nec valeret, fierique poſſet, vt eiuſmodi rerum conditiones contingerent, in quibus laudabiliter concederentur, quemadmodum de ipſorum primæua inſtitutione Suauis fatetur) coram Ordinario examinarentur, accitis iis quorum intereſſet: atque vbi cauſis rationi conſentaneis illa neutiquam niterentur, eorum conceſſio tamquam per dolum extorta reiiceretur.

Leuia ne hæc remedia, an eiuſmodi habenda ſunt, vt ea ne 15 ſperaſſet quidem quiſpiam rerum humanarum peritus, gnaruſque quàm arduum ſit ea, quæ facta iam ſunt, reuocare? Quòd ſi antiquiora Synodus repetiiſſet, non tantum emendationis, quantum perturbationis intuliſſet Eccleſiæ, neglecto tot prudentium Legiſlatorum documento, qui publicæ quietis gratiâ vſucapiones præſcriptioneſque induxerunt, & comprobarunt. Quanti verò ſit, multorum annorum poſſeſſiones, tametſi minùs iuſte quæſitas, non perturbare, grauiter diſputat[b] Marcus Tullius in celebri de Officiis opere, qui non diſſimili cauſæ aſſignat tum Spartanæ Reipublicæ caſum, qui ſecum totius Græciæ ruinam traxit, tum Romanæ perturbationem, quæ Gracchos illius inquieti conſilij auctores peſſumdedit; ac inſuper prudens eâ in re Arati Sicyonij factum laudat, cùm expulſo Nicocle tyranno, reuocatiſque in patriam ſexcentis ciuibus iam exulibus, comperit, eorum agros in aliorum poſſeſſionem ante quinquaginta annos dominantis tyranni iuſſu deueniſſe. Res ciuiles, contrà ac naturalibus vſuuenit, vetuſtate inualeſcunt: Natura quippe mutationibus conſeruatur, Reſpublica labefactatur.

b Lib. 2.

CAPVT

CAPVT X.

1547.

Quæ ad reſtituendam diſciplinam Synodus agitauerit; & quantum in iis libertatis Pontifex conceſſerit.

1 HÆ quas diximus leges non abſque ſententiarum varietate perlatæ ſunt. Aliqui ex Patribus, ſicut narrauimus, auctores erant, vt integrum emendationis negotium prudentiæ Pontificis committeretur, in cuius manu coniungebantur & auctoritas calami ad quaſcumque leges conſtituendas, & potentia virgæ ad earum obſeruantiam promouendam. Verùm Hiſpani vnà cum aliis vrbanè obſiſtentes obiiciebant, id planè non in reuerentiam, ſed in offenſionem prudentiæ ipſi Pontifici ceſſurum, perinde ac ſi Synodum conuocaſſet ad rem peragendam (ſicut ex Diplomate conſtabat) cui cùm Synodus impar eſſet, ſolus ipſe potuiſſet debuiſſetque per ſuas leges conſulere.

2 Id nactus Suauis, obſeruanſque in quibuſdam Legatorum [a] litteris mentionem fieri, neſcio cuius Pontificij Diplomatis, quo ſatius illi putarunt ſibi vtendum non eſſe, ſtatim diuinationis aleam arripit; affirmatque, Paulum, vt accepit agitatum in Synodo fuiſſe de ea re Pontifici committenda, ſpe communis Patrum conſenſus allectum, feſtinaſſe Diploma conſcribere, quo ad ſe diſciplinæ reparationem auocabat: ſed Legatos, intelligentes in eam ſententiam pleroſque non ituros, ſatius habuiſſe, ne animos exulcerarent, non euulgare Diploma. Nihil profectò ſeu minùs verum ſeu minùs veriſimile dici poteſt. Cæſare ac Germanis vrgentibus Synodus coacta fuerat; qui mulcendis nouatoribus intenti, emendationi morum auidè inhiabant, doctrinæque ſanctiones auerſabantur; adeoque harum cum illa coniunctionem ægrè deuorauerant. Iam verò ſperandúmne erat, diſciplinæ leges in Pontificem reiectum iri, ac ſi Concilium non extaret, illudque tantummodò apertum perſtiturum ad odioſam definitionem dogmatum conficiendam?

[a] Ad Farneſium Cardin. 11. Februar. an. 1547.

3 Diplomata igitur, ſeu litteræ tunc à Pontifice ad Legatos miſſæ, præter eas quas memorauimus, duæ omnino fuere: alteræ ab initio anni ſuperioris de vniuerſa morum emendatione conſcriptæ, non quibus ad ſe ſimpliciter eam auocaret, prout Suauis affirmat, ſed quibus per ſingula capita ordinabat, adeoque Synodo præibat, oſtendens præire ſe in illa Concilium, non ab eo trahi. His tamen litteris Legati nequaquam vſi ſunt, exiſtimantes, illas nec neceſſitati nec communi voto ſatis fore per ea quæ complectebantur: (etenim

1547. (etenim futuris dumtaxat proſpiciebant, præſentibus haud medebantur) ſimulque arbitrati, modum illum ſcribendi minùs placiturum; quandoquidem Pontifex indicaſſet, modicam exiſtentis Concilij à ſe rationem haberi, cùm eo inconſulto tantum opus edidiſſet, cuius gratiâ nominatim Concilium indictum fuerat. Quapropter Paulus[b] in vtraque parte ipſorum conſilio adhæſit, eamque rationem iniit, vt Diploma illud, ſalutaribus aliis legibus auctum, ipſius Concilij iudicio committeret. Huiuſce Diplomatis habetur mentio in quadam reſponſione Legatis nomine Pontificio reddita,[c] & à Suaui recitata, quod poſteà narrabitur: ea verò potuiſſet Suauem ſui lapſus admonere, cùm in allata reſponſione ſermo ſit de huiuſmodi Diplomate, non tamquam de quadam vniuerſali illius negotij auocatione ad Pontificem, ſed tamquam de lege, quæ ſigillatim conſuleret incommodis per Epiſcopos adnotatis, & per Legatos cum Pontifice communicatis. Verùm illi ne ita quidem poſteà amplificatum Diploma vulgandum ſeu proponendum Patribus cenſuere.

b Litteræ Maffei ad Ceruinum, 21. Martij 1546.

c 17. Februarij.

Alteræ Pontificis litteræ, per quas videbatur vtrique capiti ſatisfieri, 23. Februarij datæ ſunt, vbi plena concedebatur Synodo facultas reuocandi ſeu reſtringendi Sacerdotiorum coniunctiones, vel perpetuas, vel ad tempus, eaque adhibendi remedia, quæ plerique Patrum opportuna exiſtimaſſent: ſimulque addebatur; Tametſi Principis beneficium deceat eſſe manſurum; non idcircò fuiſſe mentem Pontificum, qui ea conceſſerant, vt animarum procuratio negligeretur; eoſdemque voluiſſe, vt conceſſiones per nequitiam aut ambitionem impetratæ, dicerentur extortæ potius quàm obtentæ.

Hoc pariter vti Diplomate noluerunt Legati, ne Fæſulano aliiſque nouum argumentum ſuppeditarent oppugnandi huiuſmodi facultates à Pontifice Synodo impertitas, quaſi non incrementa, ſed detrimenta propriæ ipſorum iuriſdictionis. Cautè tamen obſeruarunt in eo genere id quod Pontifex[d] ipſis commendauerat, ſe videlicet optare, vt quamquam in huiuſmodi Diplomate valdè amplæ facultates Synodo concederentur abolendi coniunctiones Sacerdotiorum, etiam ab eius Nuntiis auctoritate Pontificiâ conſtitutas, abrogandique ipſis eam poteſtatem in poſterum; ea tamen pars auctoritatis obſtringendi manus ſuis adminiſtris ſibi relinqueretur; ſe verò id breuî perfecturum pro rerum opportunitate, perinde ac de Cardinalium Eccleſiis egerat: atque ita reipsâ Præſides effecere, vt nulla de Nuntiis in Decreto mentio haberetur. 4

d Litteræ Farneſij ad Legatos, 25. Februar. 1547.

In eadem Epiſtola ad Legatos Romà reſponſum eſt alij dubitationi, 5

tioni, An vnà cum hæreticis opinionibus ipſarum auctores eſſent 1547.
damnandi: & placuit non damnare; ſed obſeruarent Legati mandata ipſis iam tradita, & à nobis commemorata. Ea ſiquidem damnatio, cui opus erat vt reo dies diceretur, ac de crimine legitimè quæreretur, moram longiorem afferebat; cùm tamen ad ſinceritatem Fidei tuendam ſatis eſſet venenatos latices Chriſtianis indicare, è qualicumque tandem vena profluerent.

6 Ad hæc, quoniam Epiſcopi recuperationi iuriſdictionis ſuæ ſummoperè inhiabant, cuius ingentia vulnera cenſebantur immunitates multis Clericorum Collegiis collatæ, eaſque de medio vniuersè tollere meditabantur (qua de re ardentiùs efficaciuſque aliàs actum eſt, quemadmodum videbimus) exiſtimauit Pontifex, ſi tot nobiles Eccleſiaſticorum Cœtus antiquis ipſorum priuilegiis ſpoliaret, [e] rem fore plenam querelæ ac turbæ; Epiſcopos verò, qui in ea cauſa iudices ſimul ac litigatores erant, viſum iri vtilitatem potiùs litigatoris, quàm iudicis æquitatem ſequi: quod mox comprobauit euentus, cùm ſtatim poſt habitam Seſſionem [f] adfuere Tridenti Procuratores ab vniuerſæ Germaniæ Capitulis miſſi, qui enixè poſtularunt, vt illorum immunitates illæſæ perſiſterent. Nihilominùs Pontifex Synodo poteſtatem fecit, vt de huiuſmodi etiam immunitatibus id quod expedire videretur, ipſa decerneret.

[e] Litteræ Farneſij ad Legatos, 5. Februar. 1547.

[f] In Cœtu generali, 8. Martij 1547.

7 Equidem dum longam rerum ſeriem, quæ tunc à Patribus agitabatur, perluſtro, ſatis mirari non poſſum, cur incuſetur Pontifex, quaſi Patribus libertatem non permiſerit. Etenim quamquam ille Concilio tamquam rector ac moderator præeſſet, in primis tamen dogmatum negotium in Patrum iudicio repoſuit, eoſque ſolùm ſtudio & obſeruatione Romanorum Theologorum adiuuit; non in aliud quidpiam peculiari voluntatis propenſione patefactâ, niſi vt variæ Scholaſticorum ſententiæ inuiolatæ perſtarent, ne citra neceſſitatem, vllius Scholæ in Eccleſiam ſtudium læderetur; ſed potiùs, vt Catholicorum animi aduerſus hæreticos in vnum coaleſcerent. Solùm ardenter quidem, ſed extra vim curauit, vt ab ea quæſtione remouerentur, Vtrùm Epiſcoporum manſio ſuis in ſedibus eſſet iuris Diuini; quæ pariter agitatur inter Catholicos, & quæ, ſi Suaui credimus, ſolidis haud nititur fundamentis, quâ parte detrimentoſa Pontifici exiſtimari poterat. Secundò, quod ad leges ſpectabat, ſtuduit ille quidem interdum, pro eo ac profano cuiuis Principi, quin etiam priuato Antiſtiti licebat, ne quid æquo grauius ſanciretur; quâ in re hominum conuentus, & maximè noui, peccare conſueuerunt: ſed numquam eò deuentum eſt, vt plerique

1547. Patrum legem conderent, quam Pontifex impediret: libertas verò publicos inter conſeſſus obloquendi in ipſius facta, atque etiam in ipſius poteſtatem, eiuſmodi fuit, quam in neminem reliquorum Principum auſi fuiſſent exercere; nec vmquam viſa eſt alio coërceri fræno, quàm monitis correctionibuſque verborum.

Sed ſtilum ad narrationem reuocemus. Denuò diſputatum eſt 8
in Synodo, An, quod anteà inſinuauimus, in reliquis legibus eſſent Cardinales nominandi. Id Legati diſſuadere, recenti Diplomate adducto, quo Cardinalibus conſultum erat in articulo manſionis apud ſuas ſedes, & Eccleſiarum multiplicatione; atque hinc oſtendere, à Pontifice per ſeipſum illis leges imponi. Verùm quia humana conſilia ſpecioſis vndique rationibus abundant, ex hoc ipſo Guillelmus à Prato Epiſcopus Claramontanus argumentum traxit ad oppoſitum perſuadendum, [g] potiùs par ipſis eſſe imitari Pontificem, qui non indecorum Cardinalium dignitati putarat, nominatim illos in memorato Diplomate comprehendere: moderatiores tamen Patres abſtinendum ab ea nominis expreſſione cenſuere; ſatis eſſe rati, ſi generalibus dicendi formulis idem conſequerentur; multumque intereſſe intelligentes, Cardinales diſertè coarctari per legem, quæ ab ipſorum Principe ſanciretur, aut quæ à cœtu Præſulum ipſis minorum præſcriberetur.

g In vltima Congregatione generali, 2. Martij, vt in Actis.

Plurima Suauis narrat, tum ab Aula Romana ſcripta, tum ab 9
Epiſcopis dicta: ex quibus nihil verum comperio, niſi inter ea quæ ſcripta ſunt, reſponſionem quamdam, à Pontifice per litteras Ardinghelli Cardinalis redditam, [h] per ſingula capita de variis morum emendationibus, quas multi Patres propoſuerant, & Præſides Paulo ſignificarant; atque inter ea, quæ dicta fuerant, querimoniam in Rodulfum Cardinalem, qui Vicentinæ Eccleſiæ præerat, ab hæreticis quadamtenus tunc corruptæ, & ab eadem aberat, Calaguritano proclamante, Eccleſiam illam non modò paſtoris præſentiâ id temporis indigere, ſed paſtoris eiuſmodi qui Apoſtolum ageret. Ex quo primus Præſidum [i] opportunè Patres admonuit, vti corruptelas generatim incuſarent, neminem nominatim perſtringerent, ne boni publici ſtudium in contumeliam degeneraret. Non tamen omiſere Legati id ad Pontificem ſcribere, eique ſimul inſinuare, admonendum Rodulfum, vt praui exempli offenſionem remoueret.

h 17. Febr. 1547.

i In Cœtu generali, 8. Februarij.

Cetera quæ Suauis recenſet, quò humaniùs iudicem, nec eum 10
temerarium inuentorem exiſtimem, mihi perſuaſerim, ea contenta fuiſſe arcanis illis libellis, qui rebus recenter geſtis referti, per ſingulas hebdomadas prodeunt ex vrbibus euentuum notabilium fœcundio-

cundioribus: qui libelli vt aliquod obtineant pretium, ſine labore inueſtigandæ, ſeu facultate comperiendæ veritatis, miris, maledicis, ſed ſemper falſis opplentur. Quare qui velit hiſtoriam ex illis conficere, exempli gratiâ de rebus Aulæ Romanæ, profectò eiuſmodi hiſtoriam exhiberet iucundiorem quacumque fabularum texturâ imperitorum curioſitati, quacumque ſatyrâ ſapidiorem malignorum appetentiæ; ſed ſimul magis ridiculam quacumque nugarum congerie peritorum iudicio. Id verò tunc potiſſimè Tridenti accidebat: nam hæreticorum inuidia quocumque ingenti pretio mercabatur ea ſcripta, quæ vel ipſorum improbos animos vellicabant, vel contrariæ factioni infamiam inurebant. Ego verò prætermiſsâ mendaciorum ſingularium confutatione, quod perinde infinita res eſſet, ac falſum ipſum infinitum eſt, breuiùs iuxta ac vtiliùs ſolam veri narrationem proſequar. 1547.

CAPVT XI.

Diſciplinæ leges paratæ in ſeptimam Seſſionem.

1 POſt longa mentium linguarumque conſilia plerique conuenere de quibuſdam legibus, non tam præcelſæ ſeueritatis, vt nimis arduus eſſet aſſenſus, vnico ſaltem gradu à præſenti morum ſtatu conficiendus; memores, eas plantas, quæ intra diem matureſcunt, intra diem pariter areſcere. Idcircò iniquè ſe gerit Suauis, dum contendit oſtendere, per ea remedia non ſatis morbo conſultum fuiſſe, oblitus, ea tamquam emendationis initia, non tamquam metam præſcribi, iiſdemque de rebus ferè omnibus conſtitutas poſteà leges alias efficaciores amplioreſque in poſterioribus Seſſionibus: quod ſi non aliunde, ex margine certè impreſſi Concilij debuerat illi in memoriam reuocari.

2 In quindecim capita partitæ ſunt, & in proëmio particula propoſita, *Saluâ ſemper Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Quod,* inquit ille, *à quouis homine, quantumuis ſtolido, intellectum eſſet quònam ſpectabat; nec inde quidquam colligi, niſi obſtinatam in retinendis corruptelis pertinaciam, dum de illarum remedio agebatur, earumdem cauſis retentis.* Rei exitus hominem mendacem euincit: eas enim omnes leges poſtmodum Aula Romana ſeruauit, & hodie adhuc ſeruat; nec illibatam habere Pontificiam poteſtatem perinde erat, ac retinere cauſas damnatarum corruptelarum, magis quàm homini manus conſeruare perinde ſit, ac criminum cauſas retinere. Et ſanè huiuſmodi exceptio neceſſaria fuit, omiſsâ promulgatione Diplomatis, quo Pontifex

1547. ad eas conſtituendas leges facultatem concedebat, prout in proxima Seſſione actum fuerat. Aliter enim viſum eſſet, à Synodo leges Pontifici præſcribi, quibus non ſolùm eius Aula corrigeretur, ſed poteſtas minueretur. Operæpretium igitur erat, per eam exceptionem palàm fieri, ſanctiones illas erga Pontificem, dirigendi non præcipiendi vim habere. Hanc verò conuenientiam ſimiliter agnouere Patres qui Synodo finem impoſuerunt, cùm ea & Epiſcoporum & Nationum frequentiâ magis florebat, cumque ex concordi teſtificatione ampliſſimam libertatem obtinebat, iterùm ab ipſis appoſitâ poſt diſciplinæ leges memoratâ particulâ, quæ ſacroſancti illius ædificij eſſet quaſi fundamentum ſimul & faſtigium.

Certatum eſt in earum ſanctionum textura, vt, quantum fieri potuit, Decretis Conciliiſque ſuperioribus innicerentur; cùm per maiorem venerationem excipiatur, minoremque repugnantiam cuſtodiatur id quod veterum legiſlatorum auctoritate nititur, quodque in eam redire poſſeſſionem videtur, vnde à recenti corruptela deiectum fuerat. Hic erat ſanctionum tenor: 3

Ad Cathedralium Eccleſiarum regimen nullus, niſi ex legitimo matrimonio natus, & ætate maturâ, grauitate morum, litterarumq́ ſcientiâ, iuxta Conſtitutionem Alexandri III. quæ incipit, CVM IN CVNCTIS, & habetur in titulo de Electione, *in Concilio Lateranenſi promulgatam, præditus aſſumatur.* 4

Nemo, quacumque etiam dignitate, gradu aut præeminentiâ præfulgens, plures Metropolitanas, ſeu Cathedrales Eccleſias in titulum, ſiue commendam, aut alio quouis nomine, contra ſacrorum Canonum inſtituta, recipere, & ſimul retinere præſumat: cùm valdè felix ſit ille cenſendus, cui vnam Eccleſiam benè, ac fructuosè, & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute regere contigerit. Qui autem plures Eccleſias contra præſentis Decreti tenorem nunc detinent, vnâ quam maluerint retentâ, reliquas infra ſex menſes, ſi ad liberam Sedis Apoſtolicæ diſpoſitionem pertineant: aliàs infra annum dimittere teneantur: alioquin Eccleſiæ ipſæ, vltimò obtentâ dumtaxat exceptâ, eo ipſo vacare cenſeantur. 5

Inferiora beneficia Eccleſiaſtica, præſertim curam animarum habentia, perſonis dignis & habilibus, & quæ in loco reſidere, ac per ſe ipſos curam ipſam exercere valeant, iuxta Conſtitutionem Alexandri Tertij in Lateranenſi, quæ incipit, QVIA NONNVLLI, *& aliam Gregorij X. in generali Lugdunenſi Concilio, quæ incipit*, LICET CANON, *editam*, quæ in ſexto Decretalium ponitur in titulo de Electione, *conferantur: aliter autem facta collatio, ſiue prouiſio, omnino irritetur, & ordinarius collator pœnas Conſtitutionis Concilij Lateranenſis, quæ incipit*, GRAVE NIMIS, tit. de præbend. *ſe nouerit incurſurum.* 6

Quicum-

1547.

7 *Quicumque de cetero plura Curata, aut aliàs incompatibilia beneficia* (hoc nomine appellantur à Canonum peritis ea, quorum coniunctio in vno eodemque capite à iure improbatur) *recipere aut retinere in poſterum præſumpſerit, ſiue per viam vnionis ad vitam, ſeu commenda perpetuæ, aut alio quocumque nomine & titulo, contra Conſtitutionem Innocentij Tertij, quæ incipit,* DE MVLTA, tit. de præbendis, *priuatus exiſtat.*

Hoieda in Tractatu de incompatibilitate & compatibilitate beneficiorum, in præfatione, num. 9.

8 *Quicumque plura beneficia hoc pacto repugnantia ex diſpenſatione poſſidentes, hanc exhibere compellantur ab Ordinario, iuxta Conſtitutionem Gregorij Decimi in Concilio Lugdunenſi, quæ incipit,* ORDINARII, tit. de Officio Ordinarij, in ſexto Decretalium.

9 *Vniones perpetuæ examinentur, eâ quam ſuprà memorauimus ratione.*

10 *Beneficia Eccleſiaſtica Curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, ſeu aliis Eccleſiis, vel Monaſteriis, beneficiis, ſeu Collegiis, aut piis locis quibuſcumque perpetuò vnita reperiantur, ab Ordinariis locorum ſingulis annis viſitentur: qui ſollicitè per idoneos Vicarios illis prouideant, deputatâ pro ſtipendio tertiâ parte fructuum, maiori vel minori, ipſorum arbitrio ſuper certa re aſſignanda.*

11 *Locorum Ordinarij Eccleſias quaſcumque, quomodolibet exemptas, ſingulis annis viſitare teneantur, auctoritate Apoſtolicâ prouidentes, vt cura animarum, & reparatio cultuſq; Eccleſiæ nihil patiantur, non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis & conſuetudinibus ab immemorabili tempore præſcriptis.*

12 *Ad maiores Eccleſias promoti munus conſecrationis infra tempus à iure ſtatutum ſuſcipiant, & prorogationes vltra ſex menſes conceſſæ nulli ſuffragentur.*

13 *Non liceat Capitulis Eccleſiarum, Sede vacante, infra annum à die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimiſſorias concedere, ex cuiuſcumque priuilegij aut conſuetudinis vigore, niſi illi, qui beneficij Eccleſiaſtici recepti ſeu recipiendi occaſione arctatus fuerit: ſi ſecùs fiat, Capitulum contrauenie ns Eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto, & ſic ordinati, ſi in minoribus Ordinibus conſtituti fuerint, nullo priuilegio clericali, præſertim in criminalibus gaudeant; in maioribus verò ab executione Ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati ſint ipſo iure ſuſpenſi.*

14 *Facultates de promouendo à quocumque non ſuffragentur, niſi habentibus legitimam cauſam, ob quam à propriis Epiſcopis ordinari non poſſint, in litteris exprimendam; & tunc non ordinentur niſi ab Epiſcopo in ſua Diœceſi reſidente, aut pro eo Pontificalia exercente, & diligenti præuio examine.*

15 *Præſentati, ſeu electi, vel nominati * quibuſcumque Eccleſiaſticis perſonis, etiam Sedis Apoſtolicæ Nuntiis, ad quæuis Eccleſiaſtica beneficia non inſti-*

* Sic dicendum eſt, non autem, *à quibuſcumque*, vt oſtendit tum ratione, tum correctione exemplari Fagnanus c. *Accepimus*. de ætate & qualitate, n. 31.

1547. *inſtituantur, neque admittantur, etiam prætextu cuiuſuis priuilegij, ſeu conſuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint priùs à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti. Et nullus appellationis remedio ſe tueri poſſit, quo minùs examen ſubire teneatur. Præſentatis tamen, electis, ſeu nominatis ab Vniuerſitatibus, ſeu Collegiis generalium ſtudiorum exceptis.*

In exemptorum cauſis ſeruetur Conſtitutio Innocentij Quarti, quæ incipit, 16 VOLENTES, tit. de priuilegiis, in ſexto Decretalium, *edita in Concilio Lugdunenſi, & in cauſis ciuilium mercedum, & miſerabilium perſonarum, Clerici ſæculares aut regulares extra monaſterium degentes, quomodolibet exempti, etiamſi certum iudicem à Sede Apoſtolica deputatum in partibus habeant, conueniri, & iure medio ad ſoluendum debitum cogi poſſint coram locorum Ordinariis, tamquam ab eadem Sede delegatis, & ita pariter in cunctis aliis cauſis ciuilibus, ſi iudicem deputatum non habuerint.*

Curent Ordinarij, vt hoſpitalia ab ipſorum adminiſtratoribus fideliter 17 *ac diligenter gubernentur, formâ ſeruatâ Conſtitutionis Concilij Viennenſis, quæ incipit,* QVIA CONTINGIT, tit. de religioſis domibus, *quam ſancta Synodus nunc innouat ſimul cum omnibus derogationibus in ea contentis.*

CAPVT XII.

Seſſio ſeptima.

IN formandis Canonibus & Decretis nihil labori pepercere, vt 1 præſcripto die Seſſio celebraretur. Singulis ferè diebus manè Theologi coram Ceruino, Iuris Canonici Conſulti coram Montano conueniebant: pomeridianum tempus generalibus congreſſibus impendebatur; vbi quidquid in peculiaribus agitatum fuerat, exponebatur ſimul & expendebatur: eiuſmodi autem conſtans labor ad poſtremum vſque ante Seſſionem diem continuatus; quo die Canones ac Decreta perfecta ac ſtabilita ſunt, paucis repugnantibus, iiſdemque planè, qui in ipſa Seſſione contradixerant, quemadmodum narrabitur.

Deuentum itaque ad opus die 3. Martij, rem Diuinam ſolemni- 2 ter celebrante Andreâ Cauco Archiepiſcopo Corcyrenſi. Latina concio deſiderata eſt, quòd Martiranus S. Marci Epiſcopus, cui munus illud impoſitum fuerat, adeò ob anni temporum intemperiem premebatur raucedine, vt ne vocis quidem ſonum edere poſſet. Id refert Suauis tamquam ex Actis petitum, ſed gemino illuſtrat commento.

Alterum eſt: Deperditam Martirani vocem obtentum quem- 3 dam

dam fuiſſe; ſed reuerà puduiſſe Præſulem publicam in lucem prodire, ob neſcio quas offenſiones in conuentibus paulò antè à Legatis acceptas. Merum putum inuentum, pro eo ac deducere licet ex Actis, ex Diariis, ex monumentis, vbi hac de re planè nihil: neque ſuſpicari fas eſt, id ibi conſulto prætermiſſum, cùm è contrario leguntur ibidem plurima inter Patres diſſidia, plurimæque à Legatis in ipſos habitas obiurgationes, & à me non omiſſas; qui nolui vera diſſimulare, quamuis mihi moleſta, & à Suaui non adducta, qui vera diuinare nequiit, quamuis ſibi periucunda. Imò etſi in eo quod narrat fuiſſe relatam in Acta hanc deficientem Martirani vocem ceu cauſam prætermiſſæ Latinæ orationis, ille neutiquam mentiatur; non tamen poſſum in animum inducere, fuiſſe ab eo Acta perlecta, ratus non eò impudentiæ hominem prolapſum, vt ſi rerum geſtarum fuiſſet ex Actis conſcius, tam animosè reliqua commentus ac mentitus fuiſſet, etiam in eo, quod in rem ſuam non cedebat. Mihi potiùs perſuadeo, compertum illi fuiſſe, id in Actis contineri ex arcanis narratiunculis rerum Tridentinarum, quæ ſicuti alibi inſinuauimus, ſpargebantur ad alendam malignitatem, emungendaſque Germanorum hæreticorum crumenas. 1547.

4 Altera Suauis commentatio eſt: Se ptiùs admiratum, quî fieri poſſet, vt in tanta Epiſcoporum ac Regularium frequentia nemo adeſſet, cui ſuppeteret animus ad ſupplendum Concionatoris deſtinati locum; poſteà pronuntiaſſe, Omiſſam huiuſce rei memoriam in Actis, certo eſſe documento, tunc minimè cogitatum fuiſſe, ventura quandoque tempora, quibus illius Cœtus actiones cenſendæ eſſent pares Apoſtolorum Actis, cùm in vnum congregati, aduentum S. Spiritus opperiebantur. Quantum verba ſonant, vetum loquitur: nec ea tempora vmquam venêre; cùm perſpicuum ſit, Apoſtolos excelluiſſe diuinitus ſubitariâ facultate dicendi, & quouis idiomatum genere; at verò Patres ac Theologos Tridentinos oratione vti non potuiſſe, niſi pro menſura laboris ſtudiique ſuſcepti, & facultatis à natura ſibi conceſſæ, quod ſimiliter in Nicæno, cunctiſque Oecumenicis Conciliis euenit. Quod ſi præthereà ſignificare Suauis intendit, tunc Patres haud exiſtimaſſe venturum eſſe tempus, quo actiones omnes eorum, qui in Concilio aderant, in veneratione habendæ eſſent, tamquam numeris omnibus abſolutæ, & æquè ſanctæ ac actiones Apoſtolorum in vnum conuenientium, & ſancti Spiritus aduentum præſtolantium; profectò neque pariter hic dies vmquam illuxit, cùm ex innumeris monumentis tum priuatis tum publicis conſtet, ab iis Patribus, Apoſtolorum in aucto-

1547. ritate ſucceſſoribus, non item patibus in ſanctitate, plura non citra noxam patrata fuiſſe. Quod ſimiliter nouum non eſt in Tridentina Synodo, ſed in cunctis itidem accidit quotquot vmquam Eccleſia celebrauit. Atque hac de re ſatis ſit omnium loco legere, quæ S. Gregorius Nazianzenus de prima Conſtantinopolitana Synodo memoriæ tradidit.

Sin aurem Suauis inde conficit, tunc opinatos haud fuiſſe, venturam vmquam ætatem, quâ Cœtus ille magnâ veneratione colendus eſſet, næ is mendosâ vti argumentatione mihi videtur. Quòd 5 nemo tot inter Antiſtites, tot inter priuatos Theologos, qui tandem totius in Europa ſapientiæ flos erant, & quorum Opera typis edita, ſacræ etiam eloquentiæ præſtantiâ clarent, fuerit auſus ad eam panegyrim imparatus dicere, veriùs in eo colligitur ſumma de tanto theatro exiſtimatio. Sanè ſi è minori ſuggeſtu dicendum fuiſſet, illorum plurimi conſcendiſſent. Quis ignorat, Oratoris timorem oriri è reuerentia in auditorem, & ex Rhetorum præſcripto etiam à non formidanre formidinem ſimulari, vt vel eâ exiſtimationis ſpecie beneuolentiam aucupetur. Neque arbitror ſibi quempiam perſuaſiſſe, Senatum, aut populum, aut exercitum Romanum in paruo fuiſſe pretio, vbi legerit apud Suetonium, [a] Auguſtum, quamuis regnatorem, & artibus dicendi excellenter excultum, auſum numquam fuiſſe verba illis facere, niſi ex meditato, & ex ſcripto. Huc accedit, quòd habitæ ad Synodum conciones ſtatim euulgabantur per omnes Chriſtianorum prouincias, ac malignæ Septemtrionis cenſuræ ſubiacebant, longeque maligniori futuri quàndoque Suaui. Quin etiam concepta ſolùm, & non edita ea Martirani oratio extat in Actis: quamobtem temerarium fuiſſet acutiſſimis inuidenriæ oculis exponere opus extemporale, & cum eo non priuati modò, ſed publici nominis exiſtimationem.

[a] Cap.47.in Vita Auguſti.

Omiſſo itaque in ea ſolemnitate ſermone, propoſiti Canones, ac pleno conſenſu probati, qui reparationem diſciplinæ continebant. Quinquaginta nouem ſuffragia citra exceptionem habuere reliqui Canones, cum aliqua exceptione tredecim ſuffragiis recepti ſunt: quæ exceptiones in eo ſitæ erant, ſeu quòd aliqui vellent nominatim Cardinales apponi (id per ſchedulas petiere Pacenſis, Aſturienſis, Oſcenſis, Calaguritanus, Claramontanus) ſeu quòd quidam titulum ſæpè memoratum poſcerent, nimirum aliqui ex nominatis, ſimulque Portuenſis, Boſſenſis, Fæſulanus, Lancianenſis, Stabienſis, & Mitilenenſis; ſeu quòd poſtularent, ne quid inferretur præiudicij Ordinariæ Epiſcoporum iuriſdictioni, cùm iuberentur agere tamquam

quam Sedis Apoſtolicæ delegati: & in hanc ſententiam iuere Senogallienſis & Fæſulanus. Denique ex paucis quibuſdam Hiſpanorum, quos nominauimus, optabant alij vt in exemptos efficaciùs ageretur; alij, vt duo ſimul obtinere ſacerdotia, quibus animarum cura connecteretur, vni eidemque Sacerdoti liceret. 1547.

6 Affirmat Suauis, *Audita à Legatis Patrum verba tamquam voces hominum, qui nil amplius poſſent quàm halitum exhalare.* Iniquiſſima planè accuſatio eſt, de eo conqueri quod & fit, & fieri oportet in cuiuſcumque Senatus adminiſtratione: perinde ac pariter iniquum eſt, quòd ſententia non dicam plurium, ſed ſex partium, ſententiæ partis ſeptimæ anteferatur. Præterquam quòd niſi oculos ſibi datâ operâ eruiſſet (quod de illo veteri Philoſopho ſcribitur) non poterat non intueri Suauis libertatem aliter agendi Legatis ademptam, cùm ipſis Diplomate Pontificio fuiſſet præſcriptum, vt in deciſionibus ſuffragia plurium ſequerentur: idque tam longè abfuit quòd ipſis eſſet arbitrarium, vt in proxima ſuperiori Seſſione, quoniam dubitabatur an à pluribus abſolutè comprobarentur Decreta, res ad duos ferè menſes fuerit prorogata, eo conſilio, vt Decreta illa mutarentur; nec habita pro legitimis fuerint, donec concordi omnes ſententiâ conuenere de legitima illorum per plures ſuffragatores ſanctione. Poſtremo loco deſignatus futuræ Seſſioni dies vigeſimus primus Aprilis, hoc eſt feria quinta poſt octauum à Paſchate diem, Stabienſi ſolùm renuente, cui certæ diei præſcriptio minimè probabatur. Vſque adeò ſententiæ à ſe conceptæ quiſpiam amator eſt, vt eam parere cupiat ad vitam etiam inutilem atque deſpectam.

CAPVT XIII.

Colonienſis Archiepiſcopatu priuatus. Contagioſus Tridenti morbus: & tranſlatio Synodi ſermonibus agitata.

1 INtereà Cæſar calore famâque victoriæ vſus, ſententiam Pontificis in Hermannum Colonienſem Archiepiſcopum, hæreſis & contumaciæ reum, exequi voluit, eò miſſis duobus cum poteſtate viris, qui Rodulfum eiuſdem Eccleſiæ Adiutorem illi ſufficerent. Hermannus inuiſus clero, multiſque popularium odioſus, nec animi nec virium ſatis habuit, quibus Caroli potentiæ obluctaretur. Cedere itaque coactus, in Vandenſem familiæ ſuæ ditionem ſeſe abdidit, ad obſcurum & ignobile ſenium conterendum. Suauis hæreticorum encomiaſtes, Hermanni generoſum animum hîc ef-

1547. fert laudibus; quippe qui commiſeratione commotus, ne ſuos populos innocentes bello diuexatos cerneret, ſuâ ſe dignitate abdicauit. Enimuerò huiuſmodi generoſitas erit pariter in eo commendanda, qui præſidio deſtitutus arcem dedat; & liberalitas in eo, qui in latrunculorum ludo aduerſarij victoriâ præuiſâ, pecuniæ iacturam anteuertens, eam ſponte largitur. Ceterùm, ſi Hermannus (quod pro certo Suauis ponit) reſiſtere valuiſſet, ſibique induxiſſet in animum, ſe per eam rituum Religioniſque mutationem Chriſti Euangelio conformare, non certè generoſum, ſed proditorem animum geſſiſſet, dum ſuum gregem deſeruiſſet, ſuorum ſubditorum ſeu periculum ſeu perturbationem temporariam æterno ipſorum exitio prætuliſſet.

Hi proſperi rerum ſucceſſus adhuc alios feliciores portendebant, nisi caſus obueniſſet, qui ſupra triennium Concilij progreſſus interrupit, ſimulque inter Cæſarem ac Pontificem pernicioſas atroceſque diſſenſiones exciuit, quæ diutiùs ſtilum diſtrahent ad argumentum longè diuerſum à Fidei definitionibus, ac morum legibus. Sed antequam Hiſtoriam proſequar, par eſt vt fabulam refellam. Narrat Suauis, à Pontifice, ſollicito tum ob Cæſaris potentiam, tum ob Galli morbum immedicabilem, tum etiam ob Tridentinorum Patrum poſtulata, miſſum Tridentum cum litteris, ad fidem ſuis dictis faciendam idoneis, nobilem quemdam Montani familiarem; iuſſumque, antequam Seſſio haberetur, deliteſcere, poſteà verò confeſtim Legatis iniungere, vt quacumque obtentâ ſpecie Synodum illicò Bononiam transferrent; quo peracto Oenipontem contenderet. Addit, ad huiuſmodi denuntiationem ipſo die Seſſionis redditam, hæſiſſe Ceruinum animo conſternatum; ſed Montanum illo animoſiorem, commendato Pontificis iuſſu, ſuaſiſſe Collegæ, vt vnà ſecum rem nauiter exequeretur. Captatâ proinde opportunitate ex morbo, qui tunc ibi graſſabatur, fortaſſe ob propinquorum bacchanalium crapulam contractus, peſtilentiæ rumorem ab illis diſſeminatum fuiſſe, remque ex deſtinato perfectam. 2

Expingi ſimulacrum non poterat ipſi rei diſſimilius. Ac primò quidem, quidnam inter Pontificem duoſque Legatos ſibi addictiſſimos ſuſpicionis irrepſiſſet, ob quam arcanum illud celare ipſos vellet, concreditum eodem tempore homini cuidam priuato ex alterius Legatorum familia; præſertim cùm opus tandem eſſet Legatorum fidei committere tum arcani cuſtodiam tum operis perardui effectum. 3

Secundò, recentes adhuc erant in Pauli memoria, & eiuſdem quere-

querelis ad Cæſarem miſſis, illius horribiles minæ in Ceruinum iactæ, ſi vmquam abſque iuſſu Pontificis id tentaſſet: quo pacto igitur Paulus Ceruinum, & ſuam pariter in eo dignitatem vellet exponere tanto diſcrimini, demandatâ ipſi curâ, vt ſummum Principem quaſi auctoritate propriâ tam grauiter irritaret? 1547.

Tertiò, quænam loci opportunitas erat Oeniponti, in vrbe Cæſareæ ditionis, vt eò tanti arcani ſequeſter mitteretur? Quid ibi rei erat Montani Aulico? Prætereà quî fieri potuit, vt huiuſce viri nomen Tridenti viſi, & mox Oenipontem tranſgreſſi, in obſcuro vel ipſum Suauem latuerit? At exquiret quiſpiam, cur aut ipſe, aut tabulator cui ipſe fidem habuit, nomen arbitratu ſuo non affinxit? Scilicet quia fortaſſe de ſingulis hominibus quos nominaſſet, reuinci facilè potuiſſet; cùm tamen enuntiatio quæ negat, quantumuis vera, niſi adiunctis coarctetur, ex Iuriſconſultorum effato probari nequeat.

Habetur etiam ex Maſſarelli ephemeride, Legatos die quinto Martij, hoc eſt biduo poſt mandatum, ex narratione Suauis Româ redditum, ſignificaſſe Pontifici, exortum morbum, ab eoque petiiſſe, quid ſibi, niſi is ceſſaret, agendum eſſet. Neque id in ſpeciem dictum ſuſpicari licet: nam potiùs omnino celanda fuiſſet illos hæc Epiſtola, ne ij qui ad trahendam moram efflagitabant, vt priuſquam quidquam decerneretur, Pontifex fieret de rebus certior, iuſtius obtenderent, admonito iam Pontifice, eiuſque mandatis exquiſitis, haud licere Legatis Patribuſque decernere, niſi Pontificis reſponſum breuî reddendum opperirentur.

Ad hæc, in arcana Epiſtola Ceruini ad Farneſium [a] vnà cum Legatorum litteris communibus miſſa, Decretum de tranſlatione eo die confectum ſignificantibus, hæc habentur: *Quid Deus de hac Synodo ſtatuerit, ex communibus litteris cognoſces; de quo nihil aliud affirmo, niſi merum Dei opus, planeq́; miraculum id fuiſſe.* Quæ ſcribendi formula cùm Pontificio mandato Legatis dato Synodi transferendæ minimè conueniret; prætérquam quod ex variis arcanis litteris mihi perſpectis, quibus Legati de hoc Decreto Pontifici rationem reddunt, quemadmodum infrà narrabo, quacumque luce clarius liquet, illum rei conſcium non fuiſſe.

[a] 11. Martij 1547.

Præterea ſi Pontifex per eos dies id moliri voluiſſet, quodnam importunius conſilium inire poterat, quàm ab ea legationis cura vacationem Montano concedere? [b] & tamen eam illi conceſſerat ſtatim ac Seſſio fuiſſet celebrata, ſucceſſorem pollicitus. Quare Montanus Præſidum primus, & quà liber eâ ſollicitudine, & quà

[b] Litteræ Farneſij ad Ceruinum, 5. Februar. 1547.

 certus,

1547. certus, ſibi amplius Tridentini cæli aſperitatem, Principiſque ibi dominantis aculeos tolerandos non eſſe, ſe planè difficiliorem geſſiſſet in ſua legatione abſoluenda, per eius exitum iram potentiſſimi Cæſaris ſibi concitaturus.

[c] Habetur in Epiſtola Veralli ad Farneſium, 14. Aprilis infrà citanda.

Perge porrò. [c] Comperio, ab ipſo Cæſare, cui credibile eſt hæc certiùs explorata fuiſſe quàm Suaui, tranſlationem non quidem Montano, ſed Ceruino imputatam: cumque acerbiſſimè de Pontifice quereretur, nullam de homine cum huiuſmodi mandatis miſſo mentionem feciſſe; ſed ſolùm, haud ſe vero ſimile exiſtimaſſe, rem tanti momenti à Legatis patratam abſque Pontificis voluntate.

Poſtremò: Num Legati vbi hæc tam expreſſa diſertè mandata accepiſſent, ea incerto vrnæ arbitrio commiſiſſent, nullâ priùs ſeu per ſuarum ſententiarum pondus, ſeu per ſuorum conſiliorum impulſum patefactâ in ſe propenſione ad alterutram partem, donec ab ipſis Hiſpanis interrogati ſunt; neque pariter retectâ facultate Synodi transferendæ, multò antè ipſis à Pontifice traditâ, donec in ſolemni Seſſione Patres ſupra duas tertias partes in ea re conſenſerint, ignari huiuſce facultatis, cuius ignoratio multorum ſuffragia, ſicut conſtabit, Decreto ſubtraxit? Et quod liquidius apparet, ſi res ita fuiſſet, Num Legati voluntatem vmquam præ ſe tuliſſent, non niſi quod pluribus placeret perficiendi, animumque paratum oſtendiſſent ad ibidem cum reliquis perſiſtendum? & poſtquam in vno cœtu rem euicerant, alteriúſne incerto arbitrio, mutationi obnoxio, ſponte commiſiſſent, ac poſteà rurſus ſolemni Seſſionis ſuffragio, optimè gnari quàm ſedulò Cæſariani contrà niterentur? Quapropter tantum abeſt, quòd Legati iuſſi fuerint id quocumque modo perficere, vt è diuerſo maluerint iteratò rem exponere futuro ſuffragio, cum incommodo non communicatæ Patribus notitiæ, & cum periculo reuocationis, quàm aut palàm facere traditam ſibi Romà facultatem, adhuc incerti de maioris partis conſenſu, aut Decretum firmare, ritu ſummè conueniente non ſeruato. Atque id verè cunctis ſuperioribus mandatis Pontificis conſonabat, in hoc argumento à me perlectis & iam allatis.

Suauis tamen omni probatione deſtitutus, nulloque nixus teſtimonio, ne Adriani quidem ſcriptoris, à Paulo III. tam alieni, audet rem huiuſmodi per eam confidentiam affirmare, perinde ac ſi mandatum illud Legatis ipſe detuliſſet.

Rei veritas ſic ſe habet. Tridenti lethalis morbus increbuerat, 4
qui ægros malignis puſtulis commaculans, inſolitis funeribus indicia contagionis in corporibus, & corruptionis in aëre præferebat.

Quod

Quod eo maiorem incuſſit Synodo metum, quò mors propiùs ac- 1547.
ceſſit: nam tertio poſt Seſſionem die Caputaquenſem extinctum
à morbo viderant, & paulò anteà ſupremum Minorum Præſidem,
& aliquot etiam inter Legatorum familias. Vnde cùm timor mor-
tis ſupra reliquas affectiones homini dominetur, ad profectionem
animum conuertêre: auctaque feſtinatio ex eo eſt, quòd vicinis in
locis ſparſo contagij rumore iam agebatur de interdicendo Triden-
tino commercio, adeoque de intercidenda euadendi ſpe. Ingens ob
eam rem Præſides inceſſit cura, ratos numquam ſibi obuenturam
opportunitatem nec faciliorem nec æquiorem aliò deducendi Con-
cilij; quod arbitrabantur Eccleſiæ ſecuritati conferre, quemadmo-
dum oſtenſum eſt. Et prætereà intelligebant, ſi ibi perſiſterent, fie-
ri non poſſe, vt ibidem alij detinerentur Patres præter Cæſarianos,
compeditos Caroli metu, contagionis metum ſuperante: proinde
Concilium aut pro ſoluto habitum iri cum Eccleſiæ dedecore ac
detrimento; aut, ſi adhuc integrum cenſeretur pro eo ac Cæſaria-
ni contendiſſent, euenturum fuiſſe, vt cùm in iis quæ decernerен-
tur viuente Pontifice, tum in iis quæ poſſent contingere eo dece-
dente, rerum omnium arbitrium penes Cæſarem foret. Eapropter
primo inſurgente metu, [d] à Pontifice mandata per litteras petiere [d] 5. Martij
quid ſibi agendum eſſet, vbi morbus perſeueraret; ſperabantque 1547. ex Diario Maſ-
ſpatium ſibi ad ea præſtolanda futurum. Verùm animaduerſo poſt- ſarelli.
eà imminente commercij interdicto, multorumque Epiſcoporum
diſceſſu, non impetratâ à Præſidibus veniâ, ſicuti Suauis autumat,
ſed aliquibus quidem eam poſtulantibus, cunctis neutiquam obti-
nentibus, ſicut ipſi poſteà ad Conuentum generalem retulerunt; [e] & [e] 9. Martij.
inſuper cognoſcentes, plures alios retineri non poſſe, ſtatuerunt exe-
qui mandata Pontificis ſatis recentia, ac iterata, [f] per quæ impone- [f] Ex Ceruini
batur ſibi Synodi tranſlatio, vbi & plerique conſentirent, & ipſi litteris ad
graue aliquod incommodum Sedi Apoſtolicæ impendens animad- Maffeium, 23. 26. &
uerterent; cuiuſmodi rebatur futurum, ſi Concilium permanſiſſet 29. Martij
compactum ex membris, quæ mentis & cordis loco Cæſarem habe- 1547.
rent. Mea, quæ ſubſequetur narratio, firmiſſimis nititur teſtimo-
niis, tum ex Actis à Maſſarello, qui Synodo à ſecretis erat, priuato
ſuæ voluntatis impulſu conſcriptis, quæ cum aliis non vulgaribus
Commentariis Nicolaus Ludouiſius Princeps, quamuis illorum
honeſtiſſimè tenax, mihi tamen, tam piæ cauſæ opitulaturus, libe-
raliter deprompſit; tum ex Actis legitimis in Arce Romana aſ-
ſeruatis.

5 Præſides igitur adiectis ad rem animis, quò ſolidiori fundamento

1547.

In ſecunda parte Actorum Trident. ſedente Paulo III. & in ſecundo volumine ſignato A. in cuius calce eſt narratio tranſlationis, miſſa à Concilio Bononiæ ad Pontificem.

g Io Vita Fracaſtorij, præfixa eius Operibus.

inſiſterent, de morbo graſſante peritos primùm conſulere. Duo ibi aderant externi viri, arte medicinæ præſtantes, alter Balduinus Balduinus Bargenſis, Montani Medicus familiaris, alter Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis, medicus à Concilio ſibi delectus, qui in ea facultate quemuis ſuorum æqualium famâ ſuperabat.[g] Quin fertur Carolus Cæſar, duodecim antè annis Italiam ingreſſus, cum Peſcheriâ tranſiret, quò multis ex prouinciis egregij quique partim obſequij partim curioſitatis ſtudio confluxerant, nullâ alterius cuiuſpiam habitâ ratione, in vnum Fracaſtorium à Madruccio monſtratum, cohibito inter ſolem ac puluerem greſſu, oculos intendiſſe. Hi ambo Medici vnà conſenſere, deprehendi in eo morbo & contagionis indicia, & luis præſagia, incaleſcente poſtmodum aëre erupturæ; periculum verò nobilibus & delicatis viris maximè minitari. Quare Fracaſtorius eſt conteſtatus, cùm ad medendum febribus, aliiſque conſuetis morbis, non autem peſtilentiæ, eò acceſſiſſet, miſſionem ſe petere, munuſque deponere.

Hoc poſito, Legati in conſeſſu diei nonæ Martij, poſt dictas ſententias de dogmate Euchariſtiæ, quod expendendum ſuſceperant, 6
rem ad Patres retulerunt; adieceruntque, duodecim Epiſcopos iam profectos, alios veniâ non petitâ, alios negatâ: ſed prætextâ vitæ tuendæ neceſſitate plures viam adornare, eoſque ægre à ſe tantiſper retentos, dum de re Conuentum generalem edocerent. Duo proinde ſe denuntiare: primum, nolle ſe vllius conſilij Patribus auctores eſſe, ſed exequi quod pluribus placuiſſet; alterum, ſe ad omnia quæque præterquam ad Synodi diſſolutionem deſcenſuros: à qua, quantum arbitror, abhorrebant præcipuè, ne munimento valido nudarenrur aduerſus omnem peculiaris Synodi molitionem; quandoquidem ita nec liceret Epiſcopis Germaniæ in ſuæ nationis Synodum coire, dum ad Oecumenicam adhuc extantem vocabantur; neque fas erat, vt Fidei morúmque cauſæ, quæ apud ſupremum illud Tribunal agitabantur, in alio interim minori conuentu legitimè deciderentur.

Paccus, cui dum vterque Cæſaris Orator aberat, atque etiam 7
Madruccius, qui paulò ante oppidum ſui nominis Madruccium adierat, rei Cæſareæ procuratio incumbebat,[h] memor, in litibus ſolertiam poſſeſſoris in mora captanda ſitam eſſe, reſpondit: Id quod in deliberationem adducebatur, negotium eſſe ex grauiſſimis ac difficillimis omnium quæ geri poſſent; in quibus videlicet rerum temporiſque conditionibus, & quo pacto Concilia transferri debeant: ſibi exploratum nondum eſſe, an planè liceret id agitare incon-

h Ex litteris Ceruini ad Maffeium, 20 Martij 1647.

inconſultis Pontifice ac Cæſare, cuius poſtulatione atque operâ 1547.
Concilium fuerat Tridenti coactum. In ſumma, fateri ſe inſcitiam ſuam, vt qui eâ eruditione non polleret, quâ poſſet improuiſo ſententiam ferre quid in huiuſmodi conditionibus ius poſtularet: proinde exiſtimare ſe æquum eſſe, vt aliquot dierum ſpatium ſibi aliiſque concederetur ad rem accuratiori ſtudio ac meditatione perpendendam. Vbi verò opus eſſet repentino reſponſo; videri ſibi nihil moliendum, niſi compertâ priùs Pontificis ac Cæſaris voluntate. Giennenſis opinionem ij qui eiuſdem factionis erant, & ex aliis duo vel tres amplexati, omnes numero fortaſſe quindecim; reliqui cenſuere celeriter periculo conſulendum. Vt legitima foret profectio, ſatis eſſe peſtilentiæ non experimentum modò, ſed ſuſpicionem, quæ potis erat finitimorum communicatione ipſos priuare, ſine qua fieri non poterat, vt ampliùs Tridenti degerent. Reuocandum in memoriam, anno ſuperiore, eò quòd duo tantùm Roboreti in oppido Tridentinæ ditionis peſtilentiâ obiiſſent, fuiſſe tam ſeuerè interdictum vndique commercium, vt quidam ex Patribus maturè ex ea vrbe egreſſi hoſpitium impetrare nequierint, adeoque ſub dio pernoctare graui cum vitæ diſcrimine coacti fuerint. Variarunt tamen ſententiæ, quodnam eſſet ineundum conſilium: alij ſuſpenſionem proponere, alij abeundi facultatem cuilibet concedendam, alij tranſlationem in propinquam ſedem, alij eamdem, ſed expectato priùs Pontificis conſenſu. Pacecus animaduersâ communi ad diſceſſum propenſione, quo aggerem in tempore opponeret, petiit rurſus, vt deliberatio prorogaretur: & Montanus libenter aſſenſus eſt, quò poſtridie ſuffragia ex meditato lata maiorem & auctoritatem & firmitudinem præferrent. Qua in re vehemens cupiditas, inimica ſemper rei quam intendit, plures in errorem inducit, dum ob immoderatam feſtinationem imponendi ædificio faſtigij, parietes extruunt adeò debiles, vt non tam domicilio ſeruiant, quàm ruinæ.

CAPVT XIV.

Alter generalis congreſſus, in quo de tranſlatione deliberatur.

1 POſtridie igitur manè accitis in vnum Patribus Montanus dixit: Se vnà cum collega varias proximi cœtus ſententias volutaſſe, & inter eas ſibi minimè probari ſententiam ſuſpenſioni fauentem: id enim reipsâ tacitam Concilij ſolutionem fore, per quam iis fructibus Eccleſia fraudaretur, quos tunc decerpebat, quoſ-

1547. quoſque longè copioſiores ſperabat ab ea Synodo, tot laboribus iam coacta: neque ſibi magis probari permiſſum ſingulis arbitrium abeundi, cùm in id tot Patres auidè ferrentur, vt omnium planè diſceſſus eſſet reuerà ſecuturus. Quapropter ſi Tridentum, pro eo ac plures cupiebant, deſerendum eſſet, optimum ſibi videri ſi aliò Concilium deportaretur: in hoc tamen plurimam loci rationem habendam; quippe qui eiuſmodi eſſe oportebat, vt illuc ex improuiſo commigrantes haud difficulter exciperet; vt nimis inde remotus non eſſet, tum ob Patrum eò aduenientium, tum etiam ob Germanorum commoditatem, qui erant aduocandi; vt domiciliis alimentiſque abundaret; ac demum aëris ſalubritate polleret. Has omnes conditiones oſtendit Bononiæ vnicè conuenire, adeoque eam collocandæ Synodi aptiſſimam ſedem eſſe.

Ex oppoſito Pacecus diſſerüit: Feſtinanter ſe percurriſſe quæ de 2
Conciliorum tranſlatione ſcriptores ſentiant: ab iis in ſola Pontificis auctoritate illam reponi; proinde non ſatis à ſe percipi, quo pacto Legatis liceret per ſeipſos in quæſtionem tractationemque nedum in opus illam deducere. Cuinam in comperto non eſſet, quanto labore per Cæſaris, aliorumque Chriſtianorum Principum induſtriam ea Synodus coaluerat? adeò vt pòſt conuocationem, & Legatorum, ac ſuum pariter acceſſum cum aliis Epiſcopis, neceſſe fuerit plures menſes otiari, antequam Synodus quaſi nauis in anchoris progrederetur. Quàm indignè laturos Principes illos Religionis ſtudioſos, fructus ex tot laboribus expectati iacturam per eam intempeſtiuam profectionem? Quin communem vniuerſo Chriſtiano generi futuram indignationem, cùm tam præcipitis commotionis cauſam nemo perſpiceret. Vnicum qui obtrudebatur titulum, eſſe febres lethales, quæ rubris puſtulis contagionem nuntiabant; ſe tamen à Curionibus reſciuiſſe, pauciſſimos eo morbo extinctos: in S. Petri Paræcia, ſatis populo referta, ab ineunte menſe nonniſi duos occubuiſſe, alterum infantem, hydropicum alterum: tota in vrbe infra quadraginta homines ægrotare, & inter eos vix quinque ex morbo ſuſpecto decumbere: licere Concilio id pernoſcere, aliquot Patribus deſtinatis qui rem explorarent: parum moueri ſe teſtificatione duorum externorum Medicorum: Tridentinos Medicos longè aliter ſentire; qui tametſi à Fracaſtorio rogati, eius ſententiæ ſubſcribere recuſarant. Verùm vtcumque eſſet, haud licere de loco ad locum aſportare Concilia, niſi Patribus in id vnanimi ſuffragio conſpirantibus, quemadmodum Iacobatius Cardinalis docebat, qui recèns de Concilio ſcripſerat. Id in præſentia

non

non contingere, ſeque inter alios diſſentire, nec ſolâ voce, quæ ſta- 1547.
tim obmuteſcit, repugnare velle, ſed ſcripto, quod ſemper loquitur; adeoque ſuam hanc ſententiam libello committere, vt perpetuæ poſterorum memoriæ traderetur. Poſtremò nihil innouandum adiecit, niſi perſpectâ priùs Pontificis ac Cæſaris mente, quos dubitandum non erat, illius ſacroſancti Senatus excidio numquam conſenſuros.

3 Huic Giennenſis orationi breuiter reſponderunt Legati. Ceruinus dixit: Quod exteri medici teſtificabantur, extra dubitationem eſſe, eorumque dictis ob ſapientiam ac libertatem longè maiorem auctoritatem tribuendam, quàm indigenarum teſtimonio: Synodum non alia de cauſa Tridenti fuiſſe celebratam, niſi vt allicerentur Germani: quæ ratio euaneſcebat, quando Proteſtantes poſteà in duobus Conuentibus pronuntiauerant, ſe illam pro legitima non habere, planeque recuſare ibi intereſſe; Catholici verò quà belli impedimento, quà hæreticorum metu, ſuam abſentiam excuſarunt: tunc verò vel maximè ſpem ipſorum aduentus excidere, cùm peſtis quæ in Germania graſſabatur, prohibebat acceſſum. Nec ſibi temperare potuit, quin adderet (ſinceriore fortaſſe animo, quàm prudenti) alias quoque rationes ſuppetere, quæ tranſlationem ſuadebant. At Montanus rem à capite redorſus reſpondit: Fruſtrà in dubium vocari numerum extinctorum, cùm recenter defoſſa & complanata vrbis cœmeteria cernerentur, ne magnus tumulorum numerus illatorum cadauerum multitudinem palàm faceret; ad id pariter, ab illo qui præerat, ſilere in poſterum iuſſa in funeribus templorum æra, & noctu decedentium corpora clàm efferri, quò his artibus ignoratum diſcrimen ſegniùs vitaretur: Tridentinos vulgaris notæ medicos cum Fracaſtorio, ea in arte per Italiam facilè principe, minimè conferendos: præterquam quòd ſatis conſtaret, medicos Tridentinos voluiſſe illius ſcriptum ſuis etiam nominibus confirmare, niſi efficacià quorumdam ſtudia ipſos ab eo conſilio retraxiſſent: nihil obſtare; quòd mandata Pontificis non præcederent; idcircò fuiſſe ab illo ſubrogatos Præſides, qui ipſius abſentis partes agerent, quique cum pleriſque Patrum res decernerent, quod potiſſimum agendum erat in caſibus inopinatis, moræque intolerantibus. Quod aſſumebatur, Conciliorum tranſlationibus neceſſarium eſſe vnanimem deliberantium conſenſum, nec legum effatis, nec ſcriptorum auctoritate, nec rationum fundamentis inniti: ad ſummum, id opinari fas eſſe, cùm tranſlatio pro mero arbitratu citra neceſſitatem intenderetur. Ceterùm quænam æquitas

1547. perſuadeat, vt vnius pertinaciæ liceat vniuerſum Eccleſiæ Senatum inter mortis fauces detinere?

Ita primus Legatorum. At mirabitur fortaſſe quiſpiam, nihil ab eo reſponſum propoſito conſilio, vt aliqui deſignarentur Epiſcopi, qui rei veritatem explorarent, & poſteà ad Senatum referrent. Sed id, quantum arbitror, omiſſum fuit, quia nec reiici conſilium verâ prolatâ ratione poterat, quin indignatio ac tumultus excitarentur, omnium fide in ſuſpicionem vocatâ; nec ſuſcipi abſque incommodo ac periculo, cùm veriſimile videretur, Patres ad id ex omnibus nationibus æquè deſignandos, adeoque Hiſpanos Cæſari addictos, Luſitanos Regi obtemperantes cum Cæſare coniunctiſſimo, Gallos, qui Regiæ voluntatis ignari in ancipiti verſabantur, & Italos, quorum multi vel Carolo ſubiecti erant, vel Diœceſes illi ſubiectas obtinebant. Atque vtut res haberet, ingentis vaſis aquæ turbandæ paucæ turbidi liquoris guttulæ ſatis ſunt. Quare in comprobandis rebus, ac teſtibus ſeligendis tarditas ac diſſenſio interueniſſent, adeoque iudicium ſine cunctatione perfici non poſſet; quâ effectum eſſet, vt interim aut finitimi commercia prohiberent, ac proinde obſtructus ad profectionem aditus abeundi conſilium obtruncaret; aut Cæſar de propoſito edoctus, denuntiationibus mandatiſque violentis obſiſteret. Idcircò opportunius exiſtimatum, vt ſuam quiſque conceptis vocibus, quas interior animi notitia ſuggerebat, de re propoſita ſententiam ferret. 4

Pacecus, animaduertens aciem aliorum quæ attulerat argumentorum, Præſidum reſponſionibus hebetari, per illud rurſus obſtitit, quod adhuc integrum videbatur; ſubiecitque: Cùm à Canonum peritis Conciliorum tranſlatio tamquam propriæ Pontificis auctoritati tribuatur, inde confici, id Legatorum iuriſdictioni minimè communicari; adeoque niſi peculiaris ad illud facultas à Pontifice impetraretur, generalem ſatis non eſſe. Cum Paceco conſenſere præter duos ij omnes, qui in proximo ſuperiore cœtu cum ipſo conuenerant, quorum plures, vt perpetuam ſuorum erga Cæſarem ſtudiorum teſtificationem haberent, ipſis ſchedulis ſuam ſententiam protulerunt: præſertim verò Pacenſis conatus eſt fuſiùs oſtendere, Concilium nonniſi Tridenti Germanorum causâ eſſe continuandum; & ipſius continuationis neceſſitatem adduxit, quòd pauca Fidei dogmata ſtabilita fuerant, & pauciora de moribus Decreta: horum verò magnam congeriem coaceruauit, quæ à Synodo conficienda eſſent, & quæ fieri & quæ non fieri poſſent accumulans promiſcuè, quò faciliùs ſplendidis rerum imaginibus 5

ſpem

ſpem ac ſtudium minùs experientium ineſcaret, exemplo chimico- 1547.
rum, eorumque qui theſauros inquirunt edoctus, cùm promiſſi boni magnitudo animum allicit, ingens auiditas tenuitatem veriſimilitudinis menti obtegit. Denuntiabant denique huiuſce ſententiæ propugnatores, vbi ceteri abſque cauſa diſcederent, ſe quidem perſtituros, & vnà ſecum auctoritatem Synodi permanſuram.

Sed Cicala Albengenſis Antiſtes, & Pighinus Aliphanus, alter Cameræ Apoſtolicæ, Romanæ Rotæ alter Auditor, exiſtimarunt ſui eſſe muneris, quippe à Pontifice miſſi tamquam Canonum conſulti, obnuntiationes in Legatorum auctoritatem obiectas infringere. Admonuerunt proinde, obligationem non abeundi à Sede quam Pontifex Conciliis conſtituit, abſque ipſius voluntate deficere, vbi profectionis cauſa cunctis innoteſceret, & periculum mora crearet. Quod periculum à pleriſque tunc adeò imminens cenſebatur, vt reliquos ſtimularent ad pergendum celeriter in Templum, ibique Seſſionem ſimul celebrandam, ſimul profectionem ſolemniter decernendam. Quod hinc timidioribus placebat, vt diſcrimen euaderent; hinc Hiſpanis haud diſplicebat, vt ex præcipiti feſtinatione factum poſteà improbaretur. Verùm nec aſſentiebantur Legati, qui volebant non tam feſtinare, quàm diſceſſum cohoneſtare; nec Pacecus, magis eius impediendi cupidus, quàm vituperandi. Ita nonnumquam duo contrariis intenti finibus in eo conueniunt, quod ex diuerſo reſpectu vtrique conducit, cùm id, quod alteri prodeſt, non ſemper alteri noceat.

CAPVT XV.

Octaua Seſſio, in qua Concilij tranſlatio Bononiam decernitur.

1 INdictâ igitur Seſſione poſtridie manè vndecimo Martij, demandarunt Legati Seuerolo, quippe Concilij Promotori, vt legitimè cognoſceret de morbi contagio, & imminente cæli corruptione. Conuenientibus manè in ſacram Ædem Patribus ornatu Pontificio indutis, poſt ſolemnes cærimonias ac preces, Montanus breuiter proſecutus eſt ea, quæ ſuperiore biduo dicta fuerant: præcipuè verò confirmauit, ſe vnà cum collega æquè paratum tam manſioni quàm diſceſſui, pro eo ac pleriſque Patrum collibuiſſet. Deinde quò rei veritas magis conſtaret, vrgente etiam Paceco recitata ſunt medicorum teſtimonia, & non ſolùm teſtium dicta, ſed interrogationes: qui teſtes & plurimi erant, & multiplicis condi-

 tionis,

1547. tionis, Cœnobitæ, Clerici, laici, externi, indigenæ. Summa teſtificationum hæc habebat: Ex aliquo iam tempore ortas in ea vrbe peſtilentes febres, corpora rubris puſtulis maculantes, hoc eſt, quemadmodum Fracaſtorius explicabat ex Galeni definitione, contagioſas, & plerumque lethales. Eo morbo multos continenter extingui; vnde ſingulis diebus ad Paræciæ S. Mariæ Maioris cœmeterium bina, terna, & quaterna cadauera deferri, idque proportione aliis in Paræciis contingere, nec parciùs in agro Tridentino huiuſmodi morbum ſæuire: eo peremptum credi Caputaquenſem Antiſtitem, Generalem Minorum Obſeruantium, miniſtrum vnum prætereà è familia Madruccij Cardinalis, & alterum Ceruini Legati menſæ præfectum. Si quis euaſiſſet, huic inſtar ſtolidi mentem hebeſcere, quod planè Salutiarum Epiſcopi famulo acciderat: eam luem in dies ingraueſcere, eàdemque tunc laborare alterum cærimoniarum Magiſtrum, ac plures quàm anteà interire. Tridentinis medicis vſque adeò artem & animum defeciſſe, vt eam curationem defugerent, timentibus, ne accedente mox æſtu morbus in certam peſtilentiam erumperet. Ad primam illius ſuſpicionem in locis circa Tridentum interdictum iri hominum communicationem, adeoque mercimonia & commeatum; vnde fieret, vt in illa montium ſterilitate fames æquè ac peſtilentia ſtragem ederet: Fracaſtorium, dum coram ſcriba publico ſuum priuatæ teſtificationis chirographum recognoſceret, hæc adieciſſe: *Iureiurando affirmo, ne centum quidem in dies ſingulos aureorum acceptâ mercede me adhuc per menſem Tridenti moraturum; & qui commorabitur, ipſum commorationis pœnitebit.* Perpendatur, an ea loquendi ratio in viro tam eximiæ exiſtimationis referenda fuerit, ſicut Suauis autumat, ad morem medicorum, qui ſtudent pretium artis extollere morbi cui mederi debeant magnitudine.

Poſt hæc propoſuit Montanus Decretum deducendi Bononiam Concilij, eâ conceptum formâ, quæ pleriſque Patrum in proximo conuentu placuerat, & huiuſmodi planè fuit: *Placétne vobis decernere, & declarare, de huiuſmodi morbo ex præmiſſis, & aliis allegatis ita manifeſtè & notoriè conſtare, vt Prælati in hac ciuitate ſine vitæ diſcrimine commorari, & in ea idcircò inuiti minimè retineri poſſint, & debeant? itemq́; attento receſſu multorum Prælatorum poſt proximè præteritam Seſſionem, & attentis proteſtationibus aliorum complurium Prælatorum in congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipſius morbi abire volentium, qui iuſtè detineri non poſſunt, & ex quorum diſceſſu Concilium vel diſſolueretur, vel ex paucitate Prælatorum bonus eius progreſſus* 2

greſſus impediretur; & attento etiam imminenti periculo vitæ, & aliis cauſis per aliquos ex Patribus in ipſis congregationibus allegatis, vtpote notoriè veris & legitimis; placétne vobis ſimiliter decernere, & declarare, pro conſeruatione & proſecutione ipſius Concilij, ſecuritate vitæ ipſorum Prælatorum, Concilium ipſum ad ciuitatem Bononiæ, veluti ad locum magis paratum, ſalubrem, & idoneum, pro tempore transferendum eſſe, & ex nunc transferri, & ibidem Seſſionem iam indictam, ſtatutâ die, vigeſimâ primâ Aprilis, celebrandam eſſe, & celebrari; & ſucceſſiuè ad vlteriora procedendum, donec Sanctiſſimo Domino noſtro, & ſacro Concilio expedire videbitur, vt ad hunc, ſeu alium locum, communicato etiam conſilio cum inuictiſſimo Cæſare, Chriſtianiſſimo Rege, & aliis Regibus ac Principibus Chriſtianis, ipſum Concilium reduci poſſit, & debeat? 1547.

3 Obiecit Pacecus, teſtes ritu legitimo minimè interrogatos, cùm Seuerolus nullum ad id mandatum accepiſſet à Patrum cœtu, in quo multi poſtularant, vt Epiſcopis ea cura demandaretur. Præterea, fuiſſe à teſtibus affirmatum id quod ipſi ignorabant, quodque rei euidentiâ falſi conuincebatur; nec denique Patres, qui partem oppoſitam tuebantur, ad id vocatos. In externorum medicorum iudicio minus auctoritatis ineſſe, quàm in iudicio indigenarum, Tridentinum cælum, corporumque habitudinem longè meliùs callentium. Multorum Patrum diſceſſum ex eiuſmodi domicilij tædio, non ex metu diſcriminis eueniſſe, quod ſæpiùs etiam ſuperioribus menſibus contigerat. Proinde productas ad transferendam Synodum cauſas deficere; nec ſatis etiam ſuffragiorum haberi, quippe ex Conſtantienſi Concilio duæ tertiæ partes ad id obtinendum requirebantur. Poſtremò vbi tandem demigrandum eſſet, nequaquam eundum Bononiam, ſed ſolùm in aliam Germaniæ vrbem, cùm ex prouincia in prouinciam tranſmittere non liceret. Se igitur ſuadere, vt potiùs Seſſio prorogaretur, adeoque Patres & aliquod laborum laxamentum caperent, & ſpatium ad animos eo metu, quamuis vano, releuandos.

4 Paceco reliqui Hiſpani aſſenſerunt. Turritanus amplificauit, quàm copioſa ſpei meſſis in herba ſuffocaretur eâ Synodi migratione, dum Cæſaris victoriæ obſequium vniuerſæ Germaniæ pollicebantur: paratum ſe quidem offerre ad tranſlationem comprobandam, vbi auctoritate Pontificis illa haberetur; ſed hac deficiente, quamquam oppoſita ſententia capitum numero vinceret, longè amplius eamdem vinci pondere rationum, adeoque ſententiam ſuam, quippe honeſtiori cauſæ patrocinantem, ſecundùm Canones antehabendam. Aſturienſis præter hæc affirmauit, Synodum

1547. Bononiæ liberam non futuram. Ceteri illarum partium conuenere in eleuando periculo, in proponenda conuenientia, vt tum Pontificis tum Cæſaris voluntas expectaretur, in pernegando, id Legatis abſque certo Pontificis mandato licere.

Contrariam ſententiam efficaciter propugnauit Sarracenus Archiepiſcopus Materanus, cuius vincula cum Cæſare ex familiæ clientela, ex Diœceſis ſubiectione, ex grati animi virtute, ex accepta illo nominante Tiara, eo firmiorem reddebant illius ſententiam, animi propenſioni reluctantem. A Seuerolo, dixit ● teſtes legitimè interrogatos, vt qui Promotoris munus ſibi à Concilio iniunctum obiret, adeoque nouâ delegatione non egeret. Porrò nec ab eo, nec ab aliis, quantum comperio, quidquam reſponſum ad prætermiſſum aduerſæ partis accitum: fortaſſe quòd animaduerterent, eam exceptionem per ſe cadere abſque vllius impulſu; cùm in Conciliis partes litigantium inter ſe non adſint, ſed ſolùm diſcordes ſententiæ, quod in cunctis Senatibus contingit, adeoque nullam partium in ius vocandam. Tum id, quod omnis huiuſmodi oppoſitiones diſſoluit, in medium adduxit; nimirum, in re manifeſta, qualis ea erat, teſtibus opus non eſſe. Auctoritatem Tridentinorum medicorum nequaquam æquiparandam Fracaſtorij auctoritati, quem ob ſingularem viri ſapientiam atque integritatem Synodus ſibi medicum delegerat, ſtipendioque conduxerat; id verò muneris concorditer illi commiſſi abundè eſſe, vt eius ſententia de curanda Patrum valetudine eſſet cuiuſcumque iudicio præferenda. Verùm vbi de quauis alia tranſlationis cauſa dubitari poſſet, ſatis ſuperque eſſe, id maiori parti, hoc eſt, rerum arbitræ comprobari: Conſtantienſis Concilij Decretum, duas partes tertias ad id requirentis, is aliique ſecum aiebant ab vltimo Lateranenſi abrogatum. De qua abrogatione nihil verè ibi extat; vnde ſuſpicor locutum fuiſſe Materanum de eo, quod in memorato Concilio Lateranenſi habetur de prærogatiua Romani Pontificis ſupra Concilia, & quo reuocabatur Decretum quoddam Conſtantienſis, in Seſſione quinta editum ante Pontificis electionem, & ab eo poſteà neutiquam confirmatum; quo Decreto videtur oppoſitum ſanciri: atque in hoc poſteà nititur, quæ Seſſione trigeſimâ nonâ ſtatuuntur, vbi reuerà de tranſlatione non agitur; ſed obſtringitur Pontifex ad conuocandum Concilium in loco, quem proximè præteritum Concilium deſignaſſet, & non alibi, niſi manifeſtæ neceſſitatis causâ à duabus tertiis Cardinalium partibus comprobatâ: ita tamen, vt ſi hoc acciderit, illud congreget in alio loco eiuſdem nationis, ad quam locus iam

iam præſcriptus ſpectabat, niſi eadem neceſſitas id prohiberet. Verùm non exigit ea Synodus duarum tertiarum partium ſuffragia, ad migrationem ex neceſſitate aliò habendam; quin paulò pòſt ad cauenda ſchiſmata videtur diſertis verbis id in poteſtate maioris partis collocare. Vtcumque res habeat, expeditiùs reſpondit Thomas Campeggius Feltrienſis Epiſcopus, Concilia alterum alterius legibus haud obligari, adeoque id quod in Conſtantienſi ſtabilitum fuit, poſſe in Tridentino maiori ſententiarum numero deleri. Quamquam hæc omnia reſponſa ſuperuacanea euaſere, cùm ſupra duas tertias partes ſuffragia tranſlationi conſenſiſſent. 1547.

6 Thomas Caſelius Epiſcopus Britonorienſis, vt morbi probationem è tot Patrum diſceſſu deductam confirmaret, obſeruauit, id neque tædio domicilij, neque animi relaxationi tribui poſſe; proptereà quòd illorum aliqui viri, ſtudio litterarum laborique addictiſſimi, cuiuſmodi erant Bituntinus & Motulanus, numquam per aliam occaſionem inde pedem extulerant.

Philippus Archintus, Salutiarum Antiſtes, ac Romæ Pontificis Vicarius, Turritani reſponſionem confutauit, opinantis, præpoſſe minorem numerum, ſi meliorem cauſam promoueat: nam, aiebat ille, non agi tunc de relinquendo Tridento hilaritatis aut commodi gratiâ, adeoque cautiorem partem potiorem etiam exiſtimandam.

7 Omittendam haud putauerim Marci Vigerij Senogallienſis Epiſcopi ſententiam, tum ne hominis pietas meritâ laude fraudetur, tum vt appareat, quantum à vero aberrauerit Suauis, dum inter aduerſantes tranſlationi illum connumerat, eaque de cauſa ceu ingratum Pontifici à Montano caſtigatum affirmat. Quod ſatis patet, an potuerit à Montano committi, qui in ea tota cauſa & numquam Pontificis vtilitatem intermiſcuit, & ſemper propenſum animum præ ſe tulit ad maioris partis ſententiæ obſecundandum. Itaque Vigerij ſententia fuit huiuſmodi: Videri ſibi, Synodum tranſportandam, proptereà quòd neceſſarium id putabat: ſed ad conciliandos contradicentium animos, atque ad conſilij ſocietatem adducendos, ſatius ducere, ita Tridento Patres decedere, vt ſimul iureiurando ſe obſtringerent, eòdem redituros, vbi Romano Pontifici, atque ipſi Synodo in rem Chriſtianæ Reipublicæ id videretur: quod ſi ſatis non eſſet ad ſchiſmatis periculum euitandum, Tridenti potiùs mortem oppetendam, quàm cum vitæ incolumitate vnitatem Eccleſiæ in diſcrimen adducere. Senſa planè digna viro, qui Apoſtolorum dignitate ſucceſſor, eorumdem charitatem imitari vellet. Verumtamen vnitatis ſeruandæ poteſtas non in ſingulis, ſed

in

1547. in omnibus inerat; ſuffragium verò à ſingulis proferendum erat, poſitis diſcordibus ſententiis, quas in cunctis reliquis inueniebat.

Nec longè à Vigerio receſſit Balthaſar Limpus, Carmelita, Por- 8
tuenſis in Luſitania Epiſcopus, qui cùm anteà varius fuiſſet in congreſſibus, profeſſus tunc eſt, ſe paratum ad vtrumque conſilium, dummodò res concorditer procederet.

Agathenſis Epiſcopus Gallus, nondum quidquam certi apud ſe ſtatuiſſe affirmauit. Cumque hominem vrgeret Pacecus, nè perſiſteret in ancipiti, cupidus fortaſſe in illius ſuffragio nationis integræ auctoritatem ſibi adiungendi, Auditor Apoſtolicæ Cameræ oppoſuit, cuique fas eſſe veterem formulam vſurpare, *Non liquet*.

Poſtquam ſinguli protulere ſententias rationibus conueſtitas, 9
iuſſus eſt Maſſarellus ſuffragia colligere, vt eorum numerus haberi poſſet. Ex quinquaginta ſex Patribus, qui tunc aderant, triginta octo tranſlationem ſine exceptione comprobarunt, quatuordecim noluerunt, iique omnes, præter Fæſulanum, Cæſari addicti: duo dubitanter, duo per conditionem locuti ſunt. Verùm præter triginta octo, quibus migratio probabatur, nonnulli ex refragantibus affirmarunt, ſe illi conſenſuros, vbi voluntas Pontificis acceſſiſſet.

Hoc in numero Legatorum ſuffragia non erant, qui ſententiam 10
nondum dixerant. Id Pacecus ex arte geſtum interpretatus, vt periculum vtrimque imminens ſubterfugerent, & adductus in ſpem rei perturbandæ, vbi Præſides ad apertam ſuffragationem adigeret, ab iis petiit, vt ipſi pariter, quippe Senatus Principes, ſuam ſententiam promerent. Reſpondit Montanus, ſe morem illi geſturos, ſed aliquid eſſe ſibi quod præmittendum putarent. Id erat: Eorum pleroſque qui tranſlationi repugnabant, cauſatos fuiſſe peculiaris facultatis defectum, vtpote ad rem peragendam, quæ ad Romani ſolùm Pontificis ius pertinebat; multos tamen pronuntiaſſe, ſe conſenſuros, ſi hæc facultas adeſſet. Iam verò, quò ſpecies omnis ad non parendum Decreto prorſus amoueretur, cunctique cognoſcerent, quàm ſolerter ipſe cum còllega ſtuduiſſet, vt Concilij libertas integra præſtaretur, intelligerent Patres, huiuſcemodi facultatem minimè deſiderari, ſed eam à Pontifice ſibi legationis initio impertitam, quà rebus omnibus, quæ poſſent accidere, conſultum foret: verùm hactenus à ſe conſulto reconditam, ne Patres ſententiam ſe rogatos putarent de re non ipſorum, ſed Præſidum poteſtati commiſſa. Proinde ſi liberet, Diploma recitaretur. Quod illicò recitatum eſt; planeque inde conſtitit, quò meliùs, ſi quid accidiſſet, conſeruationi commodiſque Concilij proſpiceretur, tribus Legatis,

gatis, aut etiam duobus, vbi tertius abeſſet vel impediretur, auctoritatem tribui illius quocumque opportunum ducerent deportandi. Ea res lætitiæ pluribus fuit, quod ipſorum & promouebantur vota, & cohoneſtabantur ſenſa: nonnullis ad recipiendam animi tranquillitatem plurimum valuit, ſublatis vtrimque nutantibus rationum momentis, vnde incerti animi eò vſque pependerant: aliis perturbationem attulit, ſerò intelligentibus, quàm intutum ſit iis armis obtegi, quibus ab alio repente nudari poſſint: omnibus autem admirationis non modicæ fuit, quo pacto Legati inter diſputationum æſtus huiuſmodi clypeum validiſſimo aduerſariorum telo numquam oppoſuiſſent. Decretum igitur confectum eſt, & die poſtero parata profectio Bononienſis: quæ quidem vrbs in tam dubia fluctuum agitatione à quibuſdam tamquam ſecuritatis portus expetebatur, à quibuſdam tamquam naufragij ſcopulus exhorrebatur. 1547.

CAPVT XVI.

Suauis in narratione falſitas, in ratiocinatione vitia.

1 ANtequam progrediamur, par eſt hîc paululùm in Suauis erratis, prauiſque animaduerſionibus ſubſiſtere. Quod ſpectat ad errores; narrat is, facultatem aliò deducendæ Synodi à Pontifice Legatis traditam, in primo cœtu nono die Martij recitatam fuiſſe, ac poſteà quæ diximus diſſidia ſubſecuta. Et tamen conſtat ex Actis, nonniſi vndecimo in ipſa Seſſione, & poſt dictas ſententias & collecta ſuffragia patefactam. Inter Patres profectionem âuerſatos numerat Marcum Vigerium Senogallienſem, & Claudium à Guiſche Mirapicenſem Epiſcopum: ſed in hoc pariter àb Actis reuincitur; præterquam quòd Claudius tunc non Mirapicenſis, ſed [a] Agathenſis Antiſtes erat. Affirmat, inter eos qui tranſlationem laudabant, nullum ex Cæſari ſubditis fuiſſe, niſi Michaëlem Sarracenum Materanum Archiepiſcopum; cùm tamen præterea fuerint ex Mediolanenſibus Catalanus Triuultius Antiſtes Placentiæ, Hieronymus Vida Albæ, Ludouicus Simonetta Piſauri, Philippus Archintus Salutiarum; & ex Neapolitano regno Thomas Caſelius Britonorienſis Epiſcopus, & Hieronymus Seripandus ſummus Auguſtinianæ familiæ Moderator: quod ſi Cæſari ſubditum appellat non eum qui ſuorum natalium, ſed poſſeſſæ Diœceſis ratione Cæſari ſubiectus erat, conſenſere ex his Antiſtes Miletanus, Iſernienſis, Minoritanus Aliphanus, & Bellocaſtrenſis.

[a] Mirapicenſis fuit deſignatus [illegible]. Auguſti, vt ex Actis Conſiſtorialibus.

1547. Scribit: Tametſi Diploma videretur obſignatum 22. Februarij 2
anni 1545. à multis tamen recentius creditum, & per eam occaſio-
nem miſſum, argumento ad id credendum deſumpto à facultate
ibi conceſſa; vt nempe duobus Legatis liceret rem exequi, ſi fortè
tertius præpediretur aut abeſſet, idque planè tunc accidit, nimi-
rum abſente Polo. Etenim *Videbatur*, inquit, *ſi Diploma die ipſi appoſi-
to fuiſſet ſignatum, quamdam vaticinij ſpeciem id fuiſſe.* Et paulò poſt,
hoc ipſum quod obiecerat nequaquam diſſoluens, adiicit, *Se nihilo-
minùs ex ſuis notis conſicere, Diploma per eam occaſionem haud confectum,
ſed ante biennium; miſſum verò ad Legatos non ſtatim ac ſignatum eſt, ſed
ſolùm decimo octauo menſe antequam id euenerit, hoc eſt Auguſto menſe
anni* 1545. Enimuerò hic homo æquè peccat differendo, ac menti-
tur narrando. Quod ſpectat ad primum: Num fortè Diuino af-
flatu erit opus, vt in mentem veniat, poſſe ex tribus hominibus
vnum aut abeſſe, aut impediri? Cuinam compertum non eſt, quo-
tidiano vſu conſuli huiuſcemodi caſibus, & in Principum iuſſis, &
in priuatorum mandatis? ac inſuper Suauem non animaduer-
tiſſe, ſeu quicumque fuerint qui huiuſmodi ſuſpicionem inuexere,
in Diplomate generali demandatæ legationis, eadem die quâ pari-
ter hoc Diploma ſubſcripto, & in ſecunda Seſſione promulgato,
cui tres ipſi Legati interfuere, eâdem formulâ huic euento fuiſſe
conſultum? Quin reticere non libet: Cùm ſubiiſſet cogitatio,
fieri poſſe vt bini ex Legatis eodem tempore impedimento aliquo
tenerentur, paucos intra dies aliud illis Diploma traditum,[b] à quo
facultates omnes ſuperioribus litteris Apoſtolicis contentas vni
etiam ſoli conferebantur, vbi ſolus ille non impeditus intereſſet.
Suſpicor tamen, hoc poſtremum Diploma vnicè arcaneque concre-
ditum fuiſſe Ceruino, cui Paulus maximè fidebat; nam ex pluri-
bus epiſtolis coniicio, ignoratum id Montano fuiſſe. Et ſanè Di-
ploma conceſſæ poteſtatis Synodi transferendæ ſimulare non po-
tuit diem, qui verum ſuum natalem præcederet, cùm inſcribatur
formula, *De conſilio & conſenſu Cardinalium:* adeoque, ſi licuiſſet
aliquibus ex Purpuratis teſtificari, illud in Senatu à Pontifice id
temporis minimè propoſitum, Diplomatis certè fides ſimul & au-
ctoritas fuiſſent in dubium reuocatæ.

Rurſus verum quidem eſt, menſe Auguſto veniſſe ad Legatos Di- 3
ploma cum poteſtate Synodi aliò deportandæ; ſed non hoc de quo
loquimur Diploma; nec eo menſe Auguſto quem refert Suauis,
nimirum anni 1545. ſed Kalendis Auguſti anni 1546.[c] per occa-
ſionem, quam ſuo loco memorauimus, quòd Patres belli formidine
diſceſ-

[b] 6. Martij 1545.

[c] In Commentariis mihi communicatis à Sereniſſimo Principe Etruriæ Leopoldo: habeturque mentio in adductis litteris Sfortiæ Cardinalis ad Legatos, 4. Auguſti 1546. & in eorum reſponſis, 9. Auguſti.

diſceſſum meditabantur. Hoc verò Diploma tametſi eam exponeret quam diximus Concilij transferendi cauſam, periculum videlicet diſceſſus ob belli metum; quamcumque tamen aliam cauſam generatim complectebatur, quæ idonea cenſeretur; ſed in reliquum minùs latè patebat, quàm primum illud quo vſi fuere. Cùm enim hoc poſterius miſiſſet Pontifex, non quemadmodum ſuperius, cum exceptione, ne illo extra neceſſitatem & repentina diſcrimina vterentur, ſed eâ gratiâ, vt confeſtim in opus illud deducerent, eas appoſuit conditiones, quas ad ipſum exequendum exigebat; nimirum, vt ex Legatis duo ſaltem conſentirent tertio deficiente, & cum ipſis maior Epiſcoporum numerus: nolebat ſiquidem Pontifex, vt eâ occaſione antiquius Diploma, quod latius erat, vulgaretur. Verùm huiuſmodi Diplomate, quo tempore acceptum fuit, Præſides ob allatas ibi rationes vſi non ſunt: at verò in præſentia non quidem illud, ſed alterum antiquius produxerunt, eo quòd illud recentius videbatur conſcriptum potiſſimè ob militare periculum, quod iam euanuerat: quapropter vt omnem controuerſiam amputarent, oſtenderentque rationem habitam communis ſententiæ, à voluntatis obſequio, non à vi neceſſitatis profectam, alterum magis amplum & abſolutum protulere. 1547.

4 Narrationis diſputationiſque prauitati reſpondet in Suaui iudicij peruerſio. Confidenter hic pronuntiat: *Illud celari non poterat, & omnibus offenſioni erat, quòd ex eo Diplomate Concilij ſeruitus apertè conſpiceretur. Etenim ſi Legatis licebat diſceſſum Tridento cunctis ſimul Patribus imperare, eoſq. pœnarum cenſurarumq. denuntiatione compeſcere, dicat, quæſo,* inquit, *quicumque ſciat, aut poſſit, quænam erat illa libertas quâ fruebantur?* Noſſe peruelim (id quod pariter aliàs diſtinxi) an ij quoſdam vehementer offenſos narrat Suauis, nomine libertatis intellexerint ſupremum dominatum nulli prorſus obnoxium, quo pacto polyarchia quædam appellatur libera; an potiùs electionem nullâ vi coactam, nec vllo impedimento coërcitam, quâ ratione priuatorum ciuium acta libera nuncupantur. Si ſupremum dominatum intellexere, næ iſtis expectandum non fuerat hoc tempus, vt in eam offenſionem inciderent. Nónne paſſim conſtabat, haberi Romæ pro errore, communique Theologorum ac Iuris Canonici peritorum ſententiâ damnari opinionem, affirmantium Concilium Romano Pontifici haud ſubiacere, non poſſe ab illo conuocari, transferri, ac diſſolui pro ſua prudentia, vt qui nullum in eo iudicem præter Deum agnoſcit? De hac autem abſoluta iuriſdictione Pontificis, tamquam Eccleſiæ gubernandæ neceſſariâ, ſæpiùs

L 2

1547. piùs abundè diſſeruimus. Neque Concilij Patres id in controuerſiam adduxerunt, nec ſibi arrogarunt, aut petierunt huiuſmodi ſchiſmaticam libertatem: quin Hiſpani, qui audentiores videbantur, ſæpiùs conteſtati ſunt, ſe vitam profuſuros ad tuendam ſupremam Sedis Apoſtolicæ auctoritatem: quòd ſi quando res geſtas improbarent, numquam poteſtatem denegarunt. Profectò niſi hæc Patribus inſediſſet exiſtimatio, cùm Pontifex neque militarem neque ciuilem poteſtatem Tridenti obtineret, potuiſſent impunè repugnare; & quodcumque Diplomatis aut cenſuræ vinculum à non legitimo Præſide iniectum, impar illis continendis fuiſſet. Conceſsâ igitur hac Pontifici ſupra Concilium poteſtate; ac proinde nec cuiquam inferatur offenſio, nec debita Synodo libertas lædatur, quòd cùm ipſe præſens adeſt, eidem liceat illud cogere, vt aliò ſe conferat; haud pariter credendum erit offenſioni obnoxium, nec libertati, quâ Concilia frui debent, oppoſitum, ſi quando Pontifex ipſe non adeſt, ſed ſuo loco Legatos ſubrogat, hanc vnà cum reliquis facultatem illis tribuat, vtpote repentinis caſibus neceſſariam. Quemadmodum recta gubernandi ratio poſtulat, vt Rex quilibet ampliſſimam facultatem ſuis Proregibus impertiat, & quilibet Princeps ſuis adminiſtris, quos ex plenâ poteſtate *Plenipotentiarios* vocant, citra vllam per hoc ſubditorum offenſionem, vnde ſeruitutem ſuam quodammodò conquerantur. Quòd ſi nomine libertatis iſtius ſonat, quod ſecundo loco poſuimus, ei ſcilicet, qui Principi ſubiectus eſt, eiuſque imperio cogi poteſt, reipsâ ex Principis permiſſu licere pro ſua libera electione agere; tam abſurdè affirmatur ex eo, tamquam ex violatione libertatis, poſſe quemquam offendi, vt ibi potiùs conſpicua & illibata libertas appareat. Præſides cùm in membranis tam amplam auctoritatem obtinerent, tam coarctatam in communi charta obtinebant, vt inter tot externi belli diſcrimina, tot inteſtina diſſidia, tot grauiſſima Eccleſiæ pericula, numquam ipſis licuerit eâ vti, niſi frequentioris partis ſuffragia conſenſiſſent: quod reuerà ſignificabat, auctoritatem obtineri ad obtemperandum, non ad imperandum Concilio. Atque iiſdem inter extremæ neceſſitatis anguſtias ne liceret quidem eam in medium proferre ad hoc emolumentum conſequendum, ne videlicet dum poteſtas lateret, voluntas langueſceret: ſed oportuit, vt quid Patres ſentirent, priùs opperirentur: poſt quorum ſententiam promulgatio ſibi traditæ poteſtatis non valuit ad oſtendendam ſeruilem Synodi conditionem, quin valuit ad non ſeruilem: ſimulque demonſtrauit, id à Pontifice concedi, quod ex oppugnatorum ſententia ſtatuere Synodo non licebat

cebat Pontificis iniuſſu, ne inde paucorum repugnantia pleroſque 1547.
aduerſus quàm & ſentirent & vellent, in peſtilentiæ carnificina conſtringeret. Si omnes qui imperant, poteſtate quâ ſubditis imperant, per æquitatem circumſpectionemque vterentur, nihil ſanè dubitandum eſſet, quin regium imperium, quod ſuâpte naturâ vt filios, non vt mancipia ſubditos habet, liberorum regimen foret, quâ planè voce filios in familiis Latini præ ſeruis appellant. Tunc Reipublicæ adminiſtratio optima eſt, cùm in eo qui præeſt, auctoritas coërcendi maxima, ipſius vſus minimus eſt.

CAPVT XVII.

Legatorum, multorumque Patrum Bononiam acceſſus. Aulæ Romanæ, ac Pontificis de tranſlatione iudicium. Animaduerſiones & conſilia à Legatis ſcripta.

1 TRidento Legati diſceſſere die duodecimâ Martij, S. Gregorio ſacrâ, quâ planè biennium [a] ab eorum aduentu explebatur. Bononiam aduenere tardiùs citiúſve quotquot ſententiâ conuenerant: ac Tridenti pariter ſubſtitere, qui vt ſubſiſteretur auctores fuerant, præter Fæſulanum; [b] qui cauſatus apud Montanum inopiam itineri imparem, tacitè ſe comitem ipſis obtulit. Verùm aſperiùs vehementiuſque quàm par erat hominem Legatus excepit, eum acturum conſultiùs, ſi Bononiam pergeret, priorem contumaciam purgaturus: quo ille perterritus, aliquamdiu cum Cæſarianis ibi ſubſtitit, vt aliquo patrocinio niteretur: interim à Polo ac Rodulfo Cardinalibus amicis ope imploratâ, effectum per eos eſt, vt [c] datis humaniter litteris, à Farneſio Bononiam inuitaretur; quibus ille confirmatus eò perrexit.

2 Agathenſis ac Portuenſis vt medium in dicenda ſententia, perinde in reipſâ tenuerunt. Alter, qui ſtatim Rege nominante Agathenſem Eccleſiam in Mirapicenſem commutauit, Tridento abiit, nec Bononiam petiit, ſed Ferrariam, mandata præſtolaturus eiuſdem Regis: quo per eos dies vitâ functo, eiuſque ſecundo filio Henrico, qui Patri ſucceſſerat, harum rerum nondum conſcio, Epiſcopus non ante menſem Septembrem vnà cum Gallicis Oratoribus adire Bononiam iuſſus eſt. Eodem tempore [d] Portuenſis acceſſit, qui initio precibus Hiſpanorum victus Tridenti permanſerat; ſed mox duobus è familia ſua Tridentino morbo correptis, & ex his altero intra triduum ſublato, fugam potiùs arripuit, quàm diſceſſit: ita conſilium, de quo verbo dubitauerat, facto comprobauit.

[a] Aduenere Tridentum 13. Martij 1545. ex Diario.

[b] Colligitur ex Epiſt. ad Ceruinum, ab eius adminiſtro Romæ. 26. Martij 1547.

[c] 26. Iulij, ex Diario.

[d] Ex Apologia Epiſcopi Feltrienſis pro tranſlatione, quæ extat in Volum. Actorum in Arce Romana, ſignato lit. A. in fine.

1547.

Intereà delati Romam nuntij, quò minùs opinati eo fecundiores ſermonum in ea vrbe, in qua cùm omnes capaces ſupremi principatus ſint, omnes ſaltem de ipſo ferre ſententiam amant. Aulici [e] mediocris notæ, quando mediocritas tum oculorum tum mentium ſuſpicionis vmbris perſtringitur, Deo grates agere, & Legatos celebrare, quòd Apoſtolicam Sedem iis damnis exemiſſent, quæ multorum Epiſcoporum arrogantia moliebatur, commorantium in ditione illius profani Principis, qui ſupra ceteros cum iuriſdictione Pontificia pro veteri æmulatione contendit. E contrario Hiſpani indignati, quòd inuitis ſuæ gentis Epiſcopis, ſuoque Rege plane inſcio, id ſimul & ſtatutum fuerat & peractum: accuſare Ceruinum, quem omnium auctorem exiſtimabant; nihil ab eo fieri potuiſſe ſeu pernicioſius Pontifici, cuius ingens ſtudium oſtentabat, ſeu Cæſari conducibilius: etenim cùm Pontifex eam incuriam erga Cæſarem præ ſe ferret, eum pariter à cura tuendæ Pontificiæ auctoritatis liberauerat, adeoque iam integrum Carolo erat cum Proteſtantibus concordiam inire, eas ſolùm conditiones complexuro, quæ ſuam potentiam proueherent. 3

[e] Ex amicis litteris Romã ad Ceruinum, 19. & 26. Martij 1547.

Pontifex vbi primum de ſuborta lue ex Legatis cognouerat, iniunxerat Romano cœtui, ad negotia Concilij à ſe deſtinato, vt hac de re deliberaret. [f] Hic verò ex plurium ſententia cenſuerat conſilium dandum eſſe Pontifici, vt Legatorum iudicio obſecundaret; nimirum, vbi morbus diſcrimenque perduraret, & Patres profectionem vellent, Synodus Bononiam deduceretur: ſed poſtridie de iis quæ Tridenti geſta erant, certior factus Pontifex, quod à Romano cœtu ſtatutum fuerat occultauit, ne tum ipſe, tum ipſius Conſiliarij non modò rei geſtæ, ſed ne voluntatis quidem ſententiæque participes Cæſarianis viderentur. De quo arcanis notis à fratre Montanus fuit admonitus. Verumtamen noluit Paulus ſuorum Legatorum aut exiſtimationem aut nomen minuere, facti comprobatione in Aulæ conſpectu dubitationi relictâ: quin in Purpuratorum Senatu [g] ſanctionem commendauit ceu neceſſariam, prudentem atque legitimam. His vniuerſus Senatus aſſenſus eſt, tribus exceptis, qui fuerunt ex Hiſpanis Burgenſis & Corienſis, ex Italis verò Sadoletus, apponentes, oportuiſſe rem priùs cum Cæſare communicari. Tum commotior reſpondit Pontifex, rem ritè peractam, nec opus fuiſſe quidquam amplius expectari, duos ipſos annos Germanis fruſtrà expectatis. Cumque Corienſis neſcio quid obieciſſet, eum Pontifex admonuit, eius Ordinis viros ab humanis affectionibus purgatiores eſſe debere. Hæc publicè Paulus, ſatis gnarus, ſi Legati 4

[f] In Diario Maſſarelli, 27. Martij 1547.

[g] 24. Martij 1547. ex litteris amicis ad Legatos, & ex Diario Maſſarelli, 27. Martij.

Legati tam potentis aduerſarij accuſationibus indignationique ex-poſiti à ſe desererentur, numquam ſibi ampliùs ex ſuis adminiſtris fidem conſtantiamque repoſcendam. 1547.

5 Sed animo non æquè ac vultu res illi probata, turbas proſpicienti ex eo motu futuras. Quare quietis auidus, in quam conſilio, ingenio, multoque magis ætate decrepitâ ferebatur, nec plenam ex euentu lætitiam cœpit, nec planè Legatis aſſenſus eſt, [h] qui ſine ſuo peculiari mandato, potiùs veteri ipſorum voto, quàm ſuis moderatioribus ſenſis obſequi voluiſſent. Hinc per Maffeium ipſis ſignificauit, eam migrationem duos intra menſes ſibi futuram fuiſſe gratiorem, per duas interim Seſſiones reliquis neceſſariis ad Fidei dogmata morumque reſtitutionem ſanctionibus confectis; tum verò non modò transferri, ſed abſolui Synodum potuiſſe: neque videri ſibi, ex præſenti Concilij ſtatu adeò feſtinandum fuiſſe, cùm in duabus poſtremis Seſſionibus omnia ex Apoſtolicæ Sedis reuerentia ac dignitate digeſta ac ſtabilita cernerentur. Ipſis etiam querimoniæ Giennenſis indicatæ ſunt, qui ſuis litteris affirmatæ luis falſitatem perſuadere ſtuduerat, & Cæſaris poſtulata efficaciter obtrudere, vt confeſtim Synodus Tridentum reuocaretur.

[h] Ex litteris memoratis ad Cervinum, & ex reſponſione ad Maſſeium, 26. Martij 1547.

6 Ad hæc Ceruinus: [i] Se quoque præoptaſſe, vt tranſlationis occaſio in tempus opportunius incidiſſet, hoc eſt, ſubſidiis indigentiæ rerum per Synodum plenè collatis; ſed res fortuitas pro ſua voluntate componere, ſolius eſſe Diuinæ potentiæ: elicere quod poſſit optimum ex iis quæ caſu accidunt, humanæ prudentiæ partes eſſe: ad ferendum ea de re ac etiam de ceteris iudicium, æquam legem non habendam, vt mala & incommoda inde dumtaxat profecta perpendantur. Sed vt res cum oppoſita ſibi re conferatur, obuerſetur cuiuſuis animo, quò tandem Sedes Apoſtolica deueniſſet, vbi Legati Synodo Tridenti intereſſent, ex iis tantùm conflata capitibus, quæ mortis metum, ſimulque Decreta ab vniuerſo Concilio ſolemniter promulgata Cæſaris gratiæ poſthabebant; & vbi ab ipſis penderent legum omnium ſanctio, & cuiuſcumque pro Concilio nouæ ſtationis electio, Legatis nil repugnare auſuris abſque nota ademptæ Concilio libertatis. Si ſuperiores Seſſiones proſperè proceſſerant, non idcircò ſecundo vento iter habitum, & ſine remigum arte. Quin detectum fuiſſe, nec in vno tantùm ex Patribus, ingenium turbulentum, procellas moturum, niſi maior frequentia illi obſtitiſſet. Verum quidem eſſe, Præſides diſerta Pontificis iuſſa minime præſtolatos: ſed neque militum Tribunos imperium Principis præſtolari, vbi cum longè maiore diſcrimine regnum vniuer-

[i] Ex duabus litteris ad Maffeium, 23. & 26. Martij 1547.

ſum

1547. ſum vnico prælio committitur. Si ſupra biduum cunctabatur, ſcribebat ille, nonniſi Cæſarianorum agmen Tridenti fuiſſe permanſurum. Cùm igitur Legatis diſerta lex adeſſe non poſſit, in mentem ipſis veniſſe Romani Iuriſconſulti documentum, cùm huiuſmodi lex non adeſt, normam ex regulis generalibus eſſe ſumendam, & ex legibus, quæ in ſimilibus rebus conſtitutæ iam ſunt. Numquam reuocata fuiſſe mandata ſibi vniuersè tradita deferendi aliam in ſedem Concilij ex plurium ſententia, vbi graue aliquod detrimentum impendere Sedi Apoſtolicæ animaduerterent: atque in ſimili ingruentis metus conditione, ob armorum propinquitatem, huiuſmodi peculiarem facultatem iuſſionemque fuiſſe Legatis à Pontifice tranſmiſſam. Hoc poſito, cuncta poſteà tam legitimè peracta, vt ne ipſi quidem Hiſpani quod opponerent quidquam haberent. Quæ Romam Giennenſis ſcripſerat ad eleuandam opinionem morbi, inania eſſe: præter legitima teſtimonia à ſeipſis producta, & à Patribus comprobata, rem in dies confirmari nouis multorum funeribus, & periculoſis eorum ægrotationibus, qui Concilij causâ Tridenti aderant, quorum ſyllabus in Ceruini litteris habebatur. Hinc verò effectum, vt Venetiis non Tridentum modò, ſed ager Tridentinus ob ſuſpicionem contagij vitanda promulgarentur. Quod ſpectabat ad medicos Tridentinos, poſſe à Legatis eorum iudicia de morbi contagione produci; ſed nolle tunc iis vti, ne cuiquam citra emolumenti publici neceſſitatem damnum inferrent. Factum igitur haud improbandum, atque id ſibi purgandis ſatis eſſe.

Sed neque pariter dolendum: quandoquidem Synodus, ſi vellet Pontifex, Bononiæ locabatur; vbi nollet, facile poſſe dilapſo 7
morbo Tridentum reduci; adeoque Cæſarem accepti à Paulo beneficij loco ducturum id, quod, niſi hoc eueniſſet, in pretio non fuiſſet. Quamquam de huiuſmodi reditu, quantum ipſe arbitrabatur, lentè agendum eſſet; perinde atque in rebus ceteris magni momenti, quas in noſtra poteſtate ſit agere, non item poſteà reuocare. Proinde vbi Pontifex eò propenderet, facturum pro ſua prudentia fuiſſe, ſi priùs Legatos, aut vnum ex iis coràm audiuiſſet. Multa paginæ concredenda non eſſe, multa calamo exprimi non poſſe. Interéà videri ſibi, neque cautius neque honeſtius poſſe Cæſari reſponſum reddi, quàm ſi ſignificaretur, Concilium, vti ſuâ ſponte Tridento diſceſſerat, ita par eſſe vt ſuâ ſponte regrederetur. Proinde Cæſar Antiſtites, qui ſubſtiterant, Bononiam mitteret, ibique reditum legitimè decernendum curaret; qui Patribus ſuaderi faciliùs poſſet iniectâ ſpe conciliandæ Germaniæ, vbi eadem priùs promulgatas à Con-

à Concilio Tridentino ſanctiones ipſius ope complecteretur: ita 1547. oſtenſum iri, incommoda loci, nauatæ operæ fructu compenſari. Hoc dato reſponſo & moræ beneficium adepturum Pontificem, & vbi conditiones acciperentur, duo ſummi pretij commoda conſecuturum; nimirum, vt Cæſariani Bononienſem, & Germani Tridentinam Synodum legitimas agnoſcerent. Addebat Ceruinus: Ad augendam Bononienſis Concilij dignitatem ac nomen, tria plurimum conductura: primum, ſi multorum Præſulum ipſi fieret acceſſio, quibus Cæſarianorum abſentia compenſaretur, Synodique maieſtas auctior foret: alterum, ſi Pontifex, modò id valetudo permitteret, Bononiam veniret, menſes aliquot ibi moraturus; cùm id interſit inter ſummum in terris luminum Principem, ac ſummum in Cælo, quòd hic minora lumina diſiicit, ille congregat; quod ſi per ſenium haud ipſi liceret, futurum tamen vſui, ſi per famæ rumorem id futurum vulgaretur. Poſtremum, ſi, cùm præcipua Fidei dogmata iam fuiſſent ſtatuta, de reliquis id temporis non ageretur, ceu de re Cæſari minùs grata; & vnicè daretur opera morum reparationi, vt ab eodem expetitæ; & Chriſtianis populis acceptiſſimæ; cùm faciliùs inducerentur homines ad comprobandum ceu legitimum tribunal illud, cuius ſanctionibus ceu ſalutaribus gaudent.

CAPVT XVIII.

Poſtulata Cæſaris, ac reſponſa Pontificis. Tres Legati pro rebus Anglicis lecti.

1 HÆc Ceruini conſilia in tempore accepit Pontifex; qui non ſolùm ea ſecutus eſt, miſſis ad Synodum pluribus Epiſcopis doctrinâ præſtantibus, ſuique futuri itineris famâ excitatâ, ſed etiam ex eiuſdem ſententia datis ad Cæſaris poſtulata reſponſis. [a] Etenim cùm delatæ Romam fuiſſent præferuidæ Caroli litteræ, vt Concilium priorem ad ſedem regrederetur, reſponſa differre ampliùs haud licebat. Rei peractæ nuntios acceperat Cæſar quatriduo pòſt, [b] decimo ſexto videlicet Martij; nec niſi quatuor horas cunctatus, velocem curſorem ad Ioannem Vegam ſuum Romæ Oratorem impulerat, vt omni conatu celerem Synodi reditum curaret; ratus tum dignitati ſuæ conuenientius, tum facilius regreſſui impetrando, ſi pateret, Tridenti rurſum Synodum conſpici per eos primos dies, cùm abiiſſe nondum videretur, nec Bononiæ nouam agere perſonam cœpiſſet, nec prætereà Pontifex auctoritate ſuâ

[a] Litteræ Maffei ad Ceruinum, 4. Maij 1547.

[b] Ex litteris ad Ceruinum memoratis, & ex Epiſt. Farneſij ad Verallum, 5. Aprilis 1547.

1547. rem confirmaſſet. Hæc tam feſtinata tabellarij miſſio impedimento fuit, ne per eumdem potuerit Nuntius litteras Romam mittere; adeoque pariter effecit, vt aliquanto tardiùs reſponſum redderet Pontifex, præſtolaturus dies aliquot clariorem de Caroli ſenſis notitiam ex ſui miniſtri calamo, quàm ex alieni voce. Peruenerant tamen [c] ad Legatos, quippe viciniores, Veralli litteræ viâ conſuetâ, quibus querelæ petitioneſque Cæſaris exponebantur: [d] nec ab illis dilata reſponſa, & vtrarumque litterarum exempla Romam tranſmiſſa. Intereà in Romanis conuentibus ad res Concilij deſtinatis tametſi variarent ſententiæ de rebus iam geſtis, conuenerunt tamen de agendis in poſterum. Moronus tranſlationem commendauit, eamque Dei potiùs quàm hominum opus prædicabat; cùm enim Legati recto ſtudio, probabili cauſâ, & ritu legitimo rem peregiſſent, opportunum non eſſe eam perpendere, ſed tueri. Quapropter cùm Vega, rogatus vt ſcripto traderet adductas à Cæſare cauſas pro reponendo Tridenti Concilio, illas nonniſi voce ſummatim exponeret, [e] remiſſo antequam reſponderetur ad Cæſarem tabellario; decretum eſt, vt alter ad Nuntium tabellarius mitteretur die quinto Aprilis, datis litteris in eam quam ſubiiciemus ſententiam, quibus ſtudebat & mentem Cæſari deuincire, & voluntatem mulcere. Addebatur, hæc fuiſſe à Vega propoſita: Diſplicuiſſe Cæſari Concilij migrationem, vtpote ſe inconſulto habitam, & non leui detrimento futuram expeditionis progreſſibus, Religioniſque concordiæ in Germania: Synodi ſecuritatem ad Cæſarem tamquam Eccleſiæ Patronum pertinere; hanc verò, dum ea Bononiæ degeret, à ſe præſtari non poſſe.

[c] Diarium Maſſarelli, 23. Martij.
[d] Ibidem 29. Martij.
[e] Totum extat in Epiſtola Farneſij ad Verallum, 5. Aprilis 1547.

Erat ad primum reſponſio: Peractum id pariter Pontifice inſcio: 2
euenta inopinata & vrgentia ita ferre: Paulum etiam ægrè tuliſſe, non abſolutam Tridenti Synodum, vbi eam adeò fructuosè progredi experiebatur, tum Fidei dogmatis, tum diſciplinæ legibus magna ex parte ſancitis. Quæ illata expeditioni incommoda tamquam certa ponebantur, haud eiuſmodi videri, ob cauſas à Legatis Verallo præſcriptas. Quod ſi Cæſar ea incommoda vera eſſe perſpiceret, ſperari, eum pro ſua prudentia æqui bonique conſulentem id quod Diuinâ voluntate contigerat, virtute ac ſtudio Religionis quâ pollebat, huiuſmodi damna reparaturum; præſertim verò ſubiecturum Eccleſiæ partem illam Germaniæ, quam Deus ipſi iam ſubiecerat. Offerre Pontificem & ſuo & Concilij nomine quidquid huic operi conduceret, & à Cæſare proponeretur. Cùm Synodus ſponte ſuâ Tridento diſceſſiſſet, & per ſuffragia ſupra duas tertias partes; ſi nunc

nunc inuita illic poneretur, perinde futurum fuiſſe, ac ſi ipſi auctoritas tum in rebus geſtis tum in agendis detraheretur, eademque eâ libertate ſpoliaretur, quam illi Pontifex illibatam ſeruauerat vel in iis quæ ſibi incommodum peperiſſent, ſuámque Aulam reformaſſent. Præterquam quod per eas temporis conditiones id nullo pacto effici poſſet, dum adhuc morbus graſſabatur, quo nuper alter ex Aſturienſis familia oppreſſus obierat, alter ex comitatu Portuenſis, qui propterea confeſtim inde diſceſſerat. Verumtamen vbi Synodus eò regredi pro ſua libertate decerneret, vel aliò commigrare, Pontificem conſenſurum, eoque libentiùs quòd id Cæſari gratum fore intelligebat. Sed ad hoc ipſum peragendum, opus in primis eſſe, vt ibi Synodus integra coaleſceret, vbi legitime tranſlata fuerat; eódemque Patres, qui Tridenti ſubſtiterant, ſe conferrent: ab his verò quà propoſitis à Cæſare rationibus, quà propriâ ipſorum auctoritate, fortaſſis vnà ſecum collegas pertractum iri; ſed reuerà, ſi ſincerè loquendum eſſet, demandatum illis fuiſſe, pro eo ac ferebatur, ne Tridento decederent, quod rationi haud conſentaneum videbatur; oſtendebatque, eos Patres, eamque vrbem libertate non frui. Bononiæ ſedem minimè reiiciendam ceu ſuſpectam, cùm inuſitatum non fuerit, ſæpiùs Romæ fuiſſe celebrata Concilia; & prætereà vrbs illa ditionibus Cæſari ſtudioſis vndique cingeretur, & prociuium humanitate plurimum ibi commodi expectandum eſſe. Quin vbi Cæſar id è Republica duceret, ſperari poſſe & ipſum & Pontificem eò conuenturos ad confirmanda quæ Synodus euertendæ hæreſi, & Eccleſiæ confirmandæ vtilia ſtatuiſſet. Quòd Cæſar affirmabat, ſui eſſe muneris tutari Concilium, intelligendum eſſe, vbi neceſſitas cogeret, Patreſque id exigerent; quod tunc minimè contingebat, præſertim cùm Paulus in medio ſemper perſtitiſſet, communis parentis munere conſtanter perfunctus, vnde nulli nationum de Pontifice ac Pontificiis vrbibus ſuſpicio ineſſe poterat. Cæſarem demum oraret Nuntius, vt fidem abrogaret maleuolentium ſuſurris, qui cuperent in dubium reuocare Pontificis beneuolentiam, tot publicis priuatiſque nexibus obſtrictam Cæſari; ſibique perſuaderet, ſi quando alicui Cæſaris poſtulato minus indulgeret Pontifex, id vel ex neceſſitate ob inopiam virium, vel ex Religione ob animi perſuaſionem, non ex voluntate ob amoris defectum oriri.

3 Sub idem tempus Legatus ad Cæſarem deſtinatur, cuius miſſio multò ante in Senatu Vaticano 25. Februarij decreta fuerat: [f] ſed ad rem aliam pertractandam, vt nimirum Angliæ reconciliatio poſt Hen-

[f] In Actis Conſiſtor. & in Epiſt. Maſſeii ad Ceruinum, 25 Februar. 1547.

1547.

1547. Henrici Octaui mortem quæreretur. Tres itaque ob eam cauſam deſignati: ad Carolum Franciſcus Cardinalis Sfondratus, illi ſubditus atque intimus: ad Regem Galliæ Hieronymus Cardinalis Capiteferreus, eidem páriter Regi gratioſus, apud quem Nuntium geſſerat: & in Angliam tertius, nominandus à Pontifice (qui in animo ſuo Polum ſtatuerat) pro eo ac illi regno opportunum animaduerteret. Incidêre poſtea Franciſci Regis obitus, & Concilij tranſlatio; cuius nec inſcius obiit Rex, nec 21. Martij, ſicut narrat Suauis; ſed incertus animi illam probaret nécne, & 31. illius menſis occubuit.[g] Quare perſtitit quidem de Legatis mittendis ſententia, ſed alia ipſis præſcripta ſunt. Iuſſus eſt primo loco Capiteferreus[h] Pontificis triſtitiam Regi ex patris obitu ſignificare, aſſumptam Regni Coronam gratulari, & ad pacem cum Cæſare ineundam eum cohortari; ſed acriùs conniti, vt illius animum nondum occupatum ſibi conciliaret. Iniunctum rurſus Sfondrato, vt adiret Germaniam, nomine quidem eamdem pacem cum Rege nouo Galliæ promoturus, ſed reipsâ potiùs concordiam cum Pontifice in rebus Concilij curaturus. Ne tamen Legati dignitas minùs honeſtæ repulſæ obiiceretur, dum Cæſaris ira feruebat, iuſſus eſt lento gradu procedere.[i] Interim verò peculiaris epiſtola ſuper ea re ad Nuntium miſſa, adiectis mandatis, vt eam Carolo legeret, & ab eius reſponſis eliceret, an eſſet admiſſurus Legatum: cùm in comperto ſit, quodcumque medicamentum, quamuis per ſe conducibile, vbi reiiciatur à ſtomacho, non ægro mederi, ſed morbum exaſperare.

g Vide Spondanum anno 1547.

h Mandata ſcripta in volumine Vaticani Tabularij.

i Profectus eſt 6. Aprilis: ex epiſtola eo die ſcripta ab amico Ceruini.

CAPVT XIX.

Indignatio Cæſaris ob repulſam, eiuſque iratius cum Verallo Nuntio colloquium.

VLmæ degebat Nuntius[a] apud Cæſarem, cùm hæc mandata 1
Pontificis ipſi delata: quare illum confeſtim adiit, coramque priorem epiſtolam recitauir. Gliſcebat in dies grauior indignatio Caroli ob Concilij tranſlationem, quod à nonnullis etiam Madruccio imputabatur, qui poſt Patrum diſceſſum, ſeu vocatus ſeu ſponte ſuâ, diſpoſitis mutatiſque equis curſoribus ad Cæſaream Aulam conuolarat; atque, prout hominum iudicia in peius feruntur, & vnuſquiſque creditur ad ea ſumma aſpirare quæ aſſequi poſſit, non defuit qui ſuſpicaretur, permoleſtam illi accidiſſe Synodi migrationem, quòd futurum ſperaret, vt ſi Sedes vacaſſet,

a Extant omnia in epiſtola Veralli ad Farneſium, 14. Aprilis 1547. quæ eſt in volumine Archiuij Vaticani.

ſet, electio Pontificis in vrbe ſua, adeoque ſuo in capite haberetur. 1547.
Vtcumque id fuerit (nam ſapiens illa Philoſophi obſeruatio, Falſa eſſe interdum probabiliora veris, parum in iudiciis popularibus adhibetur) vbi non ſubſequuntur mala, nec eorum pericula præceſſiſſe putantur; ſed timor aut ex ſimulatione aut ex ſocordia natus creditur: quemadmodum è conuerſo, vbi mala ſequuntur, fiducia aut ex cæcitate aut ex temeritate profecta. Cùm itaque innoteſceret Cæſari, quàm cupidè Pontifex ac Legati tranſlationem appetiuiſſent, cumque eam poſteà peractam cerneret, obtênto ab illis periculo quod paulatim defluxit, & innocentem exitum tandem habuit; mirum non eſt, quòd primò quidem ſuſpicaretur, deinceps verò crederet quaſi periculum pictum; eoque magis, quòd rem ille procul aſpiceret, vnde verum a ſimulato ægrè diſcernitur.

2 Duo Caroli animum altè feriebant: alterum, quòd intelligeret, Germanos ſpecioſo prætextu eam Synodum reiecturos, vt quæ alibi quàm in loco per ipſorum Comitia conſtituto celebraretur; ac proinde à concepta ſpe decidebat redigendæ Germaniæ ad Religionis concordiam, adeoque ad pacis Imperiique vnitatem. Quamquam poſteà ſatis conſtitit, hanc ſpem habuiſſe plus frondium quàm radicum; cùm in comperto fuerit, nec Proteſtantes, tametſi ſubactos, voluiſſe vmquam præteritis Tridentinis Decretis obtemperare, neque poſteaquam Synodus Tridentum repetiit, animum induxiſſe ad eam ſuſcipiendam & adeundam. Alterum erat, obiecta quædam ſpecies ſui contemptus. Etenim cùm anteà tot annos Concilij celebratio prorogata fuiſſet, vt de loco qui Cæſari probaretur conueniret, nunc repentè aſportatum inde fuerat, & in ſede, cui numquam ille conſenſerat, collocatum, idque ne ipſo quidem conſcio, & in ſuo penè conſpectu. Enimuerò Principes vti reuerà priuatos nonniſi veneratione præcellunt, ita eius detrimenta, quaſi principatus rapinas, ægrè ferunt.

3 Ad primum itaque litterarum tenorem, quas Nuntius recitare cœperat, Carolus illius linguæ peritus quâ Principes vtuntur, intellexit, tandem ad vrbanam repulſam negotium deuenturum, quâ ſimul à ſe iniqua peti reuerenter oſtenderetur. Hinc irâ correptus, vix audito procemio interpellauit: Se non arbitrari tranſlationem ignaro Pontifice tranſactam; numquam hunc voluiſſe vt Tridenti Synodus abſolueretur, ſeque non verbis credere, ſed ſolùm factis, quæ voce numquam fallente loquuntur. Tum verò quia exiſtimabat Ceruinum, qui vulgò Cardinalis ſanctæ Crucis appellabatur, illius machinæ architectum, in voces quò ieiuniores, eò feruentiores

1547. uentiores minacioreſque prorupit; nimirum, Cardinalis S.Crucis rem confecit. Cumque ſubiiceret Verallus, neceſſarium id fuiſſe, ne Synodus diſſolueretur, ſatiuſque eſſe eam Bononiæ, quàm nuſquam haberi; defenſionem reiecit, dicens, Se probè noſſe, falſam rei cauſam adduci. Sed vrgente ipſum Nuntio, quà teſtibus quà multò magis exemplo Patrum Tridento diffluentium, nec habuit Cæſar quod opponeret, nec voluit aſſentiri; & ſiluit, non acquieuit.

Dein, cùm recitaretur ex litteris, par non eſſe Pontifici, vt quæ 4
Synodus ſtatuerat, ipſe abrogaret, ſubdidit: Pontificem agere pro ſuo arbitratu, cùm ipſi libebat; iis verò, qui Tridentino Concilio obedientiam iam ſpoponderant, iuſtam adeſſe cauſam, ne Bononienſi obtemperarent. Et per indignationis æſtum ad hæc verba progreſſus eſt: *Synodus non deerit, quæ cunctis ſatisfaciat, & omnia corrigat: Pontifex ſenex eſt peruicax, & vult Eccleſiam perdere.* Hìc Nuntius ſuas eſſe partes duxit rogare Cæſarem, vt animo reputaret, non poſſe peruicacem dici Pontificem, qui toties & in tot rebus grauiſſimis Cæſari gratificatus fuerat, eumdemque, quòd ſenex eſſet, futura proſpicere, ac nolle permittere vt ſe viuente Eccleſia peſſum iret. Nihil tamen acriùs commouit Cæſarem, quàm Veralli argumentatio, vrgentis, Epiſcopos Bononiam profectos, eò ſuâ ſponte perrexiſſe; at qui Tridenti ſubſtiterant, nonniſi Cæſaris imperio ibi retineri; idcircò hos, non illos libertate carere. Tunc more ſummorum Principum, qui dum conuincuntur, videntur ſibi de faſtigio dignitatis excidere, exclamare cœpit: *Abi Nuntie, nolo hac de re diſceptare: Atrebatenſem alloquere.* Ad id quod ſcribebatur dè tuto Bononiæ domicilio, ob æqualem in Principes beneuolentiam Pontificis, oppoſuit commotior: Pontificem nonniſi verbis in medio ſiſtere; ſed eius conſilia à Deo ſubuerti, Galliæ Regis mortem indicans. Poſtremo litterarum capiti, vbi dicebatur, fuiſſe Romæ ſæpiùs celebrata Concilia, ipſumque Cæſarem inuitari à Pontifice ad ea quæ opus eſſent communi conſilio ſtatuenda, imperioſe reſpondit, iturum ſe Romam ad Concilium habendum, quando collibitum ſibi foret. Poſtremò Verallus, recitatis aliis de Legati miſſione litteris, animaduertit Cæſarem haud abnuere; quippe qui bellum minabatur, quò ſibi per pacem ſatisfieret, optimâ ſane ratione vincendi ſine ſumptu ac labore bellandi.

CAPVT

CAPVT XX. 1547.

Fides publica à Pontifice data cuicumque Bononiam acceſſuro. Legatorum ſtudia, vt eò Præſules traherentur. Nona Seſſio ibi celebrata, ſanctionibus ad ſecundam Iunij prorogatis.

1 Pontifex ad abolendam ſuſpicionem, quam poterat quibuſdam incutere ciuilis quam exercebat Bononiæ dominatio, vigeſimo nono Martij diploma vulgauit, quo narrabatur, honeſtis neceſſariiſque de cauſis à Synodo in S. Spiritu legitimè congregata commigrationem Tridento ad eam vrbem ſuæ ditionis fuiſſe decretam; proinde Pontificio nomine ſecuritatem publicam quibuſcumque ad continuandam Synodum eò confluentibus offerri, commodam prætereà hoſpitalitatem ſponderi, libertatem abeundi, atque omnis moleſtiæ ſibi, famulis ac bonis, cuiuſuis noxæ titulo, immunitatem. Legatis quoque impoſuit, [a] vt omni ope eorum Patrum, qui Tridenti priùs aderant, celerem aduentum curarent. Id autem facilè obtinuere Præſides ferè ab iis omnibus, qui vel morbi metu inde diſceſſerant, vel tranſlationi ſuffragati in Venetam ditionem diuerterant; alij vt ſacratioris hebdomadæ functiones exercerent in Eccleſiis, quas ibi obtinebant, alij vt animum ex toleratis laboribus recrearent: non tamen ita facile ab iis, quibus integra res non erat, ſicuti nec voluntatis libertas, cùm ex illis quidam ſuorum Principum opperirentur mandata, cuiuſmodi erat Gallus, [b] qui Ferrariâ id Legatis ſignificauit, & etiam Luſitanus; quidam verò adire vetarentur, cuiuſmodi erant Cæſariani.

2 Hi à Legatis inuitati ſunt litteris duodecimo Aprilis conſcriptis, [c] ſententiâ quidem concordibus, non item verborum texturâ: in ea nec litteræ omnes inter ſe ſimiles erant, quod Montano probabatur, nec omnes diſſimiles, quod Ceruino placebat; ſed pro eo ac vſuuenit in opinionum diſſidiis inter æquales, medium conſilium initum, & litteræ quadruplici formâ conſcriptæ. Exponebatur in his, perueniſſe Bononiam Patres, ibique perhumaniter habitos: eadem ipſis ſponderi, quibus certò ac libere fruerentur; ſimulque inuitari, vt ad celebrandam præſcripto die Seſſionem accederent. Porro Concilij tabellarius, qui litteras deferret, legitimè deſignatus eſt: hæ verò priùs cum autographo, quod apud Maſſarellum manſit, collatæ coram teſtibus, deinde coram iiſdem clauſæ obſignatæque tabellario traditæ ſunt; [d] qui eas pariter, accerſitâ teſtium fide, ſingulis qui aduocabantur Patribus Tridenti reddidit: ſed hi reſpondere

[a] Apparet ex litteris Ceruini ad Maffeium, 14. Aprilis 1547.

[b] Ex eadem Ceruini Epiſtola.

[c] Ex Diario Maſſarelli, & copioſiùs ex Actis Concilij in Arce Rom. in volumine notato A. in quo habentur cuncta infrà recenſenda, vel in hoc, vel in ſequenti libro, geſta aut Bononiæ aut Romæ, de controuerſia tranſlationis.

[d] In Diario, 27. Auguſti 1547.

1547.

dere auſi non ſunt; quin aliqui ne reſignare quidem eas voluere abſque Oratoris Toletani permiſſu. [e] Is quo tempore tranſlatio peracta eſt, Romæ degens, ad primos rei nuntios iuſſus fuit à Cæſare [f] nimis tardo conſilio Tridentum regredi; & equis curſoribus Bononiâ iter faciens, [g] ſe per Aulicos apud Legatos excuſauit, quòd ipſos inuiſere per feſtinationem ſibi non liceret. Hic itaque vbi Tridentum peruenit, illis Patribus nomine Cæſaris indixit, vt ibi perſiſterent: qui poſtea [h] ſimul conuenerunt; ſed in conuentu quid ſtatuerint, incompertum mihi eſt, niſi vt à quibuſuis functionibus, quæ Synodum ſaperent, abſtinerent, ne ſchiſma oriretur.

[e] Extat in Apologia Epiſcopi Feltrenſis.
[f] In Actis in Arce ſancti Angeli Romæ.
[g] Primo Aprilis, ex Diario.
[h] 4 Aprilis, ex Actis in Arce S. Angeli.

Errat quidem Suauis dum haſce litteras refert quaſi minaces & imperioſiùs ſonantes, & dum eas imprudentiæ Montani tribuit, & dum poſt habitam Seſſionem datas enarrat.

At verò Theologi, peculiarium Sacramentorum, quæ nondum 3
expenſa fuerant, ac præcipuè Euchariſtiæ ac Pœnitentiæ, examen
Bononiæ proſequebantur. Pontifex interim [i] Legatis ſignificauerat,
ſe redditis ipſorum reſponſionibus de tranſlationis euentu acquie-
uiſſe, ſimulque laudare conſilium definitionibus ſuperſedendi, na-
uandæque ſolùm operæ morum legibus, quippe paſſim gratioribus.
Addebat, Galliæ Regem, verentem fortaſſe ne quid à Concilio de-
trimenti caperent Gallicanæ Eccleſiæ priuilegia, procliuiorem ſuſ-
penſioni futurum, quæ Montano pariter probabatur. [k] Sed refelle-
batur acriter à collega, quippe quæ ſpecioſam anſam præbuiſſet
Germanis ad ſuæ nationis Synodum conuocandam. Conſpicatus
poſteà Pontifex, Bononienſi Concilio nec Epiſcopos nec Oratores
vllius Catholici extra Italiam Principis intereſſe, adeoque peculia-
ris magis quàm Oecumenici ſpeciem præferre, retardanda potiùs
Decreta cenſuit, quàm minùs decorè ac ſplendidè promulganda;
accedentibus præſertim precibus Didaci Mendozæ Oratoris Cæſa-
rei, qui Vegæ ſucceſſerat ad Siciliæ regimen tranſgreſſo, vt ea ſal-
tem haberi Cæſaris ratio videretur antequam ad Concilij functio-
nes redirent, quæ haberi non potuerat antequam Patrum migratio
ſanciretur. Id ergo Pontifex per peculiarem tabellarium Patribus
imperauit; adiecitque, ne interim tamquam legitimam tranſlatio-
nem declararent, ſed Seſſio tantummodò prorogaretur.

[i] Diar. Maſſarelli, 5. Auguſti.
[k] Ex Epiſtola miniſtri Farneſiani, 25. Martij 1547. & Dandini Nuntij in Gallia ad Ceruinum, 4. Maij 1547.

Itaque die 19. Aprilis vniuerſi Patres conuenerunt in Aula 4
ædium Campeggiorum, vbi primus Legatus degebat: ex quorum
familia Thomas Feltrienſis Epiſcopus celebrem tranſlationis apo-
logiam edidit. [l] Ibi propoſuit Montanus: Cùm ſocij omnes non-
dum coaluiſſent, nec res tractandæ ſatis fuiſſent expenſæ, tum ob
ſanctio-

[l] Habetur in volumine Actorum, vt dictum eſt.

ſanctiorum dierum ferias, tum ob podagram, quâ dies plurimos ipſe laborabat, opportunum videri, ſi opus prorogaretur in quintam feriam poſt Pentecoſten, nimirum in diem ſecundum Iunij, retentâ per Concilium ipſis facultate protrahendi reſtringendique præſcripti temporis, etiam in generalibus congreſſibus; ita tamen, vt ſolemni Seſſione præſtituto die 21. Aprilis neutiquam omiſſâ, in ea ipſa prorogatio decerneretur. Id omnibus probatum; ac poſtridie iterato conſeſſu exemplum Decreti recitatum, quod pariter cunctis placuit. In priori cœtu ſolus Aloyſius Lipomanus Antiſtitis Veronenſis coadiutor cenſuit, in contumaces ſeuerè animaduertendum. Habita poſtmodum eſt ſtatuto die [m] Seſſio in Æde S. Petronio dicata. Solemniter ſacrificauit Sebaſtianus Leccauela Noxienſis Archiepiſcopus; peroraut Ambroſius Catharinus Minoritanus Epiſcopus: interfuere præter Legatos ſex Archiepiſcopi, duo de triginta Epiſcopi; extra quos ſententiam ſuam ſcripto miſere morbo præpediti Philippus Archintus Salutiarum Epiſcopus, & Camillus Mentuatus Satrianus Antiſtes, & eius vrbis Moderator. Interfuere pariter quatuor Mendicantium Ordinum ſummi Præſides, & Abbas Caſſinenſis. Bononiæ tunc aderant, & inde poſtero die profecti ſunt duo Legati, [n] Germaniam Galliamque petituri, qui cum Concilij Legatis tradita ſibi mandata communicare, eademque ex eorum conſilio opportuniùs componere potuerunt: interim mortalium animis altè ſuſpenſis, in pluuiámne ſalutis, an in fulmen calamitatis eſſet hæc nubes eruptura.

Margin: 1547.

[m] 21. Aprilis 1547.

[n] Ex Diario Maſſarelli.

SOLI DEO HONOR ET GLORIA

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER DECIMVS.

ARGVMENTVM.

PROPOSITA *ab Oratore Mendoza conſilia de reponendo Tridenti Concilio, à Pontifice quidem accepta, non item à Cæſare. Eiuſdem in Germania victoriæ. Decima Concilij Seſſio, in qua Decretorum promulgatio in diem 15. Septembris dilata. Quæ fuerint agitata apud Cæſarem à Legato Cardinali Sfondrato. Aduentus Bononiam Præſulum Oratorumque Gallorum. Cædes Petri Aloyſij Farneſij, & Placentia à Cæſarianis occupata. Altera Seſſionis ad incertum diem prorogatio. Litteræ ab Eccleſiaſticis, qui aderant Auguſtanis Comitiis, ad Pontificem datæ ad impetrandum Synodi reditum in Tridentinam vrbem, & reſponſa ipſis reddita. Miſſus cum mandatis Cardinalis Madruccius à Cæſare ad Pontificem. Ceruinus Romam accerſitus. Quæ cum Cæſare Sfondratus egerit de Placentia. Prior Mendozæ in Senatu Vaticano conteſtatio, ac reddita illi reſponſio, deliberatione ad Synodum Bononienſem reiectâ. Litteræ ſuper ea re à Synodo ad Pontificem ſcriptæ, earumque ſumma ſignificata ab ipſo in reſponſis ad Mendozam. Habita à Fiſci Cæſarei Procuratoribus conteſtatio in Bononienſi Concilio, & quid ipſis reſponſum. Iterata Mendozæ conteſtatio in Purpuratorum Senatu; & altera Pontificis prolixa reſponſio, tranſlationis causâ*

ad

ad ſe auocatâ, & ſuſpenſo interim Concilij progreſſu. Pontificis diplomata ad Bononienſes ac Tridentinos Patres, per quæ vtrique iuſſi Procuratores ad cauſam dicendam legare. Illorum obſequium, horum excuſatio. Suſpicio de Cæſarianis, ceu Parmæ ac Bononiæ inſidiantibus. Cæſaris poſtulata vt ad ſe mitterentur Legati, cum facultate componendæ vſque ad Concilium Religionis. Oppoſita Regis Galliæ poſtulata. Libellus, inſcriptus Interim, *à Cæſare in Comitiis promulgatus; hæreticis tamen, non Catholicis præſcriptus.*

CAPVT PRIMVM.

Quid Orator Mendoza egerit, vt Tridentum Synodus reduceretur: Victoriæ Cæſaris in Germania. Turbæ Neapolitanæ.

1 CONSILIVM à Patribus cautè ſuſceptum de protrahendis Decretis, vulgarium hominum iudicio, quàm ad vicina pericula animo deficientium, tam perſpicaciâ carentium ad præuidenda remota, imbecillitas animi viſum eſt; [a] eiuſque culpa Farneſio adſcripta, qui vt Cæſaris beneuolentiam ſiue aucuparetur, ſiue retineret, ſuis officiis generoſam Pauli conſtantiam fregiſſet. Ea verò ſuſpicio fouebatur ſingulari neceſſitudine, arcaniſque colloquiis inter Farneſium & Mendozam: & tamen euentu patuit, conſilia in Cæſarem procliuiora, futura fuiſſe pariter opportuniora. Nec omittebat Mendoza Chriſtianæ gentis incommoda præſagire, quibus grauida ea diſcordia tumeſcebat, nouæque reconciliationis formas proponere: quibus etſi primò repugnaret Pontifex [b], monueritque Oratorem, Petro non Cæſari à Chriſto dictum, *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, ac terga confeſtim verterit, tandem aſſenſus eſt, atque hæc [c] Sfondrato adhuc fortaſſe iter habenti dedit mandata. 1547.

2 Fuiſſe ab Oratore propoſitum ex ſe quidem, ſed cum ſpe non modica Cæſarei conſenſus, vt Epiſcopi, qui Tridenti ſubſtiterant, Bononiam pergerent: ibi dogmatum deciſio ſuſpenderetur, vt Synodus parata eſſet Tridentum repetere, idque geminâ conditione, quam vtramque & Pontifex exigebat, & Mendoza probabat. Altera erat, vt priùs Cæſar Germanos adigeret ad præterita Tridentina Decreta ſuſcipienda, & ad parendum futuris. Altera, vt ſimul

[a] Ex litteris amicis ad Ceruinum Româ, 27. April. & 15. Iunij. 15[illegible]

[b] Ex Diario, 2 Maij.

[c] 30. Maij. Et litterarum exemplar Sfondrati eſt penes auctorem.

1547. conſuleretur detrimentis, quæ inde Sedes Apoſtolica pati poſſet; nimirum, vt denuntiaretur, quemadmodum per litteras Nuntio Poggio ſignificatum eſt, [d] occumbente Romano Pontifice, quamuis Concilium apertum perſtaret, ſucceſſoris electionem ad Purpuratos Patres pertinere. Quoniam autem in pactis anno ſuperiore ſancitis Cæſari pollicitus fuerat Pontifex, ſe alio modo compenſaturum quidquid ille petierat de vendendis Hiſpanicorum Cœnobiorum prædiis, ſecundùm ea quæ ſuo loco narrauimus; voluerat Pontifex quaſi æquale venditioni pretium illi concedere quatuor centena ſcutorum millia, ex Hiſpanicorum templorum ſacrariis colligenda: ſed ea conceſſio aliquamdiu à Cæſarianis ampliora flagitantibus accepta non eſt; poſteà verò eam iiſdem petentibus, exiſtimarat Pontifex ſe promiſſione ſolutum, ob violatas à Cæſare fœderis pactiones, de quo alibi diximus. Nihilominùs ad leniendam Cæſaris acerbitatem miſſum fuit à Paulo diploma conceſſionis tum in Germaniam ad Legatum, tum in Hiſpaniam ad Nuntium; iniunctumque alteri vt illud exhiberet, alteri vt eius executionem curaret.

[d] 1. Iunij 1547.

3 Spes erat, facilè id temporis poſſe Cæſarem conditioni ſubiiciendæ Concilio Germaniæ ſatisfacere, cùm Proteſtantes iam ſubegiſſet, inſigni de illis victoriâ reportatâ, quâ Fredericum Saxoniæ Septemuirum captiuum duxit, ipſius ditionem occupauit, ac Philippum Lantgrauium Haſſiæ in poteſtatem acceperat, libertatem illi pollicitus, ſed abſque vlla certi temporis præſcriptione. Et in hoc turpiter errat Suauis, qui Capiteferrei legationem Pontificis formidini aſſignat ob auctam ex recenti victoria Cæſaream potentiam, adeoque intenti, vt aduerſus prævalida eius arma clypeum in Gallia ſibi fabricaret: quod tam bellè veritati conſonat, vt ex oppoſito Legatus Româ diſceſſerit 6. Aprilis; [e] prælium verò 24. eiuſdem menſis commiſſum fuerit.

[e] Primum conſtat ex Diariis, & ex adductis litteris: alterum ex Diariis, & cunctis hiſtoriis.

4 Eodem tempore graues Neapoli tumultus coorti, quòd ibi regij ſacræ Inquiſitionis tribunal, perinde ac in Hiſpania, ſtatuere tentabant. Quapropter populus, eius metu correptus, producto priuilegio, quo cautum erat ne nouis tribunalibus ſubiicerentur, tumultuari cœpit, certus, apud ſe nolle aliam iudicij formam in eo genere admittere, niſi veterem & Eccleſiæ conſuetam. Ex Neapolitanis itaque ferè quinquaginta millia aduerſus Proregem arma cœperunt, Romanumque Pontificem amplis promiſſionibus ad ſui patrocinium ſollicitarunt: [f] qui tamen pio ſimul ac prudenti conſilio nihil ſibi mouendum cenſuit, intelligens, per eius tempo-

[f] Vide Adrianum lib. 6.

rarij

rarij regni factam ſibi acceſſionem, periclitaturum fuiſſe id temporis 1547.
vniuerſum ſacræ dominationis imperium, cui temporaria potentia aduentitia eſt, nec, niſi ſacræ fundamento nitatur, diutiùs duratura. Vnde eò minùs veriſimile eſt id quod nonnulli ſcriptores, & ipſe Andreas ab Auria de Paulo Tertio ſuſpicati ſunt; nimirum ab illo, eiuſque filio Petro Aloyſio, fuiſſe Genuenſi Fliſci coniurationi fomentum admotum; cùm experimento conſtiterit, à Paulo quindecim annorum ſpatio, quibus imperauit, ſæpiùs quidem inita in Turcas & hæreticos fœdera, atque ingentes armorum argentique ſuppetias fuiſſe collatas; numquam tamen in Catholicos enſem eductum; præterquam quòd cùm cæſo Petro Aloyſio captus eſſet Apollonius, qui à ſecretis illi fuerat, & quædam cum eo arcanorum characterum notæ interceptæ, vt ex iis eliceretur ecquid ille Genuenſis coniurationis fuiſſet particeps, ecquid cum Rege Galliæ tranſegiſſet, quò Mediolanum inuadenti opem ferret, nihil ibi repertum eſt, quod Cæſaris adminiſtri proferre poſſent, pro eo ac libenter protuliſſent, vt deformem ſpeciem lenirent, quam ea cædes & vrbis occupatio præferebant. Verùm ſiniſtra de rebus alienis perſuaſio herba quædam eſt, quæ ſupra reliquarum conditionem radices & agit & retinet in animis, abſque probationum alimento: hæc verò tam noxij fruticis prærogatiua in corrupta natura fundatur, quæ mortales extimulat vt malum perpetrent, adeoque patrationem veriſimilem reddit, extimulat vt malum ſibi inuicem optent, adeoque optationis ſpeciem repræſentat.

CAPVT II.

Seſſio decima, vbi Decreta ad medium Septembrem prorogata.

1 INterim Patres Bononiæ nihil otio indulgêre, tum in ſolemnibus cærimoniis exercendis, vt omnibus palàm fieret, per eas ſpecioſas functiones Concilium adhuc viuere; tum in priuatæ ſolertiæ curis, quibus auctoritas foueretur, ſtatimque pro rerum opportunitate prodiret in lucem.

2 Quod ad cærimonias attinebat: [a] decretum eſt, vt quemadmodum Tridenti fuerant iuſta funebria ſolemniter perſoluta Pannoniæ Reginæ, Hiſpaniique Principis coniugi, ita Bononiæ par honor defuncto Galliæ Regi haberetur, iniectâ tantiſper morâ, dum à Rege illius filio peractas patri funeris exequias innoteſceret. Simul etiam iucundiorem alteram ſolemnitatem deſtinarunt, quâ Deo grates agerentur, ederenturque publicæ lætitiæ ſigna pro reportata

[a] In Cœtu 18. Maij, ex Diario, & volumine Actorum; ſignato A.

1547. à Carolo de hæreticis victoria; [b] in quo præter pietatis cultum, beneuolentiæ ſenſa in Cæſarem ſignificabant, & intrepidum præ ſe ferebant animum inter incrementa potentiæ illius Principis, qui ſe aduerſarium ipſis profitebatur; quod conſilium Ceruinus pariter Paulo ſuggeſſerat. [c]

[b] Prima functio fuit 20. Maij, ſecunda 22. ex Diario.
[c] Litteræ Ceruini ad Maffeium, 7. Maij 1547.

Quod ad peculiares Concilij curas ſpectabat: ſelecti ex Epiſcopis 3
fuerant Materanus, Vaſonenſis, Veronenſis, Bituntinus, & Aliphanus, qui peculiarem operam impenderent, tum ad eos qui aberant eò pertrahendos, tum ad eos qui aderant ibi retinendos. Nec ipſis deerat Pontifex, [d] ſubminiſtrato pecuniæ ſubſidio, quo & illorum aduentus, & horum manſio iuuaretur; vt qui probè intelligebat, in ciuilibus cunctis diſſenſionibus eam partem apud pleroſque potiorem haberi, quæ numeroſior eſt. Concordi ſtudio Decreta Seſſioni proponenda parabantur; cùm exiſtimarent, ſiue ibi Fidei morumque ſanctiones ferendæ eſſent, ſiue non ferendæ, oportere Canones in promptu habere, rectè perpenſos atque expolitos, ita vt nihil ad eos promulgandos deeſſet, niſi ipſa promulgatio. Etenim non modò id conducebat, vt maiori cum dignitate, minorique cum tædio tempus exigeretur, fieretque ſaltem compendium laboris alibi impendendi; ſed etiam ne Bononienſi Synodo poſſet otium exprobrari, vtque potiùs in publicas obtrectationes offenderet, qui Chriſtianæ Reipublicæ eius laboris fructum impediuiſſet. Eâ verò ſolertiâ res agebatur, vt dum pars altera abſoluta, altera dumtaxat adumbrata eſſet: hoc enim pacto erat integrum Synodo, eam partem quam perfecerat, vbi vellet, depromere; hinc verò ea perfectionis abſolutio quæ alteri deerat, dilationem cohoneſtare poterat, vbi emolumenti publici ratio eam ſuaderet: adeoque vulgò prudentiam cum timiditate confundenti haud pateſieret, moram illam alienæ repugnantiæ concedi. Perfecta igitur erant de ſacroſancta Euchariſtia Decreta, quippe de argumento Tridentinâ trutinâ iam expenſo, [e] ac proinde eiuſmodi, quod ſeiunctorum tunc à corpore Patrum conſenſione firmaretur. Præter hæc de Sacramento Pœnitentiæ, [f] haud parum fuerat Bononiæ laboratum.

[d] Ex Diario, per ea tempora.
[e] Litteræ Ceruini ad Maffeium, 7. Maij 1547.
[f] Ex Diario, 30. Maij.

Et ſanè prorſus à vero diſcrepat quod Suauis tradit, infrequentiam ibi Theologorum in cauſa fuiſſe, ne res expeditiùs diſcuterentur. Etenim comperio, vni conſeſſui [g] ſexaginta ex quauis natione, alteri ſeptuaginta Theologos interfuiſſe. Præcipuè verò acceſſit ex Germania Petrus Caniſius Societatis Ieſu, vir rebus, ſeu ſcriptis ac geſtis æquè [h] clarus. Nec certè Bononienſis commoratio ſterilis fuit, [i] perinde ac illis viſa eſt, qui fructum ipſius nonniſi poſt multos

[g] 30. Aprilis, & 2. Augusti, ex Diario.
[h] Ex Diario, 6. Maij 1547.
[i] Cuncta extant in volumine in Arce Romana ſignato A. & etiam videri poſſunt in libro à Seripaudo relicto, cui titulus, *Farrago*.

multos annos, & in alio ſolo conſpexiſſent. Illic enim ſolertiſſimo ſtudio perpenſæ continenter ſunt cunctæ definitiones, pluresque ex morum legibus, Tridenti poſteà ſtabilitæ, ac de vtriſque ſententiæ, quæ in cœtibus dictæ ſunt, ſummatim exquiſitiſſimè ſunt collectæ, & in Acta Concilij legitima relatæ: & reuerà optimum ſuccum continent eruditionis, earumque rationum, quæ ſingulis in argumentis afferri poſſint. Inter cetera illud memoriâ dignum eſt, diſputationem, [k] quæ poſteà Piò ſedente adeò in Concilio claruit, de poteſtate ſeu conuenientia reddendi irrita matrimonia clandeſtina, Bononiæ fuiſſe cœptam per opinionum diſcordiam, illi non imparem quæ ad exitum Synodi Tridenti contigit, cùm etiam Bononiæ ferè bifariàm in ea controuerſia ſententiæ diſciſſæ fuerint. 1547.

k Litteræ Maſſarelli Bononiâ ad Ceruinum Romæ, 15. Octobris 1547.

4 Dum res ita ſe haberet, iuſſi à Pontifice Legati ſuperſedere, præſtolaturi reſponſa Cæſaris ad ea quæ Mendoza propoſuerat, Seſſione vſque ad medium circiter Auguſtum dilatâ. Sed quoniam Pontifex tunc vel maximè ſtudebat libertatem auctoritatemque Concilij integram ſeruare, opus erat, vt idem conſilium Patribus probaretur. His itaque conuocatis [l] hæc Montanus diſſeruit; Seſſionis diem iam inſtare, adeoque deliberandum, an placeret promulgari Decreta: vtrimque rationes ſuppetere: impelli quidem ad ea promulganda, quòd grauiſſimum Euchariſtiæ dogma iam in promptu eſſet, quodque anteacta Seſſio ſine fructu ceſſiſſet. Proinde ſi hæc pariter fructu careret, haud parum Synodi dignitati detractum iri; quæ dum oſtenderat ſe ſibi diffidere, aliis animos adderet ad ipſam oppugnandam. At oppoſitas rationes longè validiores videri: poſſe quidem edi Canones de Euchariſtia, at de reparatione diſciplinæ nihil. Agendum in ea eſſe de incommodis, quæ auctoritas Epiſcoporum patitur, à profanis Principibus, & Regularium Ordinibus illata; id autem ad id vſque temporis effici nequiiſſe, dum nemo ab illis delegatus aderat, & ex his duo ſummi Moderatores ob neceſſarias ſuorum Ordinum functiones deceſſerant. Et tamen fuiſſe Tridenti conſtitutum, vt Fidei doctrina, morumque emendatio, duæ veluti rotæ, ſic æquè procederent, vt ſiunc veluti currum aptè deferrent. Id verò tunc vt cùm maximè inuiolatè ſeruandum, cùm credi poterat, Concilium in vrbe Pontificia coactum, ab afflatu Pontificis magis regi. Ad hæc habendam eſſe ſingularem quamdam Cæſaris rationem, qui adhuc tranſlationem ritè peractam negabat: & non modò reliquos ſuæ ditionis Antiſtites Bononiam non mittebat, ſed Tridentinos ipſorum collegas eò ſe conferre vetabat. Habendam pariter noui Galliæ Regis rationem, cuius ibi nec Epiſcopi nec

l Ex Actis in Diario, 1 Iunij.

1547. nec Oratores aderant: ſperandum operâ vtriuſque Legati, quos Pontifex miſerat, non Regem ſolùm, ſed etiam Cæſarem breuî permotum iri, vti Synodum ſuis Epiſcopis augeret, ſuiſque Oratoribus decoraret.

Hæc rationum pondera cunctorum animos inclinarunt, præter 5
Benedictum Nobilium Epiſcopum Acienſem, qui Decretum ſuper Euchariſtiâ omnino promulgandum putabat; à qua ſententia nec in ipſa Seſſionis actione receſſit. Futuræ Seſſionis dies remotior eſt deſtinatus quàm qui per mandata Pontificis proponebatur, hoc eſt decimoquinto Septembris; quò certius foret, abſque ope nouæ prorogationis, quæ futura fuiſſet parum decora, ante eam diem perfectum iri tum Bononiæ Decretorum formam, tum ea quæ Romæ & in Germania tractabantur. Adiecta tamen facultas eſt coarctandi protrahendique temporis vel extra Seſſionem. Atque hæc omnia publicè poſteà ſtabilita ſunt in Seſſione ſolemni 2. Iunij, in qua poſt ſacrificium peractum ab Olao Magno Archiepiſcopo Vpſalenſi, decretum eſt, vt interim æquè doctrinæ ac morum emendationis opus continuaretur: in hac etiam Seſſione duorum Patrum, quibus morbi causâ accedere non licuerat, admiſſa ſuffragia.

Plurimum exiſtimationis acceſſit Synodo Bononienſi ex aduen- 6
tu Ambroſij Pelargi Dominicani, quem ſuprà laudauimus: hic priùs Rodulfi tecenſis Septemuiri Colonienſis, poſteà Treuirenſis Procurator [m] interfuit. Et quamuis ad indignationem Cæſaris declinandam, procurationis tabulæ pridie quàm tranſlatio haberetur, ſignatæ legebantur; ſatis tamen in aperto erat, Pelargum his neutiquam vſurum fuiſſe, abſque recentibus ſuorum Principum mandatis. Nec ita multò pòſt ſuperuenit Epiſcopi Labacenſis in Auſtriaca ditione Procurator, [n] Patrum ſententiam quæſiturus de ſeptem articulis, de quibus in Carniolia Prouincia fuerat decertatum. Sed plus lætitiæ attulit is, qui Dandino in Gallia Nuntio à ſecretis erat. [o] Hic Romam ab ipſo Nuntio, & Capiteferreo Legato miſſus, dum Bononiâ tranſiret, ſollicitudinem diſpulit, ad eam vſque diem ab incomperta mente noui Regis incuſſam: nuntiauit enim, ab illo tredecim inſignes Epiſcopos ad Bononienſe Concilium deſtinatos; [p] eumdemque clarè profeſſum, à ſe illud acceptum ac defenſum iri, promiſsâ in matrimonium Horatio Farneſio Caſtri Duci, & Octauij fratri, Dianâ ipſius Regis nothâ: quod coniugium à Pontifice anteà quæſitum, vt ſuſpicionem amoueret à Gallo, propter Octauij cum Carolo coniunctionem, tunc libenter confectum eſt, vt inde Cæſar

m 17. & 21. Iunij, ex Diario.

n Iulij 21. ex Diario.

o Peruenit Bononiam 23. Iunij, ex Diario.

p 24. Iunij, ex Diario.

Cæſar intelligeret, non defutura Pontifici præſidia, ſi ab illo aut deſereretur, aut premeretur. 1547.

7 Præterea [q] in eius vrbis, nobilitate doctrinâque florentis, primario templo ex Epiſcopis ac Religioſis Ordinibus viri ſapientiſſimi frequentes conciones habebant de rebus Theologicis, ac præcipuè de infuſione iuſtitiæ, de qua plures menſes cum plauſu concionatus eſt coram eo inclyto conuentu Dominicus Stella, è S. Dominici familia Epiſcopus Salpenſis, & mox Lauellenſis, ac demum Iuſtinopolitanus. Nec ſegniùs digerebantur capita reliquorum Sacramentorum, & in primis Pœnitentiæ; de qua diſputatum eſt acriter, an Chriſtus, vti Sacramentum ipſum inſtituerat, ita pariter illius exercendi tempus ſtatuiſſet: An etiam, vt ſatis erat interdum Confeſſionis votum, ita pariter ſatis eſſet votum contritionis ad iuſtitiam accipiendam, votumque ſatisfactionis ad pœnæ remiſſionem. Similiter de Sacramento Euchariſtiæ quæſitum accuratè fuerat, an tantumdem gratiæ ei conferretur, qui vnam tantum, quantum ei, qui vtramque ſimul Sacramenti ſpeciem ſuſciperet: atque ob ſententiarum varietatem decretum fuit, nihil decernendum, quæſtione opinantium libertati relictâ. Sed ea de re vt celebrior, ita feruidior diſputatio reuixit aliâ tempeſtate, quod ſuo loco exponetur.

[q] Vide Diaria eius ætatis.

Pari ſedulitate diſciplinæ leges concinnabantur; [r] tum quæ ſpectabant ad ea Sacramenta adminiſtranda, quorum declarabantur dogmata; tum quæ ad alia obſtacula remouenda, [ſ] quibus Epiſcoporum manſio ſuas apud Eccleſias præpediebatur; præcipuè verò ad reuocandas ſuperiores conceſſiones retinendi ſimul plura Sacerdotia curis animarum obnoxia. Hinc Suauis calumnia reuincitur, affirmantis, emendationis negotium, vtpote odioſum Pontifici, intermiſſum à Concilio, vbi in vrbe Eccleſiaſtica fuit collocatum. Equidem ſatis intelligo, huic homini, ſtudenti non vera ſcribere, ſed iniqua perſuadere, ſatis fuiſſe, vt id rei veriſimilis ſpeciem præ ſe ferret. Næ iſte nimis abiectè de iis ſenſerit neceſſe eſt, qui eius ſcripta lecturi eſſent; nam homines ingenio haud hebetes facilè animaduertent, numquam fuiſſe Pontifici vel magis neceſſarium, vt emendationis Decreta à Synodo ſancirentur, quàm cùm id videbatur omnino ſitum in ſuo arbitratu; vel tutius, adeoque opportunius, quàm cùm ipſe cultrum manu tenebat, quo quantum, vbi, & quo pacto vellet, reſecaret.

[r] Ex Diario, 11. Iunij 1547.

[ſ] Ex Diario, præſertim 26. Iunij.

1547.

CAPVT III.

Quæ Sfondratus in Germania egerit, & quæ Romam ſcripſerit.

PEr hæc tamen res parabatur in lucem publicam proditura, vbi 1
ſeu per diſſidium, ſeu per concordiam effectrix cauſa ad inducendam materiæ formam admoueretur. Spes aderat, legatione Sfondrati diſcordias ſedatum iri, ob datam ipſi facultatem conueniendi eâ ratione, quam Mendoza excogitarat: ſed longè alius à concepta ſpe rei exitus fuit. Legatum primò audiit Cæſar Bambergæ,[a] vbi ſubſtiterat, Auguſtam ad celebranda Comitia tranſiturus. Ille poſt gratulationem de reportatis victoriis aggreſſus eſt rem inſinuare, cuius gratiâ priùs fuerat inſtituta legatio, Britannicam ſcilicet expeditionem; tametſi haud ignarus repulſæ, quam acceperant Nuntius, cùm Pontificis nomine idipſum propoſuerat, & Parpalia, à Polo ea de cauſa miſſus ad Cæſarem. Dixit nihilominùs Legatus: Quamquam quo tempore ipſe proficiſcebatur, Cæſar bello Germanico eſſet implicitus; ſibi tamen iniunctum à Paulo, ne prætermitteret tam egregium opus proponere, cùm ſperaret Pontifex, Cæſari ante acceſſum Legati, victoriam de hæreticis à Deo conceſſum iri, adeoque opportunitatem expeditionis Anglicæ capeſſendæ, ſicut poſteà euenerat. Cæſarem, ab Anglo læſum tum ſanguinis tum dignitatis violatione, tum etiam ob eam cauſam Religionis mutatione, haud poſſe à Legato credi ex animo dixiſſe, Nolle ſe huiuſmodi labore implicari. Reſpondit Carolus; Suis in Germania rebus plus à ſe curæ deberi, vbi poſt relatam victoriam multum adhuc laborandum ſupererat ad victoriæ fructus decerpendos; cùm præſertim haud ritè ſecum actum fuiſſet, dum alienâ gratiâ ipſe ducem egerat (indicans repudiatam à Paulo fœderis continuationem) ac demum ſibi ſatietatem eſſe bellandi. Legatus accepto diſertæ repulſæ tenore, faſtidio irâque permixtæ, quæ repulſas præteritas confirmabat, cenſuit, officia ſibi minimè impendenda cauſæ inſperabili, ſed eam ſilentio commiſit, ſicut ipſe Farneſio ſignificauit, & ſicut poſtmodum ex pleno eius litterarum commentario conſtat. Quare commentitium eſt quidquid inſuper addit Suauis de iis, quæ ſuper ea re apud Cæſarem à Legato acta fuerint, ea benignè de more interpretatus, non quaſi adipiſcendæ Britanniæ gratiâ, ſed Cæſaris implicandi. At ex altera parte, ea quæ verè Sfondratus egit, & nos memorabimus, aut ſupinâ aut inuidâ taciturnitate idem inuoluit.

[a] Litteræ Sfondrati ad Farneſium Card. Bambergâ, 7. Iulij 1547.

Secun-

2 Secundo loco Legatus curandam Concilij vnitatem propoſuit; 1547.
oſtendens, quàm illa neceſſaria & dignitati & vtilitati Eccleſiæ foret: ac in medium protulit temperamenta ſibi Romæ ſubminiſtrata, ibique Mendozæ probata. Ad hæc Cæſar: Bellum à ſe non humanâ ambitione, ſed Diuinæ cauſæ ſtudio ſuſceptum fuiſſe, eiuſque rei luculenta in dies teſtimonia preditura. Huiuſce piæ voluntaris ſuæ præmia à ſe agnoſci miros inopinatoſque progreſſus, quibus arma ſua Deus prouexerat: non poſſe in Germania Religionem componi, niſi repoſito Tridenti Concilio; quod ſibi perſpicuum erat, compluribus præſertim hæreticis eâ promiſſione reconciliatis. Se nihil dubitare, id eſſe in poteſtate Pontificis; præſertim ſi verum erat quod Pontifex affirmabat, ſe inſcio Synodum fuiſſe tranſlatam, adeoque vaneſcere omnem ſpeciem, quâ ad tranſlationem tuendam obſtringeretur: obtentam tranſlationi cauſam, hoc eſt morbi ſuſpicionem, præterquam quòd ea legitima non fuerat, iam omnino ceſſaſſe. Id niſi fieret, præuideri à ſe in grauiſſima incommoda offenſum iri, ſed omne detrimentum in culpæ auctorem caſurum.

3 Rogauit Legatus, ne tantum Cæſar pietati ſuæ tribueret, vt aliter de aliena ſentiret; neque par eſſe, neque fieri poſſe, vt Synodus regrederetur Tridentum, vbi Patres inuiti degebant, niſi ingens aliquod Religionis emolumentum eorum reditum honeſtiorem facilioremque redderet. Illud igitur, quod cum Mendoza conuenerat, amplectendum; vt nimirum priùs Germani & præterita illius Synodi Decreta reciperent, & futuris ſe ſubderent: quod etiam in ipſius Cæſaris decus redundaret, tamquam in auctorem reuocati Tridentum Concilij cum tanto Eccleſiæ honeſtamento atque compendio. At Cæſar, qui nolebat promiſſis acquieſcere ab incerta conditione pendentibus, dixit, Ea non ad expediendam rem, ſed ad ſubterfugiendam proponi; cùm in comperto eſſet, obſtacula non defutura in conuentu Cæſareo, ne res progredi poſſet. Hìc verò ex vna parte Legatus obiicere, Quænam foret indignitas, ſi Concilium quaſi per vim Tridentum repelleretur in gratiam Germanorum, atque iidem poſteà illud contemnerent, plures ipſum oppugnantes, omnes abſentes, vt iam contigerat. Ex altera Cæſar contendere, Quidquid tandem eueniſſet, eam vnicam viam ſupereſſe, quâ poſſet Pontifex apud Deum hominesque ſuam cauſam probare.

4 Denique Legatus inſtitit, vt certe interim recentis fauore victoriæ Germaniam ad Synodi ſuperiora Decreta excipienda & ſeruanda compelleret; ita palàm futurum, ipſum Dei causâ militaſſe, ac

1547. viciſſe. His repoſuit Carolus; Se probè noſſe, Legatum plenè documentis inſtructum adueniſſe: at nolle aliud repetere, niſi ſuo ſe muneri haud defuturum in eo quod poſſet Religioni prodeſſe; ſed optare pariter, vt ſuo quoque munere alij fungerentur. Tum Legatus, Idem, ait, eſſe Pontifici propoſitum: quapropter cùm de re nihil inter ſe diſcreparent, ſed de modo rei conficiendæ opportuniore, ne grauaretur Cæſar id maturè perpendere, gnarus, Oratorem Mendozam, adeò huiuſmodi negotiorum peritum, propoſitis conditionibus acquieſcere. At contrà Cæſar: Haud mirum videri, Mendozam decipi potuiſſe; nec ſibi ad id longiore meditatione opus eſſe, de quo vete ſe magis quàm de bello cogitaſſe affirmabat.

Legatus acceptis tam ieiunis, tam acerbis, tam obſtinatis reſponſis ad ſingula quæ protulerat, conſilium cepit, quo aut Cæſar cogeretur ſpem aliquam melioris exitus præbere, niſi animum tam obduratum gereret, quàm verba prodebant; aut à Cæſare omni ſpe ſibi præcisâ, virtutem atque conſtantiam in Legato proferret, vitato inutilis inuiſæque moræ dedecore. Idcircò, *Quando*, inquit, *Auguſte Cæſar tam obſtinatè reſpondes, ſatius duco haud ampliùs Maieſtati tuæ exhibere moleſtiam, tuâque pace abeundi veniam poſcere.* Ad inexpectatam quam ille petierat abeundi veniam, frigidè Cæſar; Id liberum eſſe Legato. Hic verò vrgere non deſtitit, ſubdens, Infructuoſam illic moram haud ſibi opportunam videri. Carolus, qui ſperauerat apud Legatum in mandatorum calce ampliora reſidere quàm quæ prima pagina in primo congreſſu de more præferat, ſenſit ſe ex improuiſo eâ perſuaſione fraudatum; cupienſque non tam citò negotium abrumpere, ſed ſimul ſollicitus tuendæ dignitatis, ſubiecit, Poſſe Legatum ea de re maturiùs cogitare. Hic verò, Se cogitaturum; ſed Cæſarem precari, ne graue illi eſſet rem quoque ſecum perpendere. Atque hic colloquij finis. De pace cum Gallia nihil inſinuauit Legatus; tum quòd Pontifex idoneus conciliandæ cum aliis pacis ſequeſter minimè videretur, cùm eam ſecum conciliare non poſſet; tum quòd Gallicus Orator ad illam tranſigendam exſpectabatur. 5

Hæc tam propera diſcedendi venia, quam Sfondratus petierat, Romæ illaudata: [b] prætereà ob reiectas à Cæſare conditiones, quas Mendoza probauerat, Legatus reprehenſus, quaſi haud plene rationes protuliſſet, cùm eas in litteris de congreſſu cum Cæſare haud recenſeret. Verùm ille, quod ſpectabat ad veniam abeundi, ſuam cauſam ſuſtinuit, affirmans, id vnum emolumenti ab illo colloquio decerptum. Quod ſpectabat ad alterum, mirari ſe, quòd meturen- 6

b Litteræ Sfondrati ad Farneſium, vltimo Iulij 1547.

tur

tur quæ in prolixo congreſſu pluribus diſſerta fuerant, compendiariâ vnius pagellæ narratione. Sed vbi opus ſpei artificis non reſpondet, ſemper peccatum quæritur in inſtrumento; & quemadmodum ſuperiorum cauſarum effecta nonniſi inferiorum vitio corrumpuntur, ita Principum conſilia nonniſi miniſtrorum inertiâ in irritum recidere poſſe creduntur. Quare quantæ in miniſtro ſapientiæ eſt, in rebus proſperis ne ſe venditet, de ſolertia ſua parcè loqui; tantæ pariter in aduerſis prudentiæ eſt, vt ſe purget, referre pluribus quidquid actitauerit, ſuſtinuerit, tentauerit, cogitauerit. 1547.

7 Legatus vnà cum rei à ſe geſtæ narratione ſignificauit quid ipſe ſentiret: id temporis opportunum non eſſe Bononiæ Synodum retineri, quòd Italicorum Præſulum frequentia, & exterorum raritas, Prouincialis, non Oecumenicæ Synodi ſpeciem præ ſe gerebat: quòd eamdem Patrum numerus addictorum Pontifici, eorumque ſtatio in Pontificia ditione ſuſpectam populis reddebant, cùm controuerſiæ tunc ferueſcentes, ferè omnes Apoſtolicam Sedem peterent, quod non contigerat, cùm ab Eccleſia Concilia Romæ fuerant celebrata; adeoque exempla non commodè aptari. Etenim cùm Cæſar eam Synodum palàm auerſaretur, timendum eſſe, ne pro Imperij amplitudine in ſchiſma prorumperet; nihil autem corpori magis eſſe lethale, quàm diuiſionem membrorum. Poſtremò, quia Carolus & iratus & victor, tametſi abhorreret à ſchiſmate, poſſet aliâ ratione negotium faceſſere, atque ita ſecum diſſerere: Quæ ad Religionem ſpectant, in Comitiis agenda non ſunt, ſed in Concilio, quod Bononiæ habetur, nec inde dimoueri poteſt: cùm autem huiuſmodi Concilium cunctis extra periculum metumque ſit oporteat, ego verò Protectoris Eccleſiæ partes agam; meum eſt cum exercitu ipſum adire, ac tutum reddere. Proinde ſuadere ſe, vt per Diploma Synodus intermitteretur, in quo appoſita eſſet hæc cauſa, A Comitiis, ſeu proximis ſeu iam inchoatis, ſpem fieri, ob Cæſaris victorias redituram ad Eccleſiæ ſinum Germaniam, adeoque exitum priùs expectandum, quàm ad dogmatum morumque ſanctiones progrederentur.

8 Hæc Romam Legatus: non tamen omnem mouere lapidem omittebat, ſi poſſet per Auguſtanum Cardinalem, Albanum Ducem, Cæſariſque Confeſſarium, viros Apoſtolicæ Sedi propitios, auctiores conditiones obtinere. Verùm quò hi Religionis ſtudio præſtabant magis, impenſiuſque Sfondrati petitionibus fauebant, eò vehementiùs iidem inſtabant, vt Tridentum Synodus remigraret; quoniam cùm alia ipſis non obuerſaretur componendæ Eccle-

1547. ſiæ ratio, eam vel tamquam certam exiſtimabant, vel tamquam vnicam, quamuis dubiam, tentare cupiebant. His permotus Legatus, rationum momenta litteris ad Maffeium[e] datis, qui Pontifici in negotiis Principum à Secretis erat, Romam perſcripſit; conteſtatus, malle ſe obtrectationes hominum ſua verba iniquè interpretantium ſubire, quàm experiri conſcientiæ morſus, ſuum ſilentium infidelitatis notâ damnantis; Cæſarem in efflagitando Tridenti Concilio inflexibilem eſſe. Si opponebatur, Id nonniſi eiuſdem Concilij conſenſu mouendum; ab eo pro certo poni, id à Pontificis nutu pendere. Si poſtulabatur, vt Patres, qui Tridenti ſubſtiterant, ad delendam contumaciæ labem Bononiam peterent; reſponſionem eſſe, id facilè quidem effectum iri, vbi certò priùs de futuro Decreto conſtaret: verùm nonniſi ad interponendam moram idipſum profuturum, cùm Epiſcopi Tridenti degentes nullam Synodi functionem haberent, adeoque nihilo magis reos cenſendos, quàm reliquos pariter abſentes. Hîc verò noſſe lectorem haud pigeat, hoc Sfondrati dictum Concilij Legatis Româ indicatum verbis mutilis ac flexiloquis, hoc eſt, *Tridentinos Patres haud magis quàm reliquos reos eſſe putandos*, intellectum ab illis fuiſſe, quaſi diceret, *Reliquos Patres Bononiam profectos*. Atque vti huiuſmodi ſententiæ comprobatio longè abhorrebat à calamo Pontificij Legati, ita bilem illis commouit, acerbiſque eorum confutationibus reiecta eſt. Adeò in epiſtolis negotia pertractantibus nulli rei magis quàm claritati ſtudendum eſt.

e Epiſt. ad Maffeum, vlt. Iulij 1547.

Pergebat Sfondratus: Si adduceretur ſuperior inutilis mora Concilij, duos annos impenſa Tridenti ad Germanos præſtolandos; reponi ab illis, variaſſe rerum conditiones, ex quo victoria Caroli Catholicos belli curis exſoluerat, hæreticis verò contumaciæ arrogantiam ademerat. Si Tridento reluctabantur quaſi loco non libero, videri Cæſarianis euinci contrarium ex tot Decretis illic habitis contra Cæſaris votum in dogmatum negotio, & tamen ab eodem toleratis. Poſtremò, ſi verebantur, ne Synodus in huiuſmodi vrbe collocata poſſet res nouas moliri ſiue in deligendo Romano Pontifice, vbi Sedes vacaſſet, ſiue in ipſius auctoritate coarctanda per diſciplinæ reparationem; idem rationum robur militaſſe pariter, & non iuuiſſe, cùm primùm Synodus Tridenti poſita eſt; nec minùs etiam militare vbi perſiſteret Bononiæ, modò plenâ libertate frueretur: nihilominùs offerre Cæſarem hac in re quidquid ſecuritatis opus eſſet. Ex altera parte, ſi Bononiæ Concilium abſolueretur, enumerabat Sfondratus pericula ſuperioribus litteris expoſita. 9

Varia

Varia demum proponebat conſilia, ſed per ſpeciem ſtudij potiùs quàm comprobationis, cùm in ſingulis difficultatem obſeruaret; relinquens proinde, vt Pontifex ex huiuſcemodi ſumptionibus concluſionem pro ſua prudentia deduceret. 1547.

10 At Paulus, vti Sedis Apoſtolicæ ſtudioſus recuſabat Tridentum rurſus amandare Concilium abſque certo aliquo Eccleſiæ commodo & cohoneſtamento; ita pacis appetens facilem ſe ad [d] medium aliquod conſilium oſtendebat, cuiuſmodi eſſet, Synodum Ferrariam adducere, cuius dominus ob Mutinæ Rhegiique Principatum erat in Cæſaris clientela. Cæſariani verò non tam Bononiæ infenſi erant, quia Pontifici obtemperabat, quàm Tridenti cupidi, quia erat opportuna Germaniæ, & fortaſſis [e] tuendæ dignitatis curâ ſolliciti: non intelligentibus ſæpè Principibus, ſummam ipſorum dignitatem in vna ſubiectorum populorum felicitate ſitam. Per eos dies Pontificem iam decrepitum grauis morbus inuaſit; qui quò propinquius periculum minabatur, eò maiorem trepidationem incuſſit, ſi forte vacante Sede Oecumenica Synodus inter Germanos extaret in ea rerum hominumque conditione; neque in hoc ſatis cautionis haberi poſſe à Cæſare videbatur.

d Litteræ Sfondrati ad Farneſium, 1. Auguſti 1547.

e Sfondrati ad Farneſium litteræ, 10. Auguſti 1547.

11 Ex altera parte gliſcebat in dies in animo Caroli abalienatio à Pontifice [f] ob Gallicas Horatij Farneſij nuptias, Purpuramque in Henrici Regis gratiam Guiſio traditam: & quod Paulus æqualitatem, mediique conſtantiam appellabat, Cæſar coniunctionem, fœderiſque nexum interpretabatur. Quapropter vt in morbis pertinacibus quædam naturæ motio expectatur, quæ opportuno remedio viam monſtret, ac ſternat; perinde tunc quiddam lucis commodique ſperabatur ad ineundam concordiam ex aliquo euentu Comitiorum, quæ [g] ineunte Septembri Religionis potiſſimùm gratiâ Cæſar inceperat. Sed quo pacto laudatus ille Philoſophus apud Ariſtotelem notauit, tempus non magis mereri doctiſſimi quàm indoctiſſimi notam, cùm ipſum æquè ſcientiæ atque obliuionis auctor ſit, ita non minùs idem ingentium turbarum conciliator quàm concitator eſt; quippe quod per ſuas viciſſitudines quandoque mortales in concordiam reuocat, ſed non minùs quandoque extra omnem concordiæ aleam præcipitat; quod in iis quæ narramus elucet. Idcircò à tempore beneficium præſtolari, prudentiæ quidem eſt, cùm aliunde peti nequit; at cùm ſolertia id nobis offert, ignauiæ.

f Litteræ Sfondrati ad Farneſium, vltimo Iulij, & ad Maffeium, 7. Auguſti 1547.

g Litteræ Sfondrati ad Farneſium, 6. Septembr. 1547.

CAPVT

1547.

CAPVT IV.

Senſa Bononienſium Legatorum. Præſulum, Oratorumque Gallorum aduentus. Ceruini defenſio. Cædes Petri Aloyſij Farneſij. Placentia à Cæſarianis occupata.

HÆc de iis quæ gerenda erant. Sed quod ad geſta ſpectabat; 1
cùm è Sfondrati Veralliique litteris, ac Mendozæ dictis compertum eſſet, à Carolo ſimulatam putari cauſam Tridentini morbi, ad amouendum Concilium productam; nihil prætermiſere Legati, quo facti ſinceritatem comprobarent: ac Ceruinus præcipue, haud ignarus, in ſe potiſſimùm, quaſi operis fabrum, Cæſaris indignationem conuerti, culpam à ſe remouere ſtuduit, miſſis litteris, quarum hæc ſumma: Se non ſemel obſtitiſſe diſſolutioni Concilij; quæ tunc maximè fuiſſet irreparabilis, niſi turbinis impetus in tranſlationem deflecteretur, quod liquidò conſtabat ex feſtinato duodecim Epiſcoporum diſceſſu. Meram eſſe calumniam, hos à ſe fuiſſe compulſos; cùm in mentem prudentis viri cadere non poſſit, Legatos, vbi tranſlationem molirentur, paſſuros fuiſſe, ſe tot ſuffragiis fauentium ſibi Patrum, cùm vel maximè his opus erat, priuari; præterquam quòd inter duodecim homines patriâ ſtudioque diuerſos res ipſa adeò celari non potuiſſet, quin eam ex alicuius ore Cæſariani elicuiſſent.

2 Intereà haud omittebat Ceruinus admonere [a] Pontificem, Concilium otiari non poſſe, ſeu ipſius dignitate ſpectatâ, ſeu inopiâ Italicorum Patrum, quibus ad diutiùs ibi commorandum pecunia defuiſſet. Si Tridentum reduceret, præterquam ipſis volentibus, nec priùs auditâ reliquorum Principum Chriſtianorum ſententiâ, perinde ac per tranſlationis Decretum ſtatutum fuerat, eos tam acerbè exulceratum iri, vt funeſti cancrænarum exitus eſſent pertimeſcendi. Minus ſibi malum videri, [b] ſi (quod proponebat Sfondratus) vel apertè vel tacitè ſuſpenderetur, dummodò ea Patrum cohors Tridento decederet: id aliâ ratione obtineri non poſſe, niſi vtriuſque partis Epiſcopis Romæ accerſitis, vbi Pontifex cauſam diiudicaret, cuius eſt lites de Conciliis cognoſcere; quod actum eſt, cùm Paulus Samoſatenus Antiochenum oppugnauit. Credendum non eſſe, Hiſpanos aduocanti reluctaturos: vtcumque contingeret, abundè feciſſe, qui ſuas partes expleſſet.

[a] 21. Iulij, ex Diario.

[b] 21. Iulij, & 3. Septemb. ex Diario; & epiſtola Ceruini ad Maffeium, 23. Iulij 1547.

3 Verùm nondum Pontifex ad ſuſpenſionem propendebat, quippe nec opportunam Eccleſiæ, nec Cæſari ſatis tuturam; quia vſque

adeò cupiebat illius Synodi auctoritatem, & in ea Sedis Apoſtolicæ dignitatem[c] tueri, vt habuerit in animo ſe Bononiam conferre, & Legatos ſuper eo conſuluerit; [d] ſed ab his diſſuaſum, ratis præſentiam Pontificis in huiuſmodi rerum conditionibus, ſeruitutis potiùs quàm honoris ſpeciem Synodo præbituram. 1547.

c Ex Diario, 24. Auguſti.
d Litteræ Legatorum ad Farneſium, 27. Auguſti, ex Diario.

4 Aliunde tamen Concilio decus acceſſit. Promiſſa Regis Galliæ matureſcere iam cœperant aduentu Gallici Oratoris Claudij Durfei[e] nono Septembris, & cum eo Aquenſis Archiepiſcopi, & Epiſcopi Mirapicenſis, qui omnes iuſſu Regis, ſicuti memorauimus, Tridentinæ Synodo interuenerant. At contrà Cæſar ignominiæ ſibi ducens, Concilium à ſe reiectum ſuis probari, effecit, vt Pelargus à Treuirenſi [f] Septemuiro Bononiâ reuocaretur. Nec ceſſabat vrgere Mendoza, vt Seſſio differretur, idque non per ſolemnem Seſſionis actionem, prout anteà bis actum fuerat, ne delicatior irati Principis ſtomachus inutili oſtentatione commoueretur; ſed per conſeſſum priuatum, pro ea quam Patres ſibi ſeruauerant poteſtate. Et ſanè conſentiebant Legati tum dilationi, [g] vt Gallicorum Antiſtitum, qui nondum aduenerant, frequentiam præſtolarentur; tum priuato conſeſſui, quòd ea vanæ ſolemnitatis iterata oſtentatio grauitati dignitatique detrahere videbatur. Cumque Pontifex idem ſentiret, primò quidem vtrumque Legatis præcipit, adiectâ conditione, [h] Vbi aut nondum acceſſiſſent Galli, aut tam recenter, vt cum ipſis de habendis ſanctionibus ſatis agi non potuiſſet. Poſteà verò cùm Peruſiam adiiſſet comitante Mendozâ, variaque conſilia ſuggerente, Farneſij Cardinalis litteræ per peculiarem tabellarium ad Legatos delatæ ſunt, [i] quibus abſolute, nec ampliùs ſub conditione, id iniungebatur: ſed tum prioribus mandatis, quæ conditionem requirebant, tum poſterioribus, quæ rem abſolute imperabant, adiectum eſt, opportunum cenſeri, vt ad ampliorem libertatem retinendam, ac citra neceſſitatem reuocandi Decreti ſemel editi, ad incertum diem prorogatio ſanciretur.

e Ex Diario.
f 23 Auguſti, ex Diario.
g Litteræ Legatorum ad Farneſium, 1. & 6. Septemb. ex Diario.
h Litteræ Maffei ad Legatos, 30 Auguſti 1547.
i 6. Septembris Aſſiſio miſſæ, ex Diario, 7. Septembris.

5 Dum hæc gerebantur, res accidit, quæ Italicam quietem concuſſit. Die decimo Septembris viri quidam nobiles Placentini Petro Aloyſio Farneſio interfecto arcem occuparunt, & ad libertatem conclamarunt. Rei nuntium poſtridie Legati accepere, [k] eò magis anxij, quòd Octauius Farneſius, primus ex Petri Aloyſij liberis, ab ea ditione aberat, qui [l] ante triduum Bononiâ tranſierat, è Germania, vbi Cæſari militauerat, Romam regreſſus. Miſerunt igitur Parmam Ioannem Angelum Mediceum, Archiepiſcopum Raguſinum, qui aliâ tempeſtate, conditione & appellatione mutatâ,

k Ex Diario, 11. & 12. Septembris.
l 7. Septembris, ex Diario.

1547. Pius Quartus Pontifex Maximus appellatus eſt, quique id temporis erat Bononiæ gubernator, ſeu potiùs Prolegatus Moroni, Romæ Pauli accitu degentis: ſed poſtea Legati, conſtanti Parmenſium fide intellectâ, confeſtim recuperandæ Placentiæ negotium dedere Mediceo, militum delectu per Flaminiam ac Bononienſem agrum imperato, & communicatis cum Ferrariæ Duce conſiliis. Verùm biduo pòſt nuntiatum eſt, Ferdinandum Gonzagam, Mantuani Ducis patruum, & Mediolani rectorem, pluribus priuatis cauſis Farneſiorum familiæ infenſum, [m] ſuis militaribus copiis Placentiam ingreſſum: vnde maior Legatis inceſſit ſollicitudo, adeoque delectus militum ſtudioſiùs continuatus. Interim Octauius properè Româ reuerſus, [n] habitoque cum Legatis colloquio Parmam perrexit, quam in fide continuerant Comes Sanctæ Floræ eius ſobrinus, Sfortia Pallauicinus, qui Comitis ſororem, eiuſdemque Octauij pariter ſobrinam in matrimonium duxerat, & Alexander Thomaſonus Interamnenſis, militiâ egregius.

[m] Vide Adrianum lib. 6.

[n] Ex Diario, 15. & 16. Septembris.

Non tamen per eos dies Synodi [o] cœtus quidquam refrixerunt: 6
ſed perinde ac ſi pacis tranquillitate fruerentur, ſedulò ferueſcebant. Hîc equidem ambigo, riſu ne an indignatione Suauem excipiam, dum narrat, prorogatam Seſſionem, eiuſque priuatim prorogandæ modum, fuiſſe mœroris ſignificationem propter Petri Aloyſij cædem, adeoque prætermiſſas eo nomine & ſolemnem Seſſionem, & reliquas Synodi functiones, ne illarum causâ geminis per hebdomadam epiſtolis mœrenti Pontifici moleſtiam augerent: cùm potiùs ex legitimis tabulis compertum ſit, Legatos plurimis ante Farneſij infortunium diebus, & ex ſententia ſua, & ex mandato Pontificis, rogante Mendozâ, prorogationem priuato ritu habendam decreuiſſe, & actiones poſteà Concilij, rebus ſemper cum Pontifice communicatis, ne vnâ quidem hebdomadâ fuiſſe interruptas. Sed fortaſſe Suauis, vir nempe miſericors, haud fieri poſſe putauit, vt Pauli, Patrumque animis, ictu miſerabilis nuntij conſternatis, liberum eſſet rem proſequi; adeoque extra omnem falſitatis metum fidenter id ſumpſit, quod non alio, niſi natiuo ſui animi atramento legerat exaratum.

[o] Conſtat ex Actis & Diario.

CAPVT

CAPVT V. 1547.

Dilata ad incertum diem Seſſio. Luſitani aduentus. Quæ Sfondratus de Placentiæ rebus egerit cum Cæſare.

1 Generalis cœtus die 14. Septembris [a] conuenit, in quo relatas à Legatis prorogandæ tum priuatim tum ad incertum diem Seſſionis cauſas, quas memorauimus, omnes Patres, etiam Gallicis Epiſcopis & Oratore conſentientibus, comprobarunt. Poſt duos dies Antonius Helius, ex Aula Pontificis, eius Diploma Ceruino detulit, quo Placentiæ Legatus deſtinabatur. Etenim cùm initio ſolam Petri Aloyſij cædem, conclamatamque libertatem Paulus accepiſſet, quod in Placentinis aduerſos Farneſiorum dominationi animos oſtendebat, Eccleſiaſticæ ſaltem ditioni illos reſtituere nitebatur. Et ſanè cùm à coniurationis auctoribus, qui per primum facinoris æſtum vano libertatis nomine populum concitarant, ciues publicum in conſilium conuocati fuiſſent, & oſtenſum ipſis fuerit, [b] alicujus ſibi Principis imperium ſubeundum, quippe qui ſuis viribus diffidebant, fuit qui propoſuit, in Eccleſiæ poteſtatem redeundum; atque in hanc ſententiam [c] ab ipſa ciuitate, factum excuſante, ad Pontificem per certum curſorem litteræ datæ. Sed mox ſententia ſubiiciendi ſe Cæſari potior fuit, tum quòd omnes qui conſpirauerant, eorumque fautores, à Paulo tamquam ab ipſis læſo abhorrebant; tum quòd, Cæſarianis eorumdem ope iam arce potitis, non ampliùs aderat deliberandi libertas.

2 Poſt hæc ab Octauio & Gonzaga pauca quædam hoſtiliter acta. Verùm tempeſtas ob pluuiam bello incommoda, multoque magis commeatus vtrimque inopia, præter quædam reſponſa Octauio à Pontifice, & Gonzagæ à Cæſare reddita, ſuaſere, [d] vt vſque ad noua vtriuſque Principis mandata induciæ haberentur: datâ interim facultate Comiti ſanctæ Floræ, ac Sfortiæ Pallauicino (quibus Gonzaga iacturam minitatus fuerat rerum omnium quas in Cæſaris ditione obtinebant, niſi Farneſium desererent) ipſius partes impunè ſequendi. Ceruinus itaque deſtinatam legationem non iniit; de qua Farneſio Cardinali ſcripſerat, ad rem nauiter peragendam opus eſſe natiuâ ingenij in eam propenſione; ſe verò ad rem bellicam nihil planè [e] propenſum, quippe à cura Eccleſiaſtica longè diuerſam. Quare Synodi negotium eſt proſecutus, vbi frequentes habebantur cœtus, & quò [f] Luſitanus Epiſcopus Portuenſis, ad id vſque temporis, ſicut indicauimus, hæſitabundus, ſui Regis iuſſu tandem aduenit.

[a] Ex Diario, 14. Septembris.

[b] Adriano. lib 6.

[c] Conſtat ex reſponſo, quod Pontifex dedit 15. Auguſti, Alfonſo Delrio Cæſaris miniſtro: & ex Commentariis Farneſij Cardinalis, Nuntio Bertano traditis, poſteà citandis. Atque hæc omnia habentur in monumentis Borgheſiorum.

[d] Placentiæ firmatæ ſunt 7. Octobris, ex Diario 9. eiuſdem menſis.

[e] 16. Septembris 1547.

[f] 13. Septembris, ex Diario.

1547. Farneſiorum infortunium non minorem Germanico Legato 3
quàm Bononienſibus ſollicitudinem intulit: tum quia ſibi videbatur, tamquam vices Pontificis apud Cæſarem gerenti, debita in re tam graui officia cum eo Principe eſſe obeunda; & tamen nondum quidquam à Paulo commonitus, eiuſque voluntatis ignarus, neſciebat quænam ſibi verborum cautior forma eſſet vſurpanda: tum quia perſpiciebat, eo nouo ictu animos omnino diſciſſum iri, præciſis texturæ ſuæ filis, cùm concordia ex ipſa voce cordium coniunctionem ſonet. Dum his fluctuabat curis Sfondratus, ipſum [g] Epiſcopus Atrebatenſis Granuellani filius adiit; affirmanſque rem omnem inſcio Carolo contigiſſe, litteras Gonzagæ recitauit, ſcribentis, ſe priùs facti minimè conſcium, poſteà à coniuratis ciuibus fuiſſe accerſitum, vt eam vrbem nomine Cæſaris quibuſdam adiectis conditionibus obtineret; inuitantibus conſenſiſſe, ne quid turbulentius, quod impendebat, Italiam inuaderet: rogare proinde Cæſarem, ne rem à ſe geſtam damnaret, neque certum conſilium caperet, antequam certum hominem audiret, à ſe mox ad eam rem allegandum. Nec dubitauit reſpondere Legatus, Placentiam illicò reſtitutam, lydium lapidem futuram, quo Cæſaris ſinceritas & innocentia in ea illata Pontifici iniuria comprobaretur.

g Litteræ Sfondrati ad Farneſium, 17. Septembris 1547.

Elapſo biduo, cùm ſolemni Sacrificio intereſſet Legatus cum 4
Cæſare, quem diu graui laborantem morbo adire non potuerat, hic ſuâ ſponte, vultu ad mœſtitiam compoſito, dixit, ad Sfondratum conuerſus: Sibi grauiter patratum facinus doluiſſe, cùm interfecti Ducis, tum Pontificis causâ, & præſtolari miſſum à Gonzaga nuntium, à quo plenè de re doceretur. Legatus cùm longiori aptum colloquio tempus non eſſet, ſubiecit; Moneri à ſe atque orari Cæſarem, vt ea conſilia pro rerum conditionibus caperet, quæ animi ſui magnitudinem, æquitatem, ac probitatem decerent: ſibi nihil à Pontifice adhuc iniunctum, ſed pro ſui animi ſenſu longiorem cum Atrebatenſi habuiſſe ſermonem, quem Cæſari ab eo relatum arbitrabatur. Carolus per conſuetas Principibus reſpondendi formas reſponſo vacuas adiecit, Atrebatenſem numquam ſecum dum ægrotaret, de negotio collocutum; eo tamen audito rebus conſultum iri: atque ita digreſſi.

Paulò pòſt adfuit Gonzagæ miniſter; [h] & Grannellanus Legato 5
ſignificauit, rem geſtam his rationibus excuſari: Gonzagam nonniſi iam re confectâ conſcium coniurationis fuiſſe; receptam poſteà à ſe Placentiam, ſibi oblatam à ciuibus; ne ſi reſpueretur, Gallo ſe dederent: conuentum in pactionibus, ne ampliùs ea vrbs Farneſiorum

h Ex literis Sfondrati ad Farneſium, 21. Septembris 1547.

rum aut Eccleſiæ dominatui ſubiiceretur. Legatus litem inutilem 1547.
euitaturus, dixit: A ſe quidem occultam Gonzagæ culpam non quæri, ſed vrbem, quæ palàm erat in Cæſaris poteſtate, & quæ omni planè iure debebatur genero filiæ, ac nepotibus ipſius Cæſaris, aduerſus quos nullus poterat obtendi color, nulla ſuſpicio. Tum reſpondente Atrebatenſi, Cæſarem, quæ conuenirent, acturum, ſed mirum eſſe, à Pontifice nondum quemquam huius rei causâ miſſum; repoſuit Sfondratus: Partes potiùs fuiſſe Cæſaris, à quo vrbem occupatam conſtabat, huiuſmodi fungi officio apud Pontificem & læſum & ſpoliatum, quo ſui ſinceritatem animi declararet. Iuratus affirmauit Granuellanus, id planè agitatum; ſed nondum peractum, quòd Gonzagæ miniſter expectaretur, qui rerum ſtatum exponeret: ſi enim Cæſar quemquam allegaſſet ad Pontificem, verendum erat, ne, Placentinis in ſuſpicionem actis, ſubiretur diſcrimen alicuius perturbationis, vtrique Principi æquè pernicioſæ. Tunc liberè Legatus hæc reddidit: A Cæſare, eiuſque adminiſtris pro certo poni, rectè ſincereque hac in re Cæſarem agere; ſed non item à ceteris credi: rei ſummam, cui nihil apponi poſſet, ad hoc redigi: Vbi ea vrbs reſtitueretur abſque tergiuerſationis mora, ſeu recompenſationis negotio, ſinceram illam Cæſaris voluntatem legitimè comprobatum iri: inde pariter orituram inter Pontificem & Cæſarem eam animorum coniunctionem, quæ forſitan anteà non extiterat, & cum optima ſpe ingentis emolumenti, & vtrique Principi, & Chriſtianæ Reipublicæ prouenturi. Quòd ſi Placentia minimè redderetur, perſpicuum fore, qui mala crediderant, vera crediditſſe, idque ſummo incommodo rei tum ſacræ tum profanæ futurum. Atque hæc de Placentiæ rebus.

6 De Synodi temperamento, quod Mendoza Peruſiæ ſuggeſſerat, vt nimirum vtraque Epiſcoporum cohors Ferrariam aut Vicentiam conueniret, ibique leges aliquot concorditer ederent diſciplinæ reparandæ neceſſarias, dixit Atrebatenſis: Exitum Seſſionis celebratæ ſeu prorogatæ priùs expectandum; indicauitque optima fuiſſe Româ perſcripta de Farneſij Cardinalis opera ad Pontificem leniendum. Sed reuerà [i] conſilia à Farneſio & Mendoza, concordiæ paciſque cupidine ſuſcepta, alioquin implicata erant & ardua, adeoque Cæſarianis minimè accepta. Hi verò Comitiorum exitum præſtolabantur, à quibus in comperto erat, disertè poſtulatum iri, vt Synodus Tridentum reuocaretur. [k] Inde Ioannes Figueroa miſſus eſt à Cæſare in teſtificationem doloris ad Octauium Farneſium, & mox ad Pontificem. Cùm autem Atrebatenſis Sfondrato

[i] Litteræ Sfondrati ad Farneſium, 21. Septemb. 1547.

[k] Litteræ Sfondrati ad Farneſium, 23. Septemb. 1547.

1547. drato communicaſſet narrationem Gonzagæ, quâ ſe initæ conſpirationis ignarum, ſicuti narrauimus, oſtentabat; ille ratus, rem ſibi diſſimulandam non eſſe, ſubiecit: Ex variis litteris è Mediolanenſi Prouincia non ad ſe, ſed ad alios ſcriptis haberi, pridie quàm facinus patraretur, fuiſſe Laudi, Cremonæ ac Papiæ milites & arma parata; de cetero rem illius iudicio à ſe permitti, ſed de his fruſtrà diſceptari: rei cardinem, ſinceræ mentis teſtificationem, amicitiæ vinculum, in Placentiæ reſtitutione ſita eſſe. Idem monuit, vt per eiuſdem ſententiæ tenorem loqueretur Sfortia Pallauicinus, ab Octauio ea de cauſa Legatus ad Cæſarem.[1]

Ac primùm quidem Aula Cæſaris non mediocri fortunæ beneficio tribuit tam præclaræ vrbis ſine vllo impendio acceſſionem. 7
Verùm poſteà perpenſum eſt, multarum rerum pretium anticipatum perſolui, multarum poſt habitam aliquamdiu poſſeſſionem, ſed cum fœnore: numquam Pontificem quieturum, niſi eo quod ſuum erat, recepto: Principes Italicos, quippe ſollicitos, Gallicos, quippe æmulos, tam honorificum nomen æquitatis Eccleſiæque iuuandæ minimè neglecturos: ſapidos omnes cibos haud ſemper nutrire, multos concoqui non poſſe, & in maciem ſolui: potiſſimum Principum robur in contentionibus, ad ſubditos ſibi promptos habendos, & reliquos ſibi addictos, eſſe honeſtatem cauſæ; & tamen hanc inhoneſtiſſimam conſpici: tamquam latronem dilaceratum fuiſſe legitimum dominum, cui Cæſar filiam ſuam in nurum dederat; de quo multæ quidem ſuſpicionum vmbræ à Cæſarianis pingi poterant, ſed nihil ſolidæ offenſionis tangi: occupatam vrbem, ante trigeſimum penè annum ab ipſo Carolo Eccleſiæ redditam per initas pactiones, quando Eccleſiaſticorum armorum ope Mediolanenſem Principatum recuperauit: eamdem retentam legitimo ſucceſſori, eius filiæ coniugi, qui Carolo tot in bellis tam egregiè militauerat.

[1] Peruenit 28. Septemb. vt ex epiſt. Sfondrati ad Farneſium, ex qua conflant quæ ſequuntur.

Hæc animis agitata, Cæſari ac prudentioribus conſiliariis, illius lucri gratiam eleuabant: ſed mortalibus graue ſemper eſt, ne ſtrenulâ quidem quantulacumque acceptâ, reſtituere; idcircò aliquod inde compendium exiſtimationis vtilitatiſque conquirebant: exiſtimationis quidem, volentes vrbem à Cæſare ſponte reſtitutam videri, eius recuperatione nonniſi per Caroli clementiam à Paulo tentatâ; vtilitatis verò, muſſitantes, potiorem eſſe conditionem poſſidentis: qui petit, oportere vt ab altero leges accipiat; adeoque aliquam in rebus publicis compenſationem præſtolabatur à Pontifice, in quem vnum ſuſpicionis diſſenſioniſque cauſas regerebant; 8

cùm

cùm alioqui Farneſios, Ducem & Cardinalem, in rem Cæſaris benè ſe geſſiſſe faterentur. 1547.

9 Reuerſus itaque Carolus è venatu, cui recreandi animi gratiâ poſt morbum parum temporis inſumpſerat, vno eodemque die [m] Legatum & Pallauicinum audiit. Legatus prior ingreſſus expoſuit: Etſi nullæ ſibi poſt Placentiæ turbas eſſent allatæ Pontificis litteræ; ſe tamen ſuggerere Cæſaris prudentiæ, eam eſſe vel maximè conſpicuam opportunitatem, per quam ipſe deberet animi ſui præſtantiam cunctis nationibus palàm facere. Hîc verò poſuit ob oculos illatam à Mediolanenſi Gubernatore iniuriam, Octauij Farneſij merita, & dolorem infligendum Pontifici. Cæſar excuſato Gonzagâ reſpondit, Se in loco filij Octauium amare, idque in rebus ad eum tantummodò ſpectantibus oſtenſurum; ſed minimè ſibi videri maiorem à ſe habendam rationem Octauij, quàm à Paulo haberetur: indicans, per ea quæ Pontifex egerat, nihil ſe ad iuuandum Octauium ſtimulari. Tum Legatus apertiùs infit: Sæpiùs à Cæſare hæc indicata; adeoque haud ſibi prætermittendum in tam graui rerum momento, ipſi reuocare in memoriam non modò reiectas à Pontifice innumeras opportunitates grauiter lædendi Cæſaris, ſed etiam, ſubductis ritè rationibus, expenſam in ipſius commodum maiorem prouentuum partem, ſui Pontificatus ſpatio acceptorum: atque huiuſmodi ſuppetiis potiſſimùm referendam abſolutam illam dominationis vim, quâ denique in Germania potitus fuerat: præterquam quod quidquid pariter in Italia Cæſar poſſidebat, ope Sedis Apoſtolicæ poſſideri; cui proinde plus quàm reliqui Cæſares ipſe debebat. His nihil à Carolo reſponſum. Dein inſinuauit Legatus; Si hæc amarities, adeò rationi diſſentanea, in animo Pontificis relinqueretur, rem Chriſtianam perturbatum iri, & in primis Concilium, quod maximo in diſcrimine verſabatur. Sed reſpondente Cæſare, Priuatas res haud publicis permiſcendas; adiecit ille, Alteras alteris influere, cùm ab iiſdem cauſis pendent, quæ ſunt Beneuolentia ac Fidentia inter Principes, aut aduerſæ animorum affectiones. Demum Cæſar, Se nihil, ait, reuerentiæ obedientiæque, ſemper à ſe in Apoſtolicam Sedem præſtitæ, defuturum; curaturumque, quantum in ſe erat, in iis Comitiis quæcumque Religionis emolumenta, remque omnem Pontifici ac Legato communicaturum: de Placentia nihil adhuc apud ſe ſtatuiſſe, rei tamen conuenienter & æquè conſulturum. Legatus accepto reſponſo tam ieiuno ac tam languido, vt robur animumque præferret, per has quaſi obuolutas minas, nec reuerentiâ vacuas, ſermonem abſoluit:

[m] 2. Octobris, ex litteris Sfondrati ad Farneſium, eodem die.

Cæſar,

1547. *Cæſar, quando nihil adhuc apud te ſtatutum habes, equidem moneo, vt illud ſtatuas, quod non ſolum honeſtum, ſed citum ſit; aliter neceſſarium opportunumq́; remedium haud conferetur.*

Statim poſt Legatum Sfortia Pallauicinus ingreſſus ſermonem habuit, mixtum breuibus ſed acerbis in Gonzagam querelis, & prolixis officioſiſque precibus erga Cæſarem. Eædem illi quæ Legato redditæ obſcuræ reſponſiones, ſed dubiâ quâdam luce aſperſæ: adiecit enim Cæſar, nolle ſe Placentiæ causâ cum Pontifice diſſidere. Verùm huiuſce poſtremæ ſpei ſcintillæ mox elanguerunt frigidæ reſponſionis iniectu, quam vtrique [a] Granuellanus reddidit Hiſpanico ſcripto huius ſententiæ: *Poſtquam Cæſar audiuit quæ ſibi Legatus, ac poſteà Sfortia Pallauicinus, de cæde Petri Aloyſij Ducis, ac de re Placentina expoſuerunt, omnibus perpenſis iterùm reſpondet: Facinus ſibi diſplicuiſſe Pontificis causâ, ac præcipuè Farneſij Cardinalis, Octauij Ducis, & Margaritæ filiæ. Verumtamen vt rebus opportunè conſulatur, oportere non modò cauſas expendi à Cæſare, quibus adductus Gonzaga ea peregerit, & ex altera parte neceſſitudines nexuſq́; cum Farneſiis; ſed etiam auctoritatis Cæſareæ, & quietis Italicæ rationem haberi. Vbi verò de his omnibus plenè cognouerit, rem cum Pontifice communicandam. Interim ſe Gonzagæ mandaturum, ne quid vltrà moueat, modò idem ex altera parte præſtetur; præſertim cùm inaudierit, tam intra quàm extra Italiam res nouas tentari: quod tamen ait Cæſar nolle ſe credere, cùm ob ea quæ Farneſius Cardinalis Oratori ſuo Romæ ſpoponderat, tum ob ſupplices modos, quos Octauius in ipſum Cæſarem præ ſe tulerat. Vbi verò aliter agi reſciret, haud omiſſurum rebus opportunè proſpicere.* Ita qui præpollet viribus, iniuriæ ſibi vertit, cùm eas in ipſum adhibent alij, vel vt ius ſuum vindicent; nec patitur, vt quiſpiam à ſe iuſtitiam niſi tamquam beneficium poſtulet. 10

[a] Ex litteris Sfondrati ad Farneſium, 7. Octobris 1547.

CAPVT VI.

Litteræ Præſulum Eccleſiaſticorum Germanicorum ad Pontificem de reuocando Tridentum Concilio. Madruccius Romam à Cæſare miſſus, eique tradita mandata. Ceruinus Bononiâ Romam accitus.

INter alia, quæ Cæſar è turbis Placentinis ſperauerat, illud erat, 1 inde ſcilicet ineſcare Pontificem ad Synodum Tridenti reponendam; totuſque in eo defixus, curauerat vt hoc ipſum Eccleſiaſtici Ordinis viri, qui Comitiis intererant, clàm & inſcio Legato, ea de re poſteà cum ipſis conqueſto, adeoque non coniunctis

more

more collegij, Pontificem efflagitarent; [a] ſed per eum tenorem, 1547.
qui ſub melle ſupplicis petitionis aculeum minacis conteſtationis [a] 14. Septemb.
intentaret. Hæc fuit ſumma. 1547.

Compertas eſſe Pontifici Germaniæ calamitates, ob Religionis diſſidia adeò tumultibus cædibuſque perſtrepentes, vt ſi non aliunde, certè ex armorum fragore trans Alpes exaudiri potuiſſent. Minimè dubitari, malis omnibus obuiàm iri potuiſſe opportunâ tempori adhibitâ medicinâ. Et ſanè pro ea quam ipſi obtinebant Germanicarum rerum hominumque experientia, ſe ſemper vnanimes exiſtimaſſe, ope Oecumenici tantummodò Concilij funeſtam illam ſerpentemque flammam poſſe reſtingui: hinc pro ſua in Rempublicam Eccleſiaſticam fide, in pluribus Ordinum conuentibus Cæſarem precibus fatigaſſe, vt ad illud ab Apoſtolica Sede obtinendum auctoritatem ſuam impenderet. Semper pariter expetiiſſe, vt huiuſmodi Synodus in Germania celebraretur; idque non priuati commodi gratiâ, ſed quò faciliùs confluerent ij, quorum id plurimum intererat, & quorum præſentia plurimum etiam rei conducebat, quibuſque ſacræ profanæque rei adminiſtratione occupatis, non libebat inter eas procellas à clauo recedere: fuiſſe tandem impetratum, vt poſt indictas fruſtrà Mantuam ac Vicentiam, & poſt ſuperuacaneam pernicioſamque cunctationem, conuocaretur & aliquamdiu continuaretur Tridenti Concilium, adeoque in finibus Germaniæ, pro eo ac enixè poſtulatum fuerat, ſed procul ab ipſa, ob interpoſitas Alpes, ac veriùs in Italia. Hinc factum eſſe, vt paucis, vel nullis ex Germanicis ibi licuerit adeſſe, nec per ſe nec per ſuos internuntios, cùm præſertim in illis prouinciis bellum periculoſiſſimum arderet, ex ipſis Religionis controuerſiis exortum, cuius terror, ac militum excurſiones viam omnem adeundi Tridentum præcluſerant. Poſtremò, virtute fortunâque Cæſaris conſpirantibus, ac manifeſto Diuinæ opis præſidio temerariis hoſtium conatibus perfractis, meliorem ſpem affulſiſſe: ſed cùm ſibi quiſque ſuadebat, ſublatâ malorum origine, cuncta priſtinam ad quietem reditura, factum eſſe in portu naufragium, ſeu tranſlato, ſeu, prout alij loquebantur, diuiſo Concilio (hic verò Suauis ad Apoſtolicæ Sedis inuidiam additâ voculâ, tenorem mentitus, dicit, *ſeu potiùs diuiſo*) quod falcis inſtar non enatum modò lolium, ſed futura in poſterum praua ſemina excidere debuiſſet.

2 Pergebant per tragicas deplorationes oculis ſubiicere graues ærumnas, quas in Religione, fortunis, commerciis, ac regimine ſeptem ac viginti annos Germania tolerauerat. Iam ſi Apoſtolicæ

1547. Sedis auxilia nunc deeſſent, ſpem omnem occaſuram, ruituraſque res omnes in atrociorem quàm anteà malorum alluuionem. Proinde quàm intimis poſſent precibus ab eo ſe petere, vt Tridenti Synodum reponeret, cuius lux Religionis tenebras, procellaſque diſcordiæ diſſiparet; quibus diſiectis Germania ſe cæloque dignos fructus proferre poſſet. Si Pontifex ipſorum poſtulatis, non ſolùm æquis ſed neceſſariis, annuiſſet, ſe illi promptè obſecuturos quidquid Pontifex aggredi vellet, tum ad pacificandam curandamque Germaniam, quæ vti ægrior, ita maiori magiſque ſollicitâ curatione indigebat; tum ad vniuerſam Eccleſiam aptè componendam. Sin, quod auerteret Deus, abnueret; quid ipſis amplius conandum, quónam confugiendum, à quo expectandum aut flagitandum auxilium, niſi ab Apoſtolica Sede, quam humani generis Redemptor ſupra firmam petram aduerſus omnes inferorum impetus collocarat? Reputaret itaque Pontifex, vbi ipſorum preces, Germaniæque pericula, quæ nullam patiebantur moram, nihil impetrarent, quantum cladis expectandum eſſet: ideoque tempeſtiuè rebus conſuleret, ne, dum Sedes Apoſtolica in eo negotio nimiùm cunctaretur, alia inirentur conſilia, aliâque ratione cauſa dirimeretur. Hîc verò conſuetis obſequij amoriſque formulis epiſtola claudebatur.

Huic Pontifex haud ita citò reſpondit. Cùm enim ad ipſum Cæſar deſtinaſſet Madruccium, & vtrique Principi gratum, & rerum Concilij ſcientiſſimum, nihil certi ſtatuere poterat, niſi tam egregio Internuntio priùs audito: interim per Sfondratum moram priuatim excuſauit apud illum Ordinem; qui excuſationem admiſit, [b] ſed immobilis in voto perſtitit recuperandi in vrbe Tridentina Concilij. 3

b Litteræ Sfondrati ad Farneſium, 23. Decemb. 1547. & 8 Ianuarij 1548.

c Litteræ Sfondrati ad Farneſium, vltimo Octobris 1547.

Madruccij miſſio ita ſe habuit. Perſuaſerat in Ordinum Comitiis Cæſar hæreticis [c] Principibus, & mox aliquanto difficiliùs liberis Ciuitatibus, *vt ſe ſubderent* (huiuſmodi erant verba) *Decretis Concilij Tridenti celebrandi, quippe in vrbe nec admodum Germanis incommoda, nec ab aliis nationibus meritò recuſanda; in quo Concilio agenda res erat ex ſacrarum Litterarum Patrumq. doctrina: ſe verò tamquam Eccleſiæ Patronum polliceri effecturum, vt plenam loquendi libertatem, tutum ibi domicilium, & abeundi ſecuritatem obtinerent ij etiam, qui Confeſſionem Auguſtanam tuerentur: eò pariter per ſeipſos, aut, vbi præpedirentur, per Procuratores idoneos affuturos Epiſcopos Chriſtianarum omnium prouinciarum, præcipuè verò Germaniæ, cuius gratiâ Concilium illud inprimis habebatur.* Hic libellus ad Comitia priùs relatus, [d] dein ab Atrebatenſi communicatus Legato, haud ipſi placuit; tum quia 4

d Litteræ Sfondrati ad Farneſium, 21 Octobris 1547.

nulla

nulla fiebat Sedis Apoſtolicæ mentio; tum quia eiuſdem Sedis 1547. nondum quæſito conſenſu tam fidenter Concilium ſpondebatur. Sed de primo reſponſum eſt, eam apertam mentionem fuiſſe prætermiſſam, ne in verborum litigia impingeretur, cùm ſatis eſſet tacita mentio, illis verbis incluſa, *ex Patrum doctrina*: ad alterum dixere, ea de re iam fuiſſe ſtatutum. [e]

[e] Litteræ Sfondrati ad Farneſium, 17. Nouemb. 1547.

5 His ita decretis, Septemuiri non ſolùm Catholici, ſed etiam hæretici, die quâdam quaſi ex improuiſo Legatum adiere, conuiuæ non inuitati, ſingularem ipſi reuerentiam præferentes. Induxerat Carolus in animum, per hæc Comitiorum Decreta in manu ſibi repoſitam ſumma ſua cum dignitate tum Religionis concordiam in Germania, tum reſtitutionem Concilij in vrbe Tridenti; nec eam poſſe à Pontifice denegari, quin is Germanicæ reconciliationis turbatorem ſe proderet. Idcircò hæc Madruccio tradita [f] mandata: Ipſum ad Pontificem à Cæſare mitti, quippe virum adeò & Pontificis ſtudioſum, & earum rerum peritum. Exponeret Pontifici, tum Cæſaris tum fratris Romanorum Regis nomine, Dei ope ſupra omnem humanam ſpem effectum, vt cuncti Principes Ordineſque Germaniæ ſubiicerent ſe iudicio Concilij, quod Tridenti celebraretur: & quamquam in maximam ea de re difficultatem offenſum eſſet ſuper auctoritate, quam in Concilio Apoſtolica Sedes exerceret, vtpote alteri parti ſuſpectam; tamen haud conſenſiſſe Cæſarem, huiuſmodi ſubiectionem quocumque modo coarctatam conditionibuſque circumſcriptam, ſed liberam & abſolutam futuram. Proinde Madruccius vtriuſque Principis, Ordinumque Germanicorum nomine rogaret Pontificem, vt Concilium Tridenti reponeret, abſolueretque; quod is effecturum ſe ſpoponderat, quandocumque huiuſcemodi Synodo Germania ſe ſubmitteret, ſicut in præſentia ſe paratam exhibebat: cùm Cæſar minimè dubitaret, Pontificem maximè gauiſurum ob factam ſibi & Eccleſiæ auctoritatis acceſſionem; nec neglecturum tam egregiam redintegrandæ Chriſtianæ Reipublicæ, reparandæque iacturæ, quam Petri Sedes paſſa fuerat, opportunitatem, tantâ auri vi, tot incommodis, tam graui etiam vitæ diſcrimine coëmptam à Cæſare: ac præſtiturum hoc pacto Pontificem, quod ſemper obtulerat quà ſuâ quà ſuorum Nuntiorum ac Legatorum linguâ. Quod ſi perficeret, pro certo haberet, numquam deſtiturum Cæſarem ſuo perfungi munere in ſacroſancta Fide ac Sede Apoſtolica prouehenda, pro eo ac ſæpiùs promiſerat. Sin autem id Pontifex recuſaret, quod credere nolebat Cæſar, ſatis ipſi futurum excuſationis apud Deum, apud Pontificem, apud omnes mortales,

[f] Profectus eſt 6. Nouembris & 18. vt conſtat ex epiſtola Sfondrati ad Farneſium eâdem die miſſa: ad eum fuere mandata, quæ ſubſcripta leguntur die 10 & extant in libro mandatorum apud Archiuium Vaticanum.

Q 2 cùm

1547. cùm quod in ſe erat præſtitiſſet ad remouenda tam grauia Religionis incommoda, quæ Pontifex pro ſua prudentia ſane proſpiciebat, quæque ab Oratoribus ipſius Cæſaris ſæpiùs fuerant illi propoſita, atque à Pontificiis Legatis in Germania ſub eorum oculos imminentia perſpecta fuerant.

Cumque animaduerſum eſſet, donec negotium Concilij decerneretur, opus eſſe, res Fidei in illis prouinciis aliquâ ratione ordinari, nec ibi quiſquam adeſſet cum Pontificia ad id peragendum poteſtate, peteret à Pontifice, vt viros eâ inſtructos facultate delegaret, quò interim malis, quantum fieri poſſet, occurreretur. Exponeret pariter Pontifici, quidquid ipſe Madruccius Germaniæ ſaluti neceſſarium in morum correctione cognouerat. Quoniam autem petitioni reuocandi Tridentum Concilij fuerat nonnumquam à Pontificiis obiectum, huiuſmodi Synodum, ſi Pontifex occumberet, conaturam fortaſſe nouam ſibi electionem Pontificis arrogare; Cæſarem profiteri, ſuam ſemper fuiſſe mentem, nonniſi Romæ ac more conſueto Pontificem eligendum, prout ius poſtulabat, fidemque Cæſaream obſtringere ad id obſeruandum. Et quamuis ſperandum eſſet, ſuperfuturum Concilio Pontificem, eiuſque fructus collecturum; tamen quidquid eueniret, curaturum Cæſarem, vt nonniſi vir ſanctiſſimæ grauiſſimæque dignitati par ſufficeretur: hæc promiſſa, quò magis rei cautum eſſet, à Romanorum Rege, deſignato ſucceſſore Cæſaris, ſi fortè is obiret, firmatum iri. 6

Suauis dum hoc poſtremum refert, primò per falſam facti narrationem, deinde per falſam interpretationem mirificè peccat. Quod ad factum pertinet, longè aberrat à vero, narrans in mandatis haberi, conſiderandum, ac ſtatuendum eſſe, ſi contingeret Concilio extante Sedis Romanæ vacatio, num à Synodi Patribus, num à collegio Cardinalium eſſet Pontifex eligendus. Profundæ dein interpretationis Suauianæ additamentum eſt, voluiſſe Cęſarem in memoriam Pauli reuocare ætatem decrepitam, mortiſque propinquitatem, adeoque ipſum commonere, ne poſteris ſuis tam formidabilis inimicitiæ hereditatem relinqueret. At hæc commentatio diſcordat à contextu, cùm initio illius capitis dicatur, ſicuti narrauimus, huiuſmodi difficultatem de noui Pontificis electione, ſi Paulus moreretur permanente Concilio, fuiſſe Cæſarianis ſæpiùs obiectam à Pontificiis (quod veriſſimum eſt, & ex plurimis Hiſtoriæ noſtræ locis colligi poteſt) atque ad eam difficultatem diluendam, cautionem à Cæſare oblatam fuiſſe: in qua pariter conſiderabatur, 7

batur,æquè fieri poſſe, vt Carolus præmoreretur, dum ad conſulendum rebus in eo euentu, adiecta fuerat Ferdinandi Regis obligatio. 1547.

8 Sed reliquam mandatorum partem expediamus. Habebatur in illis: Si Madruccius difficilem ad opus adeò Religioni neceſſarium experiretur Pontificem, poſt impenſa ſimul cum Oratore Mendoza quàm maxima poſſent officia, publicam, quantum liceret, ea de re fidem acciperent, atque aut in Senatu, aut per aliam pro ipſorum arbitratu formam, monerent Cardinales, Principum Oratores, alioſque illuſtres viros publico munere præditos, vt cunctis innoteſceret, nihil ſuarum partium, Diuini honoris, reique Chriſtianæ causâ fuiſſe à Cæſare prætermiſſum. Quòd ſi Pontifex, quod minimè credendum erat, iuberet Patres Bononiæ aliquid agere Tridentinæ remigrationi aduerſum; Orator proteſtationem ex formula traditi ſeorſim ſcripti adhiberet.

9 Bononiâ Madruccius iter habuit, ibique cum Octauio Farneſio collocutus.[g] Dein exeunte Nouembri Romam ingreſſus, mandatorum exemplar Pontifici tradidit, quod perinde erat, ac per quietem conteſtari, antequam per ſtrepitum conteſtaretur. Verùm Pontifex, quò de reſponſione conſultiùs deliberaret, Ceruini monitum amplexus erat, ne quidquam, niſi priùs vno ex Legatis audito, certi ſtatueret. Ceruinum ergo iuſſerat, antequam Madruccius perueniret, mutatis equis[h] curſoribus ad ſe contendere. Is verò die 9. Nouembris ſalutatis Patribus, pollicitus eſt, vti ſemper Tridenti ac Bononiæ corporis animique neruos intenderat ad ſacroſancti Cœtus commoda dignitatemque procuranda, perinde ſe Romæ conaturum: ſperare ſuam abſentis moram haud diuturnam fore: eos interim rogare, ne in laboribus tepeſcerent, atque vt vtriuſque Legati auctoritatem & amorem agnoſcerent in Montano, qui manebat. Multi cùm per eam occaſionem repeterent memoriâ valetudinis detrimenta, quæ Ceruinus ſub inclementia Tridentini cæli perpeſſus fuerat, indefeſſam aſſiduitatem in publicis priuatiſque congreſſibus, vigilias in doctrinæ ſtudio, meditationis ſolertiam in emendatione morum promouenda, in componendis diſcordiis dexteritatem, in conſiliis excogitandis prudentiam, recti tuendi ſtudium, vim animi quâ potentioribus obſtiterat, firmitatem in periculis contemnendis, quarum virtutum præſtantiâ ſecundus quidem gradu, ſed primus operâ Concilium congregarat, ſuſtinuerat, defenderat, nobilitarat, & auxerat, eum quaſi corporis illius animam agnoſcebant; adeoque perinde ac in animæ à corpore ſeiunctione, eius diſceſſum lacrymis proſecuti ſunt.

g 17. Nouembris, ex Diario.

h Litteræ peruenere Bononiam 8. Nouembris, ex Diario.

1547.

j Litteræ Ceruini ad Collegam, 26 Nouembris 1547.

Romæ Pontificem ac Farneſium Cardinalem [j] multò conſtantiores nactus eſt, quàm cum Collega ſibi perſuaſerat. Et Pontifex quidem vel in primis cum Madruccio colloquiis prævalidum præ ſe tulit non animi ſolùm, ſed corporis robur, quod ipſum animi robori firmitatis æſtimationiſque plurimum conciliabat. Fortis tamen eſſe, non pertinax volebat: quapropter Sfondratum & Montanum conſuluit, quid Madruccio reſpondendum putarent. Ac Montano, quippe propiori, Cæſaris mandata, quæ narrauimus, communicauit; ſignificauitque, multos ex Patribus, in eam rem Romæ delectis, ad ſuſpenſionem propendere: quemadmodum fieri conſueuit in arduis vtrimque quæſtionibus, in quibus minùs incommodi exiſtimantur conſilia media; tametſi nonnumquam, quæ ſunt in agendo media, ſint extrema in nocendo. Patrum cœtus, qui ad ea negotia Romæ habebatur, valdè numero imminutus erat, cùm Ceruinus in vrbem peruenit. [k] Nam Sfondratus in Germania morabatur, Moronus ob turbas Placentinas, & ad aliquid opis Synodo ferendum, fuerat à Pontifice miſſus ad ſuam legationem Bononienſem, ac breui temporis ſpatio duos religioſiſſimos; eoſdemque doctiſſimos Vaticani Senatores illi cœtui mors abſtulerat, Sadoletum & Badiam: quare ad tres Purpuratos redactus erat, Bartholomæum Guidiccionum, Marcellum Creſcentium, ac Reginaldum Polum. Ex his primus, qui cum vbertate doctrinæ ſeueritatem planè Catonianam in ſe coniunxerat, Synodum, quidquid tandem obſtaret certaminis, Bononiæ peragendam putabat; duo reliqui periculoſum ſi cederet, periculoſum ſi obſiſteret Pontifex, arbitrantes, Legatorum conſilium repudiabant; ſed neque aliud à ſe excogitatum promebant: de ſuſpenſione diſputabant, potiùs vt aliquid dicerent, quàm vt firmarent. Siquidem plerique miniſtrorum, iuxtà ac medicorum, ſæpè abſtinent à conſiliis periculoſis proferendis, quòd interdum ſibi ipſi conſulere tutius eſt, quàm Principi, aut ægroto; quibus nullum experiri conſilium, quamuis periculo obnoxium, aduerſus imminentem ex graui malo perniciem, maioris certè periculi eſt.

k Litteræ Ceruini ad Moronum, 27. Nouembris 1547.

CAPVT

CAPVT VII. 1547.

Sfondrati ac Montani ſententia de Cæſaris poſtulatis, ac de Concilio.

1 SFondratus quoque duabus, quas Romam miſerat, breuibus diſſertationibus diſcrimina potiùs vndique minitantia, quàm remedia proponebat. Si Concilium, aiebat, Tridentum remigraret, numquam ſatis cautum prouiſumque futurum fuiſſe, ne ipſum aut in Sedis vacatione nouam ſibi electionem arrogaret, aut ne etiam viuente Pontifice, in reformandæ diſciplinæ negotio manum extenderet ad eum ſuis legibus ſubiiciendum, quem ipſi Chriſtus Principem conſtituerat: hinc graue ſchiſmatis periculum proſpici, ſpectatâ Cæſaris potentiâ, animiſque inter illum ac Paulum inuicem irâ percitis: at eadem inſtare diſcrimina, Concilio Bononiæ perſiſtenti, quod ceu irritum oppugnaretur à Cæſare, enixuro, vt aliud, ſiue Oecumenicum ſiue proprium nationis, coiret, cui pariter pro Cæſarei dominatus amplitudine ſtudia plurimorum fauerent. Loco denique conſilij, futuris rebus proſpicientis, præteritarum rerum reprehenſionem apponebat, per eam dicendi rationem, quæ ſine fructu ingrata Principi, oſtentationem ſapientis miniſtri potiùs quàm fidem ſonat. Dolebat neglectum fuiſſe, cuius ipſe auctor fuerat, conſilium; ne videlicet tam diſertè probaretur à Pontifice tranſlatio, vt ad inde recedendum nullus ipſi pateret aditus, vbi Reipublicæ ratio id poſtularet. Ita Sfondratus.

2 Montanus inſpectis Cæſaris mandatis, ſuſpicatus eſt, illius conſilium eſſe, [a] Pontificem, eiuſque Senatores cunctationis reos conſtituere, ob quam cogendæ Synodi auctoritas ad ſe deuolueretur; ſed obſeruauit hoc ipſum omiſſis aliis rationibus haud vim habere, dum non de Synodo nondum orta, ſed de iam enata atque adulta agebatur, & cui in ipſum Cæſarem poteſtas inerat: quare cùm ea ſuâpte ſponte ſedem mutaſſet, penes Cæſarem non erat, vbicumque libuiſſet, eam collocare, inuitis Synodi Patribus, Romano Pontifice, ceteriſque Principibus Chriſtianis, inter quos Chriſtianiſſimus Rex [b] ipſam Bononiæ comprobarat, aliis atque aliis eò miſſis in dies Epiſcopis; perinde atque ſuæ nationis Cardinales Romam continenter legabat, qui Pontifici aduerſus omnem Cæſarianorum conatum adeſſent. Neque quoniam hæretici Concilium Tridenti vellent, ſatis cauſæ eſſe cur eò retruderetur, tot Patribus Catholiciſque Principibus reluctantibus. Itaque ſi præſcripta Madruccio manda-

[a] Variæ Montani litteræ ad Ceruinum, 11. & 25. Nouembris, 2. 6. & 7. Decembris 1547.

[b] Conſtat ex Diariis Bononienſibus, & ex Actis Conſiſtor. illorum menſium.

1547. mandata ſolùm priuatim fuiſſent Pontifici reddita, ſicut ad id vſque temporis contigerat, auctor erat, vt priuatim ac leniter reſcriberetur iteratâ laudabili reſponſione, ac ſemper anteà vſitatâ Pontifici, nolle ſe adimere Concilio manendi diſcedendive quò liberet libertatem. De tranſlatione an legitima fuiſſet, cùm in Cæſareis mandatis nihil haberetur, nouam defenſionem haud adducendam; quod cœtus etiam Romanus laudauerat.[c] Sin autem Cæſariani ad publicam conteſtationem progrederentur; certum illis diem deſtinandum, quo Senatum adirent, reſponſionem accepturi: eam verò ibi ipſis reddendam præualidam, clariſque rationibus confectam; quibus etiam adiiceretur, aduerſus quemlibet quacumque dignitate conſpicuum, qui Patres ab adeundo Concilio præpediret, pœnas à iure ſtatutas expetitum iri; quandoquidem iuriſconſulti ea de re admodum ſeuere loquebantur, ne Cæſare quidem excepto. Ceterùm nullâ planè conditione huiuſmodi regreſſioni indulgendum: ſi namque Tridentina ſtatio priùs credita fuerat periculoſa; longè deinde periculoſior cenſebatur, poſtquam Placentinus tumultus Caroli animum in Pontificem patefecerat.

[c] Litteræ Ceruini ad Montanum, 8. Decembris 1547.

Et eo firmiùs huic ſententiæ Legatus inhærebat, quòd in generali conuentu, cùm de plurium Confeſſariorum reſtringendis priuilegiis ageretur, idque re priùs ad Sedem Apoſtolicam delatâ; quidam ex tranſmontanis Epiſcopis dixerat, opus non eſſe, vt quidquam ad Sedem Apoſtolicam referretur, nam ipſa per ſe Synodus pleniſſimam poteſtatem à Christo proximè ſibi collatam obtinebat. Tum verò Legatus cùm præuideret, non defuturos Patres, qui auctoritatis Pontificiæ ſtudioſi, eſſent acriter reſponſuri; & gnarus, huiuſmodi quodammodò pilas, cùm in duriora incidunt, reſilire, cùm in molliora, langueſcere, ore ad grauitatem compoſito dixit: Deo grates agendas, quòd poteſtas illi Concilio non deeſſet, cùm Eccleſiam certus indubitatuſque Pontifex regeret, cuius nomine ipſe Legatus, etſi eo indignus gradu, Synodo præerat: ceterùm Patres documento Sceuolæ iuriſperiti parerent; *Reſpondendum eſſe iis quæ proponuntur, non quæ adducuntur.* Atque hoc pacto Pontificiæ ſimul auctoritati, ſimul ne quid turbaretur, conſultum eſt. Quapropter, aiebat ille, cùm huiuſmodi ingenia vel inter Bononienſes Patres, ac Bononiæ conſpiciantur, quid timendum Tridenti tot inter capita variis Principibus addicta, & vbi pariter eò confluerent Proteſtantes, qui ſe in eam libræ lancem imponerent, quam aptam cognoſcerent ad Pontificiæ auctoritatis æquipondium? Neque ſibi ſuſpenſionem probari; quippe quæ quamdam ſpeciem præ ſe ferret, quaſi Conci-

Concilij & emendationis odio illi Pontifex conſenſiſſet: præterquam quod tunc ſemper eſſet Cæſarianis integrum, repoſcere Tridenti Synodum; Pontifex verò validiſſimo exarmatus reſponſo cauſari ampliùs non poſſet, Synodum perſiſtere, ac proinde ipſi de ſeipſa ſtatuendum. Poſtremò, ſuſpenſionem Cæſarianis metum excuſſuram, ne ſi res in aſperiorem diſcordiam ruerent, interfectores Petri Aloyſij ad Concilium accerſerentur, tamquam ſicarij ac proditores; quod crimen grauiſſimè ſupra reliqua plectitur à Iure Canonico; adeoque legitima quæſtio ſuper ea cauſa haberetur in quoſdam Cæſaris adminiſtros, ſed inferiores Gonzagâ, in quem, tantum ſcilicet virum, tam immane facinus cadere credendum non erat. Hinc porrò pergebat: Neque ſe pariter acquieſcere Bononienſis Concilij retentioni; tum quia Bononiæ quoque ingenia bile turgida, ſicut indicatum fuit, ipſe compererat; tum quia moroſitas otij nec honeſta nec diuturna eſſet futura. Vbi verò ad legitimam iuriſdictionis actionem deueniretur, exploratum ſibi eſſe, Hiſpanici fiſci Procuratores ibi degere, qui ſolemni obnuntiatione intercederent; [d] ac proinde verendum eſſe, ne conteſtationi tanti Principis, qui ferè omnia poſſe propter victorias tunc credebatur, multi Epiſcoporum ſuccumberent, quà opinione, quà metu, quà vtilitate compulſi. Conſultius ſibi videri, ſi regreſſo Bononiam Ceruino, referretur ex improuiſo ad Patres de tranſportando Romam Concilio; cui rei facilè conſenſuros veriſimile erat: atque his ita peractis, Pontificis conditionem honeſtiorem potioremque futuram; Cæſaris verò, ſuſpicionibus & curis obnoxiam. 1547.

[d] Ex Diario, 5. Nouembris.

4 Quod in altero mandatorum capite Madruccio iniungebatur, vt interim peteret miſſionem Præſulis, qui rebus Religionis in Germania conſuleret, donec à Concilio ſtatueretur; videri id ſibi vel maximè tempori conſentaneum, ſuumque in eo conſilium eſſe, vt ea de cauſa Legatus deſtinaretur ipſe [e] Madruccius, laudis auidus, & iamdiu cupientiſſimus huiuſce legationis; quâ delinitus, benefici canalis inſtar, repulſam præcipui poſtulati minùs amaram ad Cæſarem deferret. Poſſe illi adiungi duos Antiſtites, alterum Iuris Pontificij, alterum Theologiæ peritum; ita tamen, vt eorum, quæ ipſi agitarent atque arbitrarentur, confirmatio eſſet integra penes Pontificem.

[e] Conſtat ex diſſertatione à Madruccio ad Pontificem miſſa an. 1545 & ex variis literis Tridentinorum Legatorum.

5 Tertiò pariter Cæſaris poſtulato, de reformandis moribus in Germania, plenè ſatisfaciendum. Hæc fuit Montani ſententia: cuius poſterior pars eius animum oſtendit omni maleuolentiæ labe purgatum ex illatis à Madruccio offenſionibus, ſeu id naturæ bonitati,

 ſeu

1547. ſeu prudentiæ moderationi tribuendum: tametſi in huiuſmodi rerum conditionibus quiſpiam illius conſilij auctor nonnumquam eſt, quod non bonum ſibi videtur, vt bonus ipſe videatur.

CAPVT VIII.

Rei Placentinæ offendicula. Prima in Senatu conteſtatio Mendozæ. Pontificis reſponſio.

IN ſpem Cæſariani venerant, ſicut inſinuauimus, retentâ ſibi 1
Placentiâ, magnetem pariter penes ſe retenturos ad Pontificis animum quantumuis ferreum pertrahendum. Sed in ſummorum Principum ingeniis maiorem vim obtinet animi elatio quàm lucri cupiditas; magiſque iniuriæ dolore illa attolluntur, quàm ſpe recuperationis flectantur. Et ſanè animaduerſione dignum erat, in vtraque Aula vno concordique ſermone Principes vti; ſed ſermone huic contrario, inter eos tamen concordi, vti pariter Oratores. Nam in Germania[a] Legatus, ſimul & Fabius Mignanellus Lucerienſis Antiſtes, ad eam rem peculiaris Nuntius, Placentiæ reſtitutionem vrgebant; quippe quòd ab animo Pontificis ſuſpiciones diſiiceret, efficeretque, vt is fidentiùs in vrbe Cæſari ſubiecta Synodum reſtitueret. Mendoza pariter arte conſimili Farneſium Cardinalem hortabatur, ad enixe curandum, vt Pontifex in Concilij negotio Cæſari ſatisfaceret, quò hic placatior molliorque ad reddendam Placentiam flecteretur. Verum vti neuter Principum ſterilis ſpei frondes præſenti pretio commercari volebat; ita vtriuſque reſponſio concors erat, [b] non eſſe priuatum cum publico, cum ſacro profanum permiſcendum. Granuellanus aiebat, [c] Fuiſſe Cæſarem valdè progreſſum, dum & facinus ſibi diſplicuiſſe, & Octauium loco filij à ſe haberi ſignificauit. In reliquum, huiuſmodi reſtitutionis conſilia eſſe apud Principes omnium grauiſſima, adeoque paucos intra dies de his ſatis maturè deliberari non poſſe. Quare Mignanellus & Pallauicinus, ea de cauſa ad Cæſarem miſſi, [d] alter ad Pontificem, ad Octauium alter rediere. Sub idem tempus Pontifex Madruccij poſtulata delectis [e] Cardinalibus recognoſcenda propoſuit, eorumque ſententiam à Principe Purpuratorum in Senatu recitari iuſſit, quæ fuit huiuſmodi: [f] Collaudandam Cæſaris pietatem, quòd Proteſtantes ad ſuſcipienda Concilij Decreta compuliſſet, vnde ſpes melior de ipſorum ſalute concipi poſſet. Sed quo-

[a] Conſtat ex variis Sfondrati litteris ad Farneſium, & ex vnis ad Maffeium, 5. Nouembris 1547.

[b] Ex litteris Sfondrati ad Farneſium, 3. Nouembris 1547.

[c] Ex Sfondrati litteris ad Farneſium, 31. Octobr 1547.

[d] Prior ſub exitum Nouembris diſceſſit 1547. vt conſtat ex epiſt. Sfondrati, 2. Decembris. Alter Kal Ian. 1548. ex epiſt. Sfondrati ad Farneſium, 8. Ianuarij.

[e] Ex litteris Farneſij ad Poggium Hiſpaniæ Nuntium, 17. Decembr. 1547. & ex ſententia Cardinalium, quæ extat in Arch. Vaticano.

[f] 9. Decembris 1547.

quoniam ij Concilio Tridenti celebrando obſequium offerebant, 1547.
ideoque vt illic reponeretur Cæſar efflagitabat, poſſe ad ea reſponderi, tranſlationem ab ipſo Concilio liberè peractam, adeoque ad eiuſdem libertatem pertinere, Bononiæ degere, aut Tridentum reuerti. Ab eodem pariter pendere id quod ſecundo loco à Cæſare poſtulabatur, vt nimirum morum reparatio abſolueretur, de qua Concilium multa ſtatuerat. De miſſione Præſulum, qui rationem viuendi, quod ad Fidem ſpectabat, in Germania vſque ad exitum Concilij componerent, poſſe Cæſari fieri ſatis. Poſtremò ad id quod Cæſar pollicebatur, relicturum ſe Cardinalibus liberam Pontificis electionem, ſi fortè adhuc permanente Concilio ea eſſet habenda: quamquam rationes adeò validæ, perſpicuæ ac veteres ſacro Collegio ſuffragarentur ad Romanum Pontificem eligendum, vt in controuerſiam reuocari non poſſint; tamen agendas Cæſari grates de optima in eum ordinem voluntate.

2 His à Principe Senatus recitatis, Pontifex Madruccium, qui aderat, percontatus eſt, Satius ne putaret, exquirendas tunc Cardinalium ſententias ſuper iis, quæ ſelecti à ſe Patres ſcripto protulerant, an in alium Senatum reſeruandas, quò accuratiores haberentur. Ille à Pontifice petiit vt ſuperſederet, quia Mendozæ alia quædam ſupererant Pontifici & Cardinalibus exponenda. Id autem eo conſilio à Madruccio actum eſt, vel vt parata conteſtatio Pontificem nanciſceretur, Collegij comprobatione minùs inſtructum, & Collegium minùs diſertè Pontificis ſenſis addictum; vel, quemadmodum Ceruinus [g] ſuſpicabatur, vt per iniectam moram plures ex Bononienſibus Patribus officiorum ſtudiis ad ſe alliceret.

3 Dein in proximo Senatu, intra quinque dies habito, petiit obtinuitque Mendoza, vt ipſe publicè audiretur; [h] & ſe conteſtaturum ſignificauit: atque eo petente reliqui Principum Oratores à Pontifice aduocati. Ibi modeſto, ſed feruido vibratoque ſermone neceſſitatem expoſuit reportandi Tridentum Concilij, & cunctationis detrimenta. Quamuis autem ſæpiùs Pontifex eum interpellaret, Rem non ſibi, ſed aliis imputandam, hoc eſt Patribus Tridenti commorantibus, qui nolebant, ſeu veriùs vetabantur Bononiam adire contumaciam purgaturi, ac de Synodi loco cum reliquis conſulturi; tamen iuſſit poſtremò per hominem, qui ſibi à ſecretis erat, publicè reſponderi, ſe cum ſuis Cardinalibus pro rei grauitate deliberaturum, & in ſequenti Senatu reſponſa redditurum; cunctis interim qui aderant admonitis (pro eo ac Ceruinus præmonuerat) ne quis obnuntiationem orationemque Mendozæ publicis tabulis,

[g] Literæ Ceruini ad Montanum, 9. Decembr. 1547.

[h] 14 Decembris, in Actis Conſiſtorial. & fuſiùs ex epiſt. Farneſij ad Epiſcopum Mutinenſem, & ex Diplomate ad Synodum Bononienſem, 16. Decembris.

R 2 niſi

1547. niſi poſt auditam reſponſionem firmaret: quâ datâ, liceret cuique pro ſuo arbitratu legitimum de vtraque ſimul teſtimonium dicere. Egreſſo Oratore, Cardinales ſententiam à Pontifice ſtatim rogati, conuenere, cauſam ad Bononienſes Patres referendam, eorumque arbitrio committendam, [i] quod Pontifex miſſo per curſorem Diplomate perfecit. Intereà Madruccius, conſpicatus rem in offenſionum ſalebras agi præcipitem, cùm ſacræ dignitatis, tum accepti à Paulo beneficij memor, noluit tam grauis diſſidij miniſtrum agere. Româ itaque profectus, Mendozam turbidæ contentionis actorem reliquit.

i 26. Decembris, vt ſuprà.

Hæc Suauis dum narrat, ſæpiſſimè in errorum luto volutatur. 4
Ait, Madruccium in Senatu 9. Decembris retuliſſe Cæſaris mandata; à Pontifice redditum reſponſum, voluntate Cæſaris collaudatâ, captoque ad deliberandum ſpatio: poſteà verò Madruccium, cùm per varia cum Paulo colloquia fruſtrà tentaſſet illum ad bonum aliquod conſilium adducere, mandatis Mendozæ traditis abiiſſe. Ea omnia, aduerſus quàm narrat, euenere. Madruccius multò ante diem nonum Decembris, & non in Senatu, ſed priuatim in cubiculo, iis quæ ſuæ legationis erant Pontifici expoſitis, mandata Cæſaris ſcripto exhibuerat; quæ à Paulo ad Montanum tranſmiſſa, Bononiam peruenere vltimo Nouembris, ſicuti notauimus. In Senatu 9. Decembris præter recitatam delectorum Cardinalium ſententiam, petitamque à Madruccio dilationem rogandi ſententias in proximum Senatum, nihil actum eſt. Madruccius nequaquam ante poſteriorem hunc Senatum diſceſſit, ſed poſteà, & poſt priorem quam retulimus Oratoris conteſtationem. Hanc prætereà ſcribit habitam à Mendoza per opportunitatem publici Senatus, in quo Purpura Guiſio tradita eſt, eiuſque functionis gratiâ eò accedere cuicumque licet. At Guiſius iam antè, die 24. Octobris in publico Senatu Purpuram ſuſceperat; [k] Mendozæ verò conteſtatio in ſecretiori Senatu 14. Decembris excepta eſt, quò ille vnà cum reliquis Principum Oratoribus conſulto fuit admiſſus à Pontifice. Addit, ibi reſponſum fuiſſe Mendozæ, velle Pontificem rem Bononienſi Synodo communicare, eiuſque rationes audire: & tamen nihil aliud tunc ab eo reſponſum, niſi ſe deliberaturum: ac poſteà, Oratore digreſſo, ex Purpuratorum ſententia ſtatuit cognoſcere, quid Patres Bononienſes ſentirent. Sed noſtrum iter proſequamur.

k Ex Actis Conſiſtorial.

Miſſum itaque à Pontifice die decimo ſexto Decembris ad Montanum Diploma, ad illum decimo octauo peruenit. In eo enarratis ſingulis, quæ ad id vſque temporis euenerant, iubebatur Legatus 5

rem

rem omnem ad Patres referre, qui ſententiam ſuam quàm celerrimè Pontifici ſignificarent. Viſum erat Montano, iam tum cùm ex litteris Ceruini[l] reſcierat, à delecto Cardinalium cœtu id conſilij Pontifici datum, illud plenum eſſe diſcriminis: nec enim perinde ſibi præſtò erant Patrum ſuffragia, ac Suauis affirmat: quin expertus in quibuſdam ea fuerat turbulenta, minuſque obſequentia, ſicuti memorauimus; ob quæ ſibi in animum induxerat, Concilium Romam neceſſariò eſſe deportandum. Et ex altera parte ſatis intelligebat, in ea vt cùm maximè deliberatione ſibi iis agendi rationibus opus eſſe, quæ famæ oculis obuerſantes, nullam ſeu technæ ſeu violentiæ ſpeciem præ ſe ferrent. Præuidebat etiam ſolertiſſima Cæſarianorum ſtudia, qui æqualis circumſpectionis fræno minimè cohiberentur; ac facilè exiſtimabat, alios ſplendidâ componendæ Germaniæ ſpe allectos, alios metu præualido commotos ſiue publico ſiue priuato irritandi Cæſaris, qui Chriſtiani orbis duabus tertiis partibus imperitabat, & tunc potentiâ, virtute ac fortunâ inſuperabilis credebatur, remigrationi conſenſuros. Quamuis autem id quod anteà ab ipſo eiuſque collega potiſſimùm obiectum fuerat Pontifici, eſſe nimirum arbitrio Synodi rem committendam, purgatum foret ſi Patres de reditu conuenirent: tamen in eo etiam euentu præuidebat ille non ſolùm quædam ex iis incommodis, quorum causâ reditum pertimuerat; ſed nouum prætereà grauiuſque, poſitis recentibus ob tumultus Placentinos offenſionibus, videlicet, reſtitutum iri Tridenti Concilium non Pontificis voluntate, qui huiuſmodi beneficio Cæſarem recuperaret, ſed Epiſcoporum ſuffragio: qui vti ſibi perſuaſiſſent, rem Pontifici moleſtam, gratam Cæſari à ſe peractam; perinde ab altero ceu læſo & indignato alienarentur, & ad alterum ceu per ipſos voti compotem, ac patronum accederent: adeoque fore, diſputabat ille, vt tum vtriuſque Principis animi infenſiùs quàm anteà diſſiderent; tum Carolus, ob imperium quo ex fraterno iure vrbe Tridentinâ potiebatur, & ob clientelam Patrum qui Tridenti perſtiterant, quique illuc redierant, & Germanorum quos eò mitteret, Concilij arbiter euaderet. Hunc ipſe metum Ceruino[m] ſignificauit, vbi primùm ita de ſenſis delecti Romæ conuentus innotuit: ſed collega reſponderat, ab ipſo pariter conuentu periculum animaduerſum; illi tamen fortiter, quippe neceſſariò, occurrendum. Aliter enim, vbi Pontifex ſe haud indifferentem proderet, ſed litigatorem, æqui iudicis in ea cauſa exiſtimationem perdidiſſet. Adeò qui cunctis præeſt, æqualem ſe cunctis præbeat neceſſe eſt; ita vt quodcumque graue periculum

1547.

[l] Litteræ Ceruini ad Montanum, 8. & 9. Decembris 1547.

[m] Ex litteris Ceruini ad Montanum, 21. Decembris 1547.

1547. culum pro leui habeatur, præ illa in alteram partem propenſione, quæ euertit auctoritatem; cùm ab ea propenſione in ordine litigatoris redigatur is, qui per auctoritatem, ac vocem illam, *Nos*, ſpeciem in ſe poteſtatemque integræ Reipublicæ præfert.

CAPVT IX.

Cœtus Bononiæ habiti de Cæſaris poſtulatis; & reſponſa per litteras Pontifici reddita.

POſtridie quàm Diploma Bononiam peruenit, Legatus ad generalem conſeſſum Patres conuocauit; ibique recitari iuſſit mandata Cæſaris Madruccio tradita, ſententiam ſelectorum Cardinalium, à reliquis etiam in Senatu comprobatam, quâ ſolùm ſpectabatur, redeundum nécne Concilio eſſet Tridentum, ac Diploma Pontificium in eamdem ſententiam ad ſe perſcriptum. Addidit, Suas ſibi videri de more partes eſſe,vt in rei tam arduæ deliberatione proferret in medium quæ opportuna cenſeret, quò ipſi pleniùs edocerentur. Hîc verò ea propoſuit, quæ reipsâ illi à Ceruino 1

a 1. Decembris. [a] per litteras inſinuata comperio: Hinc non modicam rationem reconciliationis Germanicæ, ac poſtulatorum Cæſaris, Ferdinandi Regis, reliquorumque Germaniæ Ordinum habendam eſſe: hinc verò de illius Concilij dignitate ac futurorum exemplo cogitandum. Cunctis, ſiue præſentibus ſiue abſentibus, exploratum eſſe, quâ neceſſitatis vi, quâ ſinceritate, libertate, poteſtate Synodus fuiſſet tranſlata: adhuc tamen multos Epiſcopos Tridenti permanere, non ſine graui Concilij deſpectu; vtpote qui & promulgato coram ipſis Decreto, & litteris, quibus poſteà communi nomine fuerant accerſiti, obtemperare noluerint: quare ne ad poſteros pernicioſum hoc exemplum tranſmitteretur, æquius videri, eſſe contumacibus adeundam agnoſcendamque legitimam Synodum, quàm Synodo eò commigrandum, vbi contumacium turmæ perſiſterent.

Secundò, Proteſtantes polliceri quidem celebrando Tridenti 2
Concilio ſe ſubmiſſuros, ſed de celebrato nihil loqui: idcircò oportere rem dilucide explicari, planeque ſtabiliri, ne in nouam contentionem reuocanda eſſent præſertim Decreta doctrinæ, quippe iam à Catholicis vbique recepta, & quæ ſuapte naturâ ſemel legitimè pronuntiata ac firmata, ſemper certa ſunt ob certum ſancti Spiritus aſſiſtentis afflatum, adeoque ſine Fidei iniuria non ampliùs in deliberationem adducenda. Tertiò, ſpondere quidem Proteſtantes, ſe Chriſtianæ Synodo conſenſuros, ſed neutiquam explicare quid eo nomi-

nomine ab ipſis intelligeretur; & murmur exaudiri, eos aſſenſuros 1547.
Concilio populari, non autem Concilio pro vetuſtiſſimæ Eccleſiæ conſuetudine ex Epiſcopis conflato. Expromerent ergo ſua promiſſa diſertis verbis, quæ in varias ſententias flecti non poſſent, ne Synodus non tam ab illis acceptata quàm deluſa videretur. Quartò, Tridenti libertati Concilij tutiſſime conſulendum, ſiue Patres ſigillatim ſiue vniuersè ſpectarentur, adeoque nec ibi degere, nec inde proficiſci vetandos eſſe. Quinto loco, in mandatis à Madruccio expoſitis indicari, Synodum diutiùs protrahendam; quod rationi conſentaneum haud videbatur: idcircò dandam operam, vt conſtaret Patribus, integrum ſibi fore Synodum claudere atque abſoluere, quandocumque opportunius viſum eſſet. Hæc Patres perpenderent, haberentque ſimul præ oculis Deum, Chriſtianorum ſalutem, Concilij dignitatem, & pia Pontificis vota reconciliandæ Germaniæ, ac Cæſari, quantum fieri poſſet, gratificandi; proferrentque ingenuè ſententias, quas aura S. Spiritus ipſis afflaret.

3 Interfuere huic cœtui duo Gallici Regis Oratores, quadraginta octo partim Archiepiſcopi partim Epiſcopi, præter Antiſtitem Mirapicenſem, qui morbo detentus ſuam ſententiam ſcripto miſerat; ac prætereà ſex Religioſorum Ordinum ſummi Præſides: atque in his omnibus pauci numerabantur, qui Pontificia in ditione ſeu patriam ſeu Diœceſim haberent. Omnes in ſententiam iuere dictis Montani concordem, ſex exceptis. Hi fuere Braccius Martellus Epiſcopus Feſulanus, Angelus Paſchalis Dalmata Motulanus, qui Tridentum remigrandum cenſuere, modò libertati Concilij cautum foret, nullâ ceterarum rerum habitâ ratione; Balthaſar Limpus Epiſcopus Portuenſis in Luſitania, & Galeatius Florimontius Sinueſſanus Aquini Antiſtes, qui reditum laudarunt, dummodò Decreta iam habita in controuerſiam haud reuocarentur; Richardus Patus, Wigornienſis in Anglia Epiſcopus, qui dixit, opportunam ſibi reuerſionem videri, ceterùm à ſe rem Legato permitti; & Aluarus Quadrius Antiſtes Venuſinus, Hiſpanus, qui ſolus à ſua natione illic adfuit, & abſolutè regrediendum cenſuit. Quapropter pronuntiauit Legatus, litteras, per quas Pontifici reſponderetur, pro maioris partis ſententia dictandas, & in proximo conuentu recitandas.

4 Poſtridie, [b] peracto ad opem S. Spiritus implorandam ſacrificio ab ipſo Legato, litterarum [c] exemplar, quas vnà cum Maſſarello formarat, recitatum, & Patrum exquiſitæ ſententiæ. Ij qui pridie rem probauerant, iterùm aſſenſere: ex iis qui non probauerant, Wigor-

[b] 20. Decembris.
[c] Ex Actis, 19. & 20. Decembris.

1547. Wigornienſis aliorum auctoritatem ſecutus, litteras citra omnem exceptionem comprobauit; Portuenſis & Aquinus optabant, vt reditus Tridentum offerretur, vbi quæ litteris exigebantur, apertiùs declararentur; Motulanus tam celerem, tamque diſertam reſponſionem improbauit, ſed eam conſultiùs digerendam, aut magis ambiguam reddendam putabat; Feſulanus ac Venuſinus remigrandum abſolutè cenſuere. Multi poſteà minutiora quædam in verbis, vt aſſolet, obſeruarunt: ſed tandem conuenere, vt libera eſſet Legato eorum mutatio, rei tamen ſummâ retentâ.

d 21. Decembris 1547.

Poſtero itaque die [d] litteræ Romam miſſæ ſunt, latino ſermone, 5 ac Legati nomine, cui pariter Pontifex Diploma ſcripſerat. Cùm autem crederetur, has litteras communicandas eſſe Cæſarianis, renarrata ibi fuerant tum ea quæ Diplomate continebantur, tum quæ Patribus Montanus propoſuerat: ſententiarum verò ſummam fuiſſe: In primis laudari à Synodo Paſtoralem Pontificis curam, ſimulque Cæſaris erga Religionem ſtudium, ac pro ipſius ſacrique Imperij proſperitate preces ad Deum fundi: tum vtrumque ab ea rogari, vt boni conſulerent, quidquid in ea cauſa reſponſum eſſet, ſibi in animum inducentes, omnia ad incolumitatem pacemque Chriſtianæ Reipublicæ curandam prolata eſſe. Quamquam triennij iam ſpatio Patres in Concilio grauia corporis animique, ac rei familiaris incommoda toleraſſent, ob quæ durum videbatur, Tridentinos labores iterùm ſubire, cùm potiùs Concilij exitus ſperandus erat, ita iam expenſis digeſtiſque rebus, quarum cauſâ conuocatum fuerat, vt nihil amplius deeſſe videretur, niſi ſolemnis in Seſſione Decretorum promulgatio: tamen inter Patres adeſſe neminem, qui vt religioſo Pontificis ac Cæſaris ſtudio, & inclytæ nationis Germanicæ commodis ſeruiret, Tridentum regredi recuſaret, & grauiora inſuper ibi perpeti; ſi modò, dum ſola Germania curaretur, non ipſa Eccleſia vniuerſa per eam fortaſſis intempeſtiuam migrationem, & id temporis & in poſterum, manifeſtis perturbationibus exponeretur.

Hîc quinque rerum capita ante Synodi profectionem ſtatuenda, 6 à Montano perpenſa, & à Patribus probata, neruoſis concinniſque formulis apponebantur. In primo capite de Tridentinorum Patrum ad Bononienſes acceſſu, illius conuenientia ſimul & facilitas oſtendebatur, vtpote qui ab vnico Cæſaris nutu pendebat; proinde ſe id enixè ab eo petere: in ceteris quatuor, facilitate prætermiſſâ, vt quæ non æquè ac in primo capite patebat, ſolùm neceſſitas ante oculos ponebatur: reliqua verò, quæ vſui erant ad conſeruandam

1547.

dam Pontificis Sediſque Pontificiæ auctoritatem, ad auferendam quouis tempore ſchiſmatis materiam, ad fouendum Chriſtianiſſimi Regis, reliquorumque Principum erga Concilium beneuolentiam ac fauorem, in Pontificis prudentia reponi. Profitebantur denique, vbi ea capita intra iuſti temporis ſpatium haud ſatis firmata & explicata fuiſſent, velle Synodum, ſibi liberum eſſe, res iam agitatas ac perpenſas ſancire, atque pro diuini Spiritus afflatu progredi. Huiuſmodi reſponſionem cenſuiſſe Patres Cæſari reddi poſſe à Pontifice, & ex huiuſmodi ſententia eas litteras à Legato exaratas fuiſſe, eaſdemque confirmatas à cunctis Patribus denuò interrogatis, præter quatuor, quorum duos diſertè repugnaſſe (Portuenſis & Venuſinus indicabantur) duos reliquos eas ſub quibuſdam certis conditionibus laudaſſe, Feſulanum ac Motulanum, ſignificabant. Verùm hæc ipſa oppoſitio in Concilij dignitatem ceſſit, cùm Decreti auctoritas per eam examinis libertatiſque declarationem augeretur, per obſiſtentium numerum haud minueretur.

CAPVT X.

Reſponſa à Pontifice Mendozæ reddita in Cardinalium cœtu; & per litteras, Germaniæ Eccleſiaſticis.

1 HIſce litteris [a] Romam perlatis, & rem vrgente Mendozâ [b] quò ad Senarum Præfecturam rediret, vnde ad hoc negotium iuſſu Cæſaris Romam aduenerat, Pontifex haud exſpectato Senatu, qui ob Natalitias ferias cogi non poterat, die S. Stephano ſacrà, per opportunitatem conſueti Cardinalium acceſſus ad Pontificium ſacellum, eorumdem cœtum habuit, ac Synodi reſponſionem ipſis communicauit. Dein ex illorum ſententia poſtridie manè, confluentibus pariter in ſacellum Pontificis Cardinalibus ad anniuerſariam S. Ioannis memoriam celebrandam, iterùm Pontifex ſimilem cœtum coëgit, ad quem accerſito Mendozâ, per eum qui ſibi à ſecretis erat, in hanc ſententiam verba fecit: Illi extemplò reſponſurum fuiſſe Pontificem; ſed cùm Orator coram Cardinalibus quæ habebat in mandatis expoſuiſſet, ſatius exiſtimaſſe, illorum ſententias explorare, quod eo ipſo die præſtiterat. Enarrauit deinde ſuſceptum conſilium Synodi conſulendæ; celeritatem in eo adhibitam; vt Oratori ſatisfieret Diploma conſcriptum; quæ Concilij Præſes geſſerat, & quæ Patres reſpondiſſent de quinque capitibus, antequam quidquam moueretur, declarandis; quæ Pontifici pariter & Purpuratorum collegio rationi conſentanea viſa erant,

[a] 24. Decembris, ex epiſtolis Ceruini ad Montanum, eodem die.

[b] Litteræ Ceruini ad Montanum, 21. Decembris 1547.

1548. erant, ac Decretis Patrum ſuperiorumque Conciliorum conſonantia. Quod ſpectabat ad Pontificem, ſummoperè ſibi cordi eſſe Germaniæ ſalutem; quod omnibus, ſed præ ceteris ipſi Cæſari compertum erat ex luculentis plurium annorum teſtimoniis. Paratum eſſe ad omnia boni Paſtoris munera continuanda, cùm ſibi perſuaderet, à Cæſare, à Rege eius fratre, & ab inclyta Germanorum natione, non aliâ ratione ea poſtulari, niſi quatenus peragi poſſent abſque diſſidio ac perturbatione; ſed potiùs per pacem concordiamque reliquarum nationum, & illæsâ Concilij atque Eccleſiæ libertate.

Poſt hæc reſpondit Pontifex ad epiſtolam, quam retulimus, ab Eccleſiaſticis ad Auguſtana Comitia coëuntibus ſcriptam. Suauis huiuſce reſpondendi moræ conſcius, ſed neſcius allatæ multò priùs à Pontifice per ſuum Nuntium excuſationis, ſicuti notauimus, de ſuo homo ingenioſus, confingit, Paulum, indignatum ob epiſtolæ clauſulam, quæ ſpeciem minacis denuntiationis præferebat, ſtatuiſſe apud ſe, nihil reſcribere; verùm cùm audito Mendozâ pertimuiſſet ne apertè Cæſarem abalienaret à ſe, induxiſſe animum, reſponſum reddere, ne eos pariter Antiſtites à ſe deiungeret. Hæc fuit reſponſionis ſententia: Commendari à ſe ipſorum ſtudium in ſuis prouinciis componendis, & Eccleſiæ reconciliandis: eam ſibi curam iam inde a ſui Pontificatus initio infixam animo hæſiſſe: multa illius argumenta fuiſſe à ſe prodita; præcipuè verò ipſam electionem Tridentinæ vrbis, vbi Synodus collocaretur: quæ ſedes ceteris quidem nationibus erat incommoda, ſed vni Germaniæ propinqua & accommodata; eoque miſſis ſemel atque iterùm ſuis Legatis, nulli ſumptui peperciſſe. Atqui, ſi poſt indictam poſtremò Synodum quindecim iam menſes, tametſi nondum in iis regionibus belli tumultus obſtaret, nemo ferè è Germania neque per ſe neque per Procuratorem illuc acceſſerat, & tamen ex alicuius aduentu patere acceſſum conſtabat; id non eſſe imputandum Pontifici, ſed ipſis duntaxat, qui etſi propinquiores quàm reliqui, non ſolùm eò ſe conferre, ſed excuſationem mittere neglexiſſent. Interim tamen à non contemnenda frequentia Præſulum, ex remotioribus prouinciis adeuntium, fuiſſe iam per plurium concordiam multa decreta, quæ Fidem declararent, moreſque componerent, pleriſque recentium hæreticorum impiis doctrinis confutatis. Hinc palàm fieri, ſemper in Pontifice eam curam medendi Germaniæ viguiſſe. Quòd ſi biennio poſt indictam poſtremò Synodum inde diſceſſerat, id iniuſſu ſuo, & ſi liberet credere, ne ſe quidem conſcio 2

euc-

eueniſſe. Verumtamen cùm extra controuerſiam ſit, legitimo Concilio poteſtatem ineſſe conferendi ſe quò ſancti Spiritus afflatus vocat, præſertim ſui conſeruandi cauſâ, iuſtam, niſi contrarium probetur, adeoque ratam eam tranſlationem à Pontifice habendam eſſe: & quamquam ab ea pauci quidam diſſentirent, ſtandum tamen iis, quæ longè maior Patrum frequentia ſtatuiſſet; neque proptereà diſciſſum exiſtimandum eſſe Concilium, quòd nonnulli adhuc Tridenti degerent, recuſarentque Bononiam adire, cùm Concilium vna quædam res ſit atque indiuidua. Non illud in ſede vel nimis Tridento remota, vel incommoda domicilio, vel aditu periculoſa conſtitiſſe. Nihil obſtare loci ſecuritati imperium, quod Eccleſia Romana ibi obtinebat, cùm ab eadem non Fidem modò, Religionemque, præter alia bona, Germania perinde ac ceteræ nationes accepiſſet, ſed in primis ſacri Imperij dignitatem, ac tot egregia maternæ beneuolentiæ pignora. His accedere, finitimas Bononiæ ditiones in fide & clientela Cæſaris cunctas eſſe. 1548.

3 Iam verò, vt ad litterarum poſtulata rediret: A ſe quidem ſeriùs quàm optauerat reſcriptum, ſed cunctationis cauſam Madruccij miſſionem à Cæſare, ad eamdem rem pertractandam, fuiſſe: non enim licuerat Pontifici quidquam certi reſpondere, niſi auditis priùs ac expenſis iis quæ Cæſar in eamdem cauſam protuliſſet. Breuiter poſteà narrabantur quæ tranſacta fuerant cum Madruccio ac Mendoza, atque redditi huic reſponſi exemplar mittebatur: ex eo reſponſo perſpicerent, quænam dubia ſupererant priùs dilucidè declaranda, quàm de Tridentino reditu decerneretur: optari ſimul, & expectari per eam occaſionem, eorum æquitatem, amoremque veritatis ac iuſtitiæ; ſeque ipſos hortari, vt pro veteri eorumdem conſuetudine, Eccleſiæ paci procurandæ, veræque Fidei luci in Germania reſtituendæ ſtuderent: Bononiam ipſi, vel ipſorum procuratores adirent, ſiue ad continuandum ibi Concilium, ſiue, vbi ea ſedes minùs idonea cenſeretur, ad nouum in ea re conſilium capiendum.

4 Ad ea, quæ vltimo litterarum loco ſignificabantur, ſcilicet verendum eſſe, ne ſi nimiùm in eo Sedes Apoſtolica cunctaretur, alia inirentur pro ea cauſa conſilia, reſpondebat: Se quidem aduerſa omnia formidaturum fuiſſe, ſi agnoſceret, à ſe quidquam verè prætermiſſum ex iis quæ adeò ſui muneris erant, cùm in ea Sede fuiſſet à Deo conſtitutus, vt vniuerſi Chriſtiani gregis, ac potiſſimè deerrantium ouium ſaluti proſpiceret. Verùm quòd nihil ipſe huic operi defuiſſet, liquidò patere ex adhibitis à ſe curis, quas ſuprà expo-

1548. ſuerat, & quæ apud Chriſtiani nominis nationes in comperto erant. Quapropter tum re ipsâ per ſe ſpectatâ, tum animo & ad eorum grauitatem ac moderationem, & ad Cæſaris ſapientiam pietatemque converſo, ſuſpicari ſe non poſſe, eorum quemquam non rectam viam, ipſorumque veſtigiis dignam probaturum. Quod ſi tamen aduerſus Apoſtolicæ Sedis auctoritatem conſilia ſuſciperentur, ſe profectò non eum eſſe, qui prohibere poſſet, quò minùs in illam, tamquam in domum aliquam deſcenderet pluuia, inundarent flumina, irruerent venti; cùm retineret memoriâ, ea cuncta euentura, perinde ac ſummus illius Domus Architectus, iam tum cùm iaceret fundamenta, prædixerat: non tamen poſſe ipſius ruinam diſſolutionemque pertimeſcere, ſatis gnarum, eam ſupra firmam petram eſſe fundatam: timere ſe potiùs iis, & illorum vicem dolere, qui minimè deterriti veteribus ac nouis quorumcumque hominum exemplis, qui per varios conatus, grauiaque à Deo inflicta ſupplicia, in eam domum cœperant impetum facere, in huiuſmodi conſilia ibant præcipites; mallentque manifeſto periculo cum totius Eccleſiæ perturbatione ſeipſos obiicere, dum euertere conabantur Diuinum ædificium quacumque ætate oppugnatum, numquam expugnatum ab impiis, quàm in vna eademque domo, & in pulchritudine pacis concorditer cum Pontifice viuere, à quo ſemper fuerant inuitati, & tunc maximè inuitabantur. Se proinde eos hortari, vt hæc præſtarent, atque à ſuis conuentibus conſilia his aliena, nullique profutura procul haberent; id verò pro Fide ac pietate, quam ſemper ipſi præ ſe tulerant, in præſentia ſibi polliceri. Ita nempe blandè temperamus iniectas in magnos viros noſtri Diuinique ſupplicij minas ob imminens ipſorum facinus, dum profitemur retineri nos ab agnita in illis probitate, ne illud admittendum putemus.

CAPVT XI.

Quæ Fiſci Cæſarei adminiſtri in Bononienſi Concilio conteſtati ſint, & quid ipſis reſponſum.

HÆc velitationes dici poſſent, præ grauioribus conflictibus 1
poſteà exortis, quorum ſe mendoſiſſimè conſcium Suauis oſtendit. Ceruinum ipſe vna cum collega inducit in generalem quemdam congreſſum Bononiæ habitum poſtridie Idus Ianuarias; eo ſcilicet tempore, quo Ceruinus duobus ante menſibus Bononiâ diſceſſerat: ac planè proximâ ſuperiori hebdomadâ [a] Pontifex in Senatu ſtatuerat, vt quamuis ille Romæ degeret, Legati munus

[a] 9. Ianuarij 1548. ex Actis Conſiſtor.

nus retineret. nec ad Synodum regreſſus eſt, niſi vigeſimo ſecundo Ianuarij; quod ex Diario & Actis conſtat. Sed erratum Suauis ortum ex eo duxit, quòd ipſe ſolam conteſtationem mox recenſendam legerit, quæ de Legatis plurium numero loquitur, vtpote in Aula Cæſaris confecta, ac multò anteà Procuratoribus tradita: quod itidem ignorans Suauis, iterum labitur, narratque, à Cæſare, poſtquam is de redditis Mendozæ reſponſis factus eſt certior, hos fieri Procuratores Bononiam ad conteſtandum miſſos fuiſſe; cùm reuerà hi multò anteà illuc peruenerint, ſicuti alibi memorauimus, hoc eſt quinto Nouembris; [b] eorumque facultas à Cæſare Auguſtæ ſubſignata 22. Auguſti cernatur, adeoque ſupra quatuor menſes antequam Mendoza Romæ reſponſionem accepiſſet. Ex quibus clariùs ſemper patet, à Suaui nec Acta Concilij, nec ephemeridas, neque plenè litterarum volumina fuiſſe luſtrata; ſed ſub luce maligna, tenuis alicuius inſinceræque notitiæ hiſtoriam ab eo conſcriptam. 1548.

[b] Conſtat ex Diariis Maſſarelli, & ex epiſtola Legatorum, eodem veſperi ſcripta; & ex variis litteris Montani ad Ceruinum, poſtquam abierat.

2 Carolus itaque cognitis quæ Mendoza geſſerat, hos Procuratores iuſſit ad conteſtandum progredi. Etenim ſatis intelligebat, obiectas Tridentinæ reuerſioni difficultates eſſe inſuperabiles; cùm exploratum ſibi eſſet, Proteſtantes, nonniſi per vim ad eam obſequendi generatim Concilio rationem adductos, adhuc ſub illis vocibus, *Concilij liberi, Chriſtiani ac legitimi*, idipſum intellecturos quod ſemper intellexerant, ac declarauerant in reſponſionibus ab iiſdem aliàs redditis, cùm ſolutas habentes manus, linguam quoque ſoluere fidenter poterant; præſertim verò, quòd peruicaciter reiiciebant promulgata iam Decreta de libris Canonicis, de peccato Originali, de Iuſtificatione, ac de Sacramentis, quibus Decretis ipſorum hæreſis funditus euertebatur; adeoque in ea quam diximus declaratione, diſertis verbis locuti ſunt de Concilio Tridenti celebrando, non de iam celebrato. Quamobrem Cæſar acceptis primis reſponſionibus, Oratori ſuo Romæ traditis, [c] quòd ſcilicet eius poſtulatio ipſius Concilij ſententiæ committeretur, præuidit huiuſmodi conditionem quæſitum iri, quam ipſe minimè præſtari poſſe pernoſcebat; vnde eò illi moleſtior erat, quò magis rationi conſentanea videbatur, ſpectatis veterum Patrum doctrinâ, & certâ Eccleſiæ veracitate; quippe ſimul ſpe voti, ſimul communi in ea cauſa fauore excidebat: imò Pontifex, animaduerſo huiuſce clypei robore, nihil habuit antiquius, quàm ne quidquam illi detraheret. Idcircò quamquam non æque firma ſint Conciliorum Decreta, quæ ad morum diſciplinam, ac ea quæ ad Fidei definitiones ſpectant, tamen, vt oſtenderet recipi à ſe quod in ſe erat, ea omnia

[c] Litteræ Sfondrati ad Farneſium, vltimo Octobris 1547.

1548. quæ Synodus vel cum Aulæ ſuæ incommodo ſtatuerat paulò anteà in eo poſtremo cœtu, quem *Gratiæ ſignaturam* vocant, [d] velle ſe illa ſeruari profeſſus eſt; iniunxitque Pontificiarum Conceſſionum Præfecto, quem *Datarium* appellant, vt ea quemadmodum inceperat exequeretur. Ex altera parte, cùm Patres Cæſari denunciarent, niſi intra iuſtum temporis ſpatium quinque capita iam propoſita declararentur, ad reliqua Decreta ſe progreſſuros; volebat Cæſar minis ſaltem, metuque ſchiſmatis cohibere, ne id conficerent quod exiſtimationi ſuæ minùs conduceret, ſuique conſilij texturam diſcinderet. Itaque ad minacem conteſtationem, maximum veluti tormentum, per ſui fiſci Procuratores in Concilio, & in Senatu per Mendozam rurſus explodendum, ſe conuertit.

[d] Literæ Ceruini ad Montanum, 21. Decembris 1547.

Aderant Bononiæ huiuſce rei causâ Franciſcus Vargas Caſtellani fiſci Procurator, & Martinus Sotia Velaſcus; qui ad generalem 3
conuentum [e] 16. Ianuarij habitum accedentes, vt ibi audirentur poſtularunt. Res ad ſuffragia deducta, à pleriſque Præſidi commiſſa. Is verò, ne in ſe ac Pontificem, cuius mandatis regi credebatur, inuidiam repulſæ converteret, homines admiſit. Illi exhibuere Concilij ſcribæ, ac mox recepere, tradita ſibi mandata, [f] in quibus habebatur: Cùm Cæſar Religionis & Eccleſiæ causâ conteſtari cogeretur aduerſus quoſdam, qui ſe Legatos Apoſtolicos nuncupabant, & aduerſus quemdam Præſulum conuentum Bononiæ congregatum, qui Concilij nomen prætendebat; id verò per ſeipſum efficere ob locorum diſtantiam minimè poſſet, duos, quos iam nominauimus, Procuratores ſuos ad id ipſum exequendum à ſe fuiſſe conſtitutos. Inſtiterunt poſteà, vti ſcribæ ac teſtes, quos ipſi adduxerant, admitterentur: verùm Procuratoribus abire iuſſis, ſuper ea quoque petitione Patres ſententiam rogati, inter ſe diſcordarunt: alij id ipſis, quippe quod nihil officeret, indulgendum putabant; alij plures repugnabant, adducto Senatus Pontificis exemplo, quò numquam exteri ſcribæ teſteſve admittuntur, ne fides tam auguſti conuentus ſuſpecta videretur; idem in Concilio ſeruandum, eoque maiori auctoritatis cuſtodiâ, quò acriùs impugnabatur per eam actionem, quâ ſibi veri Concilij dignitas adimebatur. Decretum eſt, vt ea deliberatio biduo prorogaretur, quò Patres qui aberant, acciti ſententiam ferrent: cùm enim res improuiſo contigiſſet, cœtus ille non admodum frequens fuerat. Sed Procuratores eam reſponſionem per Materanum ac Naxienſem ipſis redditam reiecerunt, acriter efflagitantes, vt eo die audirentur. Alia ſunt agitata conſilia: ac demum quia in eo pariter magna pars Patrum rem in

[e] Ex Actis, & ex litteris Montani ad Farneſium, 17. Ianuarij 1548. Mandata Cæſaris Procuratoribus data, eorumque conteſtatio, extat in volumine Inſtructionum in Arch. Vatic.

[f] Data 22 Auguſti an. 1547.

Legato

Legato reponebat: is verò prudentiæ documentum rebatur, à moleſto agendi modo erga Principes cautiſſime abſtinendum, vbi abſtinere ab opere ipſis moleſto nefas eſt, Procuratorum teſtes ac ſcribas admiſit; ita tamen, vt his minimè liceret quidquam ſeorſim in acta legitimè referre, ſed ſolum id vnà cum ſcribis Concilij facerent. Itaque bini ſcribæ & quini teſtes vtrimque ſunt admiſſi. 1548.

4 Ac primo quidem à Concilij ſcriba recitata eſt nomine Concilij huiuſmodi cautio: Tametſi nullo iure cogerentur Patres Cæſaris Procuratores audire, vt qui mandato Cæſareo ad quemdam minimè legitimum Epiſcoporum conuentum, non ad verum illud & Oecumenicum, legitimeque congregatum Bononiæ Concilium miſſi fuerant; tamen ne vmquam obtendi poſſet, non fuiſſe illic omnibus liberam accedendi loquendique facultatem, placere Synodo, vt audirentur: velle tamen, vt per hoc nec ipſi, nec ipſorum dicta factáve comprobata cenſerentur, nec quidquam iuris ademptum Concilio, quo minùs ſua Decreta proſequeretur, nec vlla iuris facta Cæſari acceſſio. Vargas petiit, vt fide publicâ conſtaret, nonniſi eâ interpoſitâ cautione fuiſſe ſibi permiſſum ſcribas ac teſtes adducere: mox illum, ſicut ipſe appellabat, conuentum hortatus eſt, vt ad ea, quæ dicturi erant, animum adiiceret, ac Cæſari ſatisfaceret: & incommoda, quæ, ſi aliter fierent, impendebant, propoſuit, profeſſus, nihil à ſe mandatis à Cæſare acceptis adiectum iri. Atque vt ille orationem orſus eſt hiſce verbis, *Adſumus hic nos legitimi Cæſaris Procuratores*, ita Montanus interpellauit; *Adſum hic ego pariter verus Legatus veri & indubitati Pontificis, & adſunt hi ſanctiſſimi Patres Concilij legitimi & Oecumenici, coacti tranſlatiq́ legitimè ad Dei gloriam, & Eccleſiæ bonum.* Tum à Concilij Promotore, & à Præſide cautiones iteratæ ſunt; ac deinde Vargas mandata Cæſaris tradidit Maſſarello, qui Synodo à ſecretis erat, eâque altâ voce recitauit. Poſteà ab altero Procuratore Martino Velaſco prolixâ conteſtatione perlectâ; vbi renarrato Cæſaris ſtudio, quo tum apud ſuperiores Pontifices, tum apud Paulum ſemper contenderat, vt malis publicis remedium per ſacroſanctam Synodum admoueretur, dicebatur, delectum fuiſſe ad eam habendam Tridentum, quippe vrbem Ordinum Comitiis ac Principibus comprobatam, ſimulque liberam, & cunctis nationibus commodam: tum tranſlatio tamquam præcipiti conſilio facta, rationi minimè conſentanea planeque irrita incuſabatur. Recenſebantur noua Cæſaris apud Pontificem poſtulata, initumque à Pontifice conſilium, quod à cœtu Bononienſi acceperat; quodque ſubdolum, vanum, captioſum, & à Roma-

1548. à Romano Pontifice repudiandum dicebatur, & tamen ab illo ſuſceptum: imò in litteris Bononiam miſſis, atque in reſponſione Cæſari reddita eam ſeiunctionem, adeò Chriſtiano generi pernicioſam, tranſlationem fuiſſe appellatam, illum verò non legitimum conuentum, Synodum Oecumenicam; tantumque illi auctoritatis tributum, quantum ipſi Epiſcopi, & ij, qui ſibi titulum auctoritatemque Legatorum Apoſtolicorum aſſumebant, eidem cœtui arrogauerant. Poſt hæc rationes fuſè afferebantur, quas alias memorauimus, aduerſum Concilij migrationem; cùm præſertim ad vrbem in media Italia, & in Pontificis dominatu ſitam Patres veniſſent: quæ ſedes cùm poſſet meritò ab omnibus recuſari, ſelecta videbatur non ad proſequendum, ſed vel ad obtruncandum, vel ad pertractandum ipſorum arbitratu Concilium. Cùm itaque & proprium & vetus Cæſarum munus eſſet Eccleſiæ patrocinari, & Carolus Quintus ad eam in ſuis ditionibus reformandam, Germaniamque componendam, Concilium Tridenti ſpopondiſſet, paratum ſeſe offerre, tamquam obſequentem Eccleſiæ filium illi parere; adeoque præſentes ibi Epiſcopos rogare, vt Tridentum redirent: id verò recuſari non poſſe, cùm & ipſi & Pontifex morbi prætenti ſuſpicione ſublatâ reditum ſæpiùs exhibuiſſent, modò Proteſtantes huiuſmodi Synodo ſe ſubiicerent, quod iam illi præſtabant. At ſi Patres abnuerent, ſe Cæſaris Procuratores eius nomine denuntiare, illorum profectionem Tridento, omnemque ſubſecutam actionem irritam eſſe. Eos Epiſcopos, vtpote à Pontificis Romani nutu pendentes, ac de rebus Germanicis parum edoctos, non poſſe leges illi nationi accommodatas ſancire: reſponſionem, quam Patres Pontifici reddiderunt, fuiſſe fuco ac figmentis plenam, & nullâ ratione nixam. Vtcumque res cederet, ſtatuiſſe apud ſe Cæſarem, calamitates propulſare, quæ culpâ negligentiâque Pontificis, & illius non legitime coacti cœtus Eccleſiæ imminebant.

Reſpondit Legatus: Quæ à Procuratoribus allata fuerant contra ſuam collegæque dignitatem, contra legitimam tranſlationis rationem, & de ſecuritate ac libertate Tridentina, vera non eſſe; Deum ſe huiuſce rei teſtem appellare, eiuſdemque rei certas probationes in tempore exhibiturum. Se atque collegam ſuum veros eſſe Apoſtolicæ Sedis Legatos; Cæſarem, quòd Cæſareæ Maieſtatis pace diceretur, eſſe filium, non arbitrum aut magiſtrum Eccleſiæ: à ſe igitur ipſum rogari, vt mutato conſilio illi Synodo faueret, eiuſque perturbatores reprimeret, memor, huiuſmodi homines, quacumque dignitate præditos, pœnis grauiſſimis ſubiacere. Verùm quidquid 5

quid tandem contingeret, & quicumque ipſis terror obiectaretur, numquam ſe libertati dignitatique Synodi & Eccleſiæ defuturos; quin ſe vnà cum Patribus paratiſſimo animo martyrium potiùs ſubituros, quàm conſentirent exemplum induci, quo laicorum poteſtas vim inferret Concilio, eique libertatem adimeret. Sed quoniam Procuratorum libellus fuerat prolixior, redirent quarto pòſt die reſponſum accepturi; quod ſi tunc illi non adeſſent, nihilominùs reſponſum in lucem publicàm prodíturum. Voluit tamen Montanus, etiam ex prudentiorum conſilio, per hæc quæ diximus verba reſponſum tunc reddere, quia [g] præuidebantur Procuratores minimè redituri, quippe quibus ſatis erat mandata Cæſaris expleſſe: ac reuerà poſtridie manè diſceſſerunt. Porrò cùm ſatis intelligeret Legatus, longè laxiorem ab auribus dari veniam linguæ, quàm ab oculis calamo; vbi opus fuit in publicas tabulas ea quæ dixerat referre, multa reſecuit ex iis, quæ per æſtum ſermonis protulerat, præcipuè verò quidquid contemptum aut aculeum in Cæſarem præ ſe ferre videretur. Etenim in huiuſmodi pugna quidquid oppugnantem lædit, debilitat non confirmat oppugnati defenſionem.

1548.

g Literæ Montani ad Farneſium, 17. Ianuar. 1548.

6 Cùm autem Patres conſultiùs pleniuſque ſe reſponſuros recepiſſent vigeſimo menſis die, reſponſionis exemplar elaborauit Legatus; de quo die decimâ nonâ diu deliberatum eſt: & pro eo quod euenire ſolet inter varia hominum ingenia, animorumque affectiones in re tam lubrica, cunctæ ferè ſyllabæ obiectis difficultatibus agitatæ ſunt. Quare id conſilij initum eſt, vt aliquot Epiſcopi ex variis nationibus legerentur, qui ſtuderent pro ſententiis quas audiuerant reſponſum componere, ac poſteà referrent. Verumtamen hi poſtmodum reputarunt, ſibi cum potentiori rem eſſe; adeoque poſſe verba ſingula cauſæ potiùs officere quàm prodeſſe, quod & illi ſeu cauſam ſeu colorem nouæ indignationis præberet, & vulgo, ſemper ad obtrectandum prono, argumentum cenſuræ, quâ vel modeſtiam vel prudentiam carperent: non deeſſe alios agendi modos, non minùs quidem efficaces, ſed minùs periculoſos, quia minùs ſolemnes, quibus cauſam ſuam in luce publica tuerentur. Quapropter poſt accuratam quatuor horarum deliberationem, concordes in hæc breuiſſima dicta reſponſionem coarctarunt: *Sacroſancta Synodus, cuius auctoritas ac poteſtas legitima in dubium reuocari non poteſt, reſpondet: Cùm ea omnia quæ tuo nomine expoſita nobis ſunt, ab omni ratione diſſentiant, ſimulq́; pio & Catholico inuictiſſimi Cæſaris animo repugnare videantur, ſibi certò perſuadere, ea vel abſque mandato Cæſaris, vel ab eo ipſo perperàm de rebus edocto fuiſſe profecta: atque ita mandauit*

1548. *tibi ſignificari, non tamen reſiliri à cautionibus, quas in Cœtu diei decimæ ſexta huius menſis adhibuit.* Hæc eadem reſponſio poſt exquiſitum examen, in generali conuentu, die viceſimâ habito, comprobata eſt: ac denuò poſt meridiem Patres omnes conuenere, vt eam Cæſaris Procuratoribus redderent: ſed illos vſque ad noctem fruſtrà ibi præſtolati, omnia referri in Acta per ſcribas iuſſerunt, & quòd per Concilium non ſteterat, quò minùs promiſſa reſponſio redderetur. Tantum ſtudij vel ſummi mortalium impendunt ad eos conficiendos colores, quibus ipſorum cauſæ tamquam æquæ populorum oculis depingantur, cùm intelligant, quemadmodum populus reipsâ cuiuſuis Principis potentia eſt, ita pariter cuiuſlibet Principis iudicem eſſe.

CAPVT XII.

Ceruini reditus. Datum à Legatis Pontifici conſilium Synodi ſuſpendendæ. Iterata à Mendoza in Senatu conteſtatio.

Biduo planè poſt habitum cœtum de quo diximus, rediit Bononiam [a] Ceruinus, quem denuò per litteras conſuluit Pontifex [b] ob nouas rerum conditiones. Perſpectum ſatis erat, continuationem Synodi cum ea indignati Cæſaris repugnantia perinde futuram, ac ſi Eccleſia quaſi ſub ardenti Sirij meridie irrigaretur, vnde non alimentum, ſed vſtionem traheret. Concilium diutiùs otioſum, tamquam rem, quam fieri nec poſſe nec debere conſtabat, ſemper Legati vituperauerant. [c] Idcircò, cùm delecti Romæ Conſultores ſolùm cenſuiſſent, multos Patrum Bononiâ vocandos eſſe ad Pontificem de rebus edocendum, Legati animoſiora conſilia, quæ aliàs ſignificauerant, declinantes, & longè alia mentis acie pericula ſchiſmatis tunc impendentia, quàm priùs remota, ſpectantes, ſuſpenſionem ſuadebant: aliâ ratione, aiebant, numquam ſubtractum iri Cæſari titulum, quem obtendebat, expetendi in vrbe Tridentina Concilij, quippe ibi ſemel legitimè conuocati, nec vmquam, prout ipſe contendebat, inde legitime digreſſi. Quod ſi fortè eâ poſitâ ſuſpenſione idem Cæſar vrgeret, Eccleſiæ opus eſſe Concilio, cuius conuocationem vbi negligeret Pontifex, munus illius conuocandi ad ſe deuolui; ſtatim hunc lapidem amotum iri, præciſâ extemplò à Pontifice ſuſpenſione, & Synodo vel Bononiæ repoſitâ, vel Romæ coactâ. Quoniam autem Mendozæ demandatum fuerat, vt Senis Romam remigraret ad acriorem in Senatu conteſtationem iterandam; Pontifex pariter Legatos conſuluit de reſponſione 1

[a] 22 Ianuar. ex Actis & Diar.

[b] Litteræ Maffeij ad Ceruinum, 23. Ianuar. 1548.

[c] Litteræ Ceruini ad Maffeium, 26. Ianuar. 1548.

ſponſione reddenda: qualis verò fuerit ab illis propoſita, mox narrabimus. Actio Mendozæ diem ſeptimum poſt habitam Bononiæ conteſtationem tranſgreſſa non eſt, nimirum ſtatim ac ille rem ibi geſtam reſciuit. 1548.

2 Sacrum itaque Senatum Orator adiit; [d] productoque Cæſaris mandato longam de ſcripto orationem recitauit, huius ſententiæ: Cùm eſſet Reſpublica Chriſtiana miſeris modis diuexata, contaminata Religio, mores corrupti; cumque vniuerſa penè Germania ab Eccleſia deſciuiſſet, Carolum V. Cæſarem, vt ſimul muneri ſuo, ſimul Ordinum Imperij poſtulationibus ſatisfaceret, primùm petiiſſe à Leone, poſteà ab Adriano, dein à Clemente, ac denique à ſedente nunc Pontifice Paulo Tertio Concilium Oecumenicum, vnicum quaſi portum, quò iactata procellis Eccleſia ſe recipere conſueuerat. Hinc eo ſtimulante fuiſſe demum conuocatum Concilium Mantuæ, ac poſteà Vicentiæ: ſed neutram illarum vrbium fuiſſe eiuſmodi, in quam Præſules ex tot ac tam variis nationibus commodè ac libenter confluere potuiſſent. Poſteà verò, volente Cæſare, conſentientibus reliquis Principibus Chriſtianis, ac petente Germaniâ (in cuius gratiam potiſſimè Synodus cogebatur à Pontifice, qui iam inde vſque à Ratiſponenſi conuentu Germanis conceſſerat, vt ea in ipſorum regione celebraretur) Tridentinam vrbem ſelectam fuiſſe, vt quæ ab omnibus agnoſcebatur ſedes ad id maximè opportuna ac tuta, Italiæ finitima, in Germania ſita, & à Gallia Hiſpaniaque haud certè remotiſſima. Tum recenſuit electionem miſſionemque Legatorum, qui primi omnium venerant, acceſſum Oratorum Cæſaris, atque illius primæ conuocationis interruptionem. Dein ſecundæ conuocationis mentionem fecit, ob quam variarum nationum Antiſtites ab extremis terrarum partibus laborioſum iter arripuerant: primaſque Synodi actiones memorauit, quibus & ſancita dogmata, & diſciplinæ leges latæ fuerant. Progreſſus hinc eſt ad belli narrationem à Cæſare ſuſcepti, conſcio & adiuuante Pontifice, vt ij, qui rationibus allici non potuerant, armorum viribus compellerentur. Adiecit: Cùm remiſsè fuiſſet admota manus tam neceſſariæ adeoque efflagitatæ morum emendationi, dum firma ſpes erat, adituros Synodum in obſequium Cæſaris eos ipſos, qui hactenus eam repudiarant; ab illis qui ſe Legatos nominabant, ac pro Legatis gerebant, non conſcio, ſicut ipſi affirmabant, Pontifice, quæſitis coloribus, modo præcipiti, iiſque ſolùm ſequentibus qui Pontifici peculiariter adhærebant, decretam fuiſſe, ac reipsâ peractam tranſlationem, Italicis dumtaxat Patribus,

[d] 23. Januar. 1548. ex Actis Senatus & Concilij. Conteſtatio extat præcipuè in Bibliotheca Barbarinorum.

1548. tribus, aut iis qui Eccleſias in Italia obtinebant, comitantibus: obſtitiſſe immaturo ac periculoſo conſilio multos Epiſcopos Religionis ſtudioſos, palàm conteſtatos, velle ſe Tridenti permanere. Intereà dum Patres qui ſeceſſerant, Bononiæ morarentur, illuſtri victoriâ debellatos à Cæſare hoſtes fuiſſe, ac Germaniam pacatam. Tum anteà tum poſteà innumeris petitionibus ab illo omnem operam adhibitam, vt Tridentum reuerteretur Synodus, cui ſe ſubdere Germani in Comitiis Auguſtæ poſtremò coactis abſque vlla exceptione ſtatuerant. Rogatum fuiſſe Pontificem à Cæſare per Madruccium Cardinalem, ipſumque Mendozam, vt eam opportunitatem complecti vellet ſuæ Diuinæque gloriæ adeò promouendæ, adeoque opitulandi Reipublicæ Chriſtianæ: atque vt eadem Bononiæ ſignificarent, iniunctum fuiſſe Cæſaris Procuratoribus: ſi verò ipſorum poſtulationes repulſam ferrent, aut res diutiùs protraheretur, iuſſos eoſdem à Cæſare, eius nomine in publico conuentu conteſtari, tranſlationem iniuſtam fuiſſe, ac res inde ſecutas aut ſecuturas, eſſe ac fore præter ius attentatas, irritas, & tamquam infectas.

Poſtquam Cæſaris adminiſtri eius mandata perfecerant, voluiſſe Pontificem Bononienſium Patrum ſententiam opperiri, quæ ſuſcepto tranſlationis conſilio concors erat, nimirum captioſa, grauiſſimiſque Religionis & Eccleſiæ incommodis plena; & tamen palàm fieri, eius Sanctitati eam probari, tum indito honorifico *Tranſlationis* nomine illi malè ominatæ ſeceſſioni, tum appoſito in litteris & ad Montanum & ad Cæſarem ſcriptis, Bononienſi conuentui titulo *Synodi Oecumenicæ*. Fuiſſe redditam Cæſari à Pontifice reſponſionem, quæ nihil decerneret, & negotium dumtaxat protraheret, non legitimam, fallacem, à re alienam, ac ſimulationis refertam. Hinc iudicaſſe Pontificem in cauſa grauiſſima, de qua nondum ritè cognouerat; hinc verò diſtuliſſe medicinam, ſeu veriùs negaſſe iis qui maximè illius egebant, quique hactenus recuſauerant, & tunc exquirebant. In altero ex his capitibus habitam à Pontifice fidem viliſſimis teſtibus, & inter ſe diſcordibus; & in altero fidem Cæſaris, Regis Romanorum, Tridentini Cardinalis, ac tot etiam Principum in dubium reuocatam. Pergebat mala commemorare, quæ ob Synodorum tranſlationem ſolet Eccleſia perpeti; atque ante oculos ponere leuitatem falſitatemque cauſatum, ob quas dicebat eam Synodum Tridento abductam fuiſſe. Proferebat in medium, tamquam illius actionis vitium, quòd Cæſar de ea nihil priùs fuiſſet admonitus; & tamen eius conſenſum, tamquam 3

Oecu-

Oecumenicarum Synodorum Patroni, neceſſarium fuiſſe. Spretum 1548.
à Legatis id quod à multis opponebatur, vti ſcilicet Cæſari ac Ponti fici res priùs innoteſceret: horum ſententiam meruiſſe contrariæ anteferri, quippe & ſaniorem, & pluribus nationibus communem. Vbi tamen opus fuiſſet Concilio ſedem mutare, oportuiſſe in propinquam aliquam vrbem deduci, intra eamdem illam prouinciam, in qua, & cuius cauſâ fuerat congregatum: nullam excuſationem ſuppetere, quâ ea Bononiam migratio defendi poſſet, hoc eſt, in vrbem in media Italia, & ſub dominatione Sedis Apoſtolicæ collocatam, adeoque in loco qui numquam Germanis probaretur: vnde certò præuideri poterat, aut Concilium diſſoluendum, aut ab illis paucis rem omnem ipſorum arbitratu ſtatuendam. Cùm itaque Cæſaris munus eſſet, quo iam inde ab Imperij ſui primordiis perfunctus fuerat, Eccleſiam communem parentem tueri, & illæſam omni iacturâ ſeruare, ſimulque curare tranquillitatem Germaniæ, quæ præcipuum Imperij membrum eſt, eamque in veterem Religionem reducere; ſimiliter Hiſpaniæ regnis, ac tot prætereà ſuis ditionibus conſulere, quod nonniſi repoſito Tridenti Concilio perfici poterat; cumque hoc ipſum vniuerſa Germania efflagitaret, & ipſe ſemel iterumque à Pontifice ſupplex petiiſſet; denuò pro eo ac obſequentem filium decebat, & quâ debebat precum ſubmiſſione, eius Sanctitatem obteſtari, vt in id per Ieſu Chriſti viſcera conſentiret; iuberet Bononienſes Patres Tridentum reuerti: quod ipſi recuſare non poterant, vt qui ad id peragendum ſeſe obſtrinxerant, vbi falſæ luis ſuſpicio euanuiſſet: quod ipſe pariter Pontifex ſæpiùs Cæſari per ſuos Nuntios Legatoſque promiſerat. Iam ferè ab anno deſiiſſe illic, ſi quæ tamen vmquam fuerat contagio: iam paratam eſſe Germaniam, adeoque omnes timoris cauſas diſiectas; atque ex altera parte acceſſiſſe liberam abſolutamque profeſſionem ab vniuerſa illa inclyta regione obſequendi Concilio. Quòd ſi fortè Pontifex his repulſam daret (quod nimiùm dedeceret bonum Chriſtianæ Reipublicæ Gubernatorem, & probum Chriſti Vicarium) Orator religioſiſſimi Cæſaris nomine, poſt varias admonitiones denuntiationeſque, ex Euangelij præſcripto, & priuatim & publicè interpoſitas, etiam in illo ſacroſancto Senatu coram Principum Oratoribus, & poſt conteſtationem in Bononienſi conuentu à Cæſareis Procuratoribus habitam, iterùm tandem proteſtabatur, memoratam tranſlationem ſeu profectionem irritam & iniuſtam fuiſſe; adeoque quidquid poſt eam fuiſſet hactenus actum, aut ageretur in poſterum, nullius auctoritatis eſſe & fore; per id

1548. verò diſcordias ali, & excidium Eccleſiæ imminere: eos qui ſe ibi Legatos appellabant, & paucos Epiſcopos illis adiunctos, quorum pleriquе à Pontificis nutu pendebant, eiuſmodi roboris non eſſe, qui grauiſſimis in cauſis Religionis ac diſciplinæ poſſent Decreta condere vniuerſo Chriſtiano Orbi, ac præſertim Germaniæ, cuius ſanctiones moreſque parum exploratos habebant. Conteſtari ſe pariter, reſponſum à Pontifice redditum nec rectum nec legitimum fuiſſe, neque cauſæ conſentaneum, ſed depictum, ſplendideque fucatum ad deludendum: Pontifici, non Cæſari imputanda vniuerſa incommoda, quæ inde iam obuenerant, aut eſſent obuentura: Cæſarem omni vi ac ſtudio iturum obuiàm tempeſtatibus, quas præuidebat ex culpa incuriaque Pontificis Eccleſiæ impendere; nec vmquam omiſſurum illius tutelam, ſed omnem curam ac ſolertiam adhibiturum, quæ ſibi vt Regi atque vt Cæſari conuenirent, pro eo quod ipſi permiſiſſent Iura, Decreta, Conſtitutiones, Leges, S. Eccleſiæ Patres, & Chriſtiani orbis vniuerſi conſenſio. Poſtremùm ad Cardinales orationem conuertit, & omni Cæſaris iuri præcauens, vbi rem Pontifex neglexiſſet, ipſis etiam, ſi fortè deſides eſſent, eadem denuntiauit. Dein adiectis formulis, quas legum periti ſalutares vocant, omnes qui aderant ceu teſtes rogauit, cunctoſque adſtantes ſcribas iuſſit rem omnem in Acta referre.

Me non fugit, à nonnullis ſcriptoribus recentioribus affirmari, 4 Mendozæ dicta in Pontificem ac Bononienſes Patres à Ioanne Petro Cardinali Caraffa per Apoſtolicam eloquentiam fuiſſe reiecta, quod à Religionis ſtudio, à conſtantia, à facundia illius viri veriſimilitudinem trahebat; ſed huiuſce rei, adeò ſuopte ingenio memorabilis, altum habetur ſilentium, tum in pleniſſima narratione illius celebris facti in Senatus Acta relati, tum in litteris Maffeij, quibus Legato Ceruino exactiſſimè rem perſcribit: quin etiam non ſilentium modò rei geſtæ illic haberi, ſed plane repugnantiam, dici poteſt; cùm in laudatis monumentis pro certo habeatur, auditum Oratorem fuiſſe à Pontifice & Cardinalibus magnanimâ quâdam patientiâ, & abſque vlla interpellatione. Quare nimis alienum videretur a ſuſcepto conſilio, quo me obſtrinxi ea ſolùm enarrandi, quæ mihi liceret legitimis validiſque probationibus palàm facere, ſi litigaturus cum Suaui, fuiſſem auſus huiuſmodi facinus viro mearum partium attribuere. Diſſeruit itaque à nemine interpellatus Mendoza Cæſaris nomine, quæ iam retulimus. Apud ſe quiſque reputet, quo impetu, tot ac tam variis auditoribus in ea Aula coactis, quæ omni terreno loco ſuperior eſt, animos concuſ-

ſerit

ferit tam ſtupens tonitru, quod (ſi fari licet) à terreſtris Iouis dextera fulmina ſtringente micabat. 1548.

CAPVT XIII.

Reſponſum iuſſu Pontificis redditum in Senatu ſecundæ Mendozæ conteſtationi.

1 Optimè norat Pontifex, ſubitariam meditatæ offenſionis vltionem non eſſe virilis animi, ſed perturbati: ſic enim relinquitur aduerſario præſtantiſſimum telum, quod conſilium eſt. Quare patienter Oratoris dicta audiit. [a] Tum per Bloſium Palladium (hic Blaſius vocabatur; ſed voluit prò eo concinnitatis ſtudio, quo id temporis litterati flagrabant, nomen ſuum elegantiùs recudere) qui Pontifici à ſecretis erat, & Fulginatum Epiſcopus, Legato Cæſaris indixit, vt ad proximè futurum Senatum reſponſionem accepturus accederet. Interim Legatorum ſententia [b] ad Pontificem delata eſt, ſuadentium, vt in cauſa tranſlationis partes iudicis minùs inuidioſas, maioriſque apud Cæſarem venerationis, ſibi potiùs aſſumeret, quàm litigatoris; Legatis verò ac Patribus Bononienſibus tuendæ rei à ſe geſtæ curam relinqueret: per ea, & per Synodi ceſſationem aliquid voto Cæſaris indultum iri: quippe mos Principum eſt, nolle cauſâ omnino decedere, ne palàm fiat, aut neglectum ab ipſis ius, aut ſe ab aliis neglectos fuiſſe. Vt Pontifex eo conſilio poſſet vti, mirificè profuit reperta ratio, quæ ſuaderet, Pontificis in ea cauſa iudicium à Cæſare non recuſari, nec ab eodem litem Paulo intentatam fuiſſe; adeoque licere in reſponſione ſimul Mendozæ factum, ceu temerarium, liberiori maieſtate redarguere, ſimul Pontificiam dignitatem à Cæſaris oppugnationibus illæſam ſeruare, quibus tametſi iniuſtis, ob oppugnatoris celſitatem debilitari potuiſſet.

Kalendis itaque Februariis Senatum ingreſſus Mendoza conteſtatus eſt, [c] eò ſe aduenisse vt Pontifici obtemperaret, nullâ tamen obligatione conſtrictum: nolle ſe per eam actionem quidquam detractum iri Cæſari, ſeu ipſe Legatus ſeu Procurator Cæſaris ſpectaretur. Reſponſionem quinquaginta fermè paginis conſtantem, à Polo Cardinali [d] dictatam, Palladius recitauit, cuius ſumma hæc fuit:

2 Magnum Pontifici ac Pontificiis Senatoribus fuiſſe mœrorem incuſſum ab ea conteſtatione, quam Cæſaris nomine Legatus protulerat: ſed poſteà Cæſaris mandatis accuratiùs perlectis (hæc eâdem

[a] Acta Conſiſt. 13. Ianuarij & 1. Februarij.

[b] Litteræ Legatorum ad Maffeium, 26 Ianuar. 1548.

[c] Litteræ Maffeij ad Ceruinum, 1. Februar. 1548.

[d] Litteræ Maffeij ad Ceruinum, 13. Ianuar. 1548.

1548. dem die data erant, & in eamdem ſententiam, ac illa quæ fiſci Procuratoribus tradita fuerant, & nos paulò antè retulimus) non mediocri inde ſolatio eoſdem affectos. Putari, haud difficulter hunc ipſorum mœrorem perſuaderi Mendozæ, cùm credibile eſſet, illum quoque dum conteſtaretur, iuxtà ac qui grauiſſimum onus baiulat, fuiſſe mœroris participem, præterquam quòd innotuerat, à multis Iuris primariis Cæſari addictis per preces & lacrymas rogatum Oratorem fuiſſe, vt ab huiuſmodi actione abſtineret. Vim illam doloris ex eo profectam, quòd conſiderabatur, tales conteſtationes ab iis adhiberi, qui vel ſe ab Eccleſiæ obedientia iam ſubtraxerunt, vel in hoc ipſo nutant; quâ ſuſpicione non poſſe Pontificem non angi, Cæſaris tam amantem, concordiæ tam ſtudioſum. Fuiſſe per immenſam gloriam ſubactos à Cæſare perduelles, qui à ſe, quique à Deo deſciuerant, & Proteſtantes ſeſe appellabant: ad id opem tuliſſe Pontificem ſupra vires ærarij ſui, & per auxilia, quæ per ſe ampliſſima, ipſâ etiam opportunitate amplitudinis ſuæ pretium ſuperauerant, victoriamque pepererant. Quare cùm vel maximè non ſolùm à pio, ſed à grato Cæſaris animo plena remuneratio expectabatur ad Apoſtolicæ Sedis decus ac præſidium, tunc animum Pontificis acerbè commotum, quòd cerneret, ipſum belli finem aduerſus hoſtes, initium eſſe conteſtationum aduerſus Pontificem, ſpinis ab ea vinea collectis, à qua vuas præſtolabatur.

At verò ſolatium, quod poſteà ex mandatorum lectione ſuperuenerat, 3
inde ortum habere, quòd ibi obſeruatum erat, à Cæſare traditam non fuiſſe Mendozæ facultatem litis in Pontificem mouendæ, ſed coram Pontifice in Patres Bononienſes, vtpote in conuentum, quem ipſe non legitimum exiſtimabat; adeoque cauſam deferri à Cæſare ad Pontificem, tamquam ad Conciliorum & Eccleſiæ ſupremum Iudicem: neque contra Pontificem conteſtandi poteſtatem in mandatis contineri, niſi ad ſummum vbi Pontifex illius cauſæ cognitionem nollet admittere; quod non modò non euenerat, ſed ne ipſa quidem controuerſia adhuc ad Pontificem delata fuerat. Perſpicuum igitur eſſe, Oratorem mandati fines fuiſſe tranſgreſſum; cuius mandati hîc verba rurſus à Palladio recitata. Etenim modeſtiſſimus Cæſar, cùm ſe læſum à Legatis & Epiſcopis Bononiam profectis arbitraretur, non aliud Oratori ſuo iniunxerat, niſi vt ad Pontificem ſacrumque Collegium eos deferret: Oratorem autem hoc iudicio prætermiſſo, petiiſſe tamquam de iure, vt nullâ priùs habitâ cauſæ cognitione, ipſi Legati ac longè maior pars Tridentinorum Patrum damnarentur, dum contenderat, illorum

Decre-

Decretum pro irrito habendum, quaſi à partium ſtudio, non à ratione profectum: quo exemplo nihil præteritis Conciliis repugnantius, nihil futuris perniciofius foret. Multò conuenientius fuiſſet, vt minor pars, quæ Tridenti remanſerat, ſi arbitrabatur Synodum perperàm fuiſſe tranſlatam, excuſationes ſuas querelaſque ad Pontificem mitteret; quas ille perpendiſſet, perinde atque nunc volebat huiuſmodi articulum perpendere, ob æquiſſimum pij Cæſaris poſtulatum, eâ ſinceritate & æquitate, quæ poſtea à Palladio exponeretur. Poſſe itaque ab Oratore perſpici, quàm meritò Pontifex, Cardinales, omneſque viri probi lætarentur, quòd ſe ſolutos cernerent eo metu, quem conteſtationis ſonus ipſis incuſſerat: proinde grates Deo agendas, qui, dum Cæſar ſeditioſis conſiliis obſidebatur, illi adeò ſuâ ope præſtò fuerit, vt non modò is non conſenſerit, ſed in rectam viam pedem flexerit; ex quo etiam Oratori ſui Principis gratiâ lætitiæ cauſam ſuppetere. Quod verò ad ipſum Oratorem attineret, gaudendúmne ſibi an dolendum, ipſius iudicio permitti. Hoc poſito, nihil amplius opus eſſe conteſtationem confutare, quippe irritam. Verumtamen quoniam quæ per eam opponebantur, ſi fuiſſent ſilentio prætermiſſa, poſſent à multis vera credi, cum graui animarum detrimento; iuſſiſſe Pontificem, vt earum ſaluti conſuleret, illis diſtinctè reſponderi. 1548.

4 Vniuerſam conteſtationem eò tendere, vt nimirum Pontifex negligens, Cæſar diligens in celebrando Concilio oſtenderetur. Si Oratoris argumenta ſolùm Cæſaris ſedulitatem ſpectaſſent, nihil aliud reſponſum iri, niſi gratulandum Eccleſiæ, Deoque gratias perſoluendas, quòd adeò ſtudioſus Religionis Cæſar ipſi concederetur: Pontificis mentem non eſſe, ex obſcurata virtute Cæſaris ſibi lucem augere, quod inuidi foret; nec optare, vt illius pietas minor effulgeret, cùm quotidie preces Deo funderet, vt illuſtrior redderetur. Verùm in eo, quod Mendoza iactauerat de Pontificis incuria in vrgenda Synodo, ne grauaretur Cæſar potiùs audire: Quemadmodum Pontifex erat ætate antiquior, ita in hac pia voluntate antiquiorem Cæſare fuiſſe, cùm eam ſemper oſtendiſſet adhuc Cardinalis, ac ſupra ceteros ſuis deceſſoribus ſignificaſſet: quod teſtari poterant præcipuè Cardinales, illius temporis ſibi collegæ. Huiuſmodi voluntatis veritatem & efficaciam, ſtatim ac eam Sedem aſcenderat, fuiſſe à ſe comprobatam, cùm id negotij primum omnium apud Principes promouiſſet, nullâ vmquam opportunitate prætermiſſâ, quam varia rerum euenta ſubinde obtuliſſent. Si Mantua ac Vicentia deſtinatæ Concilio ſedes in irritum ceſſerant,

1548. id Pontifici neutiquam imputandum. Sex ipſos menſes ab eo Legatos ſuos Vicentiæ detentos, eódem per litteras aduocatis omnium prouinciarum Epiſcopis, miſſiſque eam ob cauſam Nuntiis ſingulatim ad omnes Principes: nec infectæ rei euentum, harum vrbium conditionibus adſcribendum, quaſi minùs fuiſſent idoneæ, vt eò variæ nationes confluerent; cùm in comperto ſit, eas potiùs ob locorum commoda regionumque vbertatem Tridento longè præſtare. Alias fuiſſe cauſas; ac præſertim bellum inter Chriſtianos Principes, potiſſimum ſcilicet Concilij obſtaculum: qua in re Pontificis ſtudium illius conuocandi eò magis ſtudio Cæſaris præcelluerat, quòd hic, dum ſponte vel inuitus tot annos huiuſmodi bellis Chriſtianos populos obuoluerat, celebrandæ Synodo viam obſtruxerat: è contrario, Pontificem ad pacem perpetuò cohortatum, numquam arma mouiſſe, quæ vel minimum tam pium opus obturbarent; numquam à ſtatu inter partes medio receſſiſſe; numquam cum vllo præterquam cum ipſo Cæſare fœdus iunxiſſe in eo bello, quod ſupra cetera videbatur viam Concilio conuocando ſternere, vt, ſicuti Mendoza ſuâ denuntiatione affirmarat, ij quos rationum efficacitas haud permouerat, per vim cogerentur.

Non eſſe diutiùs inſiſtendum comparationibus, quæ ſemper inuidiam pariunt, minuſque conueniunt, cùm ad laudem pietatis ſpectat; quæ tandem, quæcumque ſit, tota Deo tribuenda eſt. Sed quando ad expendendam nouam Pontificis induſtriam Orator ipſum compulerat, ſatis eſſe, vt is animo reuolueret res à Pontifice per eos annos, quibus Eccleſiam adminiſtrarat, geſtas, ac famæ notas, atque in iis ipſius animum, Religionis ardentem ſtudio, facilè perſpectum iri; cùm ferè nullus prætererit annus abſque noua Nuntiorum Legatorúmve miſſione, vt vbi quid affulſiſſet ſpei ex armorum interuallis, Synodi negotium repeteretur, & ad id ipſum ſtabilis concordia perficeretur. In quo Pontifex tam ardenter ſe geſſerat, vt ingraueſcentium annorum pondus ipſum minimè retinuerit ab imponendo ſibi ipſi non ſemel harum legationum labore. Verùm quia nihil Orator de iis accuſauerat quæ tranſlationem præceſſerant, nec in ea pariter de Pontifice, quippe illius ignaro, conqueſtus fuerat, ſed de Legatis, qui eam ipſo inſcio peregiſſent, ſuaſque de Pontifice querimonias ordiebatur ex eo, quòd hic Epiſcopos qui Tridenti ſubſtiterant læſiſſet, dato Concilij nomine cœtui Bononienſi; animaduerteret, par itidem præiudicium (ſi appellandum ita erat) factum æquè fuiſſe & à Cæſare & ab ipſo Oratore, poſtulantibus, vt Pontifex Concilium reuocaret Tridentum, cùm id non

non poſſet de alio Concilio intelligi, niſi de tunc iam coacto Bononiæ: neque reprehendendum eſſe Pontificem, quòd cùm iudex eſſet, Concilium appellaret conuentum illum, in quo de ea dignitate litigabatur: liberum eſſe iudici, ante latam ſententiam voces adhibere ab reliquis vſitatas; & reliquos planè omnes hoc pacto loqui, Concilium fuiſſe Bononiam tranſlatum. Quin cùm eam partem tueri Legati ac maior Patrum numerus viderentur, haud licere iudici pendente causâ eos eo titulo ſpoliare: propterea quòd in re dubia maior pars etiam ſanior cenſenda erat, cùm præſertim Legati collatam ſibi à Pontifice facultatem habuiſſent Concilij transferendi. Vtrùm autem id legitimo ritu peractum fuerit, penes Pontificem iudicium eſſe, relictâ interim cœtui nominis poſſeſſione. 1548.

6 Iam verò quòd Orator dixerat, id effectum à Patribus Pontifici addictis: caueret certè, ne, dum Tridentinos tamquam Pontifici non addictos laudaret, id in ipſis laudaret vnde ſchiſmata oriri ſolent: quod ſi addictos eos intelligeret, qui iure vel iniuriâ Pontificias partes tuerentur, nullos à ſe agnoſci homines ſibi addictos; ſiquidem non alias niſi parentis erga filios partes ſibi retinebat, nec vlla de Pontifice controuerſia in Concilio ad eam vſque diem orta fuerat. Non aliâ ergo ratione illos ſibi addictos velle, niſi quâ ipſorum conſcientia ac libertas, quam Legatis ſupra reliqua commendauerat, minime læderetur. Argumentationem, quaſi inexpugnabilem adductam à Mendoza, non valere; nimirum, excuſari non poſſe Pontificis negligentiam in procuranda ſalute Germaniæ, quandoquidem Concilium Tridenti retentum recuſabat, pro quo Cæſar ac Romanorum Rex preces fuderant, & cui Proteſtantes ſe ſubmittere pollicebantur. Numquam id abſolutè fuiſſe repudiatum à Pontifice, dummodò cum earum prouinciarum emolumento, & ſine aliarum offenſione fieret. De hoc ipſo ſe poſteà dubitaſſe, ſuperiorum annorum exemplo permotum, cùm ſemel atque iterùm Concilium illic indixiſſet, Legatis ad poſtulantis Germaniæ vtilitatem eò miſſis, nec vllus ibi ex Germanis Antiſtes, ſed ſoli paucorum Procuratores adfuiſſent; cuius rei teſtis oculatus laudari poterat ipſe Mendoza, vt qui vtrâque vice tamquam Orator Cæſareus illic interuenerat: ac primâ vice tum ille tum ipſius collegæ noluerant Præſidum patientiam imitari, fruſtrà iterùm atque iterùm ab his rogati vt ibi remanerent, quò ipſorum exemplo ceteri pertraherentur. Alterâ verò vice compertum eſſe Mendozæ, quàm diuturnam moram perpeti oportuerit, antequam opus inchoaretur;

1548. tur; & quo pacto tandem inceptum fuerit ab Epiſcopis aliarum nationum magis diſtantium, ſed abſque Germanis.

At nunc adduci, ob Cæſaris victorias, ſubiectionemque Proteſtantium, alias eſſe temporum conditiones. Ad hæc in primis opponi poſſe: Si Proteſtantes ſinceris animis ſeſe Eccleſiæ ſubmittebant, coarctandum ab illis non eſſe Concilium certo loco: Legem veterem hoc in genere laboraſſe, ſancto Spiritu nondum affuſo, vt nonniſi in ſola Hieroſolyma offerre liceret ſacrificia; ſed in Lege gratiæ, S. Spiritus præſentiam ad vnam tantummodò ciuitatem ſe neutiquam reſtrinxiſſe: & quamquam morbus Germaniam inuaſiſſet, poſſe tamen vbique locorum de curatione deliberari. Quod ſi ſecùs foret, inter Danos etiam, inter Gothos, inter Bohemos ac Britannos, non minùs ægrotos, eſſet Synodus celebranda. Conſueuiſſe Eccleſiam pro ſede huiuſmodi conuentuum, locum ſtatuere commodum non accepturis, ſed præſcripturis medicinam, quemadmodum ſuperiorum Conciliorum exempla monſtrabant. Ex huiuſmodi præſcriptione loci à Germanis habita adimi ceteris debitam libertatem; ipſis verò auctoritatem minimè debitam eligendæ Concilio ſtationis arrogari. 7

Verùm hæc dicta eſſe, non quò Germaniæ apta illa gratificatio negaretur; ſed ſolùm quò palàm fieret, rem non verſari in ſtatu denegatæ iuſtitiæ, cui hæc extrema remedia conteſtationis in Pontificem adhibenda eſſent. Ceterùm ſe minimè recuſare, in eo Germaniæ votis indulgere: ſed non poſſe quidem abſque manifeſta calumnia reſponſum à ſe redditum Cæſaris petitionibus, appellari *non legitimum, ſubdolum, alienum à propoſito, ſimulationibus plenum*; quemadmodum Orator dixerat: quibus accuſationibus reſponderetur, ſi capita rerum quas arguebant explicarent, eorumque probationes proferrent. Sed cùm illæ ſolùm generatim loquerentur, nihil aliud poſſe ex aduerſo reponi, niſi vt adiiceretur animus ad vetuſtiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem, ipſorumque Cæſarum ſanctiones; obſeruareturque, an ipſis conſonarent néc ne, vt in Concilio dogmata iam ſtabilita in controuerſiam minimè reuocarentur, vt priuati homines ad ius ſuffragij non admitterentur, vt loci capitumque libertati abundè conſuleretur. 8

Adieciſſe Mendozam, Cuncta mala euentura Pontificis negligentiæ tribuenda; Cæſarem verò apud ſe ſtatuiſſe illis occurrere, ſuſceptâ pro ſui muneris gradu Eccleſiæ tutelâ. His reſponderi, Pontificem, quantum ſibi ope Diuinâ liceret naturæ imbecillitatem ſuſtinere, numquam commiſſurum, vt in tanti momenti munere 9

nere negligentiæ locum ſineret: quod ſi aliter accidiſſet, quandoquidem ſepties in die cadit iuſtus, minùs ſibi de ſua negligentia dolendum eſſe, vbi ea vigilantiam Cæſaris exacueret ad opitulandum Eccleſiæ, dummodò id efficeret eâ ratione quam expoſuerat Orator, hoc eſt, quatenus intra legum Eccleſiaſticarum fines Patrumque præſcripta ſe contineret. Id ſi præſtaret, huiuſmodi conteſtationibus in poſterum opus non fore, cùm ſperaret Pontifex, ſuam incuriam numquam eò progreſſuram, vt adiutus ipſe induſtriâ Cæſaris in eo quod ad diuerſum ipſius munus pertinebat, eumdemque finem ſpectaret, Chriſtianæ Reipublicæ ſaluti per ſummam tranquillitatem non conſuleret. Illud vnum ſupereſſe, cuius intra limites ſi ſe cohibuiſſet Orator, nec fuiſſet ſibi mandata tranſgreſſus, nec tot ſermonibus offenſionibuſque tam copioſam materiam præbuiſſet (id erat conteſtatio coram Pontifice aduerſus Legatos & Epiſcopos, qui ſub Concilij nomine Bononiæ morabantur) eam conteſtationem ex Cardinalium ſententia à Pontifice admitti cum formula conſueta, *Si & in quantum ex iuris præſcripto admittenda eſſet, & non aliter*; *nec idcircò Legatis Patribuſq́ Bononiæ congregatis aliquid detractum intelligeretur.* Præterea cùm per eam conteſtationem multæ fuiſſent allatæ rationes, irritam & iniquam tranſlationem affirmantes, quæ certè expendendæ erant, & cùm vellet Pontifex omnem operam impendere ad conſeruandam vnitatem Eccleſiæ, & connectenda eiuſdem membra cum Capite, quod eſt Ieſus Chriſtus, cauſam illam integram ad ſe auocare, vt eam plano modo, & abſque forenſi ſtrepitu recognoſceret in Senatu, audiretque de illa referentes quatuor Cardinales, ex variis nationibus delectos, Bellaium Epiſcopum Pariſienſem (non autem Cardinalem Pariſium, ſicut ait Suauis) Burgenſem, Creſcentium, & Polum; inhibitis intereà Legatis, aliiſque primariis viris cuiuſuis conditionis, grauiſſimarum denuntiatione pœnarum, ne quid noui eâ cauſæ cognitione pendente mouerent intentarentque, quod eidem cognitioni aduerſaretur: iiſdem etiam Legatis, & vtrique Epiſcoporum cœtui ſimilium interminatione pœnarum præcepiſſe, vt ad ſe mittendos curarent aliquot ex ipſis Patribus, probitate litteriſque præſtantes, qui depoſitis animi offenſionibus ſuas ſententias exponerent: cunctos pariter, quorum ea res intererat, admonere, vt intra menſem ab hoc indicto Decreto aut per ſe aut per delegatos viros adeſſent coram Pontifice, & ſuas quiſque rationes plenè proferret. Ne quid verò detrimenti Germania interim pateretur, offerri à Pontifice Nuntios Legatóſve, qui præſentem aliquam curationem eidem prouin-

1548.

1548. prouinciæ adhiberent, vbi intelligeret, id conditioni temporum accommodatum, & Cæſari Germaniſque gratum futurum. Abſoluto iudicio, ſi tranſlationem vel irritam vel iniuſtam comperiſſet, curam omnem auctoritatemque impenſurum, vt Synodus Tridenti reponeretur. Vtcumque res accideret, nulli defuturum officio, vt inclytam ſibique dilectiſſimam Germaniæ nationem ad Eccleſiæ vnitatem reduceret, priſtinumque dignitatis ſplendorem ipſi reſtitueret, quod votis omnibus precabatur à Deo.

His à Bloſio recitatis, Mendoza pro recentiorum ſuperſtitione in iudiciariis cautionibus, ex vano etiam traducta ad eas cauſas, quæ nullum præter Deum in cælo, & vim in terra iudicem habent, nouam conteſtationem interpoſuit, quâ ea quæ dicta fuerunt negauit, & ſui Principis ius inuiolatum prætendit. Ad hoc breuiter reſponſum eſt, Tædio affici ex his Pontificem; non quòd moleſtè haberet illæſum ſeruari ius omne, quod fortaſſe Cæſari conueniret, cùm eius non eſſet mentis, vt quidquam ipſius rationibus detraheretur: ſed æquum eſſe, vt Orator pariter libenter ferret, Pontificis, Sedis Apoſtolicæ, ac ſacri Senatus iura inuiolata perſiſtere ab eius iteratis obteſtationibus, quibus ſatis erat, aptè fuiſſe reſponſum coram eo iiſdemque ſcribis ac teſtibus, qui priori ipſius conteteſtationi interfuerant. Ceterùm quæ à Bloſio perlecta erant ea non eſſe quæ Mendozæ comprobatione indigerent, poſſéntve eiuſdem inficiatione labefactari. 11

Hæc quam retulimus reſponſio, tantâ ſilentij æquabilitate in oribus, quantâ ratiocinationis varietate in mentibus accepta eſt; in quibus vel ſingula diuerſas interpretationes habuere, aliquas litterarias, ſed plures myſticas, pro more imbecillarum mentium, quæ fictitiam vmbram ſibi conflantes, volunt in quouis plano profunditatem inuenire. Vix tamen fuit, qui Pauli prudentiam defraudarit egregiâ laude, tum quia ſimul ſua quæcumque arma neruosè tractauerit, ſimul moderamina inculpatæ adeoque plauſibilis defenſionis ſeruauerit; tum quia ex ipſo libello accuratiſſimo tanti accuſatoris eruerit firmam rationem, quâ nixus, tamquam illi ſuperior, iudicis perſonam aſſumpſerit, non autem ad vilem duramque rei conditionem ſe abiecerit.

CAPVT

CAPVT XIV.

1548.

Diplomata Pontificia ad Legatos Bononienſes, & Patres Tridentinos. Proditionis ſuſpicio Bononiæ. Senſa Cæſaris poſt redditum à Pontifice reſponſum Mendozæ.

1 POſt habitum Senatum varia per dies quindecim reconciliationis conſilia cum Oratore agitata, ſed fruſtrà: quare is Româ diſceſſit primo ſacrorum Cinerum [a] die. Atque hinc orta eſt cunctatio Diplomatum, quæ Bononiam ac Tridentum Pontifex miſit; tametſi eam alteri cauſæ Suauis referat. Poſtridie igitur huius profectionis [b] perſcripſit ordinatim ad Legatos Pontifex quidquid cum Oratore actum fuerat; adiecitque: Quamquam ipſe cuperet, vt quamprimum Synodus abſolueretur; tamen ne iuſtitiæ deeſſet, opus ſibi eſſe eam cauſam cognoſcere, quod celeriter perfecturus erat. Proinde ipſis demandabat, vt legitimas tranſlationis tabulas ad ſe mitterent; ſimulque Patres hortabatur, vt ex ipſis tres minimùm Epiſcopos ad ſe legarent, qui communi nomine actæ tranſlationis rationes exponerent. Intereà Synodus, eò quòd vetabatur quidquam noui tentare pendente lite, à ſolemnibus actionibus [c] abſtinuit. [d] Quamobrem primo Quadragenarij ieiunij die haud ſolemniter de more litatum. Anceps fuerat Pontifex, an Legatos ipſos accerſeret, qui ampliore auctoritate cauſam tuerentur: ſed præterquam quòd modico, nec ſatis benè compacto Concilij corpori neceſſaria ſaltem dignitas ac prouidentia capitum agnoſcebatur, ea cuſtodum vigilantia alioquin etiam opportuna Bononiæ exiſtimata eſt, cùm ſuboluiſſet, res ibi nouas agitari, vt vrbs illa Cæſari traderetur, [e] aut eo Bentiuoli reuocaretur; ob quam ſuſpicionem duo viri nobiles in vincula coniecti ſunt, & quingentorum militum præſidio vrbs communita.

2 Scripſit quoque Pontifex Diploma ad Epiſcopos Tridenti degentes, [f] in quo dicebat: Quemadmodum nullum ipſe remedium efficacius ad curanda Eccleſiæ vulnera ſperauerat, quàm Occumenicum Concilium, eamque ſibi ſpem auxerant proſperi Tridenti progreſſus; ita nullam ſibi grauiorem perturbationem incuſſam, quàm à diſſenſione inter Epiſcopos, dum decretâ à pleriſque Patrum tranſlatione Bononiam, reliqui eò ſe conferre cum aliis recuſauerant; cùm inde prænoſceret eas moras, eaſque diſcordias, quæ ab huiuſmodi diſſidiis progigni ſolent. Tum de ipſis conquerebatur, quòd Concilium Bononiam ſecuti non fuerant, aut certè coram

[a] 15. Februarij, ex Diario die 21.

[b] 16. Februarij.

[c] Diarium, 15. Februarij 1548.

[d] Huius ſuſpenſionis, à Pontifice in Senatu ſtatutæ ante ipſius publica reſponſa, certiores facti ſunt Legati ac Patres primis litteris.

[e] Ex Diario, 22. Februar. 1548.

[f] Pontificis litteræ ſæpiùs ſcriptæ ad Epiſcopos qui Tridenti remanſerant, eorumque reſponſa: extant, præterquam in Actis, in vno ex libris Inſtructionum ſpectantium ad Concilium, in Archiuio Vaticano.

1548. coram ſe cauſas non perduxerant, propter quas arbitrarentur nec ſe obligari, nec tranſlationem eſſe legitimam. Eos citra omnem excuſationem in alterutro cum publica offenſione peccaſſe: & quamuis in omnes ea caderet obligatio, multò tamen maiori Pacecum Cardinalem vrgeri ob ſuæ dignitatis eminentiam, quæ eum longè arctiùs Pontifici obſtrictum reddebat: doluiſſe ſibi, quòd ea iura, quæ ipſi ſibi ineſſe crediderant, tranſlationi aduerſantia, priùs à Cæſare quàm ab illis audiuerit. Narrabat breuiter quæ in Senatu ob eam cauſam peracta fuerant à Cæſare in Legatos Patreſque Bononienſes, & cauſæ cognitionem ad ſe auocatam. Exiſtimaſſe hactenus, tranſlationem rite habitam fuiſſe ex præſumptione legitima, famaque communi; nunc vero quando id in controuerſiam deducebatur, ſuſcepturum ſe partes integri Iudicis, paratamque ipſorum rationibus excipiendis aurem habiturum. Id à ſe tribui meritis inclytæ nationis Hiſpanicæ, tanto in Sedem Apoſtolicam ſtudio flagrantis; ipſorum pariter virtuti concedi, de quorum probitate, doctrina, egregiiſque laboribus præclara ſemper audierat. Proinde eos hortabatur, vt tres ſaltem ex ipſis ad ſe venirent, expoſituri quidquid tranſlationi obiiciendum putaſſent.

Dum hæc à Pontifice gerebantur, rei notitia peruenit ad Cæſarem, cuius animo conſilium à Paulo ſuſceptum non diſplicuit. Etenim quò ſolertiùs quæri videbatur, ne conteſtatio à Cæſaris voluntate profecta cenſeretur, eò ampliorem haberi rationem de ipſius nomine palàm erat, maioremque in Pontifice curam, ne ſibi aduerſarius ab hominibus crederetur; & ex altera parte vibratum à ſe telum in manus ſibi rediiſſe videbatur, quod iterùm retorqueri poſſet, cùm in ipſius ſemper eſſet poteſtate, id quod ſuo nomine Mendoza peregerat, etiam aduerſus Pontificem ratum habere. Verùm cùm Cæſar in Paulo maiorem quàm opinatus fuerat firmitatem experiretur, cumque animaduerteret, illum nullo minarum terrore adductum iri ad reponendum ibi Concilium, vbi ipſe reſtitui iubebat potiùs quàm petebat, apud ſe ſtatuit, ſatis ſibi fore, ſi Bononiæ Synodus minimè continuaretur; oſtendens interim ſe animi pendentem, pronumque ad conteſtationem ratam habendam; [g] adeoque eam vtilitatem decerpens, quam affert bellica fiſtula manu prætenta, nondum exploſa. Significauit itaque [h] Sfondrato, velle ſe quæ conteſtarus fuerat Mendoza, rata profiteri, & ad Concilium legitimum prouocare: ſed Tridentinus interpoſitis hortationibus ſuis Romam ſcripſit, non parum eſſe Cæſarem delinitum, adeoque ſperare ſe, illum ſibi temperaturum, modò Synodus, ſimulque 5

g Diarium, 22. & 23. Februar. 1548.
h Litteræ Sfondrati ad Farneſium, 8. Februar. ex Diario, 3. Martij 1548. & litteræ Maffeij ad Legatos, 24. Februar. 1548.

que iudicium tranſlationis ſuſpenderentur, nullâ Epiſcopis Tridentinis illatâ moleſtiâ: ſatis enim iam comperto erat Cæſari, in illius cauſæ iudicium nihil amplius à ſuis produci poſſe, quàm quod toties per priuata colloquia productum fuerat; nec à Pontifice damnatum iri in Senatu, quod tam ſæpè in priuatis colloquiis ipſe comprobauerat; cùm inter omnes iudices ille nobis vel maximè ſuſpectus ſit, qui ſe contra nos ſentire ſemel declarauerit: nulla ſiquidem animi affectio tantum dominatur in homine, quantum præteriti iudicij ſui quidam veluti paternus amor atque complexus. 1548.

CAPVT XV.

Lecti Bononiæ Epiſcopi Pontificem adituri: & Hiſpanorum, qui Tridenti perſtiterant, reſponſio.

1 ACcepto Bononiæ Pontificis Diplomate,[a] Legati, conuocatis Patribus, reſponſum Mendozæ redditum, ac tenorem Diplomatis recitari iuſſerunt. Omnes conſenſere, agendas Pontifici grates eſſe: ſed quod ſpectabat ad cauſam, cenſuit Feſulanus, eam minimè defendendam, ſed conſentiendum remigrationi Tridentum. Portuenſis illam agendi rationem improbauit; dixitque, eam eſſe artem innectendæ moræ: debere potiùs à Pontifice aliquot ex Patribus Romam vocari ad morum emendationem ex ipſorum ſententia ſtatuendam; quo pacto palàm faceret, illam à ſe non ſubterfugi, ſed pro ſua virili parte promoueri: idque verbis aculeatis expreſſit, nihil animaduertens, a medico fruſtrà præſcribi pharmacum, quamdiu ab eo curari ægrotus recuſat. Abricenſis & Nouiomenſis hanc inducendæ cauſæ rationem improbarunt,[b] ne Synodus officeret iuri ſuo, dum alium ſuperiorem iudicem agnoſcebat. Idem Armacanus, ſed modeſtis verbis expoſuit; cui nihil à Legatis reſponſum: nam quantò validiores Bononiæ quàm Tridenti manus habebant, tantò illis arctiùs ligabantur; cùm ſibi quiſque perſuaderet, in certaminibus ab illo iniuriam inferri, qui eam facere potis eſt. Verùm erga duos alios, qui audaciùs & per ſpeciem conteſtantium verba fecerant, viſum eſt, ſilentium aut comprobationem quamdam aut imbecillitatem animi futurum fuiſſe; ac proinde vtrumque monuerunt, quà per ſeipſos ac publicè, quà per eum, qui Synodo à ſecretis erat, ac priuatim, quaſi Eccleſiæ cenſuris eſſe implicatos, quas Pontifex non obtemperantibus inflixerat. Luſitanus quoque ob iacta minùs reuerenter in Pontificem verba fuit obiurgatus. Quapropter hi tres ſe à proximo cœtu abſtinuere,

[a] 25. Februar. ex Diario, 16. Februarij.

[b] Diarium, 26 eiuſdem menſis.

1548. nuere, ac duo priores apud eundem, qui à ſecretis erat, mentem ſuam explicarunt; Se quidem voluiſſe illibata ſeruari iura Concilij quæcumque ea forent; non tamen obſiſtere mandatis Pontificis, cui parendum eſſe cenſebant. Nec eorum excuſationes reiectæ ſunt; perinde ac vſuuenit, cùm certa criminis demonſtratio nocet iudici, & alterius pœna detrimentum illi non emolumentum affert.

Huius legationis delectus plurium Patrum ſuffragio in Præſidibus repoſitus. Hi verò primo loco [c] deſignauerunt Filolium Aquenſem Archiepiſcopum; qui annorum morborumque pondere miſſionem ſuam excuſauit, per conſuetum reuerentis repulſæ modum, vbi quis à maioribus eligitur; cùm fortaſſe nollet is inconſulto ſuo Rege apertam litem cum Hiſpanis ſuſcipere: idque eò proniùs crediderim, quòd comperio, à Gallicis Oratoribus fuiſſe varijs nominibus ſubtractos illi delectui cunctos reliquos eiuſdem nationis, cauſantibus, par non eſſe, vt ad tranſlationem defendendam ſeligeretur, qui aut illi non interfuerat (cuiuſmodi erant ij qui poſteà ſuperuenerant) aut qui anceps nutauerat in ſententia, qualis fuerat Miropicenſis; adeoque excepto Filolio nemo ſupererat eligendus è Gallicis. Itaque ceteri, quos Præſides propoſuerant, & Patres comprobauerant, fuere Ioannes Michaël Saracenus Archiepiſcopus Materanus, Thomas Campeggius Epiſcopus Feltrienſis, Aloyſius Lippomanus Epiſcopus Motonenſis, idemque Veronenſis Adiutor, Philippus Archintus, Ioannes Baptiſta Cicala, & Sebaſtianus Pighinus Epiſcopus Salutiarum, Albergenſis & Aliſanus. His additi ſunt Hugo Boncompagnus, ***Abbreuiator***, vt vocant, & Hercules Seuerolus, Concilij Promotor, qui omnes Romam celeriter adiere. 2

c 26. 27 & 28. Februar. ex Diario.

Nec ibi multò pòſt reddita ſunt [d] Tridentinorum Patrum reſponſa: qui cùm ſtatuiſſent Tridento non diſcedere, modeſtiſſimas quaſque religioſiſſimaſque formas exquiſiere, quibus hanc ſuam mentem Pontifici exponerent; adeoque integra epiſtola contexta fuerat vocibus ac ſententiis ſubmiſſionem, pietatem charitatemque ſpirantibus, cum eo aculeo, inter ceteros maximè penetrabili, quo pungimus, cùm ſine aculeo repugnamus, quaſi non ob æmulationem, ſed ob conſcientiam. Significabant, Pontificium Diploma Religionis ſtudio ac manſuetudine plenum, animumque Apoſtolicum redolens, à ſe fuiſſe compertum; ipſos verò ſemper ſtuduiſſe per omnem animi demiſſionem illi obſequi: hinc effectum, vt iidem Tridenti perſiſterent, cùm tranſlationem eo inſcio collegæ decreuerunt; in quo optauiſſent, ne religioſiſſimus Cæſar pariter negligeretur: illic permanſiſſe, quia reliqui profeſſi fuerant eòdem 3

d Data 23 Martij 1548.

reuer-

reuerſuros, ſtatim ac malæ contagionis ſuſpicio deſiiſſet, ac præſertim vbi Germani Concilio obſequi vellent; perinde ac alterum citò contigerat, alterum paulò pôſt perfectum fuerat tum ab egregia virtute Cæſaris, quâ bellum geſſerat, tum ab illuſtri pietate, quâ fructum victoriæ ad Dei gloriam conuerterat. Argumento quod ſibi obiectabatur, nimirum oportuiſſe, vt vel cum reliquis Bononiam irent, vel ſignificare Pontifici cauſas cur tranſlationem reiicerent; reſpondere, ſe retentos fuiſſe ne abirent, ab iiſdem cauſis, quas illi Decreto iam obiecerant, cùm Tridenti conficeretur. Ne autem Sanctitati ſuæ eas cauſas exponerent, excuſari à perſuaſione quam habuerant, ipſas ſcilicet ſcripto à ſe traditas, & in Acta relatas, Pontifici fuiſſe perſcriptas à Legatis; adeoque non ex modica, ſed ex ingenti reuerentiâ ſe abſtinuiſſe ab acceſſu ad Pontificem, ne ipſi moleſtiam ſuis poſtulationibus exhiberent. Si veniſſet vmquam in mentem, id ipſi gratum futurum fuiſſe, quam porrò difficultatem obiici potuiſſe, quâ ab eo officio retardarentur? Ad alia longè maiora obſequia ſe Apoſtolicæ Sedi obſtrictos agnoſcere, tamquam ipſius antiquiſſimos filios, qui numquam Patrem deſeruerant, quique citra inuidiam non modò reditum iuniorum aberrantium, hoc eſt Germanorum, exoptabant, ſed obuiàm ipſis procedebant, vt eos inuitarent, & Parenti felicem illum, quem ſperabant nuntium gratulabantur. Si Cæſar ipſos eâ poſtulatione anteuerterat, Pontificem à ſe rogari, vt in animum induceret, id non ipſorum impulſu, ſed ſuâ ſponte ab eo factum, arbitrato, hoc ad Eccleſiæ Patronum pertinere, ſimulque excito ab ardenti ſtudio adnectendæ nobiliſſimæ nationis Germanicæ reliquo corpori Catholico, & ſub capitis obedientia reponendæ. Dolere ſe non mediocriter, quòd ipſorum commoratio Tridenti multis, vt Pontifex ſignificauerat, offenſioni fuiſſet; ſed ſibi purgandis ſatis eſſe, huiuſmodi offenſionem non à ſe datam, ſed ab aliis captam, cùm etiam non paucos diſceſſus collegarum offendiſſet. Laudes, quibus ornabantur à Pontifice, ipſius benignitati, non illorum merito referendas; à ſe verò accipi tamquam ſtimulos, vt eaſdem verè promererentur; eo tamen excepto, quod ſpectabat ad Hiſpanicam nationem, quæ reuerà in Fide obſeruantiâque erga Chriſti Vicarium ſemper excelluerat, in quibus neque ſe degeneraſſe ſibi videri, neque à culpa ſolùm, ſed à culpæ ſuſpicione procul abeſſe. Sperare ſe à Pontificis bonitate, pietatis affluentiam nulli ſibi fraudi futuram, nec meritum in crimen abiturum. Hîc equidem mihi à riſu temperare nequeo, dum Suauis, cenſor ille ſeuerus, tum Bituntini in Rhetorica, tum Con- 1548.

1548. cilij in Grammatica latinam formulam, *Ne nobis fraudi ſit*, vertit Italicè, *Che non ci ſia aſcritto a fraude*, hoc eſt, Ne nobis adſcribatur fraudi.

Pergebant orare Pontificem, quando Concilij meta pax erat, ne 4
ſe ad litigandum adigeret. Eam cauſam aut ipſorum eſſe propriam, aut Dei. Si propria, ſe paratos iniuriam pati potiùs, quàm inferre: ſi Dei, prout re ipsâ erat, quem Patronum optari poſſe Dei Vicario præſtantiorem? Abſcinderet proinde Pontifex omnem iudicij telam, Tridento Concilium reſtitueret, quod tamquam vnicum Chriſtianæ gentis remedium linguis omnium acclamabatur: ab illo reliquum gubernationis ſuæ curſum ſumma cum laude, maximeque decenter, pro ea quam gerebat perſonam celſiſſimam, fuiſſe peractum; ipſis perſuaderi non poſſe, eumdem ſibi defecturum in actu poſtremo, in quo plauſus non intra momentum, ſed per æternitatem excitandus erat. Ne illi graue foret pro ſua ſingulari humanitate æquo animo excipere, quæ paucis ipſi propoſuerant; cùm certi eſſent, ſi fortè multi maiori cum peritia Sanctitatem ſuam alloquerentur, neminem certè ipſis amantiùs ac reuerentiùs locuturum. Verumtamen eos ſibi non vſque adeò arrogare ex illius benignitate, vt in animo eſſet de eo diſſerere, quod tantum Pontificem deceret, ſed ſolum de eo, quod inde ſperabatur.

In hiſce litteris vt ea ſaltem exterior reuerentiæ ſpecies placebat, 5
quâ contemptus apertus declinabatur; ita facta à dictis diſcrepantia viſa ſunt. Etenim ſicuti Patres Bononiâ Romam miſſi opponebant, aliud erat tranſlationi, dum eius deliberatio pendebat, obſtitiſſe; aliud, non obtemperaſſe poſteà maioris partis Decreto, quod Præſides pro legitimo declarauerant: ſi aduerſus hoc obtineri à ſe ius aliquod exiſtimabant, debuiſſe aut illi parere, donec irritum iudicaretur, aut ſaltem intercedere, & prouocationem coram Iudice legitimo proſequi:[e] nullam aliam extare promiſſionem de redeundo, niſi tenorem Decreti in profectione habiti, quo multæ conditiones requirebantur, ac potiſſimè noua Patrum deliberatio. Huius excuſationis ſimulationem ex eo deprehendi, quòd eam non adduxerant, cùm à Patribus Bononienſibus per litteras fuerant inuitati, vt eò conuenirent, Conciliumque continuarent; quin ne reſponſo quidem illos dignati fuerant. Quòd omittatur defenſio, cùm alioqui iudicis ſententiæ obtemperatur, modeſtiæ ſanè ac tolerantiæ tribui poſſe; ſed quod Decretum legitimi Magiſtratus detrectetur, ſimulque recuſetur apud ſuperius Tribunal cauſam dici, vel iuris diffidentiæ vel Tribunalis deſpicientiæ tribuendum.

[e] Litteræ Legatorum ad Farneſium, 4. Aprilis 1548.

CAPVT

CAPVT XVI.

Acta in cauſa tranſlationis, quæ cum Cæſare egerit Ardinghellus. Proſper Sanctacrucius miſſus in Galliam Nuntius.

1 ITa diſſerebant Patres Bononienſes, à Synodo Romam delegati, quos Pontifex in Senatu [a] audiuit ore Archiepiſcopi Materani, vtpote dignitate præcipui, loquentes. Promotor verò Seuerolus legitima tranſlationis Acta Pontifici dederat. Hi quidem benigno reſponſo accepto, ſpe ac laude mixto, agere iuſſi cum Cardinalibus, quibus id negotij datum fuerat. Legati verò [b] vetiti ſunt intereſſe vel iis Patrum congreſſibus, qui Synodi functionem redolerent; adeoque priuatim ab ipſis audiebantur, abſque conſueta Epiſcoporum aſſiſtentium frequentia, minores Theologi, quibus conſilij non iudicij ferendi ius erat. Nec ita multò pòſt reuerſus eſt Iulianus Ardinghellus è Germania, [c] quò miſſus à Pontifice fuerat, vt ſimul ea de re, ſimul de Placentiæ reſtitutione ageret. De hoc poſtremo bonam ſpem retulit; libenter ſcilicet auditum iri, ſi quem Pontifex ad Cæſarem mitteret, qui cum eo conueniret de vrbe vel reſtituenda (adiectis tamen quibuſdam cautionibus) vel compenſanda. Quod ſpectabat ad alterum, nuntiauit, Cæſarem id temporis de Patrum reuerſione Tridentum taciturum, dummodò neque pateretur Bononiæ Synodus progrederetur, & Romæ tranſlationis iudicio Pontifex ſuperſederet; interim verò in Germaniam Legati mitterentur cum ampliſſima facultate, quam tredecim capitibus Cæſar explicauerat, vt hæreticos conciliarent, nationique ſatisfacerent. Quod vbi conficeretur, Concilio non ampliùs opus fore, adeoque omnem de loco diſputationem deſituram. De huiuſcemodi poſtulato Legatorum ſententia hæc fuit.

[a] 22. Martij, vt in Diario 26. & 29.

[b] Ex Diario, 26. Martij.

[c] Ex Diario, 29. Martij, & ex mandatis acceptis à Sanctacrucio, 28. Aprilis.

2 [d] Cæſari negari non poſſe id, quod Pontifex in reſponſione Mendozæ reddita ſolemniter promiſerat; tamen nonniſi vnicum mittendum Legatum, cùm omnis æqualitas æmulationis contentioniſque ſit ferax: Sfondratum ipſum poſſe deſignari, qui illic aderat, illarum rerum ingeniorumque peritum; duo illi Præſules conſiliarij adderentur. Primo loco proponebatur Hieronymus Verallus Archiepiſcopus Roſſanenſis, qui annos plurimos ibi Nuntium egerat: ſecundo Pighinus, qui in Concilio præclarè ſe geſſerat. Quod ſpectabat ad facultates, ſingula capita ſunt expenſa cùm à Legatis Bononienſibus, tum à Cardinalium cœtu, quem Pontifex ad hæc diſcutienda Romæ conſtituerat, adiecto præſtantium Theologo-

[d] Ex Diario, 28. Martij, & 14. Aprilis.

1548. rum conſilio. Quid in ſingulis illi perpenderint, notitiam afferret, lectori tædio potius quàm emolumento futuram; cùm parum proſit, minuſque delectet prolixa earum rerum lectio, quarum modicus poſtmodum fuit effectus. Hoc vnum commune prudenſque conſilium haud reticuero: Legato facultates pro ipſius arbitratu liberè haud committendas, ne, quando cuicumque petenti negaret iis vti velle, aut maleuolus aut auſterus videretur; ſed eius prudentiæ conſcientiæque iniungendum, vt eas tunc exerceret, cùm id opportunum fore intelligeret.

Iam Pontifex hanc legationem decernere habebat in animo, 3
cùm[e] reclamantes Gallici Regis miniſtri, nonnullos ex Purpuratis Patribus, ad deliberandum de hoc negotio ſelectis, in ſuam ſententiam traxerunt; ſignificaruntque Pontifici, per eam artem aſpirare Cæſarem ad plenum Germaniæ dominatum, vt poſteà ad opprimendos Galliæ Regem ac Principes Italicos vires conuerteret: huius conſilij manifeſtum argumentum eſſe Placentiam ab eo recèns occupatam: ſi ergo in iis quæ poſtulabat, illi ſatisfieret, vinculum non concordiæ, ſed ſeruitutis Chriſtianæ Reipublicæ contextum iri. Non tamen exiſtimauit Pontifex, per hæc politicæ prudentiæ ſcita, ſatis ſe ſubtractum oneri procurandæ omni ſtudio animarum ſalutis. Ad Regem Romanorum nouum Nuntium delegit Proſperum Sanctacrucium Epiſcopum Chyſamenſem, Romanæque Rotæ duodecimuirum, eique tradidit (ſi Commentario credimus, eius Vitæ ſummam continenti, qui ab eodem ſcriptus fuit, ſed non abſolutus, quique in meas manus deuenit) occulta quædam mandata, vt nimirum ageret in itinere cum Guillelmo Bauariæ Duce, qui non minùs quàm Paulus arbitrabatur malè ſibi repenſas fuiſſe ſuppetias Cæſari ſubminiſtratas, cupiebatque ſibi ſocios aſciſcere potentiâ ac dignitate pollentes ad eius amplitudinem deprimendam, quam & poteſtate nimiam, & reapſe immoderatam putabat. Verum hoc ſemen à Nuntio iactum, in tenebris arcani profundi, & ſub terra ſine germine deliteſcens, ob celerem Pauli mortem numquam in lucem prodiit. Quod de illius Nuntij miſſione conſtat, ſolum eſt, varia illi data fuiſſe documenta[f] ad reconciliandos Bohemos hæreticos, agendumque cum Cæſare de reſponſionibus ab Ardinghello delatis; ſed commiſſum pariter illi fuiſſe, vt Bononiâ tranſiret, nec ſolùm habita mandata Legatis[g] aperiret, verùm etiam, vbi opus foret, ea de ipſorum conſilio reformaret: quod ita planè accidit. Etenim cùm is iuberetur Cæſari ſignificare, in iudicio de tranſlatione nihil eſſe ſuperſedendum, vt ex Cæſaris voto ſenten-

[e] Ex Diario, 19. Aprilis 1548.

[f] 18. Aprilis 1548.

[g] Litteræ Sanctacrucij ad Maffeiũ Bononiâ, 4. May 1548.

ſententia protraheretur: quoniam tametſi in eo pergerent, ipſa tamen cauſæ grauitas diuturnitatem poſtulaſſet; animaduertebant Legati, per ea fateri Pontificem, rem eſſe arduam & ambiguam, atque inde colorem excuſationemque aduerſariis præberi. Vbi verò eidem mandabatur, vt affirmaret Cæſari, in eius gratiam Pontificem lentiùs acturum in continuanda Bononiæ Synodo; aduerterunt Legati, quemadmodum ſibi perſuadet Princeps, potiri ſe priuilegio cunctas voces dubias in rem ſuam interpretandi; ita homini cum eo loquenti diſertè promendum id quod præſtare intendit, cum ea ſignificationis ſubtractione, vt etiamſi dictis ſuis omne accedat incrementum, cuius ſit capax interpretationis amplitudo, non tamen ſuprà quàm intenderat, obligationem contrahat. Quod Nuntius Pontificis nomine deferebat, aiebant illi, non tamquam propenſionem animi arbitrariam acceptum iri, ſed tamquam promiſſionem irreuocabilem; neque tamquam paucarum hebdomadum, ſed tamquam multorum menſium cunctationem: conſultius dici poſſe: Optare Pontificem Cæſari ſatisfieri; verùm vndique ſe coarctari, cùm Præſules, Galli præcipue, rei confectionem vrgerent, ante oculos ipſi poſitis ſuarum Eccleſiarum ex Epiſcoporum abſentia detrimentis. Denique de Legatis in Germaniam mittendis iubebatur Nuntius reſpondere, quò celeriùs voto Cæſaris obſecundaretur, Præſules miſſurum Pontificem: quod iam nunc præſtitiſſet, niſi tam multa, quæ à Cæſare in eorum facultatibus petebantur, conſilium deliberationemque longiorem requirerent. Iam verò quoniam ea legatio à Madruccio ardenter expetebatur, illius cupiditate ab eodem cohoneſtatâ non tamquam ab ambitione, ſed à ſtudio Religionis profectâ, cùm affirmaret ſe, quippe Germanum Principem, gratioſiorem, adeoque potentiorem apud ſuam nationem futurum; datum fuerat negotium Nuntio, vt lento pabulo ſpem nutriret, inſinuando, poſſe id perfici, vbi Sfondratus diſcederet, & res Germaniæ felicem propiùs exitum portenderent: in præſentia retineri Pontificem, quò minùs ipſum delegaret, ab increbreſcente fama, quòd is deſtinaretur à Cæſare in Hiſpaniam, vt eius filiam in Germaniam deduceret, vnà cum Archiduce Maximiliano, fratris Romanorum Regis primo filio, cui fuerat deſponſa. Etenim Paulus nec volebat præcidere Madruccio hanc ſpem, quæ arctiſſimo aliorum animos innectit vinculo; nec in opus eam deducere, ne tam ſuſpecta negotia miniſtro committeret Cæſariano magis quàm ſuo. Sed hac in re placebat quidem Legatis Bononienſibus id quod intendebatur; ea verò per quæ id ipſum quærebatur, minimè

1548.

1548. nimè placebant: illa ſiquidem quaſi ſub conditione promiſſio poterat in abſolutam reſolui, vbi Sfondrati reditus accidiſſet, & reconciliationis tractatio incaluiſſet: obtentam ſpeciem itineris Hiſpanici auferri poſſe per tabellarium, qui Madruccium iturum negaret: huiuſmodi lac à fallaci ſpe propinatum, quandoque acrius aceſſere in ſtomacho magnorum virorum vbi deludantur, perinde ac fortaſſis euenerat in diuortio Regis Britanni. Cautius ſibi videri, ſi nullo ea de re verbis Pontificis reſponſo reddito, ſolum ſignificaretur Madruccio Farneſij Cardinalis nomine; Cùm adhuc de re ipſa deliberandum eſſet, ad conditionem deſignandi Legati deſcendi non poſſe, induceret vtique in animum, dum Farneſius Romæ degeret, ſedulum illi Procuratorem minimè defuturum. Nec indignum relatu fuerit, Nuntium, ob huius poſtremi capitis mutationem, nouum exemplar a Pontifice petiiſſe, ne ſi forte neceſſe foret vetus producere, reſtrictiora videretur afferre cum ſuo ſuique negotij detrimento, quàm quæ tradito ſibi ſcripto continebantur. Semper quippe homines auerſantur eiuſmodi adminiſtrum, qui quantum ſibi per Principem licet, ipſis conferre detrectat, inſtar vitioſi canalis, in quo pars aquæ à fonte ſibi commiſſæ deperdatur.

CAPVT XVII.

Ceruinus iterùm à Pontifice accitus. Galliæ Regis conatus. Libellus appellatus Interim, *à Cæſare in Comitiis diſcuſſus, & promulgatus.*

His tamen mandatis occluſum aditum Legatus ſenſit, cùm in 1
primo ad Carolum acceſſu mutata omnia nactus eſt; [a] nimirum in Comitiis Auguſtanis promulgatum à Cæſare [b] libellum, qui hominum ora menteſque repleuit, *Interim* nuncupatus; propterea quòd in eo præſcribebatur quidquid interim vſque ad futuri Concilij Decreta credendum eſſet. Continebat hic libellus præcipua capita, quæ per recentes controuerſias agitabantur, viginti ſex articulis digeſta. Quis illius fuerit auctor, incertum eſt: ſed ipſum Cæſari obtulerunt nonnulli [c] Principes, qui vel nimiâ pacis cupiditate hallucinati, vel quæſtionum ad Religionem ſpectantium imperiti, ſpem cum eodem Cæſare conceperant, fore vt in vna eademque doctrina poſſent hæretici cum Catholicis concordare. Illum Cæſar recognoſcendum dederat tribus viris ſacrarum Litterarum ſcientiâ inſignibus, Iulio Flugio, cui paulò antè Nauburgenſem Eccleſiam à Lutheranis occupatam reſtituerat, Michaëli

a Eſt in Diario, 21. Maij 1548.

b 15. Maij 1548.

c Vide Bzouium, anno 1548. num. 5. & ſeq.

chaëli Sidonio, Moguntini Suffraganeo vt vocant, probo vtrique 1548.
Catholico, & Ioanni Agricolæ Iſlebio hæretico, Septemuiri Bran-
deburgici concionatori, ſed æquè ac ipſius Dominus concordiæ
cupientiſſimo. In pluribus articulis, ac potiſſimùm in iis quæ de
Sacramentis agebant, ea doctrina Lutheranorum erroribus aduer-
ſabatur; in aliis verò contexta erat formulis ambiguis, quas liceret
vtrique partium pro re ſua interpretari. Quare hi tres delecti, poſt
diuturni ſtudij laborem retulere, quidquid in libello continebatur,
dummodo ſanâ interpretatione exponeretur, doctrinæ Catholicæ
haud repugnare, excepto Sacerdotum coniugio, & vſu Calicis apud
laicos: quæ duo ibi ita permittebantur, [d] vt reuerà tamquam licita
minimè probarentur; ſed dicebatur: Cùm difficillimum comper-
tum eſſet, Sacerdotes à ductis vxoribus ſeiungi, & experimento
conſtaret, aliquot populos ab Euchariſtia ſuſcipienda ſub vtraque
ſpecie abduci non poſſe, vtrumque tolerandum eſſe, donec Conci-
2 lium decerneret id, quod Eccleſiæ magis profuturum putaſſet. Ex
his quæ delecti viri retulere, ſpes ſucceſſus in Carolo aucta. Qua-
propter auctoritate Cæſareâ vulgatus fuerat in Comitiis libellus;
non ita tamen, vt eius obſeruantia præſcriberetur; ſed vt Princi-
pum qui aderant ſententia exploraretur. Sfondrato etiam libel-
lum [e] communicauerat Cæſar, vt auctoritate Pontificis illum fir-
maret. Neque hic prætermiſerat multorum ſtudium adhibere tum
Romæ tum Bononiæ; [f] vbi Legati Catharino præſertim ac Seri-
pando in eo vſi ſunt, & iudicium bifariàm diuiſere. Pars altera con-
tinebat articulos Tridenti iam definitos; ac de iis cenſuere nonniſi
adhibitas ab eodem Concilio formulas in libello apponendas: al-
tera ad res nondum ſancitas ſpectabat, ac de iis varias notas edide-
re, quibus libelli tenorem corrigebant, vbi id opus eſſe videbatur.
Ad deliberandum de hoc libello, eâque tam perturbatâ rerum con-
gerie, Ceruinus denuò fuit à Pontifice Romam vocatus, [g] atque vt
feſtinaret, diſpoſitis equis vti iuſſus.

[d] Cap 26. num.17. & 19.

[e] Litteræ Sfondrati ad Farneſium, 11. Aprilis 1548.

[f] Fuit miſſus Romam 12. Maij 1548 vt in Diario.

[g] Iuſſio peruenit Bononiã 16 Maij, & Ceruinus diſceſſit 17. vt in Diario.

3 Et ſane Pontifex adeò contrariis inter ſe ventis agitabatur, vt mi-
rum omnino ſit, quo pacto tam annoſa ratis nec cederet nec merge-
retur. Creſcebant in dies inter Cæſarem ac Pontificem ſuſpiciones
offenſioneſque: nam Caroli nomine ſolemniter fuerant confirma-
tæ cum Placentinis pactiones, Farneſiis ac Pontifici noxiæ; de qui-
bus cùm Sfondratus conquerebatur cum Granuellano, is culpam
reiicere conatus eſt in ipſam neceſſitatem, quam conditio temporis
afferebat, indicans ſuſpiciones erga Gallos ſuper Mediolanenſi
principatu. Verùm præter hæc Camillus Vrſinus, ad Parmæ cuſto-

1548.

b Diarium, 9. Maij 1548.

i Diarium, 8. Iunij 1548. & plurimæ litteræ Montani ad Ceruinum de hac re, præſertim 8. Iunij 1548.

diam miſſus, [b] ſcripſit, detectas à ſe Cæſarianorum ad eam quoque vrbem occupandam clandeſtinas molitiones; & ipſe Gonzaga,[i] Mediolani Gubernator, quibuſdam bonis beneficiariis Montanum ſpoliauerat, quæ ad ipſum, vtpote Ticinenſem Epiſcopum, pertinebant. Obtentui erat, quòd volebat Mediolanenſis Senatus recognoſcere ſententiam iam Romæ prolatam, quæ Hieronymum de Rubeis, illius vrbis Antiſtitem adhuc viuentem, ob grauiſſima crimina ab ea Sede deiecerat. Pro rei cauſa afferebatur in medium: Cùm ea Sedes huiuſmodi bona poſſideret iure beneficiario, à Mediolani dominis conceſſo, ad Carolum, tamquam ad ſupremum illius Principem, ſpectare, de eorum prouentibus quæſtionem exercere. Sed reuerà poſt tot annos ea ſuſcitata fuere ob aduerſantem ſtudiis Cæſaris Montani legationem; adeoque propoſitum erat, eos redditus Hieronymo reſtituere, cuius familia Parmæ præpollens partes Cæſaris ſequebatur: ac re ipſa poſtmodum omnes illius Eccleſiæ prouentus ſequeſtratione Senatus Montano ſunt ablati, vt Hieronymo redderentur, quaſi eius criminibus haud ſatis legitimè comprobatis, nullis idoneis cauſis ea damnatio niteretur. Qua in re non potuit quiſpiam ſeu prouidentiam mortalium non ridere, ſeu varietatem non admirari, qui animo reputauerit, eumdem Montanum, adeò inuiſum ſummo inter Chriſtianos Principi, à quo tot Purpurati & Patriâ & clientelâ pendebant, conſcendiſſe poſteà Petri Sedem; atque in ea collocatum vſque adeò mentem mutaſſe, vt Hieronymum de Rubeis, qui ipſum Epiſcopatu ſpoliauerat, legitimè redintegrauerit, & in gratiam Cæſaris Concilium Tridenti repoſuerit, & pro re Placentina & Parmenſi cum eodem belli ſocietatem iunxerit aduerſum Gallos.

k Diarium, 16 Maij 1548.

Vt ad Pauli acta redeamus. Propè iam is erat, vt Cæſari per miſ- 4
ſionem Legati ab eo expetitam ſatisfaceret, cùm litteræ Nuntij ſuperuenere, quibus à Rege Galliæ denuntiabatur; [k] Cùm ea omnia, vt ipſe affirmabat, ad Chriſtianam Rempublicam opprimendam tenderent, vbi Pontifex ad ea præſtanda animum induxiſſet, extemplò reuocaturum ſe Bononiâ Oratores & Præſules; quod ſi aliter fieret, patrocinaturum ſe Concilio & Apoſtolicæ Sedi, ſuorum imitatione maiorum. Nec Pontifex, demulcendo Regi intentus, poterat eam moræ ſuæ cauſam Cæſari promere, quin ipſum acerbius exulceraret; cùm grauis iniuriæ loco habeatur, vbi id quod petitur, petitori in hoſtis gratiam negatur. Nactus itaque Pontifex tam implicatos vndique nexus, exiſtimauit illud ſaltem vnicum ſibi adfore temporis, quod omnia ſoluit, adiumentum; nec induxit

in

1548.

in animum, Cæſarem ad memorati libelli promulgationem [l] progreſſurum tam citò, & abſque permiſſu vel ſuo vel ſuorum adminiſtrorum, quos ille flagitauerat; quandoquidem Comitia nondum ad exitum receſſumque conſuetum vergebant. Et Legatus ipſe iam ſcripſerat, [m] ita ſe ſperare; ex eo præſertim, quòd Catholici Principes in reſponſione ad propoſitum libellum Cæſarem verbis paulò acerbioribus pupugerant, quaſi vellet veterem Religionem mutare: vnde hic indignatus, in ſuſpicionem venerat, per eos Principes, ac præcipuè Guillelmum Ducem Bauariæ, pacificationi obſtacula conquiri, quò & tutiores ipſi ab illius armis, hac arte diſtractis, & potentiores tanquam partium Principes forent. Quamobrem Carolus ſubiungi iuſſerat, mentem ſuam non fuiſſe, vt per eam libelli propoſitionem Catholici ſuis è ritibus remouerentur; ſed ſolùm vt palàm fieret, ad quas tandem conditiones laici Septemuiri, & quidam alij Principes Proteſtantes deuenirent.

[l] Litteræ Farneſij ad Poggium, in Hiſpania Nuntium, 15. Iunij 1548.

[m] Litteræ Sfondrati ad Farneſium, 11. Aprilis 1548.

5 Legatus tamen illi conſiderandum obiecit; Tametſi ea libelli propoſitio, legitima illius comprobatio non eſſet, quæ ad Cæſarem non ſpectabat, ſed quædam ad tempus permiſſio; tamen animaduertendum eſſe, multa in eo libello male ſonare, ac frequenter adhiberi formulas parum ſinceras & ambiguas; quippe qui compactus fuerat ad inducendam conformationem quamdam in extima potiùs verborum ſpecie, quàm in intima animorum ſententia. Ibi concedi Sacerdotibus, vt in coniugio perſiſterent: quod quamuis non Diuinâ, ſed Eccleſiaſticâ lege ipſis interdictum ſit; non poſſe tamen eam legem laicâ poteſtate relaxari; multoque magis, quòd huiuſmodi lex ſaltem de coniugiis poſt Sacerdotium contrahendis, omni memoriâ vetuſtior erat apud Eccleſiam non Latinam modò, ſed etiam Græcam, adeoque Apoſtolica traditio numquam interrupta. Concedi laicis in Euchariſtiæ ſuſceptione vſum Calicis, contra multarum Oecumenicarum Synodorum ſanctionem. Vtcumque foret, nolle ſibi, Sfondratus aiebat, arrogare iudicium de tanti momenti cauſis, ſed à Romano Pontifice delectiſque ab eo viris expectandum.

6 Cæſar animaduerſâ morâ & cautione Pontificis in comprobando libello, impatientiùs ferebatur ſtudio ſanciendæ concordiæ, cuius ſpem firmiſſimam tum ipſi tum Legato faciebat Bucerus, [n] qui fide publicâ fretus eò venerat, & apud Septemuirum Brandeburgicum morabatur. Ratus itaque Cæſar eſt, & conſcientiæ ſuæ & Catholicæ parti ſe conſulturum quorumdam emendatione locorum, [o] quæ plurimum offenſionis inferebant, adiectoque proœmio in

[n] Litteræ Sfondrati ad Farneſium, 15. Aprilis 1548.

[o] Litteræ Sfondrati ad Farneſium, 26 Maij 1548. & Dertium, 12. Iunij.

1548. hanc ſententiam: Suam veterem voluntatem componendi Religionis diſſidia in Germania confirmabat; affirmabatque, id ſperari non poſſe, niſi per Synodum Oecumenicam, quæ denique paucis antè annis vt Tridenti coaleſceret, ipſe impetrauerat; poſteà verò cunctos nouæ religionis aſſeclas ſpopondiſſe illius ſe Decretis ſubiecturos. Pergebat: Conſulendum interim eſſe tam pernicioſis controuerſiis: huiuſce rei gratiâ à viris præſtantibus, Religioniſque ſtudioſis, delatam ad ſe fuiſſe hanc doctrinæ formam, de qua fortaſſe vtraque pars vſque ad Synodi ſanctiones conuenire poſſet: cumque eam viris Diuinarum Litterarum ſcientiâ præditis diſpiciendam tradidiſſet, illos exiſtimaſſe, eam doctrinam ſanâ interpretatione explicatam Catholicæ Fidei haud repugnare, præter Sacerdotum coniugia, & Calicis promiſcuum vſum: in reliquum poſſe illam concordiæ prodeſſe, quemadmodum Cæſar quoque pro temporum conditione cenſebat. Itaque perſiſtentibus omnibus in propoſito adhærendi Concilio, vbi illud promoueretur atque abſolueretur, ſe interim hortari Catholicos, vt ſuis in ritibus perſeuerarent; eos verò qui noua dogmata ſecuti fuerant, vt communem ipſi pariter Religionem complecterentur, aut certè illius libelli tenorem ſeruarent. Et quoniam ibi in quodam [p] capite ſermo erat, vt tollerentur cærimoniæ, per quas ſuperſtitio facilè induci poſſet; Cæſarem ſibi reſeruare poteſtatem eas declarandi, & cuncta reliqua, quæ in dubitationem veniſſent, diſſoluendi.

Hoc Cæſaris Decretum potiùs non improbatum quàm comprobatum in Comitiis fuit, & non tam voce quàm ſilentio. De eo 7
magis hæretici quàm Catholici conquerebantur; tum quòd lex æqua cunctis non eſſet, tum quòd tot in rebus cogerentur ſuam doctrinam deſerere. Quare non ipſi minùs quàm Catholici commentariis per typos in lucem editis libellum [q] acriter confutarunt. Sanctacrucius Nuntius, qui aliquot ante dies peruenerat, nonniſi poſt horam à Decreti promulgatione [r] à Cæſare admiſſus fuit. Idcircò frigidè expoſuit quæ in mandatis habuerat; adiecitque, miſſionem ad illius libelli negotium fuiſſe præcipuè deſtinatam, quo iam promulgato, eam ſine fructu vaneſcere. Cæſar factum excuſauit, cauſatus Comitia diutiùs protrahi non potuiſſe. Cùm autem Nuntius verba feciſſet de re Placentina, pro eo ac Ardinghellus cum Carolo egerat, hic interpellauit dicens, Priùs res publicas componendas quàm priuatas, cuiuſmodi erat Placentina, quæ ad Farneſiorum familiam ſpectabat. Cumque ſibi viſus eſſet à Nuntio aliquid perſtringi, ſubdidit, ratione quadam iram maieſtatemque

[p] Cap. 16. num. 6.

[q] Auctores qui interim impugnarunt tum hæreticos tum Catholicos, vide apud Spondanum, anno 1548. num 7.

[r] Litteræ Nuntij ad Montanum, 16. Maij 1548. & Diarium, 21. Maij.

que ſpirante, Nihil actum à ſe, niſi quod probum & Catholicum 1548. Principem decuiſſet. Dura quidem, ſed conſueta Legatorum conditio eſt, qui ad expoſtulandum cum potentioribus Principibus ab inferiore mittuntur, vt ob malè facta ipſi maledicta recipiant.

CAPVT XVIII.

Narrationes animaduerſioneſque Suauis, de rebus à Pontifice in hoc negotio geſtis, expenſæ.

1 NArrat Suauis, Pontificem, cùm proſpiceret illius libelli promulgationem vti Catholicis ſimul ac hæreticis moleſtam, ita pernicioſam non Apoſtolicæ Sedi, ſed ipſi Cæſari fore, ne ipſum inde retraheret, illi leuiter obſtitiſſe; ſed ſimul retinendæ poſſeſſionis gratiâ, ne profana poteſtas Religionis leges ederet, mandaſſe Legato, vt callidè Cæſari ſignificaret, perſuaſum eſſe Pontifici, eam libelli promulgationem fuiſſe meram permiſſionem Lutheranis factam, quâ cohiberentur, ne in deterius ruerent; quemadmodum prudentis Principis eſt minùs malum ad euitandum maius permittere; nullâ tamen varietate ſeu credendi ſeu viuendi Catholicis conceſsâ: nihilominùs futurum fuiſſe opportunum, expreſſam huiuſce rei declarationem haberi. Inſuper refert, iuſſum à Pontifice Legatum, cum bona Cæſaris venia, antequam libellus promulgaretur, inde diſcedere, ne rem præſentiâ ſuâ ratam faceret: atque hæc omnia ab eo peracta.

2 Nihil in his dicit, quod primo intuitu ſimile vero non appareat; ſed nihil dicit quod verum ſit. Vt ordiar à poſtremo: non modò Legatus non diſceſſit antequam *Interim* promulgaretur, ſed 26. Maij; adeoque vndecimo poſt promulgationem die ſcripſit ad Farneſium prolixis litteris multa quæ perpenderat ſuper libelli tenore; & quinto Iunij reſcripſit illi Farneſius, quàm grauiter ea de re Pontifex cum Mendoza conqueſtus fuerat. Ex quibus, & ex ſimilibus querimoniis ad Hiſpaniæ Nuntium ſcriptis, [a] conſtat pariter partem alteram falſam eſſe, hoc eſt, Pontificem rem (prout reuera erat) quaſi meram permiſſionem interpretatum, indicaſſe per Legatum Carolo, eam ſibi non improbari. Si Legatus in hanc ſententiam nomine Pontificis fuiſſet Cæſarem allocutus, quînam potuiſſet Paulus extemplò tantum querelarum effundere? Si verò Cæſar hanc Legati indulgentiam penes ſe habuiſſet, quid cauſæ erat, cur nouo Nuntio vſque ad promulgationem libelli acceſſum negaret? Quis non intelligat id actum à Carolo, quia gnarus contra-

[a] 13. Iunij, vt ex Archiuio Barbarinorum.

1548. riæ in Pontifice voluntatis, præuidenſque, à Nuntio promiſſum iri celerem Præſulum quos ille poſtularat aduentum, adeoque petendam interim ab eodem æquam moram, voluit illius certaminis moleſtiam declinare? Præterea quid erat, cur poſtea Cæſar tot apud Pontificem excuſationes congereret, & non potiùs conſenſum à Legato ſibi ſignificatum proferret?

Nec plus veri continet tertia pars: nimirum, arte Pontificis effectum eſſe, vt libello permiſſionis non comprobationis ſpecies appingeretur. Si res ita contigiſſet, egregiam ſane laudem eiuſmodi ars merita eſſet, nec ego Paulum eâ defraudarem: ſed iam narraui, Sfondratum vſque ab initio ſcripſiſſe, [b] id ipſum fuiſſe à Cæſare reſponſum iis, quæ Catholici Principes obiectarant. Poſtremò, quòd ait Suauis, languide Pontificem libelli promulgationi obſtitiſſe; quæro, quidnam amplius conari potuiſſet Pontifex, quàm ad eam retardandam Nuntium cum certis mandatis mittere, polliceri Præſules quàm celerrimè cum opportunis facultatibus, quas Cæſar petierat (tametſi Galliæ Rex, vnicum Pontificis columen tot inter impulſus Cæſareæ potentiæ, repugnabat) atque intereà tam frequenti, tam ſollicito ſtudio expendendam curare libelli doctrinam, vt animaduertens Cæſarem illius percupidum, poſſet illi tolerabilem aliquam eius emendationem proponere? Vbi Pontifex ad eam impediendam aut imperioſiùs aut feruentiùs ſe geſſiſſet, quidnam illi ſperandum fuiſſet præter diminutionem per contemptum auctoritatis ſuæ? Num illi deerant exempla tum Clementis, qui dum præualida ſubſidia Cæſari ſubminiſtrabat, eumdem retinere non valuit ab infauſta Religionis pace in Ratiſponenſi conuentu; tum etiam ſuiipſius, qui dum adhuc diffidentia inter ipſum & Carolum non tam altè animos occuparat, Decreta Spirenſia vel inuitus inſpexerat, ad quæ corrigenda coactus pro munere fuerat, publicas litteras paternis obiurgationibus miniſque plenas ad eum ſcribere? Cuiuſnam futura efficaciæ eâ temporum conditione putari poterant vetita Pontificis apud Cæſarem, qui, ſi profana ſpectentur, illi Placentiam ademerat; ſi Sacra, ſolemniter prouocari iuſſerat ad legitimum Concilium de Pauli negligentia, ac de eo cœtu, quem Paulus pro Concilio habuerat, per tam minacem denuntiationem? Verùm miſera profectò in hoc Pontificum conditio eſt: illis tamquam Religionis ſupremis arbitris obtrectant hæreticorum ſectæ; illis ob auctoritatem Eccleſiaſticam profana potentia, ob ditionis æmulationem finitimi Principes obloquuntur; illis aulici ſubditique innumerabiles infenſi, quia numquam faturi ob ingluuiem inexplebilem, 3

[b] 11. Aprilis 1548.

explebilem, paſſim oblatrant: ac ne poſt mortem quidem eorum 1548.
facta, prout euenit ceteris dominantibus, tuentur ij qui ſub illorum ditione degunt, cùm hoc partium ſtudium illis adimat conditio illius Principatus, qui vnicus inter Monarchicos eſt nec iure nec conſuetudine per ſucceſſionem deferendus; adeoque ipſorum nomen hiſtoricorum calumniis ſic expoſitum manet, vt nullum planè eo magis impetitum magiſque deſtitutum ſuperſit. Hinc eſt quòd Prudentius Sandouallius Pompeiopolitanus Antiſtes, etſi Regium chronographum ſeſe nuncupat, affirmare auſus eſt, Synodum a Paulo Bononiam Tridento fuiſſe traductam, vt aduerſus Carolum Petri Aloyſij cædem vlciſceretur. Sed ſcriptor hic videtur mihi ex iis quæ aut ipſe legit, aut accepit ab aliis, perinde tractationes conflare, vt à ſomnio ex imaginibus in vigilia conſpectis viſa conflantur. Exemplum ſit. Velaſcum & Vargas tamquam duos Oratores Cæſareos inducit, qui coram Paulo conteſtarentur Bononiæ, vbi Pontificem Aulamque id temporis adfuiſſe comminiſcitur. Quodnam craſſius patentiuſque mendacium? Et tamen Fama, numen illud à terrenis heroibus adoratum, idolum quoddam eſt etiam ex huiuſmodi nugis compactum: ſed reuerà ita compactum eſt in fluxis ſui corporis partibus, quæ integro viuente mutantur; non item in ſolidis permanentibus, per quas idem viuens ſubſiſtit, cùm mendacij ſit defectio, veritatis perennitas.

HISTO-

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER VNDECIMVS.

ARGVMENTVM.

CONSILIA *Pontificis de libello* Interim. *Fœdus ab eo cum Gallis agitatum, ſed non confectum. Leges ad Clerum Germaniæ reformandum, à Cæſare in Comitiis latæ. Legatio Bononienſis ob Gallorum ſuſpicionem Morono adempta, & Montano demandata. Capita de Tranſlatione Synodi examini Romæ propoſita, ſed lentè diſcuſſa. Spes recuperandæ Placentiæ, at irrita. Cuiuſuis nationis Epiſcopi Romam accerſiti ad diſciplinam reſtituendam; inter quos aliquot ex iis qui Tridenti degebant vocati, eorumque excuſationes. Concilij ſuſpenſio. Synodus Prouinciæ Moguntinæ, eiuſque Decreta de Imaginum ac Sanctorum cultu. Diſſenſio Parmæ causâ inter Pontificem & Octauium orta. Obitus Pontificis. Montani creatio, qui Iulius III. nominatur. Res Pontificatus initio ab eo geſtæ, & præſertim Parma Octauio Farneſio reſtituta. Conſilium ab eo ſuſceptum Synodi Tridenti reponendæ; & quo pacto Galliæ Rex ad id inducatur. Conuentus Auguſtanus Concilio vniuerſè ſe ſubiicit. Nauata à Pontifice opera, ne Cæſar Parmæ poſſeſſionem Octauio turbet; variaque conſilia ad id propoſita, ſed repudiata. Indicitur Tridenti Concilium. Octauij ſollicitudo ob Cæſarianorum minas: & quæ cum Gallis agitat. Studium Pontificis ad ea impedienda, ſed fruſtrà. Idem Pontifex à Cæſare incitatus ad arma*

oppo-

opponenda, & quare ad minus malum euitandum permotus. Electio, & acceſſus Præſidum ad Concilium. Eius inchoatio. Tranſitus Tridento Hiſpaniarum Principis, & Bohemiæ Regis. Aduениunt Oratores Cæſaris, multi Antiſtites, & Eccleſiaſtici Septemuiri. Belli initium, & euenta. Duæ conteſtationes, Regis Galliæ nomine in Senatu habitæ. Litteræ & conteſtationes ab eo ad Concilium ſcriptæ, & quo pacto ibi exceptæ. Seſſio duodecima celebratur Kalendis Septembribus. Prorogatio Decretorum vſque ad futuram Seſſionem, die vndecimo Octobris indictam.

CAPVT PRIMVM. 1548.

Varia conſilia de iis, quæ à Pontifice agenda eſſent poſt libelli Interim *promulgationem. Agitatum cum Gallo fœdus. Nuntij miſſi Dandinus in Galliam, Bertanus in Germaniam.*

1 DICI vix poteſt, quantum animorum motum excitauerit libelli *Interim* promulgatio. Etenim primo aſpectu creditum plerumque eſt, arrogatam ſibi fuiſſe à Cæſare auctoritatem in rebus Fidei, eamdemque exercitam in comprobandis doctrinis erroneis, & quæ ſenſis Eccleſiæ recentiſque Concilij Decretis repugnarent. Quare hoc nomine de his conqueſtus eſt Farneſius apud Hiſpaniæ Nuntium,[a] vt eadem ſignificaret Philippo Caroli filio, viriſque primariis illius religioſiſſimæ nationis. Imò Epiſcopus Ambiliatenſis more deſperantis Montano[b] dixerat, actum eſſe de re Chriſtiana. Pontifex tam opportunis remediis comparandis, quàm inutilibus effundendis querimoniis intentus, rem cum animo ſuo volutabat, & peritiorum ſententias exquirebat.

[a] 13 Iunij 1548.

[b] Litteræ Montani ad Ceruinum, 7. Iunij 1548.

2 Ac primò quidem ſuper Concilio Gallici Oratores Bononiæ commorantes, rerum publicarum experti, adeoque à ſpecioſa temeritate non illecti, ſupra ceteros collimarunt, prout conſtitit ex euentu. Legatum itaque monuerunt, incaſsùm expectari celebrem & fructuoſam Synodum, vbi obſiſteret qui potiori parti Chriſtiani orbis dominabatur. Proinde opportunum eſſe, vt a Pontifice legitima declararetur tranſlatio, quò ne coloratum quidem ius Cæſariupereſſet ad continuandam Tridenti Synodum, perinde quaſi haud legitimè inde digreſſam; poſteà verò vſque ad commodiora tempora Concilium ſuſpenderetur.

1548.

[c] Litteræ Montani ad Ceruinum, 21. Maij 1548.

[d] Litteræ eiuſdem ad eumdem, 31. Maij, & 16. Iunij 1548.

Montanus in ipſo æſtu Germanicæ nouitatis ampliùs exarſerat, 3
[c] regreſſuſque in veterem ſententiam ſuam, auctor erat, vt actâ Bononiæ Seſſione, reſponſio promulgaretur (in promptu iam illa erat, clàm à Catharino peracta[d]) conteſtationi ab Hiſpani fiſci Procuratoribus habitæ: tum verò huiuſmodi ſententiæ Decretum ederetur: Ob contumaciam repugnantiamque multorum opus eſſe, Synodum Pontificis præſentiâ communiri ac regi: cùm autem is & ob grauiſſimum ætatis pondus, & ob alia inſuperabilia impedimenta nequiret Româ diſcedere, decerni à Synodo, vt ipſa Romam contenderet. Etenim, aiebat Legatus, per eam Epiſcoporum infrequentiam, inter tam validas oppugnationes fieri non poſſe, vt ſeu Bononiæ ſeu in alia qualibet vrbe Concilium retineretur, & ſpecie ſplendidum, & ſanctionibus generoſum, multoque minus, vt oppoſitus ille cœtus Tridento diuelleretur. Vnicum id temporis locum ad expedienda ſacræ militiæ arma Romam eſſe, vbi Pontificis maieſtas, Purpuratorum ſplendor, publicorum Oratorum præſentia, multorumque Epiſcoporum interuentus, qui variis in ea Aula muneribus fungebantur, Cæſarianorum abſentiam ſupra modum compenſatura fuiſſent, ſuique fulgoris repercuſſu Tridentini cœtus oculos perſtrictura; adeoque venerationem terroremque incuſſum iri cuicumque potentiæ, Decretis ac cenſuris quæ ibi aut ederentur aut cuderentur. Suſpenſionem videri ſibi imbecillum conſilium, & obnoxium, pro eo ac ſæpiùs obſeruatum eſt, popularibus calumniis, quaſi Pontifex nollet Concilium, quia morum emendationem nollet. Verumtamen animaduertens, ſuam hanc ſententiam ne à Gallicis quidem Oratoribus foueri, cœpit pedem referre, [e] eorum conſilio, de quo diximus, comprobato; cum hac tamen cautione, vt Pontifex Patres aliquot Romam accerſeret ad reformandam diſciplinam, & interim cuncta Tridentina Decreta de rebus Fidei diſertè confirmaret, refractariis anathemate perculſis. Sed cùm feruidi planè eſſet ingenij, plus acuminis quàm firmitatis obtinebat; vnde ſæpiùs mutatâ ſententiâ, ad eam quæ ſua magis erat, & ardentior, [f] reuertebatur.

[e] Litteræ Montani ad Ceruinum, 24. Maij 1548.

[f] Eiuſdem litteræ ad Ceruinum, 31. Maij, & aliæ.

[g] Conſtat ex Montani litteris ad Ceruinum, 7. Iunij 1548.

[h] Extat in variis litteris ac Diariis, præcipuè 5. Iunij 1548. & in Hiſtoriis illorum temporum.

Ceruinus ſatius exiſtimabat inhibitionem tolli, vt ita [g] Bononienſis Synodus in ſuam poſſeſſionem rediret, in cœtibus aliiſque 4
functionibus ſolemniter celebrandis, adeoque Patres iucundiùs honeſtiuſque ibi conſiſterent; non tamen ad Seſſionis celebrationem veniretur, donec lapis omnis fuiſſet motus ad Cæſarem conciliandum; præſertim [h] quia nihil firmum extrui poterat in ope Gallorum. Nam cùm actum fuiſſet de fœdere cum Henrico ad commu-

nem

nem defenſionem ineundo, is, decrepitâ Pontificis ætate obſeruatâ, 1548.
noluit tam attrito nauigio ſe committere; proinde magnam depo-
ſitæ pecuniæ vim pro vadimonio depoſcebat.

5 Hæc tum de Concilio, qui ſummæ auctoritatis erant, meditabantur. Quod verò ad libellum *Interim* ſpectabat, multi ſuadebant, vt Præſules, quos Cæſar flagitauerat, in Germaniam mitterentur, quibus facultas ſimul ineſſet illius libelli in formam tolerabiliorem redigendi. Verùm Moronus, & prudentes aliqui ex Bononienſibus Epiſcopis, diſpecto attentiùs [i] illius tenore ac proœmio, cenſuerunt, cùm in eo eſſet mera quædam indulgentia, ſeu potiùs quædam reſtrictio, quæ Lutheranos coarctabat, haud expedire Pontifici, dum ea de re nimiùm laboraret, maiorem auctoritatis ſuæ offenſionem illic agnoſcere, quàm reuerà eſſet, idque inſperato ſucceſſu; nec iniungendum eſſe Nuntiis, vt libellum corrigerent: ſicut enim confectus fuerat, quò à Proteſtantibus exciperetur; ita numquam purgari adeò poterat, vt ne quid hæreſeos redoleret. Quare ſi Pontificij manum admouiſſent, nihil aliud effectum iri, niſi vt cum auctoritate Pontificis liceret lutherizare.

[i] Litteræ Montani ad Ceruinum, 14. Iunij 1548.

6 Dederat Paulus veniam poſt promulgatum libellum Sfondrato redeundi à legatione; [k] cùm reputaret, poſt legationem prudenter quidem, ſed non feliciter ab aliquo miniſtro geſtam, inter hunc, & Principem, apud quem diu fuit, eiuſque Magiſtratus, inuicem craſſiorem quemdam ſanguinem ingenerari, qui ineptus planè eſt ad fiduciam, ad beneuolentiam, ad ſpem nutriendam, præcipua in rebus agendis inſtrumenta; ideoque opportunius eſſe, alterum illi ſubrogare, in quo ſaltem æmulatio animi affectiones præſagiret, diſſimiles iis quæ in altero diſplicuerant, & quicum Principis adminiſtri, qui ſibi haud ſatisfactum ab altero querebantur, mutuæ gratificationi ſtuderent, ne cunctis moroſos ſe proderent. Non tamen diſceſſit Sfondratus niſi circa Idus Iulias, aduentum Nuntij ſibi ſuffecti præſtolatus. Hic erat Petrus Bertanus Epiſcopus Phanenſis, non Paulo ſolùm, ſed Carolo acceptus, idemque Madruccio, ſicuti narrauimus, acceptiſſimus. Is verò adeò cautus fuit ſuſpicionis euitandæ, vt Bononiâ iter faciens, feſtinatione prætentâ [l] ne Montanum quidem inuiſerit, haud ignarus, quàm alienis ab eo animis eſſent Cæſariani: qua de re acriter Legatus cum Farneſio conqueſtus eſt, ratus, per id adimi ſibi exiſtimationem in conſpectu Concilij, cùm vel maximè opus erat vt in honore haberetur, quò imminentem illius diſſolutionem auctoritate præpediret.

[k] Litteræ Farneſij ad Sfondratum, 5. & ad Poggium, 15. Iunij 1548. Bononiam peruenit 16. Iulij, ex Diario.

[l] Ex Diario, 19. Iunij 1548. & ex litteris Montani ad Ceruinum, eodem die.

7 Fuit quoque miſſus in Galliam Hieronymus [m] Dandinus Epiſco-
pus

[m] Litteræ Farneſij ad Poggium, 13. Iunij 1548. & ad Sfondratum, 5. eiuſdem.

1548. pus Imolenſis, nomine quidem vt Horatij Farneſij coniugium cum Regis filia conficeret, ſed reuerà multò magis, vt de rebus Concilij fœderiſque tranſigeret: is verò eadem de cauſa, quâ Bertanus, à ſuſpecto comitatis officio penè abſtinuit, cùm ocreatus, & campeſtri habitu vix curſim ſalutarit Legatum, qui ea de re & cum eodem & Romæ conqueſtus eſt; eoque iracundiùs, quòd Dandinus, cùm primùm ad Aulam acceſſit, in illius familiam cooptatus, [n] poſteà eiuſdem ope, ſimul ac propriæ virtutis ſolertiâ, ad ampliora gradum fecerat; cùm acerbius nihil contingat, quàm ab eo contemni, qui nobis conditione ſubiectus, & beneficiis obnoxius fuit: quo palàm fit, nimis nos in æſtimatione prolapſos & in patrocinio deceptos. Verumtamen ille poſteà Pontificio ſolio admotus, breuî eorum vtrique Purpuræ honorem largitus eſt, à quibus debito fuerat honore fraudatus; cùm animaduerteret, non deſpicatui, ſed cautioni id fuiſſe vertendum, amaretque tunc in miniſtris eam animi firmitatem, quâ ne ſuperiorum quidem rationem haberent, vt ſupremo nauiter obſequerentur.

[n] Ex litteris Dandini ad Epiſcopum Pharnenſem, apud Cæſarem Nuntium, 10. Februar. 1550. in volumine litterarum quod auctori communicauit Hercules Dandinus, Dandini Cardinalis heres.

Antequam Bertanus publicè deſtinaretur Nuntius, [o] Mendoza 8
Pontificem prolixè allocutus, ſuâ quaſi ſponte ipſum hortatus eſt, vt in Germaniam Legatos mitteret, qui, vt idem arbitrabatur, aliquid commodi eſſent allaturi. Ad hæc Pontifex: Mirum planè eſſe, poſt *Interim* promulgationem id ſibi proponi, cùm obſtructus illorum operæ aditus videbatur. Et per eam occaſionem queſtus eſt, id accidiſſe poſtquam Sanctacrucius Nuntius illuc peruenerat, cum promiſſis Pontificis eò mittendi Præſules, ad illa negotia delegandos, & quo tempore nullâ Cæſar premebatur neceſſitate ſtabiliendi Decreta, vt Comitia abſolueret; quippe diu poſteà perſtiterant, & adhuc perſtabant. Dein vota Patrum Bononienſium ſignificauit, qui ægrè ferebant, diutiùs non in Concilio, ſed in quodam exilio commorari; enixeque poſtulabant, vt ipſe in tranſlationis cauſa ſententiam ferret, ac certè aut manus aut pedes ipſis ſolueret. Tum expoſtulauit, dum ipſe tantam Cæſaris rationem haberet, tam malè ſibi repenſum eſſe, ſpei Ardinghello factæ in re Placentina operibus minimè reſpondentibus: nec ſatis roboris eſſe reſponſioni à Carolo redditæ, non priùs priuata quàm publica componenda; cùm Placentiæ reſtitutio non priuatim ad Farneſiorum familiam, ſed publicè ad Sedem Apoſtolicam, imò ad præſentem rerum publicarum ſtatum pertineret: ſibi nihil magis hactenus nocuiſſe, quàm quòd nimiam in recto Cæſaris animo fiduciam collocaſſet; nam alioqui non incurriſſet communem reprehenſionem, quòd ea omiſiſſet

[o] Litteræ Farneſij ad Sfondratum, 5. Iunij 1548.

ſiſſet conſilia, ſibi ab omnibus inſinuata, quibus iam tum aut Placentiam recuperaſſet, aut certè Parmam eiuſque ditionem extra periculum collocaſſet. 1548.

9 Poſt huiuſmodi colloquium Pontifex Bertanum miſit. At verò Suauis ſui commenti operâ audet ea coniungere, quæ in aliorum monumentis coniuncta non ſunt. Dicit, Bertanum miſſum fuiſſe ob leges quaſdam à Cæſare propoſitas Comitiis die 14. Iunij, ad Ordinem Eccleſiaſticum reformandum; cùm reuerà Bertanus Nuntij munere functurus, die nono [p] Româ diſceſſerit. Impoſitum Nuntio fuit, vt de cunctis capitibus, quæ Mendoza ſignificarat, cum Cæſare ageret; ac potiſſimùm ſpecularetur, num locus foret Præſulum miſſioni, quam Cæſar petierat, cum dignitate ac fructu; cùm Legatorum munus non magis in linguæ quàm in oculorum opera ſitum ſit; nec magis in iis exponendis quæ à ſuis Principibus demandantur, quàm in iis quæ à ſe viſa ſunt, ad eoſdem Principes referendis.

[p] Litteræ Farneſij ad Poggium, 13. Iunij: & Diarium Maſſarelli die 17. vbi apparet, eo die Nuntium Bononiâ tranſiiſſe.

CAPVT II.

Leges ad Clerum reformandum à Cæſare in Comitiis promulgatæ. Legatio Bononienſis Montano commiſſa. Articuli de tranſlationis cauſa propoſiti.

1 Carolus admotis iam manibus negotio Religionis, in eo conuentu rem à ſe perfici poſſe ſperauit, & quamdam Eccleſiaſticæ [a] diſciplinæ correctionem propoſuit: quæ ea planè eſt, quam ſuprà indicauimus à Suaui commemoratam, quæque ab eo tamquam optima commendatur; ſimulque adiicitur, eamdem Romæ non diſplicuiſſe, niſi ex eo, quòd abſque Pontificis auctoritate confecta eſſet, eique relaxandarum legum vſum coarctabat. Re ipsâ veritas quaſi flamma quædam eſt, quæ vtcumque recondere ſinu ſtudeas, per os tamen tranſlucet. Hanc diſciplinæ emendationem affirmat Suauis fuiſſe ſanctiſſimam, & ex altera parte Romæ non diſplicuiſſe, niſi quatenus Princeps laicus in rebus Religionis & ſupra Sedem Apoſtolicam exercebat poteſtatem. Igitur Romæ ſenſa tyrannica non ſunt, nec bono publico pernicioſa, quod Suauiani voluminis ſcopus eſt: ſed probantur Romæ leges optimæ, dummodò pulchro corpori haud deſit anima, quæ in legibus legitima poteſtas eſt. Et ſanè quia huiuſmodi defuit anima, ea Cæſarea ſanctio, quamquam poſteà ſimul cum *Interim* promulgata fuiſſet ſecunda Iulij in receſſu Comitiorum, fuit veluti partus emortuus, adeoque ita vt numquam viueret nata eſt.

[a] 14. Iunij, vt in Diario.

1548.

Contigit interim, quemadmodum paſſim increbuit fama, vt Gal- 2
lici Cardinales, quorum operâ fœdus inter Regem ac Pontificem
ad defenſionem mutuam agitabatur, Paulo proponerent,[b] in rem
non eſſe, quòd in tanta auctoritate ac vicinitate Moronus perſtaret,
Cæſari & ortu & affectu obnoxius. Quamobrem induxit Pontifex
animum, vt illi ſufficeret in legatione Bononienſi Montanum Car-
dinalem, eò in Gallos propentiorem, quò duriùs habitum à Cæſa-
rianis; eâdemque operâ fiebat, vt per eam acceſſionem prouentus,
[c] ſupra ea quæ ipſi pendebantur ex legatione Concilij, compenſare-
tur iactura reddituum Papienſium, quos ei Gonzaga interceperat.
Verùm quò ſubſidium aliquod Morono ſuppeditaretur, quod ſimul
eſſet rei benè geſtæ luculentum teſtimonium,[d] portionem aliquam
prouentuum, quos Concilij legatio Montano conferebat, & ali-
quam etiam ex iis fructibus Pontificiæ, vt vocant, *Datariæ* eidem
Morono attribuit. Quin reuerà hic veniam deponendi muneris
petierat: & Pontifex,[e] (ſiue id verum fuerit, ſiue obtenderit ſuauita-
tis gratiâ, euitandæque offenſionis ſtudio) negauit illud fuiſſe po-
ſtulatum à Gallis, & eiuſdem in geſto Magiſtratu operâ collauda-
tâ, ſe feſtinaſſe profeſſus eſt, vt ſucceſſori Papienſem iacturam com-
penſaret. Moronus verò non mediocrem præ ſe tulit lætitiam, quòd
voti compos iam eſſet, vel ex animo, vel quia in ictibus huiuſmodi,
aduerſus quàm in plagis corporis, qui ſe vulneratum fatetur, ma-
lum auget; qui ſe intactum ſimulat, minuit.

[b] Ex Diario, 26. Iunij.

[c] Ex Diario, 20. Iunij, & ex litteris Farneſij ad Ceruinum, 23. Iunij: & ex Actis Conſiſtor. 13 Iulij.

[d] Ex Diario, 16. Iulij.

[e] Litteræ Ceruini ad Moronum, 4. Iunij, & 6. Iulij 1548. & Maſſarelli Bononiâ ad Ceruinum, 19. Maij, & 20. Iunij, ex Commentariis Ceruinorum.

Non modicam inferebat Pontifici ſollicitudinem tranſlationis 3
cauſa: nolebat enim vel intempeſtiuâ ſectione illam potiùs exulce-
rare, quàm decidere, vel quaſi per ignauiam metumque in ſilentio
deſtituere. Quare vt eam agitatam haberet, poſſetque honeſtiùs,
quandocumque liberet, abſoluere, curauit, vt à delectis Cardinali-
bus in quindecim capita eius cognitio partiretur:[f] quorum ſingu-
lis, conſtat ex Actis, doctiſſimè fuiſſe reſponſum à Patribus, qui Bo-
noniâ aduenerant. De his & ceteris omnibus inter Pontificem cœ-
tumque Tridentinum agitatis, quæ ſummatim recenſebimus, nul-
lam Suauis notitiam præ ſe fert. Nos planè hîc omittemus minu-
tim referre ea capita, adiectaſque eorum ſingulis rationes, vt à le-
ctoribus eam moleſtiam arceamus, quam afferunt diſputationes
probationeſque earum rerum, quæ diſputationem reſpuunt, & pro-
batione non indigent; cùm in quæſtionem trahi non poſſit, licere
Oecumenicæ Synodo cum duabus tertiis ſuffragiorum partibus,
cum auctoritate Legatorum, peculiarem ad id facultatem à Ponti-
fice obtinentium, cum iteratis conſiliis, cum iurato peritorum ho-
minum

[f] Diarium, 29 Iunij.

minum teſtimonio, & ob imminens cunctiſque notum vitæ periculum, ex vno in alterum locum commigrare; quod exemplis recentibus tum Concilij Papienſis ſub Martino, tum Ferrarienſis ſub Eugenio confirmabatur. Quapropter Cæſar ipſe, intelligens cauſam ſuſtineri non poſſe, illam perpetuo ſupprimere ſomno ſtudebat, ne eamdem cerneret decretâ adeoque inhoneſtâ morte occumbentem. Propoſuit igitur Bertano, ne per ſex menſes ea lis agitaretur, atque interim Concilio ſuperſederent, [g] miſſis in Germaniam ſeu minoribus Præſulibus, ſeu Purpuratis, cum facultatibus aliàs expoſitis. Pontifex verò, Epiſcopis ex omni natione Romam accerſitis, morum emendationem conſtitueret. 1548.

g Diarium, 1. Auguſti 1548.

4 Huiuſmodi reſponſo accepto, Montanus cenſuit [h] rem eſſe conficiendam. Etenim niſi aliqua ratio excogitaretur, quâ poſſet cum dignitate recedi, Cæſar adeò proceſſerat, vt opus foret cum illo, quaſi per quamdam monomachiæ ſpeciem congredi: in quo præter publicam offenſionem, periculum etiam extitiſſet (amiſsâ iam opportunitate ea peragendi quæ primus tranſlationis æſtus ferebat) quò pleniùs Cæſari ſatisfieret, facultates excipiendi reconciliandique hæreticos, & ſchiſmaticos ampliſſimas concedendas, ſuprà quàm vmquam à quocumque Pontifice conceſſæ fuiſſent, quidquid ſeuerior cautio quorumdam Theologorum opponeret. Sed præter eas, aiebat ille, tunc à Cæſare quaſdam alias facultates peti numquam vſurpatas, inter quas erant quæ certè delegari non poſſent, vtpote Iure Diuino ſoli Pontifici reſeruatæ: eas quidem concedere non licere, ſed neque eas negare tutum eſſe tam feruido tamque valido petitori. Proinde ſatius eſſe, rem committi iudicio Præſulum, qui ad formandas diſciplinæ leges erant vndique conuocandi, quorum conſilio repulſa & venerabilior & tolerabilior redderetur.

h Litteræ Montani ad Ceruinum, 14. & 15. Auguſti.

5 Quod ſpectabat ad miniſtrorum miſſionem cum facultatibus quas diximus; exiſtimabat, quamquam ſi Præſules mitterentur, minus foret diſpendij, Cardinales tamen præferendos, quippe & honorificentiùs, & fortaſſis efficaciùs rem acturos; adeoque ad eam miſſionem ſuadebat inter illos vnum ex Concilij Legatis ſeligendum, oſtendens id Ceruino conuenire, non ſibi, quem negabat ad id muneris idoneum eſſe, non virtutum modò, ſed virium egeſtate. Non tamen temeraria fortaſſe fuerit ſuſpicio, eum ſperaſſe, in ſe, vtpote antiquiorem, caſuram electionem ad tam præclaram prouinciam, quâ Pontifici ſimul ac ſibi poſſet Cæſaris beneuolentiam recuperare; cùm apud Principes in more ſit, ad ſuſtentandam promouen-

1548. mouendamque miniſtrorum fidem, velle vt is reconciliationis ſequeſter ſit, qui ob fidem ac ſtudium fuerat offenſionis adminiſter. Verùm de cauſa tranſlationis ille frequenter monuit; vt ſi tractatio cum Cæſare protraheretur, [i] ne abſque deciſione ea cauſa penderet, vel ſaltem abſque occulta Pontificis declaratione, ſolis Legatis patefacta; ne, ſi vacaret interim Sedes, Cæſari ſupereſſet vlla tituli ſpecies, affirmandi Concilium Tridenti perſiſtere, & ad ipſum Pontificis electionem pertinere: quod tamen conſilium perfici non poterat, niſi per inacceſſum arcanum, ne Cæſar irritaretur ad prouocationem proſequendam, quam ſuo nomine Mendoza interpoſuerat (& cuius confirmandæ poteſtatem fuiſſe illi traditam exploratum erat, ita tamen [k] vt nonniſi in quibuſdam conditionibus eâ vteretur) & res in ſchiſma prorumperet. Sed de hoc poſtremo conſilio infrà loquemur.

i Litteræ Montani ad Ceruinum, 3 Nouembris 1548. & 14. Aprilis, & 8. Iunij 1549.

k Conſtat ex litteris Farneſij ad Nuntium Galliæ, in volumine Burgheſiorum, cui titulus eſt: *Paulus III. Litteræ Farneſij Cardinalis.*

Quod ſpectat ad aliam conſilij partem, eò Pontifex propendit, vt Cæſari per delegationem, quam optauerat, ſatisfaceret; ſed in eo firmus, quod illi per Sanctacrucium ſignificarat, Præſules, non Purpuratos elegit: [l] fortaſſis etiam, ne cogeretur altè Madrucciumoffendere, ipſo poſthabito. Itaque deſignauit Bertanum tunc ibi Nuntium, Lippomanum Veronenſis adiutorem, & Pighinum, ad Ferentinatem Eccleſiam paulò antè tranſlatum; qui duo inter eos erant, quos ad propugnandam tranſlationem Synodus Romam legarat. 6

l Vltimo Auguſti, vt in Actis Conſiſtor.

Hîc verò Suauis grauiter labitur, dum narrat, Nuntios haud miſſos à Pontifice cum facultatibus quas Cæſar flagitarat, hoc eſt, confirmandi ſaltem ex parte quæ ipſe ſtatuerat in Comitiis; ſed cum aliis, Pontificis dignitati opportunis, videlicet, ampliſſimas venias abſolutioneſque indulgendi, quippe ad eius auctoritatem in illis regionibus ſuſtinendam maximè accommodatas. Ignorauit ille, huiuſmodi ampliſſimas facultates iteratis Cæſaris petitionibus fuiſſe impetratas, qui tredecim capitibus diſtributas poſtulauit; & hac in re inter Pontificis Conſiliarios variaſſe ſententias, reputantes, non aliunde magis eleuari prohibitionum reuerentiam, & horrorem ſcelerum, quàm ex remiſſionum facilitate, quæ beneficium in maleficium penè conuertunt: quidquid autem indulgeretur aberrantibus, vt in viam reducerentur, iuſtitiæ nomine poſtulatum iri ab iis, qui ne veſtigium quidem deflexerant. Quare tametſi Romano in cœtu plerique tandem ad benigniora deuenerint, vt tanta perditorum multitudo ad bonam frugem quâcumque ratione allliceretur; tamen non modò nihil profuſum eſt per prodigentiam ſponte 7

exer-

exercitam ad obſequij aucupium; ſed in duobus capitibus ex tredecim, pro quibus Cæſar inſtiterat, Nuntiis denegata facultas eſt. Hæc fuerunt, ne aut Religioſis profeſſis per vllum laxamentum permitterent coniugium; de quo obſeruatum fuerat, [m] plurimorum ſæculorum ſpatio quatuor dumtaxat huiuſce relaxationis, profeſſis Religioſis factæ, exempla reperta; ex iis verò tres poſt ſuſceptos liberos ad cellam reuerſos: aut ſinerent Eccleſiarum fundos, à laicis iam occupatos, retineri. Pollicitus tamen eſt Pontifex, ſe in vtroque capite clementer acturum, vbi in peculiaribus rerum conditionibus honeſtam cauſam agnoſceret. Nec ſolùm de his facultatibus Cæſariani conqueſti non ſunt, prout Suauis affirmat; ſed Bruxellis cum lætitia exceptæ fuere, ſicuti Farneſius ſignificauit Hieronymo à Correggio, in mandatis paulò pòſt ad illum miſſis, [n] cùm ad Cæſarem ſuo nomine, rei Placentinæ causâ, ipſum legauit. Idem quoque luculenter teſtantur litteræ Pighini Nuntij ad Ceruinum, [o] in quibus narrat, Cæſarem, eiuſque adminiſtros, recenſitis facultatibus fuiſſe contentos, ſolumque cupiiſſe, vt Nuntij eamdem poteſtatem aliis delegarent, quò tolleretur ſuſpicio, quaſi ſpe inani lactarentur, donec Placentini negotij exitus cerneretur: & in eo pariter cõuenere. 1548.

[m] Mandata Nuntiis tradita extant in volumine ex citatis in Archiuio Vaticano.

[n] Extat in Bibliotheca Ducum Vrbinatium.

[o] Bruxellis, 26. Ianuar. 1549. inter Commentaria Ceruinorum.

8 Verùm Suauiana interpretatio Diplomatis, quo facultates memoratæ continebantur, nos ad Hiſtoriæ ſeriem interrumpendam compellit. Scribit, illud Diploma multorum ſermonum cauſam fuiſſe, in primis, quòd haberetur in prooemio, inter vrgentes Eccleſiæ turbas Pontificem ſolatio affectum fuiſſe ex promiſſionibus per Petri Sedem à Chriſto exhibitis, maximè verò, *poſtquam ipſe Oecumenicæ Synodi remedium admouerat. Perinde quaſi* (obſeruat Suauis) *non alio Eccleſia fundamento niteretur, niſi Pontifice, & ſexaginta Patribus Tridentinis.* Et tamen vt ſexaginta illi Patres Pontificis auctoritate cogerentur, tot Comitia fuerant celebrata, tot itinera ad Reges ſuſcepta, tot prolixæ rerum tractationes per vniuerſum Chriſtianum Orbem habitæ: & tamen illorum ſexaginta Patrum Decreta ab eo collecta tantum Eccleſiam illuſtrarunt & confirmarunt, quantum ne ipſa quidem inuidia poſſit inficiari: & tamen ea Chriſtianorum pars, quæ noluit in ipſo, & in illis ſexaginta Patribus inniti, Eccleſiam conflauit adeò diſcordem, adeò deformem, adeò belluis conſimilem, vt vnicuique videre licet. Si Chriſto ars fuit, per paucos piſcatores Orbem terrarum, idolorum cultorem, ab impia ſuperſtitione ad Fidem reuocandi; certè ars ipſi non defuit, per ſexaginta Epiſcopos Chriſtianum Orbem ad meliorem frugem re-

1548. ducendi. Quin etiam, amotâ quacumque Dei ſupra naturæ ordi-
nem molitione, in profanis pariter principatibus paucorum è capi-
tibus pendet populorum innumerabilium ſeu tranquillitas ſeu per-
turbatio.

Dein adiicit, Ingenti fuiſſe arrogantiæ adſcriptam facultatem, 9
Reges ac Principes ad honores, ad famam, ad dignitatem priſtinam
reuocandi. De hoc argumento haud equidem hîc diſputandum
puto. Reuoluantur Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, conſulantur Theologi,
Canonumque periti.

Pergit narrare, Contradictionem fuiſſe obſeruatam in poteſtate fi- 10
deles abſoluendi à iuramentis illicitis, cùm hac abſolutione illi non
egeant. Par etiam fuerat, vt cenſores iſti repugnantiæ notam inu-
rerent Iudicum ſententiis, quando hominem criminis accuſatum
hi tamquam innocentem abſoluunt: ſiquidem innocens nullo cri-
minis, luendæque noxæ vinculo ligatur, à quo abſoluatur oporteat.
Vnicuique in promptu reſponſio erit, ipſam ſententiam, quâ accu-
ſatus declaratur innocens, abſolutionem vocari. Ita pariter cùm
per legitimam poteſtatem declaratur, opus iureiurando promiſſum
eſſe illicitum, per idipſum ſoluitur iuſiurandum. Præterquam quòd
interdum etiam ex hominibus iuramenta extorquentur iniuriâ, hoc
eſt fraude, vel minis; quorum obſeruatio cùm ſit licita ex parte iu-
rantis, ad eam præſtandam obſtringitur apud Deum, quippe re-
ſtem ab homine ſuæ promiſſionis appellatum: ſed æquitas poſtulat,
vt eo nexu ab illo qui Dei locum obtinet, homo ſoluatur.

Ineptius eſt quod de altera contradictione Suauis ſubdit, quæ 11
continebatur in conceſſione calicis, ad eos coarctata, qui credunt
Eccleſiam non errare, dum eumdem calicem laicis negat: *Quo enim
pacto*, inquit ille, *fieri poſſet, vt quiſpiam crederet, & poſtularet huiuſmodi
prohibitione diſſolui? Nimirum eâdem ratione quicumque alicuius legis re-
laxationem à Principe poſcit, eum tacitè arguit erroris in ea lege ſancienda.
Quicumque priuilegium petit, vel vt in priuata ſua domo ſacrificium celebre-
tur, vel vt ante præſcriptam ætatem ſacros Ordines ſuſcipere poſſit, exiſtimet
neceſſe eſt, in huiuſmodi prohibitionibus Eccleſiam deerraſſe.* Enimuerò
Dialecticam vſque ad Suauis ætatem ignoratam! Quænam inter-
uenit repugnantia ex vna parte, in credendo Eccleſiam non errare,
dum hæc vniuersè prohibet; & ex altera, in petendo peculiari quo-
dam legis laxamento, quo alicuius hominis vel prouinciæ pietati
propenſionique ſatisfiat?

Poſteà quaſi ſummè ridiculariam depingit conditionem, quæ 12
præſcripta fuit in abſoluendis cœnobitis, qui clauſtra ſui Ordinis
deſeruiſ-

deſeruiſſent, nimirum, vt religioſâ veſte interiùs amicirentur; *Perinde ac ſi*, inquit, *regnum Dei quidam eſſet habitus, ſeu veſtimenti forma: quæ ſi palàm non appareret, ſaltem neceſſe foret vt clàm interiùs geſtaretur.* Hæreticorum mos eſt, hanc veſtium colorumque diſtinctionem deridere, perinde quaſi in profano pariter Principatu ea cum fructu ac dignitate neutiquam vſurparetur; & quaſi veſtis ipſa luculentum ac perpetuum monumentum non eſſet, tum gerentibus tum ſpectantibus, propriæ cuiuſque profeſſionis. Quod ſi ſecùs, cur inter omnes hominum nationes conuenit virilium muliebriumque indumentorum diſcrimen? Iam verò quando agebatur, vti transfugæ ad Eccleſiæ gremium ſuauiter reducerentur; quò humanæ imbecillitati conſultum foret, indulgebatur Regularibus apoſtatis, vt neque nexibus, qui ſibi viſi fuerant intolerabiles, denuò ſeſe obſtringerent, neque admiſſi iam ſceleris publicam quodammodò exprobrationem inducerent: adeoque exigebatur, vt occultam quamdam afflictationem obiurgationemque ſecum ferrent in huiuſmodi habitu & colore, qui quotidie ab ipſis & ſurgente & cadente luce conſpiceretur. Quiſquis hoc deridiculo habebat, ſatis comprobabat id quod Sapiens de riſus domicilio nos edocet. 1548.

13 Riſum potiùs meretur Suauis, qui narrat id quod ignorat. Exemplo ſint quæ hîc ſubiicit: *Quamquam feſtinè fuiſſent Nuntij deſignati; eorum tamen profectio in annum proximum dilata eſt, eò quòd Cæſari haud placuerat ratio in mandatis appoſita ipſi aſſiſtendi, eiuſq; ſanctionibus auctoritatem impertiendi.* Et tamen mox perſpicient noſtri lectores, [p] Nuntios confeſtim Româ profectos; Pighinum verò Bononiâ tranſiiſſe non ſeriùs quàm decimo ſeptimo à ſui deſignatione die; eiuſque litteræ extant paulò pòſt in Germaniâ conſcriptæ: diſcrepantia verò promiſſarum facultatum poſt Nuntiorum aduentum orta, non ex cauſa à Suaui probata, ſed ex alia, quàm palàm faciemus, extitit.

p Apparet ex iis, quæ in margine citabuntur.

14 Ad rerum ordinem redeamus. Peractâ ex voto Cæſaris Nuntiorum miſſione, duo reliqua per Berranum à Carolo poſtulata difficiliùs perfici poterant. Suſpenſioni [q] non perinde Rex Galliæ aſſentiebatur, ac eam ipſius Oratores Bononiæ ſuaſerant; cùm ei videretur, dum Synodus extabat, eam à Cæſare ſpectari quaſi nubem quamdam, vnde ſibi procellam formidaret, ſi vela ipſe expanderet aurâ fortunæ potentiæque turgentia. Quin pollicitus iam Rex ſuos Præſules Romam mittere [r] ad deliberandum de reparatione diſciplinæ, ſimul apud Nuntium queſtus erat, Synodum in gratiam Cæſaris otiari. Cui reſponſum fuit, Potiùs otiari in gratiam pacis

q Litteræ Montani ad Ceruinum, 21. Septembris 1548.

r Diarium, 29. Septembris.

1548. concordiæque communis, quæ in ipſius etiam Regis commodum redundabat. His itaque ſenſis à Rege patefactis, haud licebat Pontifici, poſt miſſos eo cunctante Nuntios in Germaniam, cunctis illius votis obſiſtere; ſic enim & maximum fulcimentum amitteret, & ſimul Principes doceret, rationem pertrahendi ad ſua vota Pontificem eam eſſe, quâ Cæſar vtebatur; idque eò magis, quòd Gallus [r] hominem ſibi à ſecretis ad Pontificem legarat, qui fœderis negotium vrgeret: & eâ tempeſtate ſpectatis Italiæ rebus, maiori ob propinquitatem Gallus habebatur in pretio, cùm iam in Subalpinam regionem deſcendiſſet, magna tunc ex parte ab eo poſſeſſam, [t] quò cum Rege collocuturus Ferrariæ Dux ſe contulerat. Pontifex verò vt Parmam in tantò rerum tumultu retineret, [u] cum Guiſio Cardinale iam eò deuenerat, vt ipſe poſtulatam pecuniam Lugduni deponeret, aboleretque abuſus iuriſdictioni Eccleſiaſticæ aduerſantes in Prouincia, in minori Britannia, in Delphinatu, in Sabaudia, & Pedemontana ditione; hoc pacto rem etiam ſacram eo fœdere promouente, adeoque declarationem ſumptumque Pontificis cohoneſtante, qui viciſſim, quò Gallum ſecuriorem redderet, haud recuſabat beneficiarium ius in Parmæ Principatum ab Octauio in Horatium Caſtri Ducem, nouumque Regis generum transferre; Caſtri verò Ducatum aliaque per compenſationem Octauio tradere. Id autem nolebat reipsâ præſtare, niſi poſt depoſitam Romæ à Galliæ Rege pecuniam, adiunctamque ſimul cùm ab eo tum ab Heluetiis Gallo adhærentibus adſtipulationem, ne priùs arma Cæſaris in ſe prouocaret, quàm vallum extruxiſſet. Cùm igitur ſuſpenſioni Concilij, quam Cæſar expetebat, Rex obſtaret, non poterat Pontifex in huiuſmodi rerum conditionibus, vt alteri ſatisfaceret, alteri diſplicere. In alia verò parte, à Cæſare propoſita vnà cum ſuſpenſione, hoc eſt in diſciplinæ legibus ſtatuendis, Cæſariani promiſſis minimè reſponderunt, ſicuti palàm fiet.

[r] Diarium, 23 & 27. Auguſti, & 1. Septembris.

[t] 12. & 16. Auguſti.

[u] Cuncta extant in literis Farneſij ad Galliæ Nuntium, an. 1548. in Archiuio Burgheſiorum.

Perrexerunt interim ſollicitè Nuntij: & quoniam in Germania 15
fuerat typis vulgata Germanorum Eccleſiaſticorum epiſtola ad Pontificem pro reſtitutione Tridentini Concilij, & Mendozæ conteſtatio, quæ duplicis in Pontificem libelli ſpeciem oſtentabant; iniunctum eſt, vt Bononiæ typis impreſſæ viciſſim ederentur, quaſi ad preces defenſionemque Synodi illuc tranſgreſſæ, reſponſiones illis redditæ, alteri per Diploma, [x] alteri in Purpuratorum Senatu: & plurima illarum exemplaria Pighino tradita, qui primus è Nuntiis in viam ſe dederat, vt ea opportunè diſtribueret, nec per oſtentationem, quaſi irritaret, nec per formidinem, quaſi cauſæ diffideret.

[x] Diarium, 18. & 23. Iulij, 3 & 4. Auguſti, & clariùs 19. Septemb. 1548.

1548.

16 Is Tridento iter faciens, [y] nactus eſt Hiſpanos Antiſtites, maximo laborantes tædio ob diuturnam & inutilem commorationem in tam iniucunda ſtatione, rerumque omnium indigente. Iter per Germaniam proſecutus, tenuem quamdam [z] exterioremque ſpeciem Religionis animaduertit, per vim à victoriis edictiſque Cæſaris inductam, ſed animos hæreticos vt cùm maximè. Proinde Sacra ſine auditoribus celebrabantur, & vix erat, qui facultatum vſum à Nuntiis poſceret, aut illos, prout mos eſt, blandiùs exciperet. Hinc ſatis liquebat, omnem operam, præter eam quam ferrum impenderet, irritam caſuram. At verò quod ſpectabat ad controuerſias cum Cæſare de Concilio, [a] vbi primùm ad Aulam acceſſit, in ſpem aliquam concordiæ venit; longeque maiorem in ſuis litteris [b] Bertanus ſignificauit, præ ſe ferente voluntatem Cæſare, vt Tridentini Præſules, certè eorum aliquot Romam adirent, morum emendationem adiuturi. Sed difficultatem [c] ſimul offendit in Diplomatibus Nuntiorum, quòd ibi facultates non pro eo ac optauerat explicabantur. Quapropter eos monuit, opus eſſe, vt antequam quidquam agitarent, Diplomata reficerentur. Intereà verò perrari erant, [d] quibuſcum eorum poteſtas exerceretur. Volebat potiſſimùm Cæſar, vt per Diploma declararetur, relaxationes concedendas vim habituras vſque ad futuri Concilij ſanctionem. [e] Ad quod reſpondit Pontifex, Poſtulato ſe aſſentiri non poſſe; hoc enim pacto indicaſſet, Concilium auctoritate ſibi antecellere, ac ius habere ratas vel irritas ſuas conceſſiones reddendi: ſatis eſſe Cæſari, quòd ipſe proximè ſuperiori experimento cognouerit, haud ſe difficilem præbuiſſe in complectendis, ſuper huiuſmodi rebus, Patrum ſententiis; vſque adeò, vt ipſis facultatem tribuerit à ſe conceſſa reuocandi. Tandem poſt menſes aliquot [f] Diplomata hoc modo fuerunt compoſita: In arbitrio Nuntiorum reponi [g] temporis contractionem, quo duraret peruiſſio Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie ſumendæ, & ſimiles; ita tamen, vt vltra exitum Concilij eas impertiri non poſſent: atque ita dabatur Cæſari, vt illas ad id vſque temporis Nuntiis largiri liceret.

17 Sed ne his quidem permotus eſt Carolus, vt Tridentinos Epiſcopos Romam mitteret. Quare augebatur in Montano ſuſpicio, eam eſſe cohortem quamdam Tridenti detentam, vt occumbente Pontifice ingens aliquod moliretur; adeoque ſuum vetus conſilium promouebat, nimirum, vt Pontifex ſcripto legitimè teſtaretur, cauſam tranſlationis à ſe aſſumptam fuiſſe, lentiuſque agitatam, ne quæ ſchiſmatis anſa præberetur; ſed ex ſenij grauitate vereri ſe, ne cauſæ

[y] Eius litteræ Tridento ad Ceruinum, 1 Octobris 1548.

[z] Pigbini litteræ ad Ceruinum, 11. Octobris, 6. Nouembris, & 26. Decembris 1548. Auguſtâ.

[a] Litteræ Pighini ad Ceruinum, 13. Decembris 1548.

[b] Litteræ Montani ad Ceruinum, 14. Februarij 1549.

[c] Eædem Montani litteræ.

[d] Diarium, 20. Nouembris 1548.

[e] Litteræ Montani ad Ceruinum, 24. Aprilis 1549.

[f] Litteræ Montani ad Ceruinum, vltimo Iunij 1549.

[g] Litteræ Farneſij ad Bertanum, 26. Aprilis 1549. in dicto volumine Borgheſiorum.

1549. finem mors anteuerteret, ac proinde, ne quod ad arcendum ſchiſma ſuſceperat, ſchiſma excitaret. Itaque quò longius huiuſmodi periculum arceretur, ſe declarare, cùm ex Actis, tum ex aliis certis argumentis, ſibi compertum eſſe, tranſlationem ritè peractam fuiſſe, eamque tamquam legitimam denuntiare, ab omnibus recipiendam, grauiſſimaſque cenſuras detrectantibus intorquere. Verùm contrà Ceruinus admonuit, cunctatione opus eſſe; cùm res tam occultè peragi non poſſet, quin pluribus quam tribus innoteſceret: [b] vnde timendum erat, ne patefacta pernicioſos motus cieret. Prætérquam quòd haud ſolidum animaduertebat fundamentum illius ſuſpicionis, quæ Montanum angebat, rapiebatque in tam violenta conſilia; quandoquidem Cæſar ipſe in mandatis Madruccio traditis, ac Paulo exhibitis, declarauerat, electionem Pontificis, etiam perſiſtente Concilio, ad Cardinalium collegium pertinere. Quare tum ea de cauſa, tum quia eius Præſules Tridentini numquam quidquam per Concilij ſpeciem agere auſi fuerant; tum etiam quia ceteri Antiſtites ac Principes Bononienſem Synodum comprobarant, ſperandum Cæſari non eſſe, in eo euentu prætextum vllum creandi in vrbe Tridentina Pontificis, niſi talis, qui à fidelium pietate venerationis & obſequij loco inſectationem abominationemque tamquam ſpurius experiretur: cùm ingentia turbarum molimina minimè ſuſcipiantur, vbi nec rerum ſpecies ſuppetit ad ius perſuadendum, nec ſine hac perſuaſione robur eſt ad rem conficiendam.

b Litteræ Ceruini ad Montanum, 15. Iulij 1549.

CAPVT III.

Noua de Placentiæ rebus agitantur conſilia, ſed ſine fructu.

HOc pacto controuerſia de Concilio neque componebatur, nec in apertum diſſidium ruebat. Sperauit, ſicuti diximus, Cæſar Placentiâ quaſi hamo Pontificem ad ſua vota pertrahere: ſed ex aduerſo, Placentiæ occupatio ſuſpicioſiorem Paulum reddidit ad introſpicienda Caroli conſilia, adeoque difficiliorem ad illius poſtulata. Tamen vel ipſi Pontificis clientes exiſtimabant, eam in illo cautiorem lentitudinem profectam eſſe à recuperationis cupiditate, ſuæque familiæ amore, quò iuſtæ indignationis impetus frangeretur: atque hæc erat Montani opinio, & aliquorum Præſulum Concilij ſtudioſorum. Sed qui apud Pontificem aderant, atque ad penitiora conſilia admittebantur, intelligebant, Principibus in contentionibus, quò reuerà prudentes ſint, opus eſſe 1

vt

vt ſe timidiores haberi patienter tolerent, quales poſteà forent; ita ſe gerentes, ſi reipsâ eorumdem potentia tanta eſſet, quantam vulgus opinatur: ad quam opinionem, baſim ſcilicet Principatus, ſuſtinendam, neceſſe eſt, experimentum declinent, vt falsò credi poſſit, ingentes in ipſis vires eſſe, exiguum animum. Pontifex itaque maluit rem per negotium agitare, quippe magis Eccleſiaſtico Principi conſentaneum, minuſque periculoſum; adeoque Iulium Vrſinum miſit ad Cæſarem, quo res Placentina potiſſimùm, itidem ac Patribus, quos memorauimus, res Concilij, præcipuè nitebatur. Vrſinus verò, iuxtà ac reliquis vſu venit, quà proprij voti lenocinio, quà verborum generalium blandimentis ineſcatus, quibus ſagaces Principum adminiſtri primis in congreſſibus vtuntur, [a] Romam rediit, & rem propè confectam retulit: ſed huiuſmodi ſpei res quæ gerebantur in Italia minimè reſponderunt. Etenim paulò poſt [b] Moroni profectionem, Catalanus quidam, illi ſanguine coniunctus, iuſſu Pontificis in Æliam arcem coniectus eſt, quòd ipſi imputabatur, fuiſſe molitum, Bononiam per fraudem Cæſarianis tradere: & eadem de cauſa nonnulli quoque tamquam proditionis participes capti ſunt, & à Montano Romam miſſi. Et Gonzaga (ex iis quæ innotuerunt) in familiaribus de Placentia ſermonibus ceu nugas deridebat ſparſum de illius reſtitutione rumorem, [c] & tamquam vanum Vrſini ad eam tranſigendam reditum in Germaniam: affirmabatque, nihil planè ea de re ſibi fuiſſe ſignificatum à Cæſare; & tamen ſe pro certo credere, ne deterrimam quidem illius vrbis pinnam [d] ſe inconſulto à Cæſare redditum iri. 1549.

2 Ac ſanè his adminiſtri dictis facta Principis conſonabant. Iam priùs cœperat Carolus ſua promiſſa infuſcare, Pontificis Nuntiis admonitis, ſe, vt [e] & conſcientiæ ſuæ quieti, & publicæ famæ conſuleret, ne quid cum Imperij detrimento agere videretur, cupere ſummatim noſcere, quonam iure vrbem illam Sedes Apoſtolica ſibi arrogaret. Quæ prompti ac beneuolentis animi ſignificationibus poſtea conſperſa Vrſino perſuaſerant, reuerà exoptare Cæſarem Pontifici ac genero gratificari, adeoque ſatis illi factum iri quocumque titulo colorato, nedum firmis fundamentis nixo. Sed Pontifex longè ſagacior huic petitioni obſiſtere conatus fuerat, optimè gnarus, iudicia de iure dirionum ſemper eſſe turbida ac diuturna, adeoque ei qui rem non poſſidet incommoda, multoque magis, cùm eiuſdem poſſeſſor obtinet iudicis poteſtatem. Quapropter nolebat ſibi adimi beneficium à legibus inductum per remedia poſſeſſoria: proinde cauſabatur, ſuam ſibi pacificam veteremque poſſeſſionem

[a] Ex Montani litteris ac Diario, 24. Martij 1549.

[b] Litteræ Farneſij ad Montanum, in Diario, Idibus Septemb. 1548. & in eodem Diario, 18. 27. & 30. Octobris.

[c] Litteræ Montani ad Ceruinum, 8. Iunij 1549.

[d] Ita loquebatur, quamquam Placentia verè pinnas non haberet.

[e] Totum extat in reſponſo Pontificis ad Martinum Alonſum Delrium. poſteà oſtendo; & ſuſius in variis litteris Farneſij ad Bertanum, præſertim 26. Aprilis 1549. in citato volumine Burgheſiorum.

1549. ſionem ſufficere, vt ante quodcumque iudicis examen adempta ipſi ciuitas redderetur. Verumtamen cùm hinc Cæſar inſtaret, declararetque, nolle per ea vel iudicij formam inducere, vel vlli partium id fraudi eſſe; hinc Pontifex conſideraret, ſibi litem habendam cum aduerſario, Magiſtratus apparitoribus haud obnoxio, vi potiùs quàm ſuaſionibus eò adductus eſt; ſed adiectâ ſimul conteſtatione, id præſtari tantummodò, vt Cæſar de re doceretur, non item vt res poſteà miniſtrorum cauillationibus ſubiaceret. Quamobrem protulit quoddam caput illius fœderis, quod anno 1511. cum Iulio II. initum fuerat; vbi fœderati conuenerant, vt eorum ſinguli quod ad ipſos iure ſpectabat, & à Gallis tunc poſſidebatur, id ſibi acquirerent; atque ob eam pactionem à Sfortia & Cæſare Mediolanum, à Pontifice verò Parmam & Placentiam illis inſpectantibus & conſentientibus recuperata fuiſſe: cumque ex occaſione interregni Pontificij eas vrbes intercepiſſet Sfortia, fuiſſe ſtatim nouo Pontifici ab eo reſtitutas. Protulit prætereà eiuſdem vrbis ceſſionem, Pontifici diſertis verbis habitam à Maximiliano, paterno Caroli auo, proximeque in Imperio deceſſore, cum aſſenſu Regis Catholici, qui eiuſdem Caroli auus maternus fuerat: ac denique pactionum capita cum Leone ſolemniter ab ipſo Carolo firmata anno 1521. quæ tanto fuerant emolumento Cæſari & Imperio, quanto Mediolanenſis ditionis recuperatio. Sed quoniam exemplaria tantùm harum tabularum à Nuntiis Pontificiis delata fuerant, Mendoza, qui Senis Romam Cæſaris iuſſu ſubinde ventitabat, petiit, impetrauitque, vt legitimæ à ſe tabulæ inſpicerentur.

Verùm his omnibus præſtitis, regreſſo in Germaniam Iulio Vrſino reſponſum fuit nomine Cæſaris [f] à Granuellano, Madruccio, ac Petro Soto, qui Caroli confeſſiones excipiebat: Cùm perlecta ac perpenſa fuiſſent, quæ Pontifex Cæſaris adminiſtris produxerat, compertum haberi, [g] nec Eccleſiæ, nec iis qui in poſſeſſionem miſſi fuerant, quidquam iuris competere in Parmæ Placentiæque dominium; à Cæſare tamen miſſum iri Martinum Alfonſum Delrium è ſua familia, qui rebus idoneum temperamentum afferret. Nec huius aduentus diu prolatus; qui huiuſmodi ſententiam exhibuit: [h] Nondum legitimè apparet ius vllum, quo duæ illæ vrbes Eccleſiæ deberentur; multoque clariora in vtramque Imperij iura reperiri. Argumenta ad hoc comprobandum ab eo ſcripto non afferebantur: ſed quantum aliunde colligitur, [i] & quod ſatis eſſe poteſt vt id quaſi delibetur in alterius argumenti narrationibus, in eo potiſſimùm ſita erant, quòd pro certo ponebatur, eas vrbes ante Maxi- 3

f Ex litteris Montani ad Ceruinum, 22. Auguſti, & ex Diario, 26. Iunij 1549.

g Ex litteris Dandini ad Sanctacrucium, 9. Iulij 1549.

h Signatur 12. Iunij.

i Indicatur in lib. 7. Adriani, & fuſiùs in epiſt. Farneſ. ad Bertanum 1549. in monumentis Burgheſiorum.

Maximilianum fuiſſe membra Mediolanenſis Principatus, & nullo pacto ad Apoſtolicam ditionem pertinuiſſe, cùm legitimæ donationes antiquiorum Cæſarum minimè producerentur, quæ ab Apoſtolica Sede prætendebantur. Maximilianum Cæſarem ſucceſſoribus ſuis nocere neutiquam potuiſſe: pactiones verò Caroli cum Leone iis verbis fuiſſe conceptas, quibus Pontifici permittebatur quidem occupatio ac poſſeſſio earum vrbium quæ tunc in Gallorum poteſtatem deuenerant; nouus tamen titulus illius dominij non addebatur. Inſuper eodem ſcripto Cæſaris nomine offerebatur, eumdem ſaluis Apoſtolicæ Sedis & Imperij iuribus, de quibus poſteà ritè cognoſceretur, daturum Octauio gratuito munere, & vbi is Parmam etiam Cæſari traderet, quadraginta ſcutorum millia, ex regno Neapolitano [k] ſingulis annis percipienda. Ad quam pecuniæ ſummam Parmæ ſimul ac Placentiæ prouentus numquam peruenerant. 1549.

[k] Apparet in ſcripto Epiſcopi Aquilani ad Cæſarem, quod eſt in Archiuio Burghesiorum.

4 Verebatur Paulus, ne per ea concordiæ negotia, inter ſe ac Cæſarem agitata, tepeſceret in Rege Galliæ ſtudium fœderis ſecum iungendi, fortaſſe ſuſpicaturo, eius fœderis fragorem ac ſpeciem adhiberi ad augenda Pontifici conditionum commoda, eumque cum Cæſare denuò coniungendum; adeoque quidquid ab ipſo Rege cum Pontifice agebatur, non effecturum vt Regis aduerſarius dominia deperderet, ſed vt amicos reciperet. Quare ſtuduerat ſemper Pontifex Henrico ſuadere, ea à ſe tractari, ne ſe alienum oſtenderet à pacifica ſuarum rerum recuperatione; id verò vſui etiam ipſi Regi futurum fuiſſe, qui eâ ratione labori ac diſpendio armorum parceret, vt Parmam tutaretur, & Placentiam Farneſiis ſibi addictis recuperaret; ſed verè nullam deprehendi bonæ ſpei veriſimilitudinem. Ac de ſerie cauſæ ſubinde illum docebat, iis ſemper ob oculos poſitis, quæ Regi plurimum ſuſpicionis ingererent de non ſincero Cæſaris animo. Verumtamen quemadmodum nulla inter plantas eſt ſeu magis ad germinandum, ſeu minùs ad areſcendum procliuis, tametſi parum ferendis fructibus aſſueta, quàm Spes; ita fieri potuit, vt aliquas radicum fibras in Pauli animo egerit, quamuis ille cauerit, ne quid germinis ex illa appareret in iis quæ cum Henrico agebat. Certum eſt, cùm ea quæ diximus reſponſa Cæſaris ad ipſum Paulum delata ſunt, ratum ſe ab eo grauiter offenſum, planeque deluſum; maluiſſe tamen per grauitatem quàm per iracundiam verborum, indignationem animi præ ſe ferre, mutuo ſcripto Cæſari in hanc ſententiam [l] reddito: Multò ſe libentiùs reſponſionem omiſſurum fuiſſe, ſi abſque ſuæ Sediſque Apoſtolicæ damno id ſibi licuiſſet:

[l] 25. Iulij 1549. in monumentis Burgheſiorum, & extat impreſſum in 3. tomo litterarum ad Principes.

1549. cuiſſet: ſed cùm ad hoc ſe compulſum ſentiret ab exhibiti Cæſariani ſcripti ſententia, id præſtiturum pro eo quod deceret & modeſtiam ſuam, & gradum in quo fuerat à Deo collocatus; nec ea omnia quæ poſſent, ſed tantùm quæ ſatis eſſent, repoſiturum. Nolle igitur ſe repetere atrox & execrandum facinus Placentinum, neque litteras, quibus poſtmodum ea ciuitas ad ſe ſcripſerat, velle ipſam in Eccleſiæ obſequio perſiſtere, neque vim à Cæſaris adminiſtris ad vrbem occupandam illatam, nec amplas iteratasque promiſſiones per plura tempora, pluribuſque ſuis Nunciis factas. Proinde, vt ad ea ſolùm, quæ Martinus Alfonſus poſtremâ legatione detulerat, reſponſionem contraheret, compertum eſſe Cæſari, ipſum Paulum vti citra omnem obligationem, ita citra omne ſui iuris detrimentum, vt illi gratificaretur, exhibuiſſe quaſdam probationes iuris quod in Placentiam obtinebat Eccleſia: ſatisfactum fuiſſe Mendozæ, cupienti authenticas tabulas inſpectare; nec ab eo poſteà quidquam illis obiectum. Hinc mirum videri, quòd iactabatur, nihil legitimi iuris pro Eccleſia apparere. Placere Pontifici, mentem Cæſaris non eſſe, vt Sedis Apoſtolicæ iuri quidquam detraheretur; ceterùm ſe Deo vniuerſoque hominum generi diiudicandum relinquere, an oblatæ conditiones honeſtæ, adeoque admittendæ eſſent, an eidem Sedi, quin toti Chriſtianæ Reipublicæ ſummum detrimentum illaturæ. Quare ne Apoſtolica Sedes aliique læderentur, ſe illud vrgere, quod Cæſar ipſe in memorato ſcripto à ſe promiſſum fatebatur, nimirum, redditurum ſe Placentiam Eccleſiæ, vbi cognoſceret, eam illi iure deberi. A ſe proinde, quàm vehementiſſimè poſſet, rogari Cæſarem, vt Deum ſuamque conſcientiam iterùm conſuleret, agnoſceretque, eam vrbem Apoſtolicæ Sedi debitam, nec ipſi fas eſſe plurimas ob cauſas eam retinere. De Parma nihil aliud quid reſponderet occurrere, niſi eam ad Eccleſiam tum iis omnibus nominibus quibus Placentia, tum etiam aliis peculiaribus ſpectare. De poſtrema parte, in qua ſermo erat de recognoſcendo quâ decebat ratione tum Eccleſiæ tum Imperij iure, vti Pontifex numquam anteà recuſauerat; ita neque in poſterum recuſaturum quidquid animaduerteret è Diuina gloria & Chriſtiana re fore; eumdemque ſperare, Cæſari quoque tamquam Eccleſiæ aduocato, eiuſmodi ſenſa diuinitus afflatum iri, quibus nollet auctoritati iuriſdictionique Sedis Apoſtolicæ ac Pontificis obices opponere.

Ita ſibi temperauit Pontifex in eo ictu, quo ipſius ſanguis, ditio ac dignitas petebantur, nullâ vſus violentiâ, miniſque anathematis, 5

quas

quas comminiſcitur Suauis; quin haud vmquam interciſa ſunt concordiæ fila. Cùm autem animaduerſum eſſet, ſtatuiſſe Cæſarem retinere Placentiam, ſimulque verbis ac factis Parmæ inhiare, noua ratio fuit excogitata, quâ vtrique partium ſatisfieret, ac proſpiceretur, relictâ Cæſari vtraque eâ vrbe, quarum acceſſio Mediolanenſem Principatum mirificè muniebat;& earum vice receptâ ab Apoſtolica Sede, atque Octauio Farneſio, eiuſque poſteris, Senenſi vrbe, ſeiunctâ à Cæſaris ditionibus, & cum Eccleſiæ terris coniunctâ. Senenſis namque Reſpublica valdè fluctuabat, cui Cæſar plurimum pecuniæ, plurimumque curarum impendebat, perpetuâ nouarum rerum ſuſpicione ſollicitatus: & Pontifex ſpem habebat, Florentiæ Ducem in idem conſpiraturum; quippe qui mallet eam vrbem cernere in poteſtate Farneſiorum Principum, & potentiâ minorum, & quibuſcum affinitas agitabatur, quàm habere prope ſe Rempublicam bellicoſam, ac ſemper alicui Regum addictam. Fuit itaque iniunctum Bertano, vt aliquid ſuâ quaſi ſponte inſinuaret; eâ planè ratione, quâ ſolent miniſtri oſtendere ſimul ac negare, vocem quam edunt eſſe à quadam ſuperiori mente in ipſorum orta delapſam; cùm ita ea, quæ ab ipſis proponuntur, tantum ſimul auctoritatis & cautionis obtineant, quantum ſatis ſit & ad negotium inducendum, & ad repulſæ dedecus minimè ſubeundum. Verùm ſeu Pontificis obitus, ſeu aliud impedimentum, illius tractationis ſemen ſuffocauit. 1549.

CAPVT IV.

Noua Pontificis ſtudia, vt omnis nationis Præſules Romam pertraheret ad diſciplinam reparandam; & ſuſpenſio Concilij.

1 POſtrema Pontificiæ reſponſionis verba ad id ſpectabant, quod ſimul cum amara Placentinæ reſtitutionis repulſa retulerat Vrſinus de inexorabili [a] ſuper Concilij negotio Cæſaris voluntate; adeoque quamuis bonam ſpem ſæpiùs feciſſet, tamen cùm ad rem deuentum eſt, numquam paſſus fuit ſuos Præſides Tridentinos Romam petere ad Eccleſiæ diſciplinam componendam cum ceteris aliarum nationum Epiſcopis; ſed intolerandas conditiones ſemper interiecerat; [b] præſertim verò duas: altera erat, Ne diſciplinæ leges habendæ, libello *Interim*, Clerique Germanici emendationi in Comitiis promulgatæ repugnarent: altera, Vt Pontifex palàm faceret, aduenturos eoſdem Præſules vt peculiares Epiſcopos, non vt Synodi Patres, quo tranſlationem tacitè pro irrita

[a] Diarium, 1. Iulij, quo die Vrſinus rediens è Germania tranſiit Bononiâ.

[b] Ex litteris Farneſii ad Bertanum, 11. Septembris, inter ſcripturas Burgheſiorum, in tam dicto volumine.

1549. fuiſſet confeſſus. Hæ autem conditiones propoſitæ videbantur, non quò impetrarentur quaſi ſperabiles, ſed quò rei tractatio præcideretur quaſi inuiolabiles; nec interim vlla ex parte Cæſareæ promiſſionis mutatio patefieret. Itaque Pontifex adiecit animum ad alia conſilia, quæ nec minùs efficacia euaderent, quia nimis mitia; nec pernicioſa, quia nimis aſpera. Statuit minas in Tridentinum conuentum periclitari; quæ tamen non per iactantiam Patribus inſultarent, ſed ſolùm eos moderatè commonerent: eademque operâ duo euitarentur incommoda, quæ Cæſar obiecerat, dum nec illos nominatim ad morum emendationem vocabat; nec vniuerſos, ſed eorum paucos: ex quo pateret, eos tamquam peculiares Antiſtites fuiſſe accerſitos.

Id vt conficeret, hanc iniit rationem. Paucis antè diebus quàm Martino Alfonſo reſponſa redderet, duas miſit epiſtolarum formas; [c] alteram ad quatuor Epiſcopos Tridenti degentes, [d] alteram ad quatuor ex iis qui Bononiæ morabantur. Tridentini fuere Pacecus Cardinalis Epiſcopus Giennenſis, Petrus Tagliauia Archiepiſcopus Panormitanus, Franciſcus Nauàrrus Epiſcopus Pacenſis, & Ioannes Berardus Diaz Calaguritanus: Bononienſes verò, Olaus Magnus Archiepiſcopus Vpſalenſis Gothus, Sebaſtianus Leccauela Archiepiſcopus Naxienſis Græcus, Ioannes Hangeſtus Epiſcopus Nouiomenſis Gallus, Richardus Patus Epiſcopus Vigorinenſis Anglus; habitâ in horum accitu ratione, vt eiuſmodi viri conuenirent, qui & pari virtutis præſtantiâ, & varietate nationum deſtinatum conſeſſum nobilitarent. Illis exponebat Eccleſiæ ſtatum, & conditiones conſilio ſubſidioque indigentes: proinde cùm ſibi ſatis non eſſet cum ſolo Purpuratorum Senatu de rebus deliberare, multorum Antiſtitum optare ſententias: quapropter eos inuitabat, obſtringebatque ſanctæ obedientiæ præcepto, vt intra quadrageſimum diem ad ſe accederent; qui libenter auditurus erat quidquid ipſi ad publicum emolumentum ſuggeſſiſſent. Miſſus Româ fuit vnus ex Ordine Eccleſiaſtico ad id deſignatus, qui ſingulis Patribus, quos recenſuimus, ſuam cuique epiſtolam ſolemniter traderet: quod ille præſtitit, priùs Tridenti, poſteà in regreſſu Bononiæ. [e] Bononienſes confeſtim obſecuti ſunt: Tridentini non ante vigeſimum primum diem reſponderunt, interim mandata Cæſaris præſtolati. Tum eorum reſponſio talis fuit: Exceptas à ſe quâ par erat reuerentiâ fuiſſe litteras Pontificias, nec ſe aliud flagrantiùs exoptaſſe, quàm primo temporis momento illi parere: ſed eidem eſſe compertum, ſe ipſius iuſſu eò conueniſſe, vt in Synodo ibi coactâ vniuer-

2

c 18. Iulij 1549.

d Tridenti producta ſunt 4. Auguſti, & Bononiæ 12. vt in Diario, 12. Auguſti 1549. & in Actis citati voluminis.

e Diarium, 12 & 16. Septembris, & 25. Auguſti, præter Acta.

vniuerſæ Eccleſiæ bono conſulerent: à ſe illic expectari reuerſionem Concilij compoſitis controuerſiis, tamquam in Sedem maximè opportunam, à quo inceptum iam Religionis negotium ad exitum perduceretur: nec prætereà latere Pontificem, quo in ſtatu verſaretur cauſa quæ ipſos Tridenti detinebat, adeoque plura de ea loqui nec neceſſarium neque opportunum videri. Proinde illum rogabant, ne grauaretur ipſos excuſare, quòd in huiuſcemodi rerum conditionibus ſe Romam non conferrent. 1549.

3 Hoc reſponſum Mendoza detulit; [f] qui cum Pontifice queſtus eſt Cæſaris nomine, quòd eiuſmodi epiſtolæ ad eius Præſules Tridentinos ipſo inſcio ſcriberentur. Et hoc idem conqueſtus erat ipſe Cæſar apud Bertanum verbis iracundis: Mendoza verò lenibus formulis vſus eſt; ſeu quia prudens miniſter irati domini mandata mitigauerit, ſeu quia Principum priuilegium ſit inter ſe mutuo collatum, vt ipſi clariùs cum aliis, alij ſubmiſſiùs cum ipſis colloquantur. Verùm acerba Cæſaris cum Bertano colloquia, ſi minùs imitari Romæ illius adminiſtri, certè vulgare voluerunt. Reſpondit his querimoniis Paulus; Se potiùs credidiſſe, habiturum ſibi grates Cæſarem, quòd eos Epiſcopos, & eâ formâ vocaſſet. Etenim cùm ipſe multò anteà ſtatuiſſet vniuerſam morum correctionem, adeò ab omnibus nationibus, & à Cæſare in primis expetitam, Romæ perficere: cumque ab eo multa rurſus noua & grauiſſima obiecta fuiſſent, tum quæ ad illius futuræ emendationis tenorem, tum quæ ad acceſſum illuc Patrum Tridentinorum, ab ipſo iam promiſſum, ſpectabant; voluiſſe conuentum Epiſcoporum Romam conuocare, vt de tam arduis implicitiſque rebus deliberatio haberetur: quod ſuperiores Pontifices in cauſis longè minoribus vſurparant. Id autem putauerat ſuæ de Tridentinis Patribus exiſtimationis argumentum fore, ſi pari numero, eademque Diplomatis formâ hi cum Bononienſibus vocarentur. Et quânam ratione id à ſe præteriri potuiſſe, præſertim cum Paceco, qui præter Purpuram munus peculiaris Conſiliarij ac Senatoris Pontificij obtinebat? Cæſarem potiùs meritò expoſtulaturum fuiſſe, vbi ad tam graue conſilium ipſius Præſules ex tam propinquo loco neutiquam fuiſſent accerſiti. Hæc ille Mendozæ. Et ratus, per eam ſignificationem, quam poſteà Nuntio Bertano communicauit, abundè à ſe facti rationem redditam, conceptam in ſe perſuaſionem prætendit, quaſi Cæſar ſibi ſatisfactum putaret; adeoque liceret ſibi citra illius offenſionem mandata iterare: quod & præſtitit per alias [g] litteras, Tridentinorum excuſationibus reiectis; non quia obtemperaturos ſperaret, animaduertens,

[f] Litteræ Farneſij ad Bertanum, 11 Septembris 1549. apud Burgheſium in laudato volumine.

[g] Delatæ fuerunt 18. Septembris.

1549. uertens, eos cenſere eiuſmodi ſe metu conſtringi, vt in illis rerum conditionibus humanâ lege cum tanto diſcrimine minimè tenerentur; ſed quia, ſi taceret, videretur excuſationem admittere, nec poſſet eum Epiſcoporum cœtum apud fideles in inuidiam vocare, ſeu tamquam in legitimum Principem contumaces, ſeu certè tamquam non legitimo Principi mancipatos.

Ceterùm duo ille apud ſe ſtatuerat. Alterum, eam quam diximus Patrum manum omnino Romam aduocare; tum quò ſeipſum 4
purgaret apud Christianas nationes, adeò emendationis cupidas, adeò procliues ad ſuſpicandum illam à Pontifice declinari; tum quò per tam illuſtrem conuentum diſſolueret vel fugaret infauſtum illud phænomenon Tridenti conflatum, quod inſtar cometæ pauidos ac ſuſpenſos Chriſtianorum oculos ad ſe trahebat. Alterum, ſuſpendere Synodum: quoniam ſi eo perpetuo languentem ſopore detineret, quetelarum cauſam Epiſcopis, detrimenti Eccleſiis, deſpectus orbi Chriſtiano præbuiſſet; & collapsâ quâcumque propinquâ ſpe rei conficiendæ, labebantur etiam cauſæ illius iacturæ tolerandæ, ad maiora bona breuî conſequenda. Huc accedebat, quòd cùm Romæ leges diſciplinæ ſtatuendæ eſſent ex praſtantiorum Patrum ſententia, non poterat abſque dedecore apertum extare Concilium, veluti ignarus ignobiliſque ſpectator eorum, qui ipſius partes exercerent. Quare Pontifex Montano demandandum curauit, [h] vt hic Patres dimitteret: quod ille die 17. Septembris perfecit; ſimulque ſignificauit, Pontificis mentem non eſſe, vt eo tempore Synodus continuaretur, ſed vt Decreta de reſtituenda diſciplina Romæ conficerentur.

h Litteræ Farneſij ad Montanum, 13. Septembris, quæ Bononiam peruenere 17. vt in Diario & Actis.

Iam verò quis æquæ mentis homo poterit vllo veritatis in pretio 5
Suauis hiſtoriam habere, dum illum conſpicit non modò in profundis tenebris inuolutum, tum de negotio conuocandorum Romam Antiſtitum, ob reparandæ diſciplinæ cauſam, tum de mutuis litteris inter Pontificem & Tridentinum conuentum; ſed dum etiam deprehendit ſuſpenſionis inſcium, vnaque temerarium in eo pronuntiando quod plenè ignorat, de rebus tanti momenti ad hiſtoriæ ſuæ propoſitum? Etenim per admirabilem confidentiam narrat, Concilium vſque ad obitum Pauli Bononiæ perduraſſe; tunc autem profecto ad Vaticana Comitia Legato, Epiſcopos quoque ad ſuam quemque Eccleſiam abiiſſe. Et tamen anteà Synodum à Pontifice fuiſſe ſuſpenſam, Patreſque dimiſſos, non modò id temporis palàm innotuit, & in Acta legitima relatum fuit; [i] ſed in Diariis recenſetur, quorum exemplaria per plurimorum manus circumferuntur,

i Per hanc ſuſpenſionem finis imponitur volumini ſignato A, ſæpiùs producto.

runtur, & nos conſultò ſæpiùs protulimus, aut Actorum loco, aut 1549.
vnà cum ipſis, tamquam monumenta, lectorum notitiæ magis expoſita. Quis pariter eiuſdem improbitatem non abominabitur, dum ipſe varia commemorans propria Prouinciarum Concilia, habita per eos annos in Germania, & inter reliqua Moguntinum, quod vel ipſe confitetur Tridentini doctrinam ſolerti curâ ſecutum in rebus ab eo definitis, in reliquis verò communiorem Scholaſticorum ſententiam; ac poſteà obſeruans ibi in capite 41. 42. & 45. quædam ineſſe verba non admodum peritè dicta de Imaginum ac Sanctorum veneratione, inde colligit, *Ex hoc patere, quàm differrent inter ſe per ea tempora opiniones Præſulum Catholicorum in Germania ab opinionibus Aulæ Romanæ, & ab vſu quotidiano, qui poſt Tridentinam Synodum inductus eſt.* In primis, cur potiùs inde contrariam conſecutionem non elicit de perfecta concordia Moguntini cum eo quod poſteà Tridenti ſancitum eſt de reliquis omnibus innumeris grauiſſimiſque dogmatibus? Cur non commemorat, iam vſque ab hæreſis Lutheranæ natalibus celebrata fuiſſe & in Germania Synodum Colonienſem, & in Gallia Senonenſem; prodiiſſe varias cenſuras ab Academiis, Pariſienſi, Louanienſi, Colonienſi; atque ea omnia conſonaſſe cum doctrina, quæ poſteà Tridenti firmata eſt; quod palàm oſtendit, in Fide Catholica nec vllam fuiſſe nec eſſe poſſe varietatem? Quod verò ſpectat ad duos illos articulos, quis erit adeò iniquus rerum æſtimator, qui non intelligat, à Moguntina Synodo peculiari vſurpata fuiſſe alia verba, ſed non tradita alia dogmata ab iis quæ Romæ tradebantur, & quæ poſtmodum concordi Germanorum aliarumque nationum conſenſu Tridenti ſtabilita ſunt? Noluit Moguntina Synodus imaginibus cultum abrogare, niſi qui ſaperet idololatriam, à Tridentina pariter damnatus, & quo ethnici profitebantur, venerari ſe in ſimulacris ſenſu carentibus intimam aliquam diuinitatem. Oſtendit etiam, adhærere ſe probabili inter Scholaſticos opinioni, quâ putant exteriorem tantummodò venerationem ad imaginem referri, interiorem verò ad eum quem imago repræſentat: quod ibi cap.42. declaratur, dum præcipitur, rudem populum eſſe admonendum, *ne cenſeat ipſas imagines adorari, aut fiduciam in eis vllam poni*; vbi pars poſterior priorem interpretatur. Cuius ſententia abſque dubio non erat, vt ſacris imaginibus cultus exterior adimeretur, ſed interior; quippe qui ſolus per vſitata documenta apud rudem populum dirigi poteſt, cùm ad exteriorem excludendum aliis dicendi formulis opus fuiſſet: idque ex eo confirmatur quod poſteà præſcribitur: *Adhibitis in conſilium Theologis,*

&

1549. *& Chriſtianarum antiquitatum ſcientiſſimis æquè ac peritiſſimis viris, tollendam aut mutandam eſſe aliquam imaginem, cùm videretur populus illius figuræ rationem habere, aut ipſi tribuere exiſtimationem quamdam diuinitatis: atque efficiendum, ne populus fiduciam collocet in ea corporea effigie, quaſi Dei & Sanctorum potentia obſtricta ſit ad beneficia concedenda per illius operam, & non aliter.* Hoc igitur, & nihil amplius eſt, quod ab eo Concilio de ſacris imaginibus interdicitur.

Ad Sanctorum cultum accedamus. Capite 45. habetur: *Sanctos* 6 *eſſe honorandos non eo qui vni Deo debetur cultu, ſed eo ſocietatis & dilectionis cultu, quo in hac vita ſancti homines à nobis ritè coli poſſunt; illos tamen tantò deuotiùs, quantò ſecuriùs poſt incerta omnia ſuperata, quantò etiam fidentiore laude prædicamus iam in vita feliciore victores, quàm in iſta adhuc vſque pugnantes.* Quæ verba tametſi omnino circumſpecta ſint; tamen ſi ſinceriùs explicentur, nec à Romanis nec à Tridentinis Decretis diſcrepant. Mens autem eorum verborum conſtat ex illius capitis exordio: *Doctrinam magno totius Eccleſiæ conſenſu iam inde ab initio receptam, & quaſi per manus traditam, retineri in Eccleſiis noſtris omnino volumus, & Sanctos, &c.* Porrò hæc doctrina, quaſi per manus tradita de cultu Sanctorum, ea eſt, quam veluti plurium ſæculorum abuſum inueteratum nouatores incuſant, & quam è diuerſo tradunt concordes Scholaſtici, & Roma ſimul ac Tridentum complectuntur. Hanc itaque, & non aliam, ſequi Concilium Moguntinum intendit. Atque hæc ad vindicandam illius conuentus exiſtimationem dicta fuerint; cùm alioqui nouum non ſit, proprias nationum ſingularum Synodos interdum errare: quòd ni hoc non accideret, fruſtrà Oecumenicæ cogerentur. Id verò Pontifices dicendum ſæpiùs Germanis curarunt, ſed non abſolutè, *Res Religionis in propria vnius nationis Synodo tractari non poſſe*; quod Suauis ipſis adſcribit: perinde ac ſi Romæ non eſſet, qui veterum Eccleſiæ annalium vnam aut alteram paginam euoluiſſet. Sed de hoc alibi diſſerui, cùm oſtendi, omnem Synodum cuiuſuis nationis propriam, de iis Religionis controuerſiis haud efficacem futuram fuiſſe ad ſedandas conſcientias, ſed ſolùm nouo ſchiſmati aditum aperturam: perinde ac chirurgus laxatum os ineptè conſarcinans, ægrotum non curat, ſed ipſi nouæ moleſtiæ cauſa fit, nouæque fracturæ. Ad narrationem regredior.

CAPVT

CAPVT V. 1549.

Sermones de ſuſpenſione Concilij.

1 SVſpenſionis conſilium viſum eſt Montano debile ſimul ac periculoſum, [a] perſiſtente adhuc Tridenti Cæſarianorum cohorte, necdum prolatâ ſententiâ de legitima tranſlatione, adeoque de non extante ibi Concilio. Cum autem Pontifex ſe procliuem oſtendiſſet ad id palàm declarandum, Mendoza verò præmonuiſſet, vbi id fieret, ſe acriùs proteſtaturum; Montanus [b] in libello varia conſilia propoſuerat, plus quidem minúſve periculis obnoxia, ſed cuncta vehementia: ac multò ægriori fuit animo, [c] cùm reſciuit, conſilium de cœtu Romæ deſtinato pariter elanguiſſe. Etenim cùm per eos dies in dyſenteriæ morbum ſenex Pontifex incidiſſet, à medicis ad captandam Viterbienſem auram ſibi familiarem, quâ recrearetur, miſſus eſt: quod cauſa fuit, vt moleſtiorum operum cura & cogitatio ſeponerentur. Sed confeſtim ad ea Pontifex animo rediit, & ad Epiſcopos Bononiâ profectos litteras dedit, vt paratis animis, quandocumque aduocarentur, [d] ad opus conficiendum redirent.

[a] Diarium, 17. Septembris, & 3 Octobris 1549.

[b] Libellus à Montano ad Ceruinum miſſus 12. Septembris 1549.

[c] Litteræ Montani ad Ceruinum, 14. Septembris 1549.

[d] Diarium, 26 Septembris.

2 De reliquo, conſilium ne progrederetur ad pronuntiandam de legitima tranſlatione ſententiam, non Pauli, eiúſve nepotis ſingulare fuit, ſicuti quidam opinabantur, ſed commune Senatoribus ad ea negotia deſtinatis, [e] quemadmodum poſteà Archiepiſcopo Materano Ceruinus teſtatus eſt. Cauſa verò huiuſce conſilij ea fuit, quòd Pontifici ſatis virium ad validius certamen non inerat. Spes Gallicarum partium in dies defluebat, propterea quòd Henricus, cùm in irritum concidiſſet arcana quædam in Gonzagam (vt aſſolet) conſpiratio, cuius fiducia in Pedemontanam ditionem illum traxerat, Galliam extemplò repetiit: [f] vertitque conſilia & vires ad Scotiam defendendam, Anglorum tunc armis petitam, molientium ſic adigere Mariam, adhuc puellam ac pupillam, ad nuptias cum Eduardo Rege ineundas; quâ potentiæ acceſſione longè formidabiliores forent Gallis, ſuis antiquis ac finitimis æmulis. Contrà verò Henricus illis obſiſtere conabatur, cùm ob rem ipſam ſollicitus, tum cupidus ex concepta iam ſpe coniungendæ Mariæ, quæ Ghiſiorum ſibi clientium ſororis filia erat, cum ſuo Delphino: quod poſtmodum euenit. Ad aliam itaque expeditionem diſtractus, in qua pariter vtilitas cum Religione copulabatur, & à qua tamen cum remouere Pontifici non licebat, numquam deponendam Ro-

[e] Diarium Maſſarelli, qui Romam peruenit 8. Nouembris 1549.

[f] Vide Adrianum lib. 7. & litteras Farneſij ad Galliæ Nuntium, in monumentis Burgheſiorum.

1549. mæ pecuniam curauit: quin ſemper difficilem ſeſe præbuit in iuriſdictione Eccleſiaſtica per ſuas prouincias redintegranda. Quapropter Pontifex, vſque ab initio veritus ne hac viâ inſiſtens, ſolum quo nitebatur fatiſceret, numquam vtrumque pedem in eo fixerat: ac proinde cùm Henricus Taurinum acceſſit, Paulus illi obuiàm celeriter miſſo Bartholomæo Caualcante, [g] apud Regem gratioſo, ipſum rogaturo, vt Apoſtolicæ Sedi ac Farneſiis patrocinaretur, adiectâ excuſatione, quòd nullus ex nepotibus iuſtas ob cauſas id muneris obiiſſet; iniunxit ſimul, vt de Synodo rebuſque cum ea connexis, ob oculos illi poneret neceſſitatem, quâ Pontifex cogebatur ad ſatisfaciendum poſtulatis Cæſaris; qui ex eo paratum animum præ ſe gerebat ad edictum *Interim* ſupprimendum, deſiſtendumque ab incepto aduerſus tranſlationem. Eumdem etiam Caualcantem iuſſit operam dare, vt Regem pertraheret ad conſentiendum ſuſpenſioni, quam Cæſar quærebat. Et quamuis poſteà Caualcantis oratio nequaquam ſatis fuiſſet ad Regem permouendum, non tamen ab inito conſilio Paulus receſſit, continuatis interim apud Henricum Nuntij ſtudiis. Itaque dum Rex cuperet, [h] vt miſſio Præſulum in Germaniam omnino negaretur, minitatus, ſicuti ſignificauimus, ſe ſuos Epiſcopos Oratoreſque Bononiâ reuocaturum; Pontifex illi expoſuerat, Tot animarum ſalutem à ſe honeſtè non poſſe deſtitui: id ſe fuiſſe pollicitum per reſponſa primò reddita Mendozæ de rebus à Madruccio poſtulatis; quæ reſponſa & coràm & conſentiente priùs Senatu, & præſertim Gallicis Cardinalibus, data fuerant: Mendozæ à Cæſare imperari, vt acceptâ huiuſmodi repulsâ, conteſtationem eius nomine ratam haberet; quod hominum oculis aliquem ſpecioſæ rationis colorem offudiſſet: Præſules in Germania Regis conſiliis haud obfuturos; quin potiùs per opportunitatem ſignificaturos Catholicis Germaniæ Principibus ſocietatem firmatam, ad quemcumque Chriſtianorum Principum contra violentiam Cæſaris propugnandum; adeoque diminutâ ab eorum vocibus per illas regiones de Cæſare formidine, eiuſdem pariter potentiam diminutum iri. Nec Regi dubitandum eſſe, pro eo ac oſtendebat, ne eâ ratione, ſi Sedes vacaſſet, electio in Germania tentaretur: nam ob eamdem etiam cauſam volebat Pontifex inferiores Præſules illuc mittere, non Purpuratos, vt Purpuratorum minor numerus, vbi res accideret, iis in locis à Cæſare cogi poſſet. Si Gallici Patres Bononiam deſererent, cauſam potiùs Cæſaris per id foturos; cùm ita pateſieret, nullam ex exteris nationibus conſentire Concilio, nec tamquàm Oecumenicum illud agnoſcere; ac proinde

[g] Data ipſi in mandatis extant in Vrbinati Bibliotheca.

[h] Omnia ſunt in litteris citatis Farneſii ad Galliæ Nuntium.

inde adactum iri Pontificem ad ipſum Tridento reſtituendum, quò famæ ſatisfieret. 1549.

5 His commotus rationibus Gallus, de memorata in Germaniam miſſione cum Pontifice haud queſtus fuerat: numquam tamen deſtiterat ſuſpicionem ſollicitudinemque ob eam, & ob Ardinghelli, ac poſteà ob Vrſini miſſionem præ ſe ferre. Sed illa Pontifex excuſarat, cauſatus haud ſibi licere ea officia prætermittere, quibus palàm fieret, à ſe expeti pacem reconciliationemque pro eo quod communem parentem decebat; ſimulque luculentiùs pateret iniqua Cæſaris cauſa, atque iniecta ſibi neceſſitas ad minùs ſedata conſilia capeſſenda. Se quidem, ſi quodcumque aliud ſpectaretur, ſatis intelligere, huiuſmodi officia eſſe irrita, adeoque ob expectationem incerti quaſi exitus illorum officiorum, retardandum non eſſe fœderis negotium; ſe verò cum Rege ſubinde communicaturum ingenuè quidquid à Cæſare elicuiſſet. Verumtamen cùm Pontifici ſpes ſeu tepefaciendi Cæſaris, Bononienſe Concilium auerſantis, ſeu inflammandi Regis ad armatum patrocinium, minus procederet, ſuum apud animum ſtatuit, nullam id temporis pronuntiare ſententiam, cui poſteà executor deeſſet; ſemper ſibi retentâ poteſtate ad eam progrediendi, cùm id rerum conditiones perſuaderent. Nec interim omiſit conſilium Præſules Romam conuocandi per vocabulum, minus quàm Synodus Carolo inuiſum, eorumque interuentu atque auctoritate deprimendi, & vbi vellet, condemnandi tenuem cœtum Tridentinum. Qua de re intelligebat, ſententiam ſibi honeſtiorem futuram, quia laudabiliorem & efficaciorem; cùm faciliùs, & ex cauſa magis conſpicuæ neceſſitatis effici poſſet, ne Synodus extaret Tridenti Cæſare ſolùm nolente, quàm vt extaret Bononiæ Cæſare inuito. Profectò egregiè ſapiunt Principes, vbi exemplum ſibi petunt ab eo quod videre eſt in agentium terreſtrium maximo, hoc eſt in Natura; quæ ſi quidquam efficiendum ſuſcipit ſuis tunc viribus ſuperius, aut nihil, aut monſtrum, aut abortum facit.

CAPVT VI.

Offenſiones ob Parmam ortæ inter Pontificem & Octauium Farneſium. Pauli mors, & ſucceſſoris electio.

1 DVm hiſce curis Paulus agitabatur, aliæ ex improuiſo acceſſere adeò acerbæ, vt præ triſtitia illum extinxerint. Mortis certè genus iis frequentiſſimum, quibus tamquam beatis mortales inuident. Per hæc poſtrema tempora voluebat in animo

1549. Pontifex, ne Parmam quidem Octauio concedere. Si enim cum Gallo ſocietatem iunxiſſet, inter pactiones habebatur, quemadmodum inſinuauimus, vt ea vrbs magni momenti Regis, non aduerſarij genero traderetur: ſin autem fœdus non coaleſceret, volebat Pontifex Parmæ[a] ſimul & Placentiæ iura cum Eccleſiæ ditione coniungere, & Octauio Camerinum, adiectâ aliquâ pecuniæ vi, reſtituere. Ad id Paulus adducebatur, quia Sotus, qui ſacras Cæſaris confeſſiones audiebat, [b] Bertano Nuntio acriùs ſignificauerat, vrbes illas, vbi etiam ad Imperium haud pertinerent, ſub Sedis Apoſtolicæ dominatione conſtituendas, neque quidquam iuris ad Farneſiorum familiam in eas ſpectare; ratus fortaſſe, illas à Cæſare fuiſſe Pontifici ita conceſſas, vt eidem poſteà non liceret eas abſque Cæſaris conſenſu diſtrahere: atque hæc eadem ſenſa Martinus Alfonſus inſinuare iuſſus.[c] Quamobrem Pontifex ſignificandum Cæſari curauit, vti recto animi conſilio vrbes illas in peculiaris domini poteſtate collocarat, eodem itidem Sedi Apoſtolicæ ſe redditurum. Intelligebat ſiquidem, eâ re peractâ ſe fidentiùs & agere & loqui poſſe, profeſſum, Eccleſiæ ſtudio, non familiæ emolumento ſe moueri. Et iam Eccleſiæ nomine Camillus Vrſinus Parmam tenebat, qui ſatis illam communierat aduerſus aggreſſionem ferri; [d] & auri inſidias depulerat: nec putabatur Gonzaga tam facilè vrbem illam armis petiturus, dum Pontificio nomine ſeruaretur.

[a] Vide Adrianum lib. 7. & epiſtolam Farneſij ad Bertanum, 27. Iulij, in memorato volumine Burgheſiorum.

[b] Litteræ Montani ad Ceruinum, 8. Iunij 1549.

[c] Litteræ citatæ Farneſij ad Bertanum.

[d] Vide Adrianum lib. 7.

Verùm Octauius intoleranter dolens, ſe non ſolùm à ſocero, ſed etiam ab auo ſpoliari; & arbitratus, non poſſe à Paulo ſibi adimi, quod iure beneficiario acceperat, per mutuum videlicet contractum, Româ improuiſo diſceſſit; tentauitque primùm vt ab Vrſino in vrbem tamquam dominus reciperetur, vel certè tamquam Eccleſiæ Vexillifer. Sed ea petenti Vrſinus reſtitit, cauſatus, vrbem à ſe cuſtodiri Pontificis iuſſu, nec ſibi licere abſque diſertis eiuſdem mandatis alterum ſeu dominum agnoſcere, ſeu moderatorem excipere. Dein repentinam vrbis occupationem Octauius molitus eſt: eam quippe priuatim ingreſſus, in domum Sanuitalium Camillum ad cœnam vocauit, vbi meditabatur ipſum retinere, ſuorumque fautorum conſpirantium ope vrbem arcemque occupare. At Camillus morbo ſimulato retia cautè declinauit. Quare Octauius triſtem mœſtitiam ſpirans vrbem reliquit, arma comminatus. 2

Indignatio primùm ac ſollicitudo ob Octauij ſeceſſionem inceſſit Pontificem: [e] poſteà de rebus ab eo tentatis admonitus, ſibique ducens dedecori omnem opinionem ſupergreſſo, planeque intolerabili, quòd iunior nepos voluntatem ſuam tamquam legem minimè 3

[e] Diarium, 24. Octobr.

mè veneraretur; & per litteras, & per Montanum ad id Bononiâ miſſum, illi reditum Romam imperauit. Sed imperium detrectauit Octauius; quin deſperatione compulſus, opem a Gonzaga implorauit, vt Parmâ potiretur. Ille qui libenter vires impendiſſet, vt per nomen & ius Octauij Ducis potentiam augeret, reſpondit: Cùm ipſe Cæſaris miniſtrum ageret, non poſſe niſi in illius commoda quidquam aggredi. Proinde ſe illi opem allaturum, modò vel Parma in Cæſaris poteſtatem rediret, ipſi Octauio honeſtâ aliquâ compenſatione tributâ; vel ſaltem Cæſaris nomine vrbs ab illo retineretur. Dux conditioni aſſenſus non eſt; ſed ad fratrem Cardinalem ſcripſit, ſe illi aſſenſurum, niſi Pontifex ſuam ſibi vrbem reſtitueret. Hæ litteræ à Farneſio Cardinali communicatæ ſunt Paulo, cui rationes omnes conſanguinitatis, amoriſque, quibus cum Octauio connectebatur, deſpectus illius plagam illico tamquam toxico infecerunt; adeoque ea denuntiatio, perinde ac venenatus anhelitus in præcordia immiſſus, animi defectionem extemplò attulit, dum ſimul mentis oculis obuerſabantur hominum ſermones, in quos offenſurus eſſet, quando ſibi non ampliùs Carolus Cæſar minitabatur, ſed ipſius ſubditus, ipſius nepos, & cuius gratiâ ſe minimè continuerat, quin ea gereret, quæ præuiderat non modicum ſuæ gloriæ detrimentum; & qui contra ſe agitabat arma illa in fœdus vocare, quæ ſui filij ſanguine adhuc madebant. Recepto ſpiritu Pontifex, intelligens poſt animi defectionem mox vitam defecturam, Senatum [f] Purpuratorum habuit, hortatuſque eos eſt ad Eccleſiam pro virili iuuandam, datâ ipſis facultate, vt ſe adhuc ſuperſtite ſimul conuenirent, curarentque ea quæ in rem fore putarent: & ſeu iuſtitiæ ſeu ſanguinis amore commotus, ſtatuit in eo extremo vitæ vergentis articulo Parmam Octauio reſtituere; atque ea de re Diploma ad Vrſinum deferre iuſſit Marcum Antonium Elium, ſibi à ſecretis, & tunc Polæ Epiſcopum. Verùm Vrſinus ſiue ſtudio Sedis Apoſtolicæ permotus, ſiue minis Octauij exulceratus, primùm ſuſpicionem falſitatis præ ſe tulit, cùm aliud Diploma huic contrarium recèns accepiſſet: dein rei veritate compertâ, ſed Pauli morte ſimul auditâ, dixit, ad reuocandam deliberatam voluntatem Pontificis, corporis mentiſque ſanitate firmi, ſatis non eſſe tumultuariam eiuſdem moribundi, & fortaſſe non integræ mentis iuſſionem.

1549.

[f] Diarium Maſſarelli Romam reuerſi, 9. Nouembris 1549. & Acta Conſiſtor. eodem die.

4 Obiit Paulus III. decimo Nouembris die anni 1549. poſtquam annos quindecim ſederat: clariſſimæ memoriæ Princeps; vt qui vrbem Romam non ornauerat modò, ſed penè ad vitam reuoca-

1549. uerat; quippe cuius vix ille cadauer direptione deformatum nactus
fuerat. Eccleſiaſticam ditionem bellis priùs deuaſtatam reſtauraue-
rat: Senatum Vaticanum viris ætatis ſuæ longè præſtantiſſimis co-
honeſtauerat: arma ſæpiùs mouerat aduerſus Chriſti hoſtes, Ca-
tholico ſanguine à ſe numquam reſperſa: inchoauerat, diuque pro-
mouerat Concilium, ex obſtaculis perarduum, ex rebus in eo agi-
tatis ampliſſimum, & ad reparandam diſciplinam præualidum in-
ter reliqua, quæ vmquam in Eccleſia coaluiſſent. Immoderato
ſuam erga ſtirpem amore ſe hominem prodidit; de reliquo herois
nomen apud Eccleſiam meritus eſt.

Per interregnum mandata Vrſino tradita de Parma Octauio red- 5
denda, Purpuratorum Collegium confirmauit: ſed Vrſinus, ratus
Farneſij Cardinalis potentiâ id extortum fuiſſe, non tam è volun-
tate quàm ex reuerentia collegarum, quorum plerique infra illum
tunc erant ſeu conditione ſeu ambitione, cuius affectionis eſt, ho-
minem imperio in omnes inhiantem, omnibus mancipare; alia
verò conſilia eum ſuſcepturum, qui poſtmodum ad Pontificatum
euectus, nihil ab ipſo timendum, ſibi nihil ſperandum putaret,
reſpondit, excuſatione prætentâ; Cùm ipſe iuſſu vnius Pontificis
Parmam teneret, non poſſe niſi alterius Pontificis imperio illam
deſerere: quem Vrſini rigorem iuuenilibus Octauij in ipſum minis
plerique adſcripſerunt. Id verò poteſt cunctis exemplo eſſe, animi
offenſionem haud declarandam in eos Principis adminiſtros, à qui-
bus conſcientiæ honoriſque ſtudio repulſam accipimus; huiuſmodi
ſiquidem declaratio ad duriora poſteà inferenda ipſos prouocat aut
ſecuritatis curâ, aut priuatæ vltionis cupidine.

In Pontificiis illis Comitiis, æquè ac in aliis non paucis, patuit, 6
quàm fallax eorum conſilium ſit, qui Principes per obſequia ſibi
adnectendos, vel non alienandos à ſe per repugnantiam putant, vt
ad Pontificatum aſcendant. Suum quiſque induxiſſet in animum,
Montanum tranſlationis auctorem, aſſertoremque conſtantiſſi-
mum, atque hoc ipſo nomine à Cæſarianis Papienſi Epiſcopatu
ſpoliatum, à Romano ſemotiſſimum fore, non ſolùm ob Cæſaria-
næ factionis potentiam, ſed quia Farneſius Cardinalis non ſine im-
peritorum admiratione, ſui commodi curâ iniuriæ ſtimulis ante-
habitâ, ſe Cæſarianis adiunxerat, & inter hos Mantuano Cardina-
li, illius fratri, quem paternæ cædis auctorem agnoſcebat. Et tamen
Montanus is fuit, qui in Comitiis leuiores quàm reliqui difficulta-
tes nactus ſit. Poſt tertium menſem ſeptimo Februarij Pontifex re-
nuntiatus eſt, vel Cæſarianis Hiſpaniſque Cardinalibus ſuffragan-
tibus,

tibus, præter Gonzagam, Paccum, Madruccium, & Cueuam, qui eum iam Pontificem adſpectantes, ad pedis oſcula procubuerunt, veniamque popoſcerunt; quam non ore tantùm, ſed animo Pontifex dedit, quemadmodum facta prodidere, ſplendidiora fortaſſe quàm prudentiora. Etenim Papienſes Infulas arbitrio Mantuani permiſit, [g] facultate in ipſius gratiam conceſſâ, vt eas Hieronymus de Rubeis rurſus indueret. Ferdinando præterea, eiuſdem Cardinalis fratri, & à quo ſuæ Sedis prouentibus exutus fuerat, quatuor ſcutorum millia largitus eſt ex poſthumis Cardinalis Rauennatis reliquiis. Cùm autem Madruccius decem ſcutorum millia ab ærario Apoſtolico ſibi repoſceret propter ſumptus erogatos, ac detrimenta ob Concilium Tridentinum in vrbe ſua celebratum accepta; tametſi ne obolum quidem vel à Paulo, vel eo demortuo à Cardinalium collegio impetraſſet, Iulius ab eo in Concilij congreſſibus publicè offenſus, & in Comitiis à Sede Pontificia pro viribus reiectus, ſtatim duplo maiorem quàm poſtulabat pecuniam illi conceſſit. Quæ admirabilia quidem ſunt, ſed infra vulgi exiſtimationem, in homine, qui eò potentiæ conſcendit, vbi reconciliatio non animi prauitati, quin ſolùm magnitudini adſcribi poteſt. 1550.

[g] Ex Diario Maſſarelli, initio Iulij III. Pontificatus, à quo inter eos qui ſibi à ſecretis erant, adſcriptus eſt.

CAPVT VII.

Res à Iulio primùm geſtæ in Parmæ reſtitutione, in ſignificatione erga Principes ac ſubditos beneuolentiæ, & in miniſtrorum delectu.

1 SI noui Pontificis electio politicorum expectationem fefellit, haud certè minus prima eius & conſilia & facta falſum futuro Principatui præſagium protulere. In eo ſiquidem patuit, illos, qui aliis dominantur, variæ rerum ſuccedentium conditioni ſeruire, aduerſus ea in quæ ipſorum propenſio feratur. Ac primò quidem gratæ voluntatis ſenſa in homines de ſe benè merentes, ſolliciti paſtoris ſtudium in curanda concordia, ac paternam in ſubditos charitatem præ ſe tulit. Grati animi ſpecimen dedit in ipſo ſuæ electionis articulo, Iulij III. nomine ſibi adſcito, ob merita in ſe collata à poſtremo huius nominis Pontifice; quippe qui per dignitatem Purpuræ, quâ Antonium Montanum ipſius patruum exornarat, viam nepoti aperuerat ad longè maioris faſtigium dignitatis. Sed luculentius grati animi ſpecimen exhibuit familiæ Pauli III. & Farneſij Cardinalis, è quibus vniuerſa ipſi amplitudo proximè defluxerat. Etenim [a] cùm in Comitiis inter ea rerum capita, quæ vnuſquiſque

[a] In Diario Maſſarelli, initio Pontificatus Iulij, & in mandatis Roſſetto in Galliam miſſo traditis, vt infrà.

1550. quiſque Cardinalium ſibi ſeruanda iureiurando pollicetur, ſi Pontifex eligatur, ſancitum eſſet, Parmam gratiâ Italiæ quietis eſſe reſtituendam Octauio Farneſio iure beneficiario, & póſtremo Pauli præſcripto; nouus Pontifex non ſolùm promiſſo ſtetit, Hieronymo Saulio Archiepiſcopo Barienſi, & Bononiæ Prolegato ad id miſſo, ſed quò res ad exitum perduceretur, de ſuo viginti ſcutorum millia perſolui iuſſit Camillo Vrſino, [b] qui fuiſſe à ſe expenſa in ea vrbe cuſtodienda, nec inde ſe diſceſſurum, niſi priùs eâ redditâ ſibi pecuniâ, conteſtabatur; cui tunc ſoluendæ Octauius non erat, ex præſentis argenti penuria. Præthereà traditâ eidem Vrſino, prout ipſe popoſcerat, ampliſſimæ cautionis ſyngraphâ pro cunctis ad vrbem cuſtodiendam ſumptibus, eam in his omnibus curam adhibuit, eáque mandata tam feruidè, tam impatienter, tam iteratò perſcripſit, vt quaſi non de reddenda, ſed de acquirenda vrbe rés ageretur.

[b] Variæ litteræ Dandini ad Saulium, 1550.

Ad hæc Pontifex miſſis ad Carolum V. Petro Toletano, [c] qui cum Burgenſi, eiuſdem familiæ Cardinali, Comitiis interfuerat, & ad Henricum II. Roſſetto Abbate, & intimo ſibi cubiculario, qui officioſos creationis ſuæ Nuntios afferrent, [d] enixè impoſuit, vt vtrique Principi Farneſios commendarent impenſiùs quàm ſi ipſius Iulij conſanguinei forent; ſimulque vt teſtarentur & apud Cæſarem, quantum erga ipſum ſtudij in Cardinali & Octauio; & apud Regem, quantum in Horatio Pontifex per annos plurimos ſemper perſpexiſſet. Et quoniam exiſtimabat ſublatum ſe ad Pontificiam Sedem potiſſimè Gallorum operâ, qui Polum excluſerant, ad Solij penè gradus à Cæſarianis ac Farneſio Cardinali prouectum; ipſum verò, quem alienum rebantur à Cæſare, ſtrenuè promouerant, primis ſtatim diebus voluit [e] luculentam habitæ à ſe gratiæ teſtificationem edere. Quapropter cùm in publico Senatu obedientiam Iulio profiteretur regio nomine Claudius Durfeus per conſuetam orationem ab Epiſcopo Nouiomenſi habitam, quorum vterque vnà cum Iulio Bononienſi Concilio interfuerant, cumque reſponſum de more reddidiſſet Bloſius Palladius, qui ab epiſtolis Pontificiis erat; Pontifex honorificâ præter morem grati animi ſignificatione hæc ipſe verba ſubiecit: *Ad ea quæ Secretarius noſter reſpondit, hoc volumus addere, quod quantum ipſi Chriſtianiſſimo Regi tum publico tum priuato nomine debeamus, nullo vmquam tempore diſſimulabimus, nec vmquam vllo officiorum genere Maieſtati ſuæ non oſtendemus.* 2

[c] 17. & 20. Februar. in Diario, ſub die 16.

[d] Litteræ Dandini ad Innocentium Montanum, poſteà Cardinalem, 23. Februar. 1550.

[e] Diarium Maſſarelli, 26. Martij 1550.

Iam verò pacis ſtudium, præter Parmam, de qua diximus, hac etiam de cauſâ [f] reſtitutam, confeſtim ille patefecit, non ſolùm dato negotio 3

[f] In mandatis ad Roſſettum.

1550.

negotio duobus, quos ab eo miſſos nominauimus, vt illos Principes ad id cohortarentur, & præcipuè Toletano, [g] vt in Aula Cæſarea concordiam inter Farneſios & Gonzagas curaret; ſed etiam adhibitis quibuſuis beneuolentiæ intimæque fidentiæ argumentis erga Cæſarem, quicum ſimultatis periculum ex euentis præteritis propiùs imminere videbatur. Et ſanè de Cæſaris voluntate ipſa Comitia multum nubis abegerant ab animo Iulij, tum in eo quod ad communem Eccleſiæ rem, tum in eo quod ad ipſum Iulium priuatim pertinebat. Si Eccleſiæ res ſpectetur, iam à nobis narratum eſt, quo pacto, dum is legatione fungebatur, induxerat in animum, velle Cæſarem, vt nouus Pontifex in Germania vel Tridenti crearetur, eademque de cauſa illic retinere eam Epiſcoporum manum, ſimulque contendere, adhuc ibi Synodum perſiſtere: atque hæc perſuaſio adeò inſederat in animo Iulij, vt quibuſdam litteris ad Ceruinum ea de re conſcriptis, perinde quaſi fides ſibi vera vaticinanti non haberetur, alteram ſe Caſſandram nominabat. Poſteà tamen perſpexerat, mentis eſſe non malignæ ſolùm, ſed vulgaris, de aliorum voluntate deterrima quæque tamquam veriſimillima ſibi perſuadere: quod ſi hoc eſſet, quiſque vno verbo ſagacitatem edoceri poſſet. Compererat itaque rem aliter ſe habere, cùm animaduerteret, à Cæſare, nihil prorſus noui moliente, ſtatim miſſum fuiſſe Pacecum Tridento ad Comitia Vaticana. Quod ſpectabat ad ſe priuatim, exiſtimarat proximis ſuperioribus annis Cæſarem ſibi maximè infenſum, vtpote tranſlationis auctori; & de illius Principis voluntate exutum ſe prouentibus Eccleſiæ ſuæ à Gonzaga credebat: ſed vbi ad rem ventum eſt, experimento comperit, multos Cæſarianorum ſibi fuiſſe ſuffragatos; vnde collegit, alios priuato conſilio, non mandato Cæſareo ſibi aduerſatos. Quod plurimùm confirmarunt argumenta lætitiæ, quæ Bertanus Nuntius [h] retulit à Cæſare & ab Aula Cæſarea, tunc Bruxellis degente, ob eius electionem conceptæ. Etenim quemadmodum vbi quidpiam nobis moleſtum accidit, aliud contrariis præditum conditionibus exoptamus; ita poſtremæ inter Paulum & Carolum offenſiones Caroli animum ſtimulabant ad expetendum Pontificem omnino diſſimilem, cuiuſmodi Iulius cenſebatur, vt qui patentiore animo erat, ingenio magis flexibili, conſiliis planioribus, affectu quò ad iram in verbis proniori, eò pariter ad reconciliationem procliuiori, antequam iracundia in facta prorumperet. Idcircò Iulius amicitiæ cum Cæſare viciſſim cupidus, plurima largè propoſuit [i] ad componendam Placentiæ controuerſiam; & inter alia, vt per tolerantiam

[g] Conſtat ex mandatis.

[h] Diarium, 7. Martij.

[i] Mãdata Pighino Nuntio tradita, 1. Iulij 1550. Hæc Iulij mandata extant apud auctorem, & in multis Bibliothecis Romæ.

1550. reciprocam, ſaluo vtriuſque partis iure, ambo conniuerent; ac proinde Cæſar Placentiam, & Octauius Parmam tamquam Pontificis beneficiarius teneret, offenſiones omnes amouerentur, & Farneſio Duci loco Placentiæ quidam certi reditus tribuerentur. Vt hanc animi propenſionem in Cæſaris clientes, ſimulque manſuetudinem in ſubditos ſuos palàm faceret, vix renuntiatus Pontifex, Mendozâ Oratore ſolùm petente, Aſcanium Columnam in gratiam recepit, [k] redditis illi cunctis oppidis, honorumque ornamentis, quæ per annos plurimos Paulus abſtulerat. Ea tamen in re imbecillis potiùs animi notam, quàm laudem clementis à quibuſdam accepit; propterea quòd Aſcanius, dum Sedes vacabat, reipsâ quæ ſibi adempta fuerant, per vim receperat; adeoque cedere potiùs quàm condonare Pontifex videbatur. Verùm cetera à Iulio geſta in hoc etiam de ipſius mente nihil ambigi ſinunt. Nam ſimili clementiâ vſus fuit erga Vrſinorum familiam, abſoluto Farſenſi Abbate, quem Paulus tamquam perduellem damnauerat; non tamen Abbatiâ reſtitutâ, quâ fas non erat priuari Cardinalem S. Angeli, cui deceſſor illam conceſſerat: adempta etiam à Paulo oppida [l] Rudolfo Baleonio, aliiſque primariis ſubditis, reſtituit.

k 17. Februarij, vt in Diario.

l Vide Adrianum, lib. 8.

Iam verò cùm huiuſmodi cernerentur eius Pontificatus initia, 4 quis in mentem induxiſſet, paulò pòſt eum in Italia, & quidem contra Farneſios arma moturum? Et ſanè vſque adeò Iulius ſeuerum ac martialem animum non præ ſe tulit, vt potiùs [m] lenitatem iucunditatemque pluſculùm amare videretur, non rarò ad menſam Pontificiam inuitatis maioris notæ Cardinalibus, præcipuè in hortis, quorum deliciis mirificè oblectabatur: quod fortaſſe profanis Principibus laudi verteretur, tamquam ingenij comitas & amœnitas; ſed in Iulio ob principatus quem adminiſtrabat ſanctitatem, & propinquum grauitatis exemplum in Paulo conſpicuum, indolis nimis delicatæ, minuſque ad Pontificium decus compoſitæ ſpeciem habuit. Verùm id quod eius Pontificatus primordia decolorauit, prima Purpura fuit, quâ ſtatim induit adoleſcentem, Innocentium nomine, tam obſcuris natalibus, vt etiam nunc Famam lateant. Quæ in hoc partim ex tabulis, partim ex veterum hominum narratione elicere potui, hæc ſunt: Dum Iulius Placentiæ Legatus præerat (non Bononiæ inferioris Præſulis conditione, ſicuti Suauis narrat) puero, qui ad ſe menſæ accumbentem feſtiuius ventitabat, animum beneuolenter adiecit, eumque ſolertiori eſſe ingenio ratus, pietatis ergò de ſuo alendum, ſtudiiſque imbuendum curauit. Is cùm in litteris humanioribus quadamtenus profeciſſet, oblectatus

m Diarium, in primis menſibus.

ex

ex eo herus, ſibique plaudens, quòd ſuâ quaſi perſpicaciâ plantam eximiam, adhuc minutulam & in luto, diſcreuiſſet, maiori in puerum beneuolentiâ incaluit, quâ illum proſequebatur veluti ſui iudicij prolem, cuius filij pluris quàm corporis ſoboles æſtimantur. Eoque paulatim amor excreuit, vt à Balduino Montano fratre Innocentium adoptari iuſſerit; quam adoptionem falsò refert Suauis habitam fuiſſe poſt initum Pontificatum: imò in Diariis Maſſarelli, qui à ſecretis Concilio fuit, habetur, Innocentium, à Legati fratre iam adoptatum, in quodam paſtorali dramate perſonam egiſſe [n]. Iulius itaque poteſtatem adeptus eligendi Patres in Senatu, antequam vel illuſtrium Præſulum merita remuneraretur, vel certè viros ſibi conſanguinitate coniunctos proueheret, quaſi quodam beneuolentiæ faſcino abreptus, Innocentium, ad eam vſque diem à ſe detentum in Bagnariæ pago, itinere vnius diei ab Vrbe ſemoto, inter Purpuratos [o] adſciuit, nondum fortaſſe ſeptemdecim ætatis annos explentem, & annuo duodecim millium ſcutorum prouentu locupletauit. Verùm vt eam electionem cohoneſtaret, [p] ad Senatum primò verba fecit, ſtudium Religionis ſpirantia, de Comitiorum quam meditabatur ordinatione; propoſuitque, velle ſe tum veteres Canones inſtaurare, tum nouas adiicere pœnas in abuſus inductos. Deinde de conferenda Innocentio Purpura ſermonem habuit, prætentâ ſuæ familiæ indigentiâ, & aliorum conſanguineorum ineptitudine, atque ad id collegij conſenſum in ſui gratiam poſtulauit. Cui beneficio [q] poſteà eam reddidit Innocentius ingratam remunerationem, quâ, iudice euentu, beneficio affecti prauitas iudicium datoris damnat. Etenim prout vſuuenit hominibus, abiecti ob generis ſordes animi, præferuidæque ob iuuentutem cupiditatis, qui honores immodicos ſibi collatos ad exaturandas potius libidines, quam ad nutriendas virtutes impendunt, in varias confeſtim corruptelas prolapſus eſt; ob quas oportuit, vt ſubſecuti Pontifices modò eum leniùs caſtigarint, modò acerbiùs punierint, honoris claritudine in dedecus versâ. Verùm tametſi Iulius cognomen ſuum, dignitatem & commoda illi contuliſſet; non tamen id temporis rerum adminiſtrationem commiſit, admoto ad ſubleuandas Eccleſiaſticæ gubernationis curas Fabio Mignanello Luceræ Antiſtite, atque ad arcana Pontificia Hieronymo Dandino Epiſcopo Imolenſi, quorum vtriuſque virtus comperta ſibi fuerat, dum apud Reges ſæpiùs hi Nuntios agerent, aliiſque grauiſſimis muneribus perfungerentur. Proprius enim ſui cuiuſque amor, ceteris affectionibus ſuperior, ſæpè efficit, vt qui alterum plus merito amat, non ideò ei

1550.

[n] 2. Martij 1549.

[o] Variæ Dandini litteræ ad Innocentium, & antè, & ipſo electionis die.

[p] 30. Maij.

[q] Litteræ Maffei Cardinalis ad Ceruinum, 30. Maij 1550. inter tabulas Ceruinorum.

1550. plus merito fidat: & quamquam immoderatus, ſumma quoque illi appetat conferatque; non tamen æquè hallucinatus, ſumma quæque de illo ſibi perſuadeat.

CAPVT VIII.

Toletanus & Roſſettus à Iulio miſſi ad Cæſarem & ad Galliæ Regem, ad reponendum Tridenti Concilium: & rationes quæ id Pontifici ſuaſere.

SVmmoperè optabat Cæſar, vt Concilium Tridentum reduceretur, incitatus ad id & honoris ſtimulis ob tam iteratos publicoſque conatus, quibus rem promouerat, & Religionis vtilitatiſque ſtudio, quòd inde tranquillitatem Germaniæ, tametſi dubitanter, ſperaret. Suauis dum hæc recèns agitata commemorat, in errata plurima ſtatim impingit. Dicit in primis, rem poſtulari cœptam à Cæſare per Ludouicum Auilam, magnum Alcantaræ Commendatarium, ad exhibendum Iulio obſequium obedientiæ legatum. [a] Sed Auila ea de re ne verbum quidem; ſed intra gratulationis & obſequij officia ſe continuit. Pontifex verò ante huius aduentum eam quam diximus ſpem generatim Cæſari fecerat, ſicuti liquet ex mandatis Toletano traditis, ad Cæſarem miſſo ab initi Pontificatus die. Addit, Iulium poſteà, acriùs ad id vrgente Mendozâ, ſtatuiſſe in ſuo priuato Concilio, ſe in Cæſaris gratiam rem peracturum; ſed re celatâ, deſtinaſſe cœtum Purpuratorum Patrum, qui ferè omnes erant Cæſaris ſtudioſi, vt eorum deliberatio quò ipſe vellet deflecteretur, admixtis etiam nonnullis ex ſibi intimis, qui reliquos in officio continerent. Cuncta hæc non ſolùm aduerſantur iis quæ Suauis narrat de aperto Iulij ingenio, ſed etiam facti euidentiæ. Etenim cœtus ille conflabatur ex iis Cardinalibus, [b] quibus anteà conſtabat, cùm Romæ res expendebantur poſtremâ [c] Pauli ætate, præter Ceruinum graui præpeditum morbo, ob quem non longè abſuit quin è vita decederet, & poſteà coactus fuit Româ diſcedere. 1

Res igitur hoc pacto contigit. Iulius vix Pontifex conſtitutus, miſit, quemadmodum expoſuimus, Petrum Toletanum [d] & Abbatem Roſſettum, [e] quorum vterque Pontificiis Comitiis interfuerat, illum ad Cæſarem, hunc ad Henricum, vt grates illis agerent, ac præſertim Gallo, propter collatam ab eorum adminiſtris operam ad ipſius electionem promouendam: ſuper qua eos ipſos quos miſerat, teſtes vocabat, qualinam animi & moderatione & demiſſione 2

[a] Extat in mandatis, Triuultio in Galliam Nuntio traditis.

[b] Diarium, 19. Aprilis 1550.

[c] Diarium, 13. & 23. Martij.

[d] 17. & 20. Febr. ex Diario.

[e] Litteræ Dandini ad Innocentium Montanum, 23. Febr. 1550.

ſione ſe ipſe geſſiſſet, nullâ vſus diligentiâ, quæ ſibi viam ſterneret; ſed rebus omnibus in Diuino conſilio repoſitis, paternam vtrique Principi beneuolentiam offerebat, ac per intimum animi ſenſum ad pacem cohortabatur, vnicum afflictæ Eccleſiæ leuamentum. Proinde velle ſe ad illam componendam vires omnes impendere ad extremum vſque ſpiritum, nec ſibi etiam illius causâ quidquam parſurum. Sed quoniam intelligebat, Regi Galliæ minimè probatum iri Parmam à ſe Octauio reſtitutam, quòd Horatio illam cuperet; præter redditam Romæ rationem rei à ſe geſtæ Cardinalibus Ferrarienſi & Guiſio, eiuſdem etiam rei cauſas Regi per Roſſertum expoſuit, quæ erant iuſiurandum in Comitiis habitum, rei æquitas, Sedis Apoſtolicæ leuamen à ſumptibus ac ſollicitudine cuſtodiæ, euitanda inter duos fratres Farneſios ſimultas, ſubtrahendus bellis Italicis fomes, & abradendus color, quem Cæſar obtendebat ad eam occupandam, quòd alienum ab Horatio animum gereret. Hinc verò per Toletanum Cæſari profeſſus eſt, in rebus, quæ ad Fidem, ad Religionem, ad pacem tranquillitatemque Chriſtianæ Reipublicæ, adeoque ad proceſſus confectionemque Concilij pertinebant, offerre ſe ampl e Cæſari eam voluntatem, eamque parati animi alacritatem, cui nihil quod ab illo deſideraretur addi poſſe putabat, dummodò Cæſar ſuas quoque partes expleret in iis quæ ad ipſum ſpectarent, quemadmodum Pontifex ſperabat, & quædam remouerentur obſtacula, quæ ope Cæſaris facilè tolli poterant. 1550.

3 Intereà [f] fuit ex Cæſarianis, qui quaſi de ſe voculas quaſdam apud Pontificem iactitaret, gratiſſimam Carolo futuram anteactam Pontificis creationem, modò res vnica componeretur, hoc eſt, Concilij negotium. Cui pari ſermonis priuati ſpecie reſpondit Pontifex, Concordes in eo futuros, vbi modò ſinceritati ſuæ Cæſar pari ſinceritate reſponderet; & inter ſe facilè conuenturos, modò Concilium celebrandum eſſet ad Fidem Catholicam tuendam ac promouendam, ad euertendos hæreticos, & ad Cæſaris Cæſareæque ditionis emolumentum, non autem ad Sedem Pontificiam deprimendam, cuius patrocinium, non minùs quàm Cæſareæ dignitatis, cordi futurum Cæſari Pontifex rebatur; & eſſe quædam, quæ ipſe in tempore Carolo inſinuaret, non ad interiicienda, ſed potiùs ad amolienda impedimenta, per amicam inter ſe atque ipſum communicationem conſiliorum, coniunctionemque vtriuſque voluntatis. Ex quo reſponſo coniectura deſumpta eſt à quibuſdam, habere Pontificem in animo cum Cæſare de Concilio paciſci. Sed Iulius, re compertâ, Carolo poſteà ſignificandum curauit [g], huiuſmodi homines

[f] Extat in mandatis Pighino traditis.

[g] A Pighino Nuntio, vt extat in mandatis.

1550. mines quid rei eſſet Concilium, & quam in eo poteſtatem obtineret Pontifex, neutiquam intelligere.

Poſt hæc, priuatim iactitata à Cæſaris ſtudioſis, & à Pontifice, 4
mandata Cæſarea Oratori Mendozæ ad medium [h] Aprilem Romam delata ſunt, vt reſtitutionem Synodi in vrbe Tridentina vrgeret acerrimè. Ac ſtatim res à Pontifice Purpuratorum cœtui commiſſa, cum quibuſdam rerum capitibus expendendis. Interim accerſierat ille Pighinum è Germania,[i] quem plurimi faciebat, vt ab eo de rerum præſenti ſtatu fideliter ac recenter edoceretur; eumdem tamen remiſſurus: quod & præſtitit, relictis illic tantiſper Lippomano & Bertano. Res vbi in deliberationem venit, mutaſſe ſpeciem viſa eſt ab ea, quam ſuperſtite Paulo præferebat. Etenim duo quæ tunc obſtabant potiſſimùm, & in eo verſabantur, quòd periculum immineret contentionis inter Concilium & Collegium de nouo eligendo Pontifice, adeoque ſchiſmatis; quodque reuocari poſſet in dubium, num legitimè fuiſſet tranſlatio per auctoritatem Pontificiam peracta, iam de medio ſublata videbantur: alterum quidem non ſolùm quia non ampliùs res erat cum Pontifice ſenectute confecto, & cui obitus ante Concilij exitum immineret, ſed ob ſinceram Caroli mentem, ſatis tandem ſuper ea re compertam: alterum, quia Hiſpanienſes Epiſcopi Paceco inde profecto Tridenti non perſtiterant, adeoque nullam ampliùs perſeuerantis ibi Concilij perſuaſionem præ ſe gerebant; ac proinde cunctis tunc in comperto fuiſſet, illud denuò à Pontifice ibi reponi; quod nec Iulij nec Pauli auctoritati quidquam officeret. Ex altera parte, inter capita à collegio ſtabilita, & à Iulio tum in Comitiis tum poſt Comitia iureiurando affirmata, [k] Concilij celebratio continebatur. Et quà ipſi Nuntij è litteris Germaniæ, quà Romæ Pighinus voce, illius neceſſitatem identidem inculcabant, non modò ad eos reconciliandos qui iam deſciuerant (quod difficillimum apparebat cùm ob Principes, direptarum Eccleſiarum prouentibus irretitos, tum ob ſubditos, effrenatæ licentiæ voluptatibus mancipatos) ſed ad eos retinendos qui permanſerant incorrupti, quique his illecebris, & proſperâ peccandi licentiâ inuitati, iam penè nutabant. Accedebat, potiùs graui futurum Pontificiæ auctoritatis detrimento, ſi euaneſceret Synodus per eam tranſlata, ac poſteà & retenta & ſuſpenſa ob tot obiectas à profana poteſtate denuntiationes; præterquam quòd cùm hæc eadem poteſtas ſibi arrogaſſet legum ſanctionem in rebus Religionis, donec futuri Concilij Decreta prodirent, alia non ſuppetebat ratio, quâ tam graui occurreretur incommodo, niſi vt reipsâ Conci-

[h] Diarium, 19 & 22. Aprilis.

[i] Extat in mandatis Toletano.

[k] Cuncta extant in diſſertatione, à Pontifice in Galliam ad Regi perſuadendum miſſa, 11. Iulij, vt in Diario.

Concilium haberetur. Perpenſum pariter fuit, ſi Pontifex & Purpuratorum collegium poſt ſolemnia Cæſaris Germaniæque poſtulata, quibus Poloniæ Rex, ceterique penè cuncti fideles conſenſerant, deſidiam ad celebrandam Synodum præ ſe ferrent, ſpecioſam Cæſari anſam porrectum iri ad explendas per ſe poteſtatis Eccleſiaſticæ partes. 1550.

5 Porro ſi Concilium eſſet habendum, nonniſi Tridenti celebrandum cenſebatur. Primò, quoniam vbi vellent Bononiæ reponere, vel aliò conuocare, opus erat, priùs cauſam decidere à Paulo auocatam ad ſe, & numquam diremptam, de legitima tranſlatione; quæ cùm peracta ac poſteà ſuſtentata ſemper fuiſſet ab ipſo Iulio, tunc Synodi Legato, putaretur ab omnibus relabi in iudicem ſuſpectum, animique præoccupati in lite, vbi agebatur de comprobando aut damnando tam conſpicuo opere, cuius ipſe præcipuus auctor. Secundò, ſi relictis rationibus factum ipſum ſpectaretur, ipſi etiam Galli fatebantur, numquam euenturum, vt Oecumenica Synodus coaleſceret, vbi Carolus tot regnorum dominus haud aſſentiretur; illi verò de communi Germaniæ ſententia vrbs alia minùs incommoda Tridento, minuſque reliquis nationibus ſuſpecta minimè probabatur. Oportere igitur Synodum Tridenti conſtitui.

6 Hoc poſito duæ ſupererant conditiones formandæ. Altera, Conſenſus Henrici Regis, ſine quo in comperto erat, Synodum nec vniuerſalem, nec rei Chriſtianæ conducibilem euaſuram, quin potiùs ſemen nouarum in Gallia turbarum. Quapropter [l] tum ob eam cauſam, tum ob ſingularem beneuolentiam, quâ Pontifex erga Regem vtebatur, per Guiſium Cardinalem iam inde ab initio pro certo confirmarat, nihil ſe illo inconſulto de Concilio decreturum. Altera erat certa aliqua agendi ratio ſtabilienda, quæ poſteà in Synodo ſeruaretur, ne res in ſollicitudines moraſque præteriti conuentus recideret. Dum hæc Romæ per animorum adhuc propenſionem, non per firmatum propoſitum agitabantur, Cæſar [m] indictis iterùm Auguſtæ Comitiis 24. Iunij, vt priùs ibi res componeret, quàm Germaniæ terga verteret, Mendozæ operâ celerem reſponſionem à Pontifice ardenter petiit; ſignificauitque, ſe alia in Comitiis capturum conſilia, pro eo ac Pontifex petenti ſibi aſſenſu diſſenſuque reſponderet. Tum Iulius abruptâ cunctatione Nuntium ad Cæſarem miſit eumdem Pighinum, quem [n] Sipontinum Archiepiſcopum pronuntiarat, cum reſponſis quæ mox afferemus, reuocatis Lippomano [o] & Bertano, quippe Italiæ opportunis; eodemque tempore Nuntium ad eadem tranſigenda legauit ad Regem Galliæ Triuul-

[l] Extat in mandatis Triultij Nuntij.

[m] Indicantur in memoratis mandatis, & habentur fuſiùs in diſſertatione poſteà miſſa.

[n] 30. Maij, vt in Actis Conſiſtor.

[o] 1. Iulij, ex Diario.

1550. Triuultium Antiſtitem Tolonenſem. Atque ita impoſitâ Iulio Pontificali tiarâ, non immuncta difficultas eſt Tridentinæ remigrationi Concilij per creationem Pontificis illi aduerſantis, ſed adiecta facilitas per amotionem Cardinalis pari & auctoritate pollentis, & auerſatione repugnantis.

CAPVT IX.

Mandata duobus Nuntiis tradita, præſertim de Concilij negotio.

HÆc Nuntiorum miſſio eò tendebat, vt ex vna parte Rex Galliæ induceretur ad libenter aſſentiendum Synodo Tridenti celebrandæ, & ne eam Pontificis gratificationem erga Cæſarem ægre ferret: atque vt ex altera parte permoueretur Carolus ad amplectendam eam rationem conuocandi Tridentum Concilij, quæ Pontifici & Gallo ſatisfaceret. 1

Quò igitur primum perficeretur, curatum eſt, vt ab Henrici animo ſuſpiciones diſpellerentur, quas illi nominis exiſtimatio, æmulatio, ac priuata ipſius vtilitas ingerebant. Quod ad exiſtimationem ſpectabat, nauiter illi ante oculos ponebatur, Pontificem ipſius honori conſuluiſſe, & per amicitiam, quam pollicitus fuerat, nihil ipſum celaſſe, neque quidquam niſi priùs eius ſenſis exploratis egiſſe. Atque ad hanc rem in memoriam reuocabantur quæ Iulius ſuper eo negotio ſubinde cum Guiſio & Durfeo diſſeruerat, quæque per Nuntium ordinarium Regi ſignificanda curauerat. Ad æmulationem abſtergendam, ſtudioſe oſtenſum eſt, non impelli Pontificem ad id agendum ab importunis Cæſaris poſtulatis, ſicuti à quibuſdam Regi fuerat inſinuatum, ſed à ſtudio Religionis, ac publica neceſſitate, aliis etiam Principibus, & cuiuis fidelium ordini ſatis perſpecta. Prætereà rationes à nobis anteà productæ afferebantur; & quantum oneris apud Deum atque homines Pontifex ſubiturus eſſet, ſi, dum in tanta perturbatione Germaniæ Catholici ſimul & hæretici Tridentinæ Synodo ſe ſubdere pollicebantur, ipſe illic eam celebrare pertinaciter recuſaret. At priuata vtilitatis obſtacula, quæ difficillimè perfringi ſolent, ea tunc etiam erant, quæ difficillimè diſiici poſſent; cùm probè noſſet Henricus, ſibi detrimento futurum quidquid Carolo emolumento foret; illi verò futurum emolumento id quód tam flagranter efflagitabat. Verumtamen vt à Rege ea perſuaſio remoueretur, quædam ratio ſubtilior eſt adhibita.

Inſinuabatur, eſſe quidem è re Cæſaris poſtulare, non item obtinere Concilium; vbi enim id denegaretur, ſpecioſum illi colorem 2

affun-

affundi, hæreticis per concordiam ſatisfaciendi citra Catholicorum querelam; adeoque ab vniuerſa Germania obſequium ipſi atque beneuolentiam tamquam Domino præſtitum iri. At contrà, impetrato Tridenti Concilio, vt ipſe tum famæ ſuæ, tum Catholicorum, qui ſibi opem ad bellum tulerant, rationem haberet, neceſſario adactum iri ad hæreticos cogendos, vt ij quam ipſe ſpoponderat ſubiectionem exhiberent; quam compertum erat ab illis ſummoperè refugi, ne ſibi manus exinanirent rapinis Eccleſiæ reſtitutis, eaſdemque Eccleſiæ legibus illigarent. Quare aut obtemperaturi erant inuitis animis, ac rabie tumentibus, quam intus coquerent, dum per quamlibet occaſionem effunderent; & ita Cæſarem ſuſpicionibus implicitum, metuque agitatum diſtenturi: aut per apertam contumaciam recalcitrarent, eum adigentes ad arma contra ipſos mouenda; & in vtroque euentu vires illum deficerent ad moleſtiam aliis, ac præſertim Gallis inferendam. Accedebat, quòd extante Concilio nequaquam liceret Cæſari pacem obturbare, ne in Germaniæ conſpectu idem Concilium obturbaret, quod ad Germanis gratificandum à ſe curatum oſtentabat, quodque ipſius pacis gratiâ habebatur. At verò ſi repulſam in eo à Pontifice retuliſſet, & viribus validior, & à memoratis rationibus liberior, adeoque formidabilior futurus eſſet. Dempto Cæſaris commodo, nullum amplius in Tridentina ſtatione incommodum Regi ſupereſſe, cùm inter conditiones ea eſſet primò ſtatuenda, ne agitarentur in Synodo regnorum negotia, neque Eccleſiæ Gallicanæ priuilegia in controuerſiam vocarentur; ſed aliæ res Eccleſiaſticæ, cunctis communes, vnde Gallia nihil poſſet detrimenti capere. Mox referebantur reliquæ conditiones à Pontifice Cæſari propoſitæ, quas opportuniùs de Pighini legatione dicturus, protinus explicabo. 1550.

3 Iniunctum itaque Pighino fuit, vt primo loco exponeret Cæſari; Cùm amicitia Principum magna ex parte pendeat ab adminiſtrorum opera, per quos ipſorum ſenſa communicantur, ab eo Pontificem petere, vt nihil ille ſcriptum dictumque de ipſius Pontificis mente crederet, niſi acceptum à Pighino, cui vnicè ipſe fidebat. Deinde communicatis iis quæ iam agitata fuerant, & à nobis alibi recenſita, offerebatur Cæſari Concilium Tridenti hoc pacto celebrandum: Curaretur, vti Rex Chriſtianiſſimus illi faueret, Gallique Antiſtes adeſſent; ex quorum abſentia pro nouo lucro nouæ iacturæ periculum adiret Eccleſia; nec meliorem fructum ea Synodus vniuerſalis tandem pareret, quam vt prodiret in peculiarem ac propriam vnius nationis; præterquam quod vbi ampliſſimi illius

1550. regni Epiſcopi deeſſent, iis qui nomen Concilij auerſabantur, eius contemnendi occaſio præberetur. Ad Gallum adducendum nihil accommodatius fore, quàm ſi intellexerit, nihil ibi agitandum quod ipſi detrimentum inferret: aliter enim nemo ſinceræ mentis non cognoſceret, non eſſe cur Gallus faueret conuentui in Auſtriaca ditione collocando. Quòd ſi ſpectarentur tum Italicorum Antiſtitum egeſtas ac moleſtiæ, quas cuncti in Tridentino domicilio & experti & deteſtati fuerant, tum Legatorum Pontificiorum, & Concilij dignitas, opus eſſe eo rerum omnium apparatu, vt præteritum otium ac moroſa cunctatio euitarentur, quæ poſſent in pernicioſam & indecoram diſſolutionem prolabi. Proinde par eſſe, vt in illis Comitiis denuò ſtabiliret Cæſar firmiter Proteſtantium ſubiectionem, per legitimas tabulas ab ipſis exhibendam. Vbi id ab illis recuſaretur, Concilio ampliùs locum non eſſe, ſicuti aliàs opus fuerat, ad eorum contumaciam declarandam: ſed cùm iam contumaces eſſent, ſupereſſe, vt in eos Cæſar armorum vim exerceret, ne in controuerſiam adducerentur & recentis & veterum Conciliorum Decreta. Confidere Pontificem, vt quemadmodum ipſe ea in re voluntati & emolumento Caroli ſtudebat, ita Carolum Apoſtolicam ſuam auctoritatem à Deo ſibi collatam tuiturum; vt ſi qui vnquam in Concilio, vel neglecto Religionis ſtudio, vel ignoratione veritatis, contraria molirentur, Cæſar æqui boniq́ue faceret, Pontificem rebus opportunè conſulere. Addebantur præterea alia mandata, aliaq́ue proponenda conſilia, quæ iam indicauimus, vt controuerſiæ Parmenſes componerentur.

Suauis indicat quidem hæc mandata à ſe perlecta; ſed quantum poteſt caliginis affundit ad infuſcandum Pontificiæ pietatis dignitatiſq́ue candorem. At maiori quodam liuore ſimulationem quamdam Pontifici appingit: nimirum, cùm is exiſtimaret, eam mandatorum notitiam honori ſuo conducturam, effeciſſe, vt Iulius Cæſar Cananus, ſibi à ſecretis, ea per ſpeciem amicitiæ ſuis familiaribus communicaret, atque hac ratione peruulgarentur. Verùm id nimis veritati diſſimile deprehendetur ab iis qui mandata Triuultio præſcripta luſtrauerint; in quibus vt Regi perſuaderetur, Synodum in vrbe Tridentina nec vtilem nec acceptam Cæſari futuram, tam exilis de proba mente Cæſaris exiſtimatio, tam tenuis erga eiuſdem potentiam animi affectio depromitur, vt ea quidem ad pertrahendum Galli conſenſum per arcanum colloquium idonea fuerint; non tamen quæ manarent in vulgus, vtpote ad iuſtam indignationem Cæſarem irritatura. Enimuerò arduum eſt fictas narrationes 4

rationes contexere, cùm opus ſit ad innumeras circumcircà partes proſpectum intendere; aliter enim improuiſa veriſimilitudo aliunde detegitur, quæ deridendum exhibet inuentum ſimul & inuentorem. 1550.

CAPVT X.

Quæ duo Nuntij egerint; & in Cæſare de Parmæ negotio difficultas.

1 SVccedere iam res videbantur. Nam ex parte Galliæ, vbi arduitatis timor erat, via plana reperta eſt, [a] ob amoris Pontificij apud Regem fiduciam, cuius natura eſt, perſuadere vt in bonam partem trahatur, quod alioqui dubiæ foret interpretationis, & conſenſus iis præbeatur, quæ dubiæ forent deliberationis. Quod ad Pighinum [b] ſpectabat, extra dubitationem erat, cùm is adeò expetitam reſponſionem deferret, Cæſarem quoque, ſicut euenit, pari animi alacritate reſponſurum. Granuellanus itaque expenſis vnà cum Cæſare conditionibus, quas Pontifex poſtulabat, probauit quidem in iis quæ ad Gallum pertinebant, vti Pontifex ad aſſentiendum Concilio illum adduceret; non tamen vti ad id ſua officia Cæſar impenderet: eſſe partes Pontificiæ auctoritatis alios ad Concilium conuocare, Cæſareæ verò Concilio fauere, ſuaſque ditiones eius Decretis ſubiicere. Sed hac ſpecioſâ excuſatione adductâ veriorem omiſit, hoc eſt, Cæſaris officia obfutura potiùs quàm profutura.

[a] Diarium, 12. Auguſti 1550.

[b] Diarium eodem die: & epiſtola Pighini ad Dandinum, 15. Auguſti 1550.

2 Feſtinato Concilij exitu affirmauit longè magis opus eſſe Cæſari quàm Pontifici, cum in comperto eſſet, quò diutius Synodus perduraſſet, eò diutius fixum iri Carolum in Germania, quippe ſatis gnarum, tantam nec ampliorem ſpem fructus ineſſe Concilio, quantum ipſe è propinquo vigoris caloriſque eidem afflaret; & ex altera parte ſuam ibi diuturnam commorationem ipſius valetudini & regnorum commodis obfuturam. Expeditiorem rationem ſibi videri, ſi Pontifex de ſententia virorum ſapientiâ ſtudioque Religionis præſtantium Diploma conficeret, vniuerſam morum emendationem complectens; quod vbi comprobaretur in Synodo à Patribus Pontifici ac Cæſari obſequentibus, quantum illi ſuffragiorum opus eſſet minimè defuturum: dogmata verò, aiebat ille, partim iam fuiſſe ſancita, partim per ſuſceptos à Tridentinis Patribus labores adeò diſcuſſa ac digeſta, vt poſtrema illorum abſolutio breuis temporis opus euaderet. Atque ex his animaduertit Nuntius,

1550. aliam tunc ac priùs eſſe Cæſarianis de morum reparatione ſententiam. Etenim cùm anteà nihil aliud preſſius inculcaſſent, contendentes vt ea eſſet præcipuum & quaſi vnicum opus Concilij, dum per eam Germaniæ turbas componendas putabant; poſtea experimento docti perſpexerant, illius freti procellas ex eo coortas, quòd ſupra litora exundare contenderet, adeoque vbi ea coarctarentur, non ipſum per tranquillitatem quieturum, ſed tempeſtatem acriùs ſæuituram. Vnde compertum iam erat, ne mitiores quidem diſciplinæ leges anteà latas poſſe inter eos animorum æſtus ad vſum perduci. Præterquam quòd perſpiciebant ſagaces illius æſtimatores, multò plus reformandum in moribus ciuitatum Cæſareæ quàm Pontificiæ ditionis. Quanquam aliâ dein tempeſtate, mutatis denuò rerum conditionibus, priora ſenſa renata fuerint, quemadmodum hiſtoriæ decurſus lectoribus palàm faciet.

Quò Proteſtantes ad parendum Concilio adigerentur, cenſuere 3 curandum, vt omnes Germaniæ Ordines continuationem Concilij in vrbe Tridentina à Pontifice flagitarent, quò arctius obſtringerentur ad ea ſeruanda, quæ ipſis poſtulantibus fuiſſent decreta. Denique ad id quod Pontificiam auctoritatem ſpectabat, Granuellanus reſpondit, Cæſarem præter ſtudium Religionis non modò eam propugnaturum ad rependendam Iulio beneuolentiam, ſed quia Pontificiæ auctoritatis abiectio Cæſareæ pariter imminutio fuiſſet; ſignificans duo per ſe veriſſima ab experientia patefieri: alterum, quantùm effrænata licentia facilitaſque mutandæ Religionis populos excitet ad parem in ciuili adminiſtratione libertatem, eos edocens habere deſpicatui quaſi imaginariam atque inanem quamcumque poteſtatem, quæ honeſti reuerentiâ non virium terrore nitatur: alterum, quò ſuſtineatur veneratio ac ſtabilitas Religionis, vnum ipſius Caput vniuerſale & aſpectabile eſſe agnoſcendum; dedignante nimirum humanâ ſuperbiâ diutiùs venerationem ſeruare erga id quod à pluribus neglectum vider, nec mortalium mente, vtpote quæ ſenſibus clauditur, aliam viuidam imaginem admittente, niſi quæ ſibi à ſenſibus ſubiiciatur. Affirmauit inſuper, patere quantum Imperatoriæ auctoritati detraxiſſet permiſſa prædicantibus libertas; ſed eam nonniſi per armorum vim amplius coërceri poſſe. Et ſane imbecillitatis humanæ tum in cognoſcendo tum in agendo vitium eſt, quòd non facile morbus dignoſcatur, dum facilè medicina pararetur, nec ante ſit compertus, quam inſanabilis.

Haud parem animi propenſionem nactus eſt Nuntius ad res Par- 4 menſes. Duæ in Aula Cæſarea inhæſerant ſententiæ: altera Senatus

tus Mediolanenſis; eam videlicet vrbem vnà cum Placentia [c] apertè 1550.
ad Cæſarem pertinere: altera Gonzagæ, exiſtimantis, in magno ſemper diſcrimine verſaturam Mediolanenſem ditionem, dum ex vno latere obſideretur agro Pedemontano tunc occupato à Gallis, Auſtriacorum Monarchiæ æmulis implacabilibus; ex altero Parmâ à Farneſiis poſſeſsâ, qui cùm ſe læſos ſpoliatoſque putarent, erant ipſi pro hoſtibus putandi. Ideò Nuntio reſponſum eſt, [d] optare Cæſarem, eam cauſam Iure decerni; quod ius vim ſonabat, quippe quæ tamquam dextera eſt, quæ Ius non tantùm robore munit, ſed ratum facit. At quemadmodum inter priuatos ſufficit iuri vis per minas intentata, & paucorum ſatellitum; inter Principes vis neceſſe eſt in opus deducta, & ingentium copiarum.

[c] Vide Adrianum lib. 8.

[d] Ex Pontificis reſponſo ad Pighinum, 14. Octobr 1550. infrà referendo.

CAPVT XI.

Apparatus Pontificis ad morum emendationis, & Concilij Diploma. Res Parmæ ac Placentiæ iterùm agitatæ; & Concilium indictum.

1 Pontifex his acceptis reſponſis, adiecit confeſtim animum Diplomati, ad reformandos mores conficiendo. Demandata priùs cura Maſſarello, [a] qui erat à ſecretis Concilio, & tunc Pontifici operam dabat in principalibus litteris conſcribendis, vt res in eo genere propoſitas Concilio, ſed ab eo non ſancitas, in ordinem digereret; ac poſteà Ceruino & Polo, ſuis olim collegis, Romam ad id accerſitis, & Morono Germanicarum legationum perito, à quibus vnà cum reliquis varia conſilia [b] habita ſunt, & ſæpè in frequenti Senatu ſententiæ dictæ. Quin etiam in eo decretum fuit, vt ſingulis hebdomadis bis térve coram Purpuratorum antiquiſſimo ea de re Patres differerent, & ſemel coram Pontifice. Sed ſemper illud ipſum tandem compertum eſt, quod Paulum toties ab huiuſmodi conſilio perficiendo dimouerat; nimirum, inter tot ac tantas quæ tunc feruebant cupiditates ac ſuſpiciones, legem omnem ad reſtituendos mores latam incurſuram in reprehenſiones prauaſque interpretationes communitatis, niſi legiſlatorem ageret ipſa communitas. Plures quoque conuentus [c] habiti ſunt ad concinnandum Diploma Concilij, ad cuius feſtinationem Pontificios extimulabat [d] Cæſar, itineris Hiſpanici cupidus; tametſi propinqua hiems ſpem omnem ademiſſet Synodi cogendæ, donec per tempora commodiora liceret. Sed interim ſollicitudinem non modicam ingerebat Parmenſe negotium; ex quo tamquam è quodam

[a] In Diario, 28 Septemb. 1550.

[b] In Actis Conſiſtor. & Diariis, 3 & 23. Octobris, & 18. Nouembris 1550.

[c] Diarium, 23 Octobr. & 9. 12. & 13 Nouembris 1550.

[d] In litteris Pighini; & indicatur in Diario, 8 Octobr. 1550.

1550. cæco Veſuuiano igne poterat repentinum aliquod incendium erumpere.

Pergebat Iulius ſingularem in Farneſios amorem præ ſe ferre, [e] adeò vt dies aliquot diuerterit in vtriſque Alexandri Cardinalis ædibus, tum in alteris, quas patrimonij iure poſſidebat, tum in alteris, quæ Procancellarij nomine ad eum ſpectabant, & per inſolitum honoris exemplum ibidem Senatum habuerat. Huius igitur beneuolentiæ gratiâ, ſimulque vt eam familiam retineret, ne Cæſari ferrum iugulo intentanti Gallicum clypeum opponeret, adeoque quietem Italiæ, cogendæque Synodi conſilia perturbaret, quamquam Alexander Cardinalis extra vrbem in amœnioribus propè locis degeret, eum de ſingulis quibuſque certiorem reddebat Pontifex, quæ in earum tractatione rerum contingebant, [f] pollicitus ſe numquam Parmæ Farneſiiſque defuturum: atque ex altera parte apud Cæſarem ſummo ſtudio contendebat, vt res ad concordiam perduceretur. [g] Quare accepto à Cæſare quod retulimus reſponſo, per Pighinum repoſuit, Poſt orbem conditum ægrè adduci poſſe exemplum litis inter ſupremos duos Principes, nullique communi arbitro ſubiectos, quæ in alio præterquam in Martis tribunali fuerit dirempta: ſi Iuriſconſulti Mediolanenſes manifeſtum ius in eas vrbes Cæſari tribuebant, nihilominùs idem ius Pontifici tribui à Iuriſperitis Romanis. Opportunius itaque nihil videri quàm propoſitam tolerantiam: hanc vtiliorem Cæſari fore, cùm per eam aliquo modo ſpolij vitio purgato, eius poſſeſſioni honeſtior ſpecies obtenderetur: Octauium Farneſium non eſſe tantæ potentiæ Principem, qui Cæſaris miniſtris tamquam arma illaturus metum incuteret; præſertim vbi non ſolùm caueretur ne nouæ munitiones excitarentur, ſed iam conſtructæ inter Parmam & Placentiam, vrbes inter ſe ſatis diſtantes, deſtruerentur. Ad hæc Iulius hortabatur. Verùm vbi Cæſar, ſi oblatis acquieuiſſet, pacificam perpetuamque Placentiæ poſſeſſionem ſibi firmaſſet, datâ ab ipſo repulsâ omnia & Reipublicæ & Religionis negotia ſibi peruertit; effecitque vt non ſolum ipſe Parmam non acquiſierit, ſed vt ſatius tandem duxerit Placentiam reſtituere. 2

[e] Diarium, 30. Iulij, & 8 Augusti 1550.

[f] Diarium, 14. 16. & 18. Septembris 1550.

[g] Litteræ ad Pighinum, 13. Octobris 1550.

In Comitiis itaque propoſitum Germanis fuit, vt ſe Concilio ſubderent: & quoniam formæ, quâ res proponenda erat, apponebatur, *Concilium Tridenti continuandum*, Nuntius, cui fuit oſtenſa, illi repugnauit, [h] ne tranſlationi legitimæ officeretur: quare aliæ voces adhibitæ ſunt. Mauritius nouus Saxoniæ Septemuir Concilium poſtulauit, quod à Pontifice minimè penderet, & in quo Confeſſionis 3

[h] In litteris iam dictis Pighini.

feſſionis Auguſtanæ ſectatores ſuffragij iure potirentur: quod reie- 1550.
ctum fuit,[i] quippe Decretis ſuperioris conuentus contrarium. Alij
tum Catholici tum Proteſtantes abſolutè conſenſerunt. [k] Proinde
Cæſar ſubiectionem Germaniæ Pontifici exhibuit: hic verò promulgauit in Senatu Diploma, quod ipſe integrum dictauit,[l] *de Concilio Tridenti reſumendo*, indicendoque Kalendis Maiis.

i Bzouius anno 1550.
k 14. Nouembris 1550.
l Litteræ Dandini ad Nuntium Venetiis, 18. Octob. 1550.

Narratur à Suaui, huiuſce Diplomatis verba diſplicuiſſe Cæſari,
4 viriſque Catholicæ Religionis ſtudioſis, quippe verba quæ (pro eo quod ipſe hîc indicat, & alibi confirmat) continuationem Tridentini Concilij apertè ſignificabant, adeoque ſpem omnem Proteſtantibus adimebant præterita Decreta iterùm expendendi; quâ ſpe demptâ eò conuenturi non erant. Præterquam quod, ait ille, nimis dilucidis grauidiſque formulis oſtentabatur, velle Pontificem Synodo præſidere: ſubditque, Oratorem Mendozam tentaſſe, ſed fruſtrà, vt ea mitigarentur. Nihil horum mihi compertum eſt: imò compertum eſt, alteram partem haud veram eſſe, alteram haud ſimilem veri. Verum non eſt, haberi verba in Diplomate, quæ continuationem ſonent; ſed ea Suauis appingit, vt in lectorum animos per inſidias irrepat hæc perſuaſio, ortam ſcilicet litem inter Carolum & Paulum, ab huius ſucceſſore fuiſſe Cæſari adiudicatam: eius rei gratiâ, quaſi ad horum ius vindicandum, Cæſar contenderat, per tot ſolemnes actiones tranſlationem tamquam irritam oppugnans; ideoque, ſicuti anteà narrauimus, voluerat continuationis vocabulum adhibere, cùm in Comitiis rem propoſuit, quod opportunè fuit à Nuntio reiectum; neque vſpiam ea vox in Diplomate reperietur, ſed, *reſumere, & proſequi*. Verum neque veriſimile eſt, Cæſarem & Catholicos ægrè tuliſſe, quòd Pontifex in ſuo Diplomate diſertis verbis vſus fuerit, ſeu pro certis ſumendo, & ab omni quæſtione ſubducendo firmata Decreta; ſeu affirmando, ſuum eſſe indicto Concilio præſidere. Quod ſpectat ad primum, nónne cum ipſe, tum ipſius deceſſor, tot publicis libellis etiam per typos impreſſis idipſum ſemper declarauerant? Quid porrò? Nonne Cæſar ipſis per ſuas conteſtationes & Bononiæ & Romæ habitas, typiſque vel ab hæreticis vulgatas, continuationem ſuperioris Synodi efflagitarat? Quod ſpectat ad alterum, quænam præſidendi Concilio prærogatiua prænuntiabatur futura per hoc Diploma amplior eâ, quæ per Pauli Diplomata pronuntiata fuerat, eiuſque ætate in Concilio exercita? Si ergo Cæſar in iteratis petitionibus ac denuntiationibus, quas narrauimus, commendarat ſemper, comprobaratque Synodum Tridenti iam habitam, adeoque eius formam ibi ſeruatam; quo pacto ipſi,

vel

1550. vel aliis, à quibus ij libelli & editi & celebrati fuerant, mirum videri poterat, Concilium hac ratione fuiſſe à Pontifice indictum? Sed poſtquam hoc Opus primum in lucem prodiit, certò cognoui, hoc ipſum vt falſi ſpeciem præ ſe ferebat, perinde reuerà falſum eſſe; cum in volumine litterarum Dandini, qui à ſecretis erat Pontifici, compererim, à Iulio Diplomatis promulgationem Romæ, eiuſque per typos editionem, fuiſſe tantiſper retardatam, dum illud à Cæſare legeretur, & in Germania vulgaretur; ipſum verò Diploma [m] per alias Pontificias litteras ad Carolum delatum, prætermiſſo huiuſmodi litterarum officio erga reliquos Germaniæ Principes, eò quòd per illud Diploma ſuſpenſum Concilium reſumebatur, non aliud conuocabatur: [n] & reipsà neque Diploma vulgauit, nec typis dedit, donec factus eſt certior à Pighino, id Cæſari probari, [o] qui ſubinde in Comitiis illud promulgari iuſſit [p].

Progreditur Suauis: Cùm euulgaſſet Pontifex Cæſare inconſulto illius tenoris Diploma, vulgatum fuiſſe viciſſim à Cæſare 13. Februarij anno 1551. Comitiorum Decretum, quod communiter Pontificio Diplomati in omnibus ſui partibus opponi putabatur. Mirum ſanè ſcriptorem! non illi veniebat in mentem, pauſò antè, dum ipſe Comitiorum Decretum referret, dictum à ſe fuiſſe, haberi in eo Decreto, *Cunctos Imperij Ordines tum ſuperioribus tum præſentibus Comitiis ſtatuiſſe ſe Concilio ſubdere, adeoq; Cæſarem egiſſe cum Pontifice, & ab eo impetraſſe, vt Synodus Tridenti reponeretur Kalendis Maiis anni futuri: quo à Pontifice præſtito, & perlectâ ac propoſitâ conuentui conuocatione, æquum eſſe in eadem ſententia perſiſtere, vt cum ea, quâ par eſt obedientia, Concilium præſtolentur, eiq; interſint?* Quânam igitur ratione huiuſmodi Decretum, cùm ex opinione communi, tum ex rei veritate, poterat in cunctis ſui partibus opponi Pontificio Diplomati, quando illic Cæſar imperabat, vt omnes acquieſcerent Synodo à ſe anteà impetratæ, & per illud ipſum Diploma à Pontifice indictæ? Sed oppoſitiones haſce commentitias ſingulatim conſideremus. 5

Quas ille affert, ad tres rediguntur. Duæ priores ſunt: *Hic vult Concilium dirigere; ille curare vult, vt omnia ordinatim ac legitimè fiant.* 6 In quonam ſita eſt oppoſitio, in reipſa, an in modo? Profectò non in re: nec enim eo Diplomate præcipiebatur, cuncta ordinatim legitimeque non peragi, nec ferri ſententias ſecundùm ſacras Litteras, & Patres. Hæretici porrò id abnuebant, qui, neglectis Patrum auctoritate atque interpretationibus, contendebant ad ſacras dumtaxat Litteras rem coarctandam, pro ipſorum libidine explicatas. Neque

m Litteræ Dandini ad Nontium apud Cæſarem, 17. Decemb. 1550.

n Litteræ Dandini ad Martinengum, Nuntium apud Romanorum Regem, 3 Ianuar. 1551.

o Ex litteris Dandini ad Nuntium apud Cæſarem, 27. Decembris 1550.

p Ex Dandini litteris ad eumdem, 23. Ianuarij 1551.

Neque pariter diſſidebant in modo, perinde quaſi & Pontificium 1550.
Diploma, & Cæſareum Decretum ſibi munus tribuerent dirigendi Concilij: ſiquidem volebat Pontifex illud dirigere, ſed tamquam illius caput & Præſes; quæ dignitas in ipſo à Decreto Cæſareo agnoſcebatur per ea verba, quòd Cæſar à Pontifice Synodi conuocationem impetrarat; cùm in aperto ſit, inferioris eſſe impetrare, ſuperioris conuocare Concilia: ex altera parte Cæſar per Decreti verba, quæ ab ipſo Suaui recitantur, declarabat, velle ſe Synodi curam gerere, tamquam *Eccleſiæ ſanctæ aduocatum, & Conciliorum defenſorem*. Quis autem neſciat, aduocatum neque Principem neque iudicem eſſe, ſed miniſtrum? Nouum fortaſſe, Pontificioque Diplomati contrarium erat, quòd Cæſar Concilij ſecuritati, proſperoque ſucceſſui opem ſuam commodaret?

7 Poſtrema, quam recenſet Suauis, diſcrepantia talis eſt: *Hic vult continuare; ille verò vult, vnicuique licere pro ſua conſcientia res proponere.* Hanc vocem, *continuare*, iam oſtenſum eſt potiùs fuiſſe a Cæſare expetitam, ſed à Pontifice repudiatam. Verùm quod attinet ad recipienda iam ſancita Decreta, præter ea quæ paulò antè memorauimus, an non ipſe Suauis refert, in Comitiorum Decreto affirmari, impetraſſe Cæſarem à Pontifice, vt Tridenti Concilium reponeretur? Ipſe igitur fatebatur, Concilium reuerà Tridenti fuiſſe; nihil enim, vbi non fuit, vmquam reponitur; adeoque comprobabatur, præteritas ſanctiones Tridentinas per non minorem auctoritatem confectas fuiſſe; nec minùs firmas ac legitimas habendas eſſe quàm futuras. Nec, *poſſe res proponere pro conſcientia*, idem ſignificat, quod poſſe aduerſus præteritas definitiones proponere. Quin etiam id perinde fuiſſet, ac aduerſus Fidem Catholicam, adeoque contra conſcientiam proponere.

Sed oportet ad Parmenſes controuerſias aliquantulùm diuertamus, à quibus res Concilij plurimùm pependerunt; cùm microcoſmus æquè ac megalocoſmus compoſitum quoddam ſit è ſpiritu & corpore, vbi quamuis ſpiritus princeps præſit, tamen in agendo plurimùm ſeruo alligatur.

1550.

CAPVT XII.

Alia à Pontifice agitata ad rem Parmenſem Placentinamque componendam; & diſſidia inter Iulium & Farneſios hinc exorta.

SOllicitudo non modica Farneſios inceſſerat, ob ius quod ſibi tribuebat Cæſar, & ob machinationes, quas moliebatur Gonzaga. Quapropter Octauius in carcerem[a] coniecerat Ioannem Franciſcum Sanſeuerinum, ſuſpectum arcanæ communicationis cum Cæſarianis, qui proinde acriùs exulcerabantur. Iulius anxiè cupiens hanc ſcintillam extinguere, per quam Chriſtiana Reſpublica maximo incendio inuolui poſſet, Bertanum peculiaris Nuntij nomine ad Cæſarem miſit; iniunxitque vt illum edoceret, quantum ipſi conueniret huiuſmodi litem componere, [b] quantumque diſconueniret Pontifici quod Mendoza propoſuerat, hoc eſt, vt Iulius vtramque vrbem iure beneficiario traduceret ad Cæſarem, qui vectigal Eccleſiæ penderet: Beneficiarios, qui viribus omnino præpollerent, non aliud niſi nomine tenus ſubditi munus exercere, quod ex regno Neapolitano liquebat: Purpuratorum collegium numquam illi rei conſenſurum: per id iuſtitiam violatum iri, non ſine offenſione cunctorum Principum, & eorum potiſſimè, quorum Italiæ res intererant: Cæſari ad Mediolanum tuendum Parmâ opus non eſſe; nam Placentia quoddam clauſtrum, catenamque prævalidam ex vno latere cum Cremona & Pado, ex altero cum Liguſticis montibus continuabat. Eſſe quidem Parmam haud parum opportunam Cæſari ad alios oppugnandos, cùm in præſentia veluti propugnaculum Mutinam, Rhegium ac Bononiam tegeret: proinde cunctos Italicos Principes intentiùs eò ſpectaturos; non quidem quòd ab ipſo Carolo, cuius optimæ menti fidere poterant, tunc ſibi metuerent, ſed in poſterum ab incertis ſucceſſorum affectibus. Quare Pontificem, ſi eam alienæ ditionis, Italiæ quaſi clauem, dexteræ adeò potenti traderet, in grauem & culpam & infamiam incurſurum. Tria itaque proponebat: 1

Aut mutuam tolerantiam, de qua egimus, amotis quibuſuis quæ offenderentur obſtaculis, & Farneſiis auctoritate Cæſaris cum Gonzaga conciliatis: Aut vt Octauius vtramque vrbem acciperet ab vtroque Principe, parique iureiurando clientelam vtrique profiteretur; excepto, ſi alter alteri arma moueret: vt Cæſar arcem Placentinam, vrbiſque cuſtodiam quoad libuiſſet retineret; vt vrbi illi 2

[a] Diarium, 6. Septembr. 1550. & mandata Camaiano tradita, vt infrà.

[b] Mandata illi data 27. Ianuarij 1551.

illi gubernator nonniſi Cæſari acceptus imponeretur; nec Octa- 1550.
uio commorari Placentiæ liceret: Aut vt per conditiones anteà memoratas Octauius ſupremum Parmæ dominum ſolum Pontificem, Placentiæ verò ſolum Cæſarem agnoſceret pro eo tempore, & ſaluis vtriuſque iuribus. Percupere Pontificem, vt ſibi quamprimùm aliquid diſertè reſponderetur, cùm certus eſſe non poſſet, ſe in officio contenturum eos Principes iuuenes, mœſtitiâ oppreſſos, & de Cæſaris animo penè deſperantes: eſſe ſibi compertum, non deeſſe illis acutos ſtimulos, quibus vel homines maturiores minuſque irritati præcipites agi poſſent. De ipſorum fide, vbi firmaretur concordia, dubitandum non eſſe; præſertim adiectâ Pontificis & ſacri Collegij auctoritate, & Octauio paratum animum gerente, vnà cum coniuge & Alexandro filio ad ea quæ Cæſar præſcriberet domicilia ſubeunda. Impoſitum quoque Bertano fuit, vt ſi Cæſar nulli fideret temperamento, dum Farneſij ex propinqua Parmæ poſſeſſione ius in Placentiam meditabanrur, adeoque ſtimulus aderat inimicitiæ ac perturbationis, illi offerret, Pontificem, vbi Cæſar omne ius in Parmam Farneſiis concederet, ipſi Cæſari beneficiario iure traditurum Placentiam, cuius prouentus aliqua ſaltem ex parte alibi Farneſio compenſaretur à Cæſare.

3 Ac meritò quidem affirmabat Pontifex, ſe diutiùs certum eſſe non poſſe, in officio Farneſios contenturum. Importunè contigit, vt per viam Bertanus in morbum incideret; [c] adeoque complures dies de eo nihil audiretur. Quamobrem Farneſij, quibus conſciis miſſus hic fuerat, & poſtulata delaturus, quippe illorum familiæ ſtudioſus, ſpem in eius opera collocatam abiecerunt: atque vti extremi timoris eſt ad extrema auſa compellere, Octauius, cùm videre ſibi videretur ingruentem in momenta cladem, ac horribilem illam metamorphoſim, è Principe in priuatum, ad conſilia ſe flexit Horatij, [d] qui ſtudio & affinitate Gallus, omnem familiam ad Gallorum factionem trahere contendit; ratus non ſolùm Octauij, ſed ſuam pariter dominationem firmatam iri, cuius ditionem Caſtrenſem potuiſſet ſibi iure repetere Octauius maior natu, ſi quando eis bonis ſpoliaretur, quorum loco eam Horatio ceſſerat; nec minùs etiam ratus, vbi tamquam galea familiam tutaretur, fore pariter vt eamdem tamquam caput regeret.

c In mandatis Dandino traditis, ad Cæſarem miſſo, infrà citandis.

d Vide Adrianum lib. 8.

4 Vbi hæc conſilia ſuboluere Pontifici, mirum in modum agitatus eſt. Voluebat ille animo: aut ipſe Octauij inceptum progredi fineret, aut illi repugnaret. Si progredi fineret, numquam Cæſarem inducturum in animum, id inconſulto Iulio peragi, iis præſertim

 ſpecta-

1550. ſpectatis, quæ tum ante Pontificia Comitia, tum in ipſis euenerant, & beneuolentiâ, quam is in Regem Galliæ profitebatur: proinde diſſolutum iri animorum coniunctionem, quam adeò ſtudiosè idem quæſierat, & in qua pacis ac Religionis ſpes vnicè nitebatur. Præterquam quòd obtentus Cæſari præberetur, quo citra notam auiditatis, aut violatæ reuerentiæ, poſſet Parmam aggredi, & in ea non ampliùs vexillum & clientem Eccleſiæ, ſed exteros ſuos hoſtes inuadere; vnde neceſſe foret Pontifici, vrbem ſuam ſpectare à duobus maximis Principibus bello petitam, quorum alteruter illâ potiretur, ſupremo in eam iure Eccleſiam ſpoliaret, apertumque in ditionem Eccleſiaſticam aditum obtineret. Sin è contrario Octauij conſiliis obſiſteret, quidquid per inermes ſententias cenſuraſque oppoſuiſſet, tum à Cæſare tamquam fictum, tum ab aliis tamquam debile deſpectum iri: ſi arma in Henricum moueret, ea certè & perturbationem Concilio, & inimicitiam Pontifici cum Principe ſupra ceteros ſibi coniuncto allatura; ſe verò arduis ac periculoſis tricis implicatura, & nouis etiam tributis impoſitis, quæ bellum, inſaturabile illud monſtrum, perpetuò deuorat, in extremam calamitatem redactum iri Eccleſiaſticam ditionem, tot iam vectigalibus oppreſſam, exhauſto iam ærario ob ingentes ſumptus quà ad Concilij ſuſtentationem, quà ad ſuppetias expeditionis Germanicæ collatas, quà ad Parmæ cuſtodiam, quà ad interregni functiones, & quà etiam ad largitiones, quibus Iulius ſui Pontificatus initio, benefico magis animo quàm prudenti vſus fuerat; adeò vt paulò antè in Senatu diſſeruerit de aliqua excogitanda ſuaui [e] ratione, quâ ordinariæ indigentiæ conſuleretur.

[e] 3. & 20. Octobr. 1550. in Actis Conſiſtorialibus.

Statuit igitur, Petrum Camaianum, ſuum intimum cubicularium, celeriter Parmam mittere: [f] qui Senis iter faciens, cuncta quæ ſibi fuerant in mandatis tradita Mendozæ tunc ibi degenti communicaret, vt ſuſpicionem quamdam de Pontificis animo in Cæſarianis abſtergeret, opinantibus iam illum nouis Farneſiorum molitionibus conniuere. Mandata Camaiano perſcripta hæc fuerant: Sanſeuerinum liberandum curaret, vbi ex non certis ſuſpicionibus eſſet in vinculis: ob oculos Octauio poneret rationes ſuprà memoratas, propter quas haud fas erat Pontifici permittere vt ille Gallos acciret, & ab ipſis ſtipendia caperet, præcipuè [g] cùm is Eccleſiæ eſſet Vexillifer, & ſupremus armorum Præfectus, cum annuo triginta millium ſcutorum ſtipendio; atque id Farneſio interdiceret, denuntiatâ commiſſæ perduellionis pœnâ: ab eodem exigeret, vt ſuper ea re per ſyngrapham ſibi cautum foret. Demonſtraret Farneſius, quas

[f] 16 Febr. vt eſt in mandatis, & Diario.

[g] Litteræ Dandini ad Pighinum, 18. Febr. 1551.

in

in ærumnas ſe præcipites agerent, ſi [b] Carolum V. hoſtiliter offen- 1551.
derent, qui extemplò & Octauium, & vtrumque Purpuratum Far-
neſium cunctis prouentibus tum profanis tum Eccleſiaſticis, ab illis
in ipſius ditione poſſeſſis, ſpoliaturus eſſet, & æquam ſpeciem ha-
biturus ad expugnandam Parmam arma inferendi, ab irato Gonza-
gæ brachio adminiſtrata, quibuſcum Pontifex adigeretur, & vt con-
tumaciam plecteret, & ne vrbem Eccleſiæ aliis occupandam relin-
queret, ſuas omnes vires tam profanas quàm ſacras conſociare. At-
qui ſi Octauius ea conſilia abiiceret, poſſe illum meliora ſperare per
patrocinium Pontificis, de iis rebus ſollicitè agentis cum Cæſare,
qui cum Farneſiis cognatione, cum Pontifice reuerentiâ & amici-
tiâ coniungebatur: at vtcumque res cederet, Pontificem illi non
defuturum. Quod ſi Camaianus nequiret Octauium alio modo
flectere, [i] offerret illi Parmenſis Principatus loco Camerinenſem,
prouentu potiorem, agro ampliorem, & ab externis tutiſſimum:
redditâ enim Pontifici Parmâ, nec Cæſarem nec Gonzagam ſti-
mulatum iri iis ſuſpicionibus, quæ ad præoccupandam aggreſſio-
nem eos incitabant.

b Extat in mandatis Dandini.

i Eſt in mandatis Nuntio traditis.

Verùm Octauio, inſpectis Cæſarianorum dictis factiſque, vide-
batur in obiecta ſpe niti non poſſe: & quod ad permutandum Prin-
cipatum attinebat, cenſuit ex Parmæ in Camerini poſſeſſionem non
tam dominationis tranſitum eſſe, quàm caſum; quare non difficiles
modò, ſed ſurdas aures præbuit cohortationibus Camaiani. Sunt
qui tradunt, cùm Octauius anguſtiis, quibus premebatur, Pontifici
expoſitis opem ab illo imploraſſet, Iulium obtentâ ærarij inopiâ
reſpondiſſe, quâ poſſet ratione ſibi conſuleret: ex quo Farneſius in-
terpretatus eſt tacitam quamdam veniam ſibi datam muniendi ſe
quacumque poſſet, atque id ipſum Camaiano vt ſe purgaret cauſa-
tum: ſed nulla hac de re fit mentio in commentariis, qui ad meas
manus peruenere.

6 Pontifex, cognito per Camaiani [k] litteras obfirmato Farneſij
animo, infra ſupremi Principis dignitatem exiſtimauit, ſi miniſter
ipſius apud contumacem clientem diutius moraretur. Quare ſta-
tim regredi Camaianum iuſſit, ita tamen, vt antè tria Diplomata
traderet coram teſtibus, quibus poſſet: vnum Octauio, quo is veta-
batur per irrogatam patratæ perduellionis pœnam, & per bono-
rum omnium proſcriptionem, exterum militem in Parmenſem
ditionem admittere: aliud Paulo Vitellio, cui præcipiebatur, vt
non obtemperante Farneſio confeſtim abiret: tertium Cardinali
S. Angeli, per quod reuocabatur Romam ad ſuum exercendum mu-

k Litteræ Dandini ad Camaianum, 17. Febr. 1551.

 nus

1551. nus ſummi Pœnitentiarij. Sed certè duo priora vt inermia, ita nec formidata.

[1] Eſt in dictis Dandini mandatis, & in epiſtola eiuſdem ad Bertanum, 16. Maij 1551. & in alijs eiuſdem litteris.

Nec faciliores Henricus porrexit aures Nuntio, [1] Pontificis no- 7
mine illum retrahere connitenti: quin ipſi accidit quod ei contingere ſolet, qui alicui præcipuum adiumentum ſuppeditauit ad dominatum obtinendum, ampliſſimamque ſibi remunerationem ceu debitam præſtolatur, ideoque ob mediocrem ſe malè acceptum putet; qui odioſus euadit, ac tandem hoſtis. Rebatur Henricus, ſibi gratias potiùs à Pontifice habendas, quòd ipſe vellet Parmam illi ſuis viribus vindicare ab occupatione minis à Cæſare intentata, quam Placentiæ iam peregerat. Credidit proinde, Iulium per ingratam aduerſum ſe propenſionem in Cæſarem, reſtitiſſe Oratori ſuo id ipſi Romæ offerenti. Idcircò acerbè reſpondit, vulgauitque encyclicam epiſtolam, quâ cunctis Epiſcopis Galliæ denuntiabat, vt per ſex menſes ad ſuam quiſque Eccleſiam reuerteretur, quò earum incommoda obſeruarent, ſeque ad celebrandam peculiarem Gallicæ nationis Synodum compararent. Sed iniuria æſtuanti animo illata id efficit, quod æſtiua pluuia, quæ denſis è nubibus minitabunda aut leniter inſtillata calorem auget, nec niſi vbertim profuſa tepefacit. Potiùs itaque Iulium, quippe feruentis ingenij, ira quàm metus inuaſit; non tamen tantum ille concepit iræ, quin ſtuduerit bellum declinare, toleranter ea paſſurus quæ Parmæ mouebantur, dummodò id bonâ Cæſaris pace ſibi liceret: ſed vbi neceſſe foret cum altero inimicitiam ſuſcipere, ſtatuit adhærere Carolo, vt qui in profanis Italiæ rebus, & in ſacris Germaniæ Chriſtianæque Reipublicæ, potentior Gallo erat; quique nihil Pontificem facto læſerat, cùm Henricus in vrbem Eccleſiæ ſe inuito penetraſſet. Ita planè res habet: beneficij dulcedo, quo quis ab altero ad principatum euectus eſt, in bilis amaritiem corrumpitur, vbi ille qui nunc beneficium contulit, tam imperioſè ſe gerit, ac ſi habuerit in animo mancipium, non Principem reddere.

CAPVT XIII.

Concilij Præſides deſignati: admonitio Pontificis ad Octauium Farneſium denuntiata: Dandinus ad Cæſarem, & Aſcanius Corneus ad Henricum miſſi.

[a] Acta Conſiſtor.

Pontifex inter ſuæ ditionis curas Concilij negotium haud 1
omiſit. Ideò in Senatu 4. Martij [a] illius Legatum deſtinauit (cùm adhibere Ceruinum non liceret, nimis à Cæſare in hiſce rebus alienum) Marcellum Cardinalem Creſcentium Romanum,

in

1551. in quo vti egregiam doctrinam prudentiamque agnoſcebat, perinde ſingulari illum amicitiâ complectebatur; adeoque iiſdem de cauſis ab eo Legatus Bononienſis fuerat paulò antè delectus, hoc eſt, per ea dubia tempora ditionis Eccleſiaſticæ cuſtos. [b] Collegam illi non addidit, tum quò ſumptibus ærarij Pontificij parceret, tum quòd exiſtimabat, æqualem in ſupremis arbitris auctoritatem eſſe perturbationibus obnoxiam: ipſi tamen adiecit, qui conſilio & decori eſſent, duos Præſides ex ordine Epiſcoporum, & in Concilij functionibus, & in Germaniæ negotiis iam expertos, omnique virtutis laude conſpicuos, Sebaſtianum Pighinum Sipontinum Archiepiſcopum, & Aloyſium Lippomanum Veronenſem Epiſcopum, [c] alterum ab Aula Cæſaris, alterum ab Eccleſia Veronenſi per litteras accitum: atque hac fortaſſe ratione crediderat, decus ſimul & ſolatium allatum iri vniuerſo Epiſcoporum ordini, ſuſpicionibus agitato in ſuperiori Synodi conuentu, ne quid ipſis Sedes Apoſtolica derogatum vellet, cùm iidem nunc cernerent, ſe ad Præſidum ſedem ab illa promotos.

2 Per eoſdem dies libello publico [d] Octauium admonuit: in quo expoſitis iis omnibus, quæ per litteras ac miſſos homines cum eo Pontifex egerat, ne ille præſidiarios milites vllius externi Principis Parmam induceret, eidem denuò interdicebat, indictâ tum Parmæ iacturâ, tum perduellionis pœnâ, ne in poſterum id faceret, tentarétve. [e] Et quamquam ſpes melior de illius obſequio à Polano Epiſcopo apud eum degente indicaretur, nec Pontifex deſiſteret rem agitare cum Farneſio Cardinali, [f] qui & animi ſtudio & vtilitatis reſpectu Cæſari addictus credebatur; tamen animaduertens nec Octauium Cæſarianorum minis apperitum continere ſe poſſe, quin Gallorum præſidio ſe muniret, neque Gallos opportunitate illectos ſibi temperaturos, quin equum ex veteri apologo, prætenſo eius defendendi titulo, conſcenderent, voluit animum ſuum Cardinalibus aperire, & operam cum Cæſare coniungere. Primum præſtitit in Senatu; [g] ad quem retulit, apud ſe ſtatuiſſe, ad obtemperandum ſibi eos armis adigere, quos interdicta non mouerant, ſimulque Concilium Kalendis Maij reſumere. Decreuit ad alterum conficiendum, vt ſequeſtro vteretur, in quo nec fidem, nec prudentiam, nec rerum peritiam deſideraret; ipſum Pontificiis ſecretis Præfectum ad Cæſarem miſit, hoc eſt Dandinum, quem nonniſi remotis arbitris cum eo colloqui iuſſit. [h] Communicauerat cum Carolo Iulius quæ ſuæ

b Diarium, 9. Martij.
c Diarium, 9. Martij.
d Diarium, 5. Martij 1551.
e Diarium, 11. Martij.
f Diarium, 2. & 30. Aprilis.
g 6. Aprilis, ex Diario.
h In mandatis illi traditis 30. Maij.

Plurima monumenta ſpectantia ad Dandinum & Iulium, cui hic à ſecretis fuit, quæ infrà citabimus, extant apud Herculem Dandinum, qui ea mihi communicauit.

1551. ſuæ fidei concrediderat Cardinalis Ferrarienſis, fuiſſe acerbè conqueſtum Regem per litteras tum ad ſe datas, tum ad Turronium Cardinalem, tum ad Termeſium Oratorem Regiú apud Pontificem, quòd vellet Iulius ipſum præpedire, ne tam præcipuam vrbem Italicam, adeoq; Eccleſiaſticam, tueretur aduerſus iniuſtam Cæſaris aggreſſionem, cui par erat, vt quilibet bonus Princeps obſiſteret, potiſſimùm verò Pontifex, quippe ſupremus Parmæ dominus; & Galliæ Rex, quippe Caroli æmulus, & agger vnicus in Europa ad coërcendum impetum turgidioris Hiſpanæ potentiæ. Prætereà, ſibi non licere deeſſe Farneſiis præſenti ope, qui ſub ipſius clypeum confugerant, & ad quorum tutelam fidem ſuam obſtrinxerat. [1] Proinde purgarent priùs apud Pontificem ſincerum in hiſce rebus animum Regis, eique obſequentis filij reuerentiam exhiberent; ſed poſteà, ſi opus foret, palam facerent, vbi Pontifex tam iniqua de cauſa Italiæ pacem obturbaret, Regem coactum iri, vt pro ſua fide ac dignitate ſe gereret. Adiecit Cardinalis, inter ſe duoſque collegas conueniſſe de occultandis Henrici mandatis, donec innoteſceret quid Aſcanius Corneus, qui Pariſios nondum peruenerat, tranſegiſſet: interim tamen voluiſſe, tamquam ſtudioſum Pontificis famulum, vt ad ipſum id lucis præuerteretur; ſimulque per obſequentem audaciam eum admonere, magnam eſſe ſummorum Principum prudentiam, potiùs ſubditorum noxas diſſimulare, quàm vires in ſubditos experiri per incertam aleam periclitantis dignitatis. Huic agendi normæ ſæpiùs ſe conformaſſe tum Iulium II. tum Leonem, tum etiam Clementem erga ipſius Octauij Cardinalis parentem Alfonſum, à quo auerſum animum geſſerant; & tamen bellum haud in rem ſuam ceſſurum proſpicientes, diſſimulaſſe: ita pariter geſſiſſe Paulum cum Vrbinatium Principe, quem Venetorum patrocinio munitum cernebat; nec aliter agi à Cæſare cum ſuis in Germania beneficiariis. Significandum inſuper Carolo curauit Pontifex, quoſdam & fideles & prudentes è ſuo Conſilio ſibi propoſuiſſe, ſi Farneſios inter admonitiones, anathemata ac ſumptus, quaſi per lentam torſionem macerandos relinqueret, ob quæ priùs graues, poſteà intolerabiles ſubditis euaſiſſent, nec minùs oppreſſos ponderoſo iugo Gallorum, qui patronorum nomine ingreſſi, dominorum inde poteſtatem exercere voluiſſent, adductum iri ad petendam quaſi beneficij loco Pontificis & Cæſaris gratiam, per eas conditiones, quibus tunc impetu iuuenili, & immenſis aliorum pollicitationibus elati, aures obſtruebant. Non faciliorem modò rationem, ſed certiorem terminandi cum æmulo certaminis eſſe, abſque ſuo incommodo æmulum

[1] Litteræ Dandini ad Bertanum, 10. Maij 1551.

lum defatigare; nec vllam bellandi artem ad victoriam magis conducere, quam ſi feſtinatio vincendi coërceatur. Verùm ea conſilia vt animum Iulij, tum ingenio tum ſui principatus commodo ad quietem pronum, allexerant, ita bellicoſos Caroli ſpiritus, aſſuetoſque plerumque è bello decus & emolumentum victoriæ ſibi decerpere, nihil planè commouerant. 1551.

3 Quamobrem in noua Dandini miſſione ad Cæſarem hæc illi ſummatim præſcripta ſunt: Oſtenderet Carolo, in iis quæ Pontifex egerat, candidiſſimam animi ſinceritatem; quâ virtute quàm plenè gloriabatur, tam erat ſtudioſè de ea ſollicitus: Redigeret in memoriam, explicaretque quidquid ad eum vſque diem de re Parmenſi actum eſſet: Exponeret, fuiſſe Pontificem ſupra quàm credi poſſet exacerbatum ob Henrici atque Octauij deſpectum; & vbi hic ad obſequium pacificum, quod plane deſperabat, redigi non poſſet, certum ſibi ac ſtatutum eſſe eamdem vnà cum Cæſare aleam ſubire; ipſe, quippe viribus validior, ac belli peritior, iudicium ferret, ſatiúſne foret ſtatim ad vim apertam erumpere, an diſſimulatione vti, & adhibere dumtaxat obiurgationes, ſententias, & anathemata, tamquam neceſſaria id temporis, ne per ſilentium permiſſio argueretur. Tum quæ ad alteram partem ſpectabant, exponeret; Eſſe bellum inſtar labyrinthi, quem cuique ſemper ingredi licet, ſed ingreſſo non ſemper egredi: ab eo ſumptus abſorberi exiſtimatione priùs conceptâ maiores; & fortaſſe tunc Cæſari tantum pecuniæ non ſuppetere: timeri poſſe noua Turcarum molimina, quibuſcum Galli, aut animo conficiendi aut ſpecie deterrendi, fœdus agitabant: nec minùs pertimeſcendam grauem aliquam cladem Concilio, cui pax neceſſaria videbatur. Si huic bello Cæſar adiiceret animum, haud poſſe ad aliquid fructuoſius in Germania vires conuertere, vbi res nondum plenè compoſitæ; quod fortaſſe illud erat, quod Gallus intendebat.

4 Demandatum eſt etiam Nuntio, vt Cæſarem conſuleret de die reponendi Concilij; an opportunius eſſet rem ad Septembrem protrahere, tum quia interim noua meſſis ſubleuaſſet annonæ caritatem, quæ tunc premebat Italiam, & Præſules ab itineris ſumptibus deterrebat; tum quò lux certior affulgeret de indictâ peculiari Synodo Gallicæ nationis, contra quam eſſet decertandum Tridenti. Hæc Dandino mandata.

5 Sed redditis reſponſis à Cæſare, de Gallis ſollicito, & in Octauium irâ ſuccenſo, [k] ſe ad bellum propendere, oblatis amplè conditionibus, Pontifex perhonorificæ ſignificationis officium erga Regem

[k] In mandatis datis Ioanni à Monte Politiano, miſſo ad Cæſarem 22. Iunij, apud Bucgheſios.

1551. gem Galliæ præmittendum duxit. Ad illum itaque miſit Aſcanium Corneum ſororis filium, [l] militari iam tum virtute præſtantem, & qui poſteà inter illuſtriores Italiæ Duces bellicos ſupremus caſtrorum magiſter fuit in vniuerſa Chriſtianorum claſſe, quæ de Othomanno inſignem illam victoriam ad Naupactum reportauit. Documenta Iulius Aſcanio tradidit Regi communicanda, & priuata quædam monita illis adiecit. Documenta bifariàm diuiſa Parmam & Concilium complectebantur: prior pars inculcabat, vt Regem edoceret; Poſitâ beneuolentiâ Pontificis, deuinctoque regiis officiis animo, quem vel in ipſo Senatu profeſſus fuerat, & amore ſingulari, quem erga Farneſios exercuerat, fieri non poſſe, vt è Cæſaris hominumque mentibus ea perſuaſio euelleretur, quâ putarent, Gallos fuiſſe Parmam ingreſſos, eiſque portas à Farneſiis patefactas, manum porrigente Pontifice; quæ perſuaſio & dedecus ſibi & turbas afferret: hæc tum regiis adminiſtris Romæ, tum Regi coràm per Nuntium fuiſſe propoſita. Sed prætereà, cùm ſummoperè cuperet Pontifex cum illo amicitiam retinere, ea de cauſa nunc ſororis ſuæ filium ad ipſum legare. Quod à Regiis miniſtris adducebatur, nimirum, à Gallis inferri pedem in Parmam ne inferrent Cæſariani, omnino tolli, oblato pro Parma Camerino. Rogaret proinde Regem Aſcanius, vel vt Octauium ad obſequium erga ſupremum ipſius Principem induceret, vel ſuæ illum libertati relictum aduerſus ſupremum ipſius Principem minimè tueretur. Conſideraret Henricus, Octauij pertinaciam pernicioſo futuram exemplo tot reliquis Eccleſiæ Beneficiariis. Regem ipſe blandè commoneret, noluiſſe Cæſarem, tametſi malè ſecum actum à Paulo putaret, armatum patrocinium præbere Aſcanio Columnæ, quamuis hic, ex familia de Cæſare tam benemerita, à Pontifice fuiſſet oppidis ſpoliatus. Conducibilius Regi fore, ſi Pontificis beneuolentiam illibatam, adeoque Parmam ſeruaret, quàm ſi Octauium ac Parmam adeptus Pontificem amitteret, cui neceſſe foret, & ſuas & alienas vires impendere ad Eccleſiæ vrbem recuperandam. Vbi Rex ad hæc neutiquam flecteretur, eum certè rogaret, vt æqui bonique faceret, ſi Pontifex, inuocatâ Cæſaris ope, ſuum in Parmam ius defenderet, ac pro certo Rex haberet, Pontificem nonniſi de Parma cum Gallis certaturum, & fœdus cum Cæſare coniuncturum.

[l] Vide Adrianum lib. 8.

Alterâ documentorum parte iubebatur Aſcanius Regem cohortari ad fauendum Tridenti Concilio, ſuis Oratoribus eò miſſis; ſimulque ad declarandum, ſuæ mentis non fuiſſe, vt per edictum ſuis Epiſcopis illuc acceſſum prohiberet; admoneretque, à Chri- 6

ſtiano

ſtiano Principe nec quidquam deterius contra Deum, nec Eccleſiæ pernicioſius committi poſſe, quàm Oecumenicę Synodi progreſſum turbari, hoc eſt, efficaciſſimi adiumenti inter ea omnia quæ ad incolumitatem Eccleſiæ Deus inſtituit. Hæc in documentis. 1551.

7 Monita priuatim Aſcanio data, duo fuere. Alterum, vt ſe citò expediret, neque pateretur detineri ſe verbis ambiguis, donec Parmenſes meſſem matureſcentem collegiſſent. Alterum, ne Gallis aſſentiretur, ſi quid agitarent de obligando quaſi per acceptum pignus Pontifice; quod vt violentum, perinde nec ex animo factum, nec diuturnum foret: ſatis illis eſſe debere amorem candoremque præteritum,[m] quem in Pontifice experti fuerant.

8 Ac prudenter quidem præmonuit Pontifex, cunctationem à Gallo quæſitum iri, quò [n] Parmenſibus commoditas metendi colligendique fruges pararetur. Etenim poſtquam opera data eſt, vt per egregia humanitatis argumenta, ſed ſpe generatim adiectâ, Aſcanius ſopiretur, Rex animaduertens, eum ad diſcedendum paratum, ita per libellum reſpondit, mandatis Pontificis ipſi oſtenſis; A ſe ad Pontificem certum hominem allegatum iri. Hic Monlucius fuit, qui poſteà famâ inclaruit, tum ob Senarum defenſionem, eo ipſi honeſtiorem quò magis improſperam, tum ob relicta poſteritati monumenta rerum in militia ab eo geſtarum. Is Romam venit, ſed nihil ea de re cum Pontifice eſt collocutus; quin ab eo interrogatus, excuſationem prætendit, quam infrà narrabimus. Scilicet ſemper Principes lente procedunt in adimenda alij Principi ſpe; valido quippe nexu, quo ſibi vinctum detinent eum qui conditione liber eſt, & quo nexu qui vincitur, rarò ſolers eſt ſuis ſe manibus exoluere.

m In mandatis Montis Politiani.

n Vide Adrianum lib. 8.

CAPVT XIV.

Accedunt Præſides ad Concilium, & quo ordine ac ritu. Celebratur Seſſio, prorogatis ad Kalendas Septembres Decretis.

1 HÆc diſcordiæ cum Gallis indicia non retardarunt Iulium, ſed potiùs impulerunt ad Synodum aperiendam. Itaque deſtinauit iterùm Concilij ſecretis Maſſarellum, [a] virum & peritum & probatę fidei; eumque iuſſit mutatis equis eò feſtinare, [b] & Bononiâ tranſeuntem agere cum Creſcentio Legato ibi commorante, eique ſignificare; Si per reſponſa Cæſaris ad Dandinum haberetur, velle Carolum abſque dilatione Synodum inchoari, Legatus Tridentum pergeret; ſin mallet Cæſar ob Germanorum commodum cunctari, Bononiæ perſiſteret: ſed Synodi per duos Antiſtites

a 15. Aprilis, ex Diario.

b Vide Diarium, die 18.

1551.

Præſides initium fieret die præſcripto. [c] Hanc Iulius aperitionem
volebat, tum quia ſuperiore experimento compertum erat, eam eſſe
velut poſtremum æris campani ſonum, quo edito ij qui aduocantur,
iter aggrediuntur; tum quia Synodo Oecumenicâ iam apertâ, fas non
erat, a Gallis propriam ſuæ nationis conuocare. Idcircò in Senatu
[d] 24. Aprilis publicas ſupplicationes indixit, ad Dei opem pro Synodi
felicitate poſcendam: iuſſitque omnes Epiſcopos, qui tunc Romæ
aderant numero octoginta quatuor, [e] Tridentum conuenire.

[c] In Actis Conſiſtorialibus.

[d] Diarium.

[e] Diarium. Et hæc & Acta Tridenti vſque ad ſuſpenſionem, & Præſidum diſceſſū, extant in volumine Actorum legitimorum in Arce S. Angeli Romæ, cui titulus, *Acta Concilij ſub Iulio III.* vbi ſunt dicta Theologorum in conuentibus. Et hoc volumen eſt geminatum: alterum ſignatum littera E, alterum F. & in ſecundo plura quàm in primo continentur.

Creſcentius cùm ad Maſſarelli aduentum nondum de Cæſaris 2
mente à Dandino fuiſſet certior factus, id temporis nihil mouit.
Sed Pontifex mutato conſilio honeſtius duxit, ſi Concilium per Legati
præſentiam aperiretur. Interim Dandinus in reditu iter habens
Tridento 4. Aprilis, palàm ibi fecit, cupere Carolum, vt res lentè
progrederetur, ob cauſas quas memorauimus. Legatus itaque Tridentum
peruenit die 29. cui obuiàm ad ſecundum lapidem proceſſere
Madruccius Cardinalis, Archiepiſcopi & Epiſcopi qui aduenerant,
non plures quàm tredecim, ferè omnes Cæſari addicti. Laurentius
Platanus Belga Legatum ac Præſides excepit Latinâ oratione
Madruccij nomine, cui ab epiſtolis erat, quâ Madruccius, laudato
Pontificis conſilio, ſe ſuamque vrbem offerebat, vt illius ſacroſancti
Conuentus commodis deſeruiret. His Latinâ pariter oratione,
grati animi ſenſa depromente, reſpondit Antonius Floribellus
Mutinenſis, qui Legato à ſecretis erat. Prouecti ad proximum
vrbi templum, viatorum amictu depoſito, Pontificalem induerunt.
Hic Franciſcus Vargas, Cæſarei fiſci Procurator, litteras protulit
commiſſæ ſibi à Cæſare procurationis ac poteſtatis; tum per verba
ad reuerentiam beneuolentiamque compoſita omnem Cæſaris operam
ad Concilij commoda obtulit, fuſiuſque Pontificis, Leg[illegible], ac
Præſidum laudes, ſimulque Cæſaris ex ea conuocatione lætitiam
eſt proſecutus. Ad quæ Legatus grauiter ac reuerenter reſpondit.
Conſcenſis iterùm equis ingreſſi ſunt vrbem bini, Legatus & Madruccius,
tum duo Præſides, ac deinceps reliqui Antiſtites. In ipſo 1
vrbis ingreſſu ab Ordine Eccleſiaſtico ac populo exceptus eſt feſtiuè
Legatus, & ſub vmbella ad ædem principem, atque inde, cærimoniis
pro more peractis, promulgatâque noxarum indulgentiâ, ad domicilium
deductus eſt. Eodem die Tridentum peruenit Franciſcus
Toletanus, ad Concilium Orator à Cæſare deſignatus.

Dubitatum eſt, Madruccio an Præſidibus potior ſedes deberetur: 3
de quo Maſſarellus petente Cardinali ad Pontificem ſcripſit.
Interim verò Madruccius offenſionis vitandæ gratiâ antehabitus;

tametſi

tametſi Legatus optaſſet, [f] vt priùs quid imperaret Pontifex expectaretur: [g] quod prudentius fuiſſet conſilium; cùm poſteà ex Pontificis mandato mutatione opus fuerit. Siquidem præſcriptum eſt, vt in functionibus quæ ad Synodum non ſpectarent, Madruccius præcederet; in iis autem quæ Synodi eſſent, ſiue Seſſiones, ſiue conuentus, [h] tres Præſides vnà conſiderent, æquè ac quando tres Legati aderant; Madruccius verò Sedem propriam haberet decorè ornatam, & ab Epiſcopis ſepoſitam. Prætereà Legatus iuſſus eſt extra vrbis portam ire obuiàm Hiſpaniæ Principi illac breuî tranſituro, cùm Dynaſtarum iureiurando Rex iam fuiſſet renunciatus; eumdemque ad dexterum latus collocatum ad ædes comitari, ibi tamen ab equo non deſilire.

1551.
[f] Diarium, 30. Aprilis, & 1. Maij.
[g] Epiſtola Legati ad Dandinum, infrà proferenda.
[h] Diarium, 20. Maij.

4 Habitus fuit primus Patrum congreſſus pridie Kalendas Maias, atque in eo propoſitum, vt die poſtero Synodus aperiretur; ſed ſimul eius proceſſus ad Kalendas Septembres prorogaretur. Etiam in hac prima, eaque non grauiſſima deliberatione, permiſit Deus, vt maior illius noui conuentus libertas quàm concordia cerneretur. Cunctis inchoatio Synodi & prorogatio generatim probata, vt Germanos præſtolarentur. Sed ea dilatio pleriſque iuſto longior viſa eſt, cùm eorum complures ſex ibi annos exegiſſent, & ex iis annis quatuor in otio poſt tranſlationem, inuitati ſæpiùs à Paulo vt adirent Bononiam, opuſque cum collegis, qui diſceſſerant, proſequerentur; ibi tamen Cæſaris voluntate retenti, adeoque vehementer cuperent rei finem imponere, & ad ſuas Eccleſias regreſſu ſtabili remeare. Plerique igitur in Ioannis Fonſecæ Stabienſis Epiſcopi ſententiam iuere, vt nimirum ad incertum diem fieret prorogatio, quò poſſet quàm citiſſimè tolli: ſed Pighinus, duorum Præſidum primus, opportunè monſtrauit, huiuſmodi moram haud interiici vt Synodus otiaretur, ſed vtilem, imò neceſſariam eſſe, vt eo temporis interuallo Proteſtantes accederent, ad quorum recuperationem ea noua conuocatio potiſſimùm tendebat. Scire ſe, hanc eſſe voluntatem Cæſaris, cui nuper ipſe Nuntius adfuerat; neque minùs eo ſpatio opus eſſe vt reliqui conuenirent, qui cùm annonæ caritate tum belli ſuſpicionibus detinebantur. Denuò igitur dictæ ſententiæ: & Saluator Alexius Turritanus Archiepiſcopus, qui primâ vice ſententiam ſuam haud protulerat, quòd priùs alios audire voluiſſet, tametſi Præſide oppoſitum ſuadente, Fonſecæ ſententiam probauit; cauſatus, ſi ratio haberetur de contumacium & hæreticorum commodis, longè maiorem habendam de commodis obſequentium & Catholicorum; neque committendum, vt ij inter

1551. ter infinitæ procraſtinationis incommoda macerarentur. Sed è contrario Fonſeca, aliique cum eo ſententiam mutauere: & hæc in conſeſſu vicit. Quare poſtridie celebrata eſt vndecima Concilij Seſſio.[i] Solemne ſacrificium fecit Legatus, qui Sacerdotio initiatus, tunc primùm Sacris operatus eſt: Latinam concionem habuit Sigiſmundus Fedrius Franciſcanus cognominatus à Directa. Maſſarellus duo Pontificis Diplomata recitauit; alterum de reſumendo Tridenti Concilio, alterum de Præſidum electione: tum Archiepiſcopus Turritanus è ſuggeſtu inchoationis Decreta propoſuit, quæ concorditer accepta. Per eos dies ac deinceps acceſſerunt ad Synodum[k] Epiſcopi primarij ſatis frequentes. Hîc verò conuentus non habebantur ad expendenda rerum argumenta, tum quia plurimum laboris operi impenſum fuerat Tridenti priùs, poſteà Bononiæ, tum quò palàm fieret, Germanos non ad ſolemnia tantùm, ſed ad rem ipſam etiam expectari; cùm pleriſque videatur, in ſummis conuentibus maius opus confici in conſiliis quàm in Decretis faciendis.

i Litteræ Legati ad Dandinum, 1. Maij 1551. inter Ceruinorum monumenta.

k Ex Diario.

CAPVT XV.

Hiſpaniæ Principis, & Bohemiæ Regis tranſitus Tridento. Plures Regum Oratores, & tres Septemuiri Eccleſiaſtici aduenıunt. Et duodecima Seſſio.

NE rerum ſeries interrumpatur, libet vnà proſequi, quæ ibi 1
euenere vſque ad duodecimam Seſſionem, quæ nouum Synodi exordium cenſeri poteſt.

Pridie Nonas Iunij eò peruenit Philippus Hiſpaniarum Princeps, è Germania redux, quem Romanorum Regem renuntiandum, Ferdinando ſucceſſurum, propoſuerat Carolus; Ferdinando autem, ſi aſſentiretur, Imperij conſortium offerebat, quemadmodum duo ſimul Cæſares olim imperauerant. Sed Ferdinandus cauſatus eſt, non poſſe quidquam à ſe ſtatui, abſente Maximiliano filio, iam Bohemiæ Rege conſtituto, & Caroli genero, cuius loco tunc Hiſpanias moderabatur. Idcircò Maximilianus, relictâ ibi coniuge, properè Germaniam repetiit, obfirmato ad obſiſtendum animo; ſatis gnarus, Germanos magis ad ſe propenſos fore, quippe nationis eiuſdem Principem, minùs formidabilem, atque apud ipſos commoraturum. Eo igitur refrigeſcente conſilio, Philippus in Hiſpaniam reuerſurus iter habuit Tridento[a]. Nec ab re facturum me putauerim, ſi breuiter expoſuero, qui ritus in honoribus illi habendis ſeruati ſint, cùm id & illuſtrium ſcriptorum recentium exemplum mihi perſua-

a In Diariis à 6 ad 9. Iunij.

perſuadeat, & communis noſtri temporis mortalium vſus, qui tanti faciunt ſpecioſa huiuſmodi officia, vt interdum eorum causâ ſumma negotiorum molimina perturbentur, præcidanturque commercia inter eos, quos arctiſſimis vinculis natura connexuit. Quare ſi perinde noticiarum ac monetarum pretium ab hominum æſtimatione dependet, ea certè negligenda non ſunt tamquam tenuia vt legantur, quæ maxima habentur vt fiant. 1551.

2 Legatus ac Patres Concilij ad ſagittæ iactum ex vrbis porta obuiàm Philippo proceſſere; Præſides eum ex equis amplexati ſunt, reliqui Præſules deſilientes eius dexteram oſculati: hinc breuia vrbanitatis verba inuicem dicta. Tum Philippus multum inſtitit in iis officioſè petendis, quorum repulſam volebat, hoc eſt, vt potiorem locum Legatus teneret. Equitauit medius inter duos Purpuratos, antecedentibus Proceribus, & Epiſcopis ſubſequentibus. Ad arcem vſque deductus eſt, vbi à Madruccio exceptus hoſpitio, Patres dimiſit equis inſidentes.

3 Poſtridie Legatum inuiſit, qui obuiàm illi occurrit extra ſuarum ædium limen. Paulùm ibi commoratus, inde vnà cum eodem Legato ac Madruccio ad inſulam in Atheſi perrexit, tercentos ferè paſſus ab vrbe remotam; vbi Madruccius ligneâ domo conſtructâ, eademque aulæis aureis, picturis ac ſtatuis inſigniter exornatâ, conuiuium opiparum exquiſitis harmoniæ modis conditum parauerat: Philippus, duo Purpurati, & Sabaudi Principis filius, qui Hiſpanum comitabatur, pari gradu menſæ adſedere; reliqui Proceres, nobileſque complures in inferiori ſubſellio. Poſt epulum, Germanorum more choreæ ductæ, inter quas Philippus ipſe ſaltauit: dein ludicta certamina commiſſa, quibus plura (in Ludouici Arioſti recentiore tunc poëmate deſcripta) heroum facinora exhibebantur. Die poſtero Legatus inuiſit Philippum, qui perhonorificè illum excepit, teſtatus, Cæſarem parentem ſuum ne vitæ quidem parſurum, vt Pontifici deſeruiret. Die 9. tandem diſceſſit, cunctis illum præter Præſides comitantibus.

4 Paucos poſt dies eò Maximilianus [b] Bohemiæ Rex acceſſit, qui repetebat Hiſpaniam, vxorem inde deducturus. Hic feſtinantis, adeoque priuati more iter habebat; quamobrem illi obuiàm haud proceſſum: Legatus ipſum inuiſit, & ipſe pariter Legatum. Elapſo triduo, inde profectus eſt vnà cum Tridentino, qui Mantuam vſque comes illi adfuit, cùm & familiâ & Epiſcopatu in ditione Ferdinandi illius parentis eſſet. [b] 12. Iunij.

5 Dum hi Principes Tridento tranſibant, Moguntini Septemuiri Nun-

1551. Nuntius[c] eò peruenit, qui illius abſentiam excuſaret, vtpote neceſſariam ob neceſſariam eiuſdem in ſua Diœceſi præſentiam poſt diuturnam in Comitiis moram; addiditque, Procuratorem ab eo delegatum iri, itidem ac à reliquis Septemuiris Eccleſiaſticis delegarentur. Verum a Legato reiecta excuſatio eſt, reſpondente, eos obſtringi per ſe adeſſe, quando Synodus in eo loco ceteris incommodo coacta fuerat in gratiam commodumque Germanicæ nationis. Nec ea repulſa incaſſum recidit, cùm poſteà & idem[d] Septemuir, & Treuirenſis interuenerint: Colonienſis vt ſe proxime acceſſurum oſtenderet, domicilium illic ſibi ornandum curauit. Confluxere quoque plures Antiſtites è Cæſaris ditionibus, eiuſque noui Oratores,[e] qui fuerunt Hugo Comes à Monteforti, Imperij nomine, & paulò poſt duodecimam Seſſionem Guillelmus à Pictauia, Belgicarum Prouinciarum Legatus[f], pluresque etiam Oratores à Ferdinando miſſi aduenere[g].

c 10 Ianuar. anni 1551.

d Diarium, 18. & 20. Auguſti anno 1551.

e 13. Iulij.

f 1. Septembris

g Diarium, Auguſt. & Septembr.

Pridie Kalendas Septembris cœtus generalis habitus eſt; vbi cùm 6
adeſſent duo Septemuiri Archiepiſcopi, rogati ſunt vt in Aulam proximam concederent, donec de ipſorum loco deliberaretur: quibus digreſſis, propoſuit Legatus, vt ſupra reliquos Præſules collocarentur; cui aſſenſere Archiepiſcopi Septemuiris antiquiores, dummodò præmitteretur denuntiatio, nihil inde iuris ſibi ac ſucceſſoribus detrahi. Quapropter duo Archiepiſcopi miſſi ſunt, Septemuiros ad conuentum deducturi: hi verò de habito decreto edocti, gratiis actis rediere; & pro eo quod ſtatutum fuerat, ſupra ceteros Præſules qui non præſidebant collocati ſunt, aliquantulum ab illis ſeiuncti, & in ſubſelliis honeſtioribus quàm communia, è regione Cæſarianorum Oratorum. Ibi ſtatutum eſt, vt poſtridie indicta Seſſio celebraretur; in qua altera pariter Seſſio die vndecimâ Octobris ad Decreta pronuntianda indiceretur. Poſtero igitur die ſolemniter celebrauit Balthaſar Eredia Archiepiſcopus Turritanus: concione tunc omiſsâ, Maſſarellus Præſidum nomine breuem parænesim de viuendi ratione recitauit. Producta comprobataque ſunt Oratorum Caroli ac Ferdinandi legationis mandata; ſancitumque eſt, vt in proxima Seſſione ageretur de articulis Euchariſtiæ, ac de obſtaculis, quæ ſupererant, ne Epiſcopi ſuas apud Sedes reſiderent.

Adfuit deinde Iacobus Amiotus, à Rege Galliæ miſſus cum epi- 7
ſtola, cuius inſcriptio erat: *Sanctiſsimis in Chriſto, & obſeruandis ſummoperè in Chriſto Tridentini conuentus Patribus*. De ea excipienda plurimùm eſt diſceptatum: ſed eius tenor & opportunitas, quò res melius

liùs lectoribus innoteſcat, me commonent, vt ab initio repetam 1551.
quæ inter Pontificem & Henricum contigêre; cùm in narratione, iuxtà ac in nauigatione, opportunius iter non ſemper ſit quod rectius eſt, & expediat quandoque à portu quò tendimus recedere, quò via certior ad ipſum teneatur.

CAPVT XVI.

Duplex Galli conteſtatio in Senatu, varia negotiorum belli-que euenta ob Parmæ controuerſias.

1 ANtequam Aſcanius Corneus ad Galliæ Regis Aulam perueniret, ſtatutum iam tandem fuerat à Rege coniugium inter Dianam filiam, & Horatium Farneſium, [a] ad eam vſque diem ſuſpenſum. Remiſſus etiam fuerat à Rege Horatius Parmam ad confirmandas ibi cum fratribus pactiones. Aſcanio, ſicuti diximus, ſpes generatim facta eſt, adiectumque, mentem Regis per Monlucium Pontifici pleniùs patefactum iri. Interim Gonzaga conſpicatus, negotium ſtudioſe protrahi, vt per eam moræ opportunitatem Parmenſes commeatum ſibi colligerent, Brixellium occupauit, [b] Ferrarienſis Principis oppidum, cuius vtile dominium tunc erat penes Cardinalem Principis fratrem, & Gallicarum partium in primis ſtudioſum, quâ commodus dabatur aditus ad neceſſaria quæque Parmam conuehenda. Hinc Monlucius excuſationem apud Iulium prætendit, quaſi Rex eâ rei nouitate irritatus priorem concordiæ voluntatem abieciſſet. Nec vllum etiam tum erga Octauium adhibere diligentiam omiſit Pontifex: cumque is promiſſum quo ſe Regi priùs obſtrinxerat obtenderet, Iulius eum vetuit, addito per Diploma quod memorauimus præcepto, dein commonitorio libello: oſtenditque, poſſe his vti tamquam honeſtiſſimâ reſiliendi causâ. Simul etiam & perſuadere ſtuduit, quando Gonzaga vltra verborum minas nondum progrediebatur, opportunum non eſſe, vt ſe in terrorem ſumptuſque conijceret. Spopondit inſuper, ſi quid aduerſus eum pararetur, ſe illi Parmæque, non ſolùm ope, ſed præſentiâ, ſi opus eſſet, adfuturum.

[a] Cuncta extant in mandatis Pontificio Quæſtori datis, ad Cæſarem miſſo, & Camaiano ad Florentiæ Ducem, & Monlucio in reditu in Galliam, & Achilli Graſſio, Nuntio Veneto, 27. Auguſti 1551. apud Burgheſios; præter litteras Dandini ſtatim citandas.

[b] 1. Maij, ex Adriano lib. 8. & fuſiùs in litteris Dandini.

2 Nihil tamen per eas adhortationes effectum eſt. Etenim quemadmodum ſatis animaduertit Iulius, ac Cæſari ſignificauit, nec Octauius, Gonzagæ minis vehementer agitatus, ſe vmquam tutum putaſſet, niſi valido protectus thorace; neque Rex poſt auxilia Octauio promiſſa deſtitiſſet vmquam ab incepto, ne ſuæ fidei perpetuò exiſtimationem adimeret apud Italicos Principes; cùm in

 homi-

1551. hominum negotiis nimis noxia iactura ſit, ſi adulterina veluti moneta habeantur noſtræ pollicitationes, quæ ſunt vnicum huiuſmodi mercaturæ inſtrumentum. Eapropter reuerſus in Galliam Horatius, pactiones ſuo ac trium fratrum nomine 27. Maij firmauit, [c] pollicitus, Octauium Regi militaturum in qualibet expeditione, præterquam aduerſus Sedem Apoſtolicam, conſenſurumque, vt Gallicus miles Parmam, aliáſve ſuæ ditionis arces ingrederetur. Rex viciſſim pollicebatur ſuam opem, quâ Parmam tueretur aduerſus cuiuſcumque impetum, conductis regio ſtipendio mille & quingentis peditibus, ac ducentis equitibus: & ſi ea vrbs oppugnaretur, maiora præſidia ſub Gallicis præfectis, ſed conſtituto ſupremo ductore Paulo Vitellio, qui Octauij locum teneret, & à Rege ſtipendium acciperet. Prætereà ſi Farneſiis Cardinalibus adimerentur à Cæſare prouentus, quos in illius ditionibus hi poſſidebant, illos à Rege compenſatum iri. Aliæ ſimul conditiones adiectæ, quibus ad ſtabilem erga Regem clientelam obſtricti Farneſij, vetabantur per aliquot annos iniuſſu Regis cum Cæſare conuenire.

[c] Pactiones extant apud Burgheſios.

Intelligebat Pontifex, vnicam ſedandæ procellæ rationem futuram fuiſſe, ſi Farneſiis ſimul ſatisfieret, ſimul Regi adimeretur ſuſpicio, velle Cæſarem in Italia ſuum imperium augere. Quare ſtatim ac rem cognouit, ad Octauium miſit Alexandrum Cardinalem eius fratrem, ac deinde Ioannem Angelum Cardinalem Mediceum Farneſiis conſanguineum, qui cum Verallo ac Maffeio à Paulo paucis ante obitum menſibus Purpurâ inſignitus fuerat, quique inter primos tumultus ab eodem Paulo ad Parmæ cuſtodiam Bononiâ miſſus, vbi Prolegatum, ſicuti narratum eſt, agebat; ac tandem Cardinalem Sanctæ Floræ, Octauij ſobrinum, qui omnes ſuo nomine plurima pollicerentur. 3

Verùm ſuæ mentis intimè conſcium, eiuſque interpretandæ in primis arbitrum miſit Bononiam Dandinum, [d] Pontificiis epiſtolis Præfectum, qui eâdem operâ & quæ bello opus eſſent pararet, & de pacis conditionibus ageret. Nec Octauius illi ſe ampliùs omnino difficilem oſtendebat; ſeu id ex animo faceret, ſuas anguſtias ac periculum conſpicatus, ne vnà cum fratribus liberiſque exutus bonis desereretur; ſeu id ſimularet, vt hoſtes deluderet, donec Parmenſes frumenta collegiſſent, pro eo ac ipſe poſteà ſuadere [e] Gallo conatus eſt, [f] conqueſto quòd ea iniuſſu ſuo agitaſſet. Quamobrem vt res conficeretur, cohortante etiam Ferrariæ Duce, qui flagranti ſemper & numquam defeſſo ſtudio pacem promouit, Dandinus ipſe Parmam acceſſit, exceptus ab Octauio per ſummam erga Pontificem, 4

[d] Litteræ Dandini ad Io. Baptiſtam Montanum à S. Laurentio, 30. Maij 1551.

[e] Retulit Ferrariæ Dux Dandino, quod legitur in huius epiſtola ad Pontificem, 19. Auguſti 1551.

[f] Litteræ Dandini ad Pontificem, 10 & 12. Iunij 1551.

cem, cuius ille perſonam agebat, reuerentiam. Octauius Camerino 1551.
minimè contentus, poſcebat prætereà Ciuitatem Nouam, non ignobile Piceni oppidum, & aliquos pecuniarios reditus cum aliis emolumentis. In hæc omnia largior Dandinus fuit, tum quòd ea ſibi pretium anguſtum videbantur præ acquirenda Parma, & communi quiete; tum quòd gnarus erat, ſe in iis ſui Principis voluntati conformari. Conuentum itaque fuit, vt à Pontifice mitterentur ad Octauium Diplomata à Senatu comprobata, quò rebus cautius foret, per quæ iure beneficiario is Camerinum poſſideret; ac prætereà, vt ipſi, & poſteà filio, Ciuitatis Nouæ regimen concederetur, adiectâ etiam ex Pontificiis prouentibus octo millium ſcutorum in annos ſingulos penſione: Cæſar verò eidem eiuſque fratribus permitteret, vt liberè retinerent quidquid in ipſius ditionibus poſſidebant; ſimulque ipſi liceret diuendere quæ habebat in regno Neapolitano; aliquid inſuper pecuniæ ad militem dimittendum ſuppeditaretur.

5 Petebat Octauius, tamquam præcipuam conditionem, vt dum ipſe Diplomata cautioneſque præſtolabatur, Pontificiæ copiæ in Caſtro Franco continerentur, Cæſareæ verò vltra Tarum; affirmans, vbi iam ſibi impetus ac damnum fuiſſent illata, atque ab hoſtibus collata ſigna in Gallos auxiliares ſuos, haud ampliùs concordiam ſibi honeſtam futuram.

6 Ex altera parte Dandinus, ſuſpicatus id arte agi quò temporis ſpatium ad meſſem colligendam daretur, poſtulabat viciſſim, vt ſibi ab Octauio interim cautum eſſet, vel vrbe depoſitâ in poteſtate viri ſinceræ erga vtramque partem fidei, vel arce traditâ Cardinali Sanctæ Floræ, vel datis idoneis obſidibus. Sed recuſabat Octauius, & ſcripto dumtaxat ſe obligari conſentiebat; ita tamen, vt hoc ipſum lateret, donec res conficeretur. Dandinus haud acquieſcendum putabat illi conditioni, quâ fœderati rem ipſam inceptarent, Octauius verò ſcriptum exhiberet, quod apud homines Magiſtratus viribus haud ſubiectos tantum valet, quantum vult qui ſcriptum exhibuit. Quare ad deliberandum de re Cardinales Camerarium & Mediceum, ſimulque Alexandrum Vitellium, & Archiepiſcopum Saulium Prolegatum in conſilium vocauit. Omnes conuenere, fidendum ſcripto quod Octauius obſignaſſet, datâ Principis fide: atque ita ſi promiſſa violarentur, obtulit Camerarius quinquaginta ſcutorum millia de ſuo ſoluenda, totidem alia Vitellius; centum millia Saulius, Mediceus verò quidquid rei familiaris habebat, & prætereà iacturam gratiæ Pontificiæ, quam inæſtimabilem putabat. Ea de re certior factus Io. Baptiſta Montanus, qui erat in ca-

1551. ſtris, illorum ſententiam comprobauit; adiecitque, vbi Octauius induxiſſet in animum vrbem arcémve deponere, ſeipſum obſidem in illius poteſtatem iturum. His peractis, per certum hominem à Camerario ad Octauium delata reſponſio, cùm vellent ij quatuor viri, quos nominauimus, apud Ioannem Baptiſtam Montanum ſe obſides conſtituere.

Verumtamen ſubiratum animum præ ſe tulit Octauius ob quamdam pecoris prædam, ab iis abactam qui erant Fidentiæ, quæ Burgum S. Donnini vulgò dicitur; & quia Gonzaga ad Tarum acceſſerat, iamiam traiecturus: negauitque, à ſe ſyngrapham conſcriptum iri, niſi priùs illatum damnum compenſaretur, & Gonzaga ſubſiſteret. De reparanda iactura pecoris, quæ ne centum quidem aureis æſtimabatur, facilè conuenere Pontificij. Quapropter Camerarius, cuius fidem ac ſingulare in Sedem Apoſtolicam ſtudium in tota huiuſce negotij ſerie ſummis per ſuas litteras laudibus Dandinus apud Pontificem extulit, celeriter Octauium adiit, oblato damni pretio, vnaque pollicitus, effecturum ſe, ne Cæſariani progrederentur. Quamquam autem Farneſius multa opponebat; tamen Camerarius eò cum Octauio rem perduxit, vt hominem ad Gonzagam miſerit, qui negotij ſtatum nuntiaret, rogaretque ipſum vt ſiſteret: ſed miſſus nuntius tranſgreſſas iam flumen copias offendit, & paruulum oppidum Nocetum nomine occupatum. Quamobrem Octauius tantum indignationis ſeu concepit ſeu ſimulauit, vt illicò rei tractationem abruperit. Neque quidquam valuit, quòd Gonzaga obtulerit Noceti reſtitutionem, capti non Cæſaris ſed Pontificis nomine, & militum trans flumen reditum. [g] Superuenere Diplomata, ſanctioneſque Pontificis, perinde atque Octauius poſtularat, in Senatu vnanimis ſuffragiis comprobata, [h] & per ampliſſimam & legitimam formam: ſed ille diſertè reſpondit homini, qui miſſus à Camerario de iis certiorem eum fecit, ac ſubinde alteri, quem Mediceus Cardinalis miſerat iuſſu Pontificis, ægrè ſibi ſubtrahentis ab ore dulcedinem illam concordiæ, quam certâ quadam ſpe delibauerat: Mirari ſe ea ſibi proponi; numquam inter ſe ac Pontificios firmiter conueniſſe: [i] ad primam aggreſſionem fuiſſe à ſe omnem concordiæ anſam abruptam: hoſtes ſe trans flumen reciperent; ſubditos ſuos illatis omnibus detrimentis releuarent, & poſteà denuò negotium exordirentur. Nondum Pontifex neglexerat alterum argumentum, de quo nuper eſt facta mentio, vt concordiæ pateret aditus, & ad eam Octauius adduceretur bonâ Regis Galliæ pace, à cuius auctoritate illum pendentem, & cuius

[g] Litteræ Dandini ad Pontif. 12 & 15. Iunij, ad Mediceum Cardin. 17. Iunij 1551.
[h] 20. Iunij, vt in Actis Conſiſt. 1551.
[i] Litteræ Dandini ad Ferrariæ Ducem, 22. Iunij 1551.

cuius viribus confiſum animaduertebat. Id autem erat, ſi ab Henrici animo ſuſpiciones abraderentur de intentis à Cæſare incrementis: quare quò per maiorem dignitatem ſuam, Gallorumque ſecuritatem rem gereret, effecit, vt Cæſar ſuis litteris ipſum rogaret (ſaluo quodcumque tandem eſſet Romani Imperij iure) ſe obſtringeret, vbi pactio firmaretur, ad retinendam Parmam Sedis Apoſtolicæ nomine; Pontifex verò Regi ſpondebat, à ſe vrbi cuſtodem, nulli addictum factioni, impoſitum iri, qui iuraret ſe illam Eccleſiæ ſeruaturum, nec vlli vmquam conceſſurum. 1551.

8 Verùm Octauius reuerà pellem ſibi potiùs detrahi, quàm Parmam conſenſiſſet, ratus id & dignitati ſuæ indecorum, & poſteritati perniciosum. Et Galli promiſſæ fidei deeſſe nolebant; quin affectabant ſplendidos illos titulos, quibus oppreſſo ſubuenientes, & datæ fidei ſeruantiſſimi prædicarentur; reipsâ ne ſpinam illam Cæſaris infixam lateri paterentur auelli. Farneſij Cardinales Româ receſſerant, Alexander Vrbinum, ad illius vrbis Principem, ſororis ſuæ virum, vnde poſteà Florentiam ſe contulit, humaniter ibi exceptus ab eo Principe, qui alioqui Pontifici beneuolus, ad eam expeditionem ſuppetias tulerat: [k] & Ranutius, S. Angeli Cardinalis dictus, Venetias contenderat. Quamuis autem Cæſariani cuperent, vt à Iulio compellerentur aut ad Romam repetendam, aut ad Cæſaris ditiones adeundas; haud æquum ille cenſuit eâ vti violentiâ, quà paſtoris ac parentis charitate detentus, quà memor illius dicti, *Oderis tamquam amaturus.*

[k] Litteræ Dandini Bononiâ ad Coſmum Ducem, & ad Pontificem.

9 Dum hæc agitabantur, magnoperè Iulius conqueſtus fuerat de circumlatis ad Epiſcopos Galliæ regiis litteris, in quibus de Synodo propria Gallicæ nationis agebatur; atque in Senatu [l] ſexto Aprilis expoſtulauerat, Regem inſimulans quaſi Oecumenicæ Synodi perturbatorem, ob huiuſmodi priuatam Synodum indictam, & ob concuſſam in Italia pacem. Quapropter Henricus ad ſe purgandum iniunxit Paulo Termeſio, quem Claudio Durfeo Oratori ſuo Romæ ſuffecerat, vt ſecretum Cardinalium Senatum adiret, rituque legitimo regiam mentem exponeret. Id autem ab eo præſtitum eſt 7. Iulij; [m] ſed priuatâ ac reuerenti loquendi formâ, tametſi ante eam diem aliqua fuiſſent commiſſa in bello certamina. Libelli, quem legit & exhibuit Orator, hæc fuit ſumma: Reſciuiſſe Regem per ingentem animi moleſtiam querelas, quæ apud venerabilem illum Senatum in ſe iactæ fuerant, quaſi vellet peculiarem totius Galliæ Synodum cogere in contemptum Oecumenicæ Tridenti promulgatæ. Mirum ſibi ſupra modum videri, cùm ipſe à primis vſ-

[l] Extat in conteſtatione Pauli à Termes, Gallici Oratoris; & in Diario Maſſarelli.

[m] In volumine mandatorum in Archiuio Vaticano.

1551. quę annis ſtuduiſſet hereditarium Chriſtianiſſimi nomen factis ex-
plere, nunc in eo ſacroſancto conſeſſu fuiſſe deturpatum, perinde
quaſi poteſtatem in Religionis negotio ſibi arrogaſſet. Numquam
anteà in Regis ſuſpicionem veniſſe, Eccleſiæ & vniuerſæ Chriſtianæ
gentis Principem, communem parentem, iudicem incorruptum,
veritatis ac Principum patronum, velle munus tam nobile, aſſum-
ptâ accuſatoris perſonâ, deponere, nullâ priùs admonitione beni-
gnè præmiſsâ: non id promerita eſſe & ea ſubſidia quæ ipſe obtu-
lerat Paulo, difficillimo Sedis Apoſtolicæ tempore, & fauorem, à ſe
ſolo inter Principes præſtitum, in gratiam Pontificiæ auctoritatis,
Synodo Bononiam tranſlatæ, & quæ bello tam diuturno, tam con-
ſtanti, tam proſpero ſuſtinuerat, quò Religionem in Gallia & in
Scotia tueretur: numquam in animum incidiſſe Regi, vt propriam
totius ſui regni Synodum conuocaret.

Rem ita contigiſſe. Cùm Rex graui cum animi dolore cogno- 10
ſceret ſerpentem per ſuas ditiones hæreſim, inter alia admota reme-
dia, fuiſſe à ſe admonitos Epiſcopos, vt per opportunitatem ſacri
Quadragenarij ieiunij ſuas Eccleſias inuiſerent; quæ opus ibi eſſent,
expenderent; paratique forent ad Oecumenicam Synodum adeun-
dam. Sed quoniam animaduertebat Rex, eos in obeundo ſuo mu-
nere deſides eſſe, ſcripſiſſe ad Metropolitanos, diligenter obſerua-
rent Epiſcopos, qui ſuo defuiſſent officio, vt in proprio nationis
Concilio ex iuris præſcripto punirentur. De cetero huiuſmodi
Concilium numquam indictum fuiſſe, nec voluiſſe Regem eo no-
mine ſignificari totius Galliæ Concilium; ſed ſolùm intendiſ-
ſe, vt in ſingulis prouinciis conuentus cogerentur, quos ſacri Cano-
nes Synodos Prouinciales appellant, & quorum frequentiam præ-
cipiunt; cùm tamen hi annos plurimos in Gallia non ſinè pietatis
detrimento fuiſſent intermiſſi: nec vmquam cogitaſſe Regem quid-
quam moliri aduerſus Apoſtolicam Sedem & Oecumenicum Con-
cilium, cuius bono non modò vires, ſed ipſam vitam impendere non
dubitabat: iam vſque ab initio ea Nuntio fuiſſe à Rege ſignificata
per Cardinalem Lotharingum, & nunc iterùm eadem per Orato-
rem exponi vniuerſo Senatui. Satis patere, in Italia pacem abrum-
pi, & arma ſuſcipi cum perturbatione Concilij: qua in re conſta-
re, Regem, ſi prouocaretur, eò ſe per inæſtimabilem animi mole-
ſtiam deſcenſurum.

Inaudiſſe Henricum, peiorem in partem trahi, quòd ipſe amici- 11
tiam cum Octauio exerceret: ſed à Pontifice, ſacroque Collegio ſe
poſcere, vt rem probè diſpicerent, quò ſtatuerent, num ipſe quid-
quam

quam in eo ipſorum indignatione dignum commiſiſſet. Fuiſſe ſibi 1551.
ſignificatum ab Octauio, difficulter ſe poſſe Parmam tueri, vrbem magni momenti Eccleſiaſticæ ditioni, & Italicæ libertati, adeoque à ſe pecuniæ ſubſidia ab eodem Octauio fuiſſe flagitata, affirmante, ſe non auſum id à Pontifice poſcere; quia cùm ob alia innumera beneficia illi eſſet obſtrictus, per eam petitionem importuni ſibi notam extimeſcebat. Subueniſſe illi Regem, ſubſidij continuationem pollicitum, quemadmodum pecuniam ſuppeditarat ad eiuſdem vrbis defenſionem Pontifici Paulo, ac poſteà Apoſtolicæ Sedi, dum vacabat, numquam repetitâ pecuniâ, quam illi mutuam dederat. Non licere modò, ſed præcipi cuicumque homini Chriſtiano, alienæ indigentiæ opitulari: nihil pactos, nihil molitos Farneſios, quod Apoſtolicæ Sedi, ſubiectionique boni clientis officeret: non inductum Parmam exterum militem, non regimen inuerſum. Reputaret Pontifex & Collegium, an tam laudabile facinus commereret, vt propterea vniuerſa Chriſtiana Reſpublica peruerteretur.

12 Quò Rex ſincerum rectumque animum ſuum luculentiùs probaret, offerre ſe, vbi Cæſar Placentiam, & quidquid in agro Placentino ac Parmenſi occupauerat, Eccleſiæ relinqueret, idem de Parma ab Octauio effectum iri, dummodò ritè cautum foret, hæc omnia penes Eccleſiam ita permanſura, vt numquam abalienari poſſent. Prætereà polliceri Regem, ſe Parmæ defenſionem omiſſurum, ſi Pontifex ſuis illam viribus, prout opus eſſet, tuendam ſuſciperet, ſponderetque, numquam ſe illam aliis conceſſuram; ac Farneſiis, quæ paſſi fuerant damna compenſaturum. Quòd ſi Pontifex iis quæ proponebantur reiectis arma capeſſeret, Regem haud degenerem ſuis maioribus animos excitutum in amicis ſuis ſociiſque defendendis. Ipſis inſuper ob oculos ponere, perturbatâ publicâ tranquillitate, quæ cuicumque Concilio neceſſaria eſt, nec ſibi nec Epiſcopis ſuis licere ad Synodum conuenire; ac proinde ſe conteſtari, hæc & quæcumque alia mala res Chriſtiana pateretur, ſibi neutiquam imputanda; neque tamen propterea in quouis euentu velle Regem ab obedientia Apoſtolicæ Sedi debita ſe ſubtrahere. Demum Orator Pontificem demiſsè rogabat, vt ea conteſtatio publicis tabulis committeretur, redderetur que poſteà reſponſio, quò ea de re Chriſtianos omnes Principes edoceret.

13 Hæc conteſtatio (cùm ad eam vſque diem in vtraque partium & voluntas & ſpes concordiæ vigeret) etſi habita in Senatu, extrà tamen haud effluxit, itidem ac altera ſubſecuta conteſtatio mox recenſenda, ibidem habita de Synodi rebus, quod pariter Suauis notat,

1551. tat, à quo etiam hæc rei celandæ ratio egregiè ſeruari videtur: intentus enim ad eleuandam Principum iudicio Pontificiam auctoritatem, ſemper illam quaſi ab eorum pedibus conculcatam depingit; adeoque perpetuam in ipſos ſatyram contexit, dum illius contemptores eos effingit, quod ipſi tamquam turpem impietatis notam abominantur. Is itaque referens ſecundam conteſtationem, quam afferemus, & quæ priorem hanc complectebatur, nullam tamen facit mentionem ſiue obſequij quod ibi Rex profeſſus eſt in Apoſtolicam iuriſdictionem, ſiue religioſi animi, ſibi calumniæ vertentis, veluti parum Religionis ſtudioſo, quòd aliqua de ſe fuiſſet ſuſpicio, quaſi propriam Gallicæ nationis Synodum conuocaſſet. Sed parum foret id prætereire ſilentio, niſi pro certo poneret, etiam illius cogendæ voluntatem in Rege fuiſſe, & hanc ipſam voluntatem promulgatam: cùm ex aduerſo liqueat, id meram fuiſſe ſuſpicionem, ex ambiguitate verborum, tametſi non temerè profectam. Etenim, [a] quemadmodum poſteà Pontifex factum excuſans affirmauit, regiæ ad Epiſcopos litteræ ita ſonabant; nec Lotharingi apud Nuntium declaratio ad delendam opinionem offenſionemque publicam ſatis erat: & reuera verba conflantur aëre, ſcripta ſolidiſſimè perſeuerant; præſertim cùm Henricus eas litteras Romam etiam miſiſſet ad Antiſtites Galliæ ibi degentes, atque etiam ad Archiepiſcopum Auenionenſem, vrbis ſcilicet Pontificiæ Antiſtitem: Pontifex verò hoc ipſum, tamquam minus malum, patienter tolerauerat; perinde ac etiam paſſus eſt euocatos à Rege Romà fuiſſe Gallicos Præſules, & prætereà Cardinales Ferrarienſem ac Turnonium.

[a] In mandatis Graſſio datis, Nuntio ad Venetos.

Sed ad conteſtationem regrediamur. Cum ea fuiſſet plurimâ reuerentiâ in Pontificis auctoritatem condita, & in arcano propoſita, 14
minimè opportunum viſum eſt, illud reſponſi genus ipſi reddere, quod in apologiam degenerat, hoc eſt, ſcribendi formam vix à conuitij mendacitate ſeiunctam, adeoque plus habentem ad exaſperandum acrimoniæ, quàm ad purgandam cauſam efficaciæ. Potiùs curæ erat, aliqua ex iis temperamentis, quæ ibi proponebantur à Rege, in opus deducere: ſed omnia vt auditu ſpecioſa, ita factu ardua cernebantur. Placentiæ reſtitutio non ampliùs ſperabilis erat, ob Caroli repugnantiam toties declaratam: Parmæ deditio duabus conditionibus adnectebatur, quarum alteram Rex, alteram Octauius numquam expletam proclamaſſent. Non enim potis erat Pontifex vrbem illam tam validè communire, vt ſatis tutam aduerſus Cæſarem arbitraretur Henricus; nec eius loco ea rependere Octauio, quibus ipſi ſatisfieret. Cùm igitur ita lis componi non poſſet,

vt

vt omnes acquieſcerent, exiſtimabat ſolerti prudentiâ Pontifex, minus inter mala futurum in perturbanda cum pace tum Synodo, ſi bellum à ſe moueretur. Etenim dum ipſe ferrum educeret, ferrum illis eripiebat, à quibus & ferociùs tractaretur, & ſeriùs reponeretur. Præuidebatur quippe, vbi Pontifex quieſceret, Cæſar, multò impatientiùs ferens Parmam tunc ab Henrico quàm priùs ab Octauio occupatam, arma ſuo nomine illaturus in Regem, Pontifici ſimul diffidens, quaſi illius moliminis participi; adeoque bellum ſæuius debacchaturum, vnde Synodus euaneſceret. Contrà verò, ſi Iulij nomine arma ſtringerentur, accedente ſolùm per auxiliares copias Cæſare, pacem inter vtrumque Principem haud violatum iri; nec arduum fore, quòd aliqua ineundæ concordiæ Pontifici cum Rege aperiretur via; atque ſolos Gallos vt ſummùm Concilio id temporis defuturos. Ad haſce rationes, rem Chriſtianam vniuerſè ſpectantes, accedebant propriæ Sedis Apoſtolicæ, quæ in commune omnium commodum etiam redundabant; eo quippe dumtaxat pacto periculum euitabatur, ne Parma in poteſtatem Cæſaris deuolueretur cum Eccleſiæ iactura, cunctorumque Principum querimonia. Huiuſce rei ratio erat, quòd cùm liceret Cæſari ſua arma cohoneſtare tamquam Eccleſiæ commodata, adeoque communem inuidiam ac notam turbatoris auidique Principis declinare, hoc planè nomine rem gerebat; ac proinde [o] per ſyngrapham promiſerat, vt Parma ſi caperetur, in manu Pontificis permaneret. 1551.

15 Igitur ad arma deuentum. [p] Imperator exercitus erat Gonzaga, Pontificiis copiis præerant Io. Baptiſta Montanus, & Vincentius Nobilius (ille ex Balduino Pontificis fratre, hic ex eiuſdem ſorore nepos) Camillus Vrſinus à Nomento, Alexander Vitellius, & cum Legati poteſtate Mediceus Cardinalis, frater Marchionis Meleniani, qui Cæſarei exercitus ſub Gonzaga Legatus erat. Gallorum copiæ Mirandulam conuenerant, quibus Galeottus Picus Gallicarum partium imperitabat. Illic aliquid pugnatum eſt, proſpero Pontificiorum [q] ſucceſſu. Ex altera parte Horatius Farneſius cum regio milite Bononienſem agrum vaſtauerat: [r] Pontifex verò illi ademerat vrbem ac ditionem Caſtri, [ſ] de quibus ingens erat Iulio ſollicitudo, tum ob Romæ propinquitatem, tum ob oræ maritimæ opportunitatem, quâ Galli, aliique ab ipſis ſollicitati appellere potuiſſent. Verùm prudentia [t] atque obſequium Hieronymæ Vrſinæ à Petiliano, quæ Horatij mater erat, & tunc principatum illum adminiſtrabat, cùm prohibuiſſet ne armis Pontificiis obſiſteretur, Iulium adduxerat, vt ſolâ poſſeſſione militari contentus,

[o] Diarium, 18 Maij anno 1551.
[p] Adrianus lib. 8. & Diarium, 30. Maij 1551.
[q] Diarium Maſſarelli Tridenti, 18. & 21. Iulij 1551.
[r] Diarium, 17. Iunij.
[ſ] Diarium, 1. Iulij.
[t] Litteræ Dandini ad Cardinalem Dec anũ Bononiã, 11. Iulij 1551.

1551. tus, Hieronymæ reditus, ciuilemque adminiſtrationem relinqueret.

Vbi Rex armis rem geri, exciſamque concordiæ ſpem accepit, 16
[a] alteram huiuſce ſententiæ conteſtationem Vaticano Senatui ſuo nomine exponi iuſſit: Cùm ad aures Regis Chriſtianiſſimi perueniſſet, in eo ſacro Collegio quaſdam opiniones diſſeminari de tutela Octauij Farneſij à ſe ſuſcepta, quæ in diſſidiorum ſemina conuerti poſſent, ſedulò curauiſſe, vt per Paulum Termeſium Oratorem ſuum, in eo Senatu totius rei à ſe geſtæ ratio redderetur. Hîc verò ſuperioris conteſtationis capita recenſebantur: ſed quamquam Rex hæc aliaque plurima ſinceræ voluntatis ſuæ, honeſtæque cauſæ argumenta efficacia protuliſſet; Pontificem tamen, cuius munus fuiſſet rixam omnem inter Principes Chriſtianos extinguere aut temperare, maluiſſe bellum ciere, quo tota mox Europa conflagratura erat, omniſque ad Concilium aditus præcludendus. Ex quo patere, per nouam illam conuocationem, vniuerſæ Chriſtianæ Reipublicæ bonum nequaquam ſpectari, ſed eam ex peculiari cum quibuſdam conuentione fuiſſe habitam, quorum priuato commodo Synodus deſeruiret, demptâ reliquis interueniendi contradicendique poteſtate.

[a] Extat in volumine inſtructionum in Archiuio Vaticano.

Palàm id fieri ex tota ſerie conſiliorum Pontificis; qui cùm potiùs diuexatam Eccleſiam releuare deberet, tam leui de cauſa rem Chriſtianam perturbabat, nouis procellis Petri nauiculam exponebat, & noua odiorum ſemina inter Chriſtianos Principes iaciebat: 17
petere proinde Regem à Pontifice ac Patribus Vaticanis, vt æqui conſulerent, quòd ipſe conteſtaretur, ſe non poſſe ſuos Epiſcopos ad Concilium mittere Tridentum, quò propter bellum nec liber nec tutus erat acceſſus; adeoque Concilium non vniuerſale, ſed peculiare futurum, non ſtudio totius Eccleſiæ reformandæ, ſed voluntate quibuſdam Principibus gratificandi; & inpoſterum huiuſmodi Synodi Decretis ſubditos ſuos nequaquam obſtrictum iri. Regem iis vſurum præſidiis, quibus Chriſtianiſſimi maiores ſui aliique vſi fuerant, à iure conceſſis; libertatem Eccleſiæ Gallicanæ defenſurum: diſertè tamen Regem profiteri, nolle ipſum Apoſtolicæ Sedis obedientiæ ſubiectionique ſe ſubducere (vbi Suauis ab hiſce vocibus abhorrens, ipſarum loco *obſeruantiam* ponit) quin conaturum id agere, vt in dies dignior Chriſtianiſſimi titulo cenſeretur; ſeque interim ad feliciora tempora reſeruare, quibus Pontifex Diuino actus afflatu arma deponeret, turbidoſque animi ſui motus ſedaret. Horum omnium, bonâ ipſorum pace, publicum teſti-

teſtimonium petere, & certa reſponſa, reliquis Principibus communicanda. 1551

18 Haud cenſuit Pontifex hæc ſolemnia ſcriptorum certamina inter ſe ac Regem Romæ vulganda, quandoquidem nec ab ipſis pariter Gallicis miniſtris ea vulgabantur: nec poterat ipſe aliquam dignitatis iacturam non pati, ſi non quod ad æquitatem, certè quod ad auctoritatem ſpectabat, quacumque tandem ratione in ea ſcena perſonam litigatoris præferret. Ex altera parte, ne ſilentium Regi ac Præſulibus Galliæ ſeu malæ cauſæ confeſſio, ſeu nationis abalienatæ deſpicientia videretur, reſponſionem Henrico & Epiſcopis Galliæ communicandam confici iuſſit. [x] Ibi querebatur initio Pontifex, ſe tam irreuerenter habitum in conteſtatione, cùm Sedes Apoſtolica tam egregiis ornamenris beneficiiſque Galliam decoraſſet, & cùm plurima priuilegia, quæ difficulter ac longi temporis ſpatio Franciſcus Rex, de Eccleſia optimè meritus, obtinuerat, eiuſque obitu iam defluxeranr, Iulius vix in Sede collocatus vnico die cuncta Henrico confirmauerat: non tamen idcircò paternam charitatem nec ſpem abiici à Pontifice recuperandæ in Rege mutuæ filij beneuolentiæ; proinde nolle ſe aculeos retorquere, ſed allatis rationibus ſimpliciter reſponſa reddere.

x In monumentis Barberinorum. Et extant etiam varia exempla in volumine inſtructionum in Archiuio Vaticano.

19 De rebus Parmenſibus eſſe in comperto, quantâ Pontifex æquitate ſe geſſerat, quâ ſuppeditatis exhibitiſque ſubſidiis neceſſariis Octauio, quâ eo cohibito ne in eam vrbem Pontificiam externas vires induceret cum Italiæ perturbatione, oblatis illi largis promiſſionibus per tres ampliſſimos Cardinales Farneſium, Sfortiam & Mediceum, ipſi ſanguine coniunctos, qui honor non niſi Regibus exhiberi ſolet; quâ exercitâ in ipſum Regem eximiâ amoris honoriſque ſignificatione, miſſo ad eum Legato Aſcanio Corneo ſororis ſuæ filio, viro ſtrenuo ac præclaro: ex his autem nihil à Pontifice præter verba reportatum; adeoque noxam vnicàm, cuius ipſe reus apud mortales audiebat, eſſe, quòd ſe diutiùs deludi paſſus fuiſſet: ſplendidum nomen quod ſibi Rex aſſumebat, quaſi opitulantis oppreſſo, ſatis excuſationi non eſſe: non omnem opem, etiam iuſto poſſeſſori collatam, licere; niſi adſint conditiones, quas Iuris ratio, vſuſque Gentium exigunt tum in ipſis hominibus, tum in tempore, loco, ac modo: nec pariter ſufficere quòd iactabatur, illius armis Eccleſiæ nomine Parmam defendi; cùm certum eſſet, ſi petiiſſet Eccleſia eò ſuas copias inducere, portas cuſtodire, aliaque militaris præſidij munia ibi exercere quæ Galli exercebant, petitionem ridiculam viſum iri: proinde non alium niſi vanum dominij titulum

lum

1551. lum Eccleſiæ ſeruari, aduerſus quàm leges Iuris beneficiarij poſtulant, vbique Gentium notæ.

Dein de Concilio: Et quod ad obſtacula belli ſpectabat, ne poſſent eò Præſules conuenire, in primis reſpondebatur: Vbi id ita foret, Regi eſſe adſcribendum, qui vrbem Eccleſiæ ingreſſus pacem turbabat. Deinde, quò nubem omnem cogitati diſcriminis Pontifex difflatet, offerebat cunctis Epiſcopis publicæ ſecuritatis litteras, tam à ſe quàm à quocumque Chriſtiano Principe ampliſſimè concedendas. Porrò nimis futile videri quod opponebatur, ob denegatam pertinaciter ab vnica prouincia præſentiam poſſe derogari auctoritati Concilij, cunctis nationibus ad cunctarum vtilitatem indicti, imò expetiti, atque adiuti ſingulariter ab ipſius Regis parente: quare imitatetur potius Henricus inclytos maiores ſuos, qui per obſequia in Romanos Pontifices Chriſtianiſſimorum cognomentum adepti fuerant. Abſque graui noxa nequaquam ab eo poſſe Gallos Præſules detineri, qui reliquis cunctis Oecumenicis Conciliis magna cum auctoritate interfuerant, & cum eadem Tridentino interfuturi eſſent. Tum Regem hortabatur & obſecrabat Pontifex, ne ſe abripi ſineret gloriæ proferendique dominatus lenocinio, ad iuueniliter cupideque quidquam agendum; nec potentiæ ſuæ, aut imbecillis viribus Eccleſiaſticæ ditionis nimis fideret, memor, maiora Imperia (quod Deus ab ipſo auerteret) concidiſſe; & interdum magis debili quàm potenti fauere homines Deoſque. Poſtremam hanc vocem libuit mihi recitare, ne diſſimulatem vitium, quod tunc in Pontificiarum etiam litterarum Præfectis perdurabat; cùm illius ætatis exculti litteratores confunderent præſtantiam loquendi ad veterum Latinorum ac Ethnicorum formam. Poſtremò Epiſcopos Galliæ commonebat, vt enixis precibus à Rege veniam adeundi Concilij ab eo impetrare contenderent; aliter & dignitati Eccleſiæque plurimùm defuturos.

Redditáne hæc reſponſio fuerit Regi, antequam inter ipſum & Concilium ea acciderint quæ mox afferemus, nobis planè non liquet. Vtcumque res habuerit, iam appetente Seſſionis die, Turnonius Cardinalis, qui Venetias ſeceſſerat, iniunxit Iacobo[y] Amioto, Abbati Belloſanenſi, qui poſteà Antiſiodorenſis Epiſcopus fuit, vt afferret redderetque Patribus Tridentinis epiſtolam, eâ quam retulimus inſcriptione ſignatam: quæ ſanè facta non aliud probant, niſi vt inde vulgi ora pabulum ſumant, ſæpè magis famelica rerum de quibus loquantur, quàm quibus veſcantur. 20 21

y Extat in Actis Arcis S. Angeli, & in epiſtola ſcripta ab eodem Iacobo ad Moruillerium, Venetiis 8. Septembris 1551. impreſſa anno 1613. cum aliis ſcripturis, præſertim Gallicis: qui liber à nobis non ſemel citabitur.

CAPVT

1551.

CAPVT XVII.

Henrici II. litteræ Concilio redditæ, & quid ibi tunc actum.

1 AMiotus cum duobus publicis ſcribis, ſecum adductis ex ædibus Turnonij Cardinalis, & homine Gallo, quem ſibi Parauij adiunxerat, Tridentum biduo ante Seſſionem peruenit: & quamquam omni ſtudio cauiſſet, ne res emanaret, eam tamen famæ ſagacitas iam odorata fuerat; adeò vt cùm vrbem aliis comitantibus ingrederetur, interrogatus ſit, quiſnam ex ipſis ad conteſtandum aduenerit. Die Seſſionis manè, peractis de more cærimoniis, is acceſſit ad Præſides, detulitque litteras, dicens illas à Rege Chriſtianiſſimo ſcriptas fuiſſe ad ipſos reliquoſque vniuerſos Patres Concilij cauſâ congregatos. Legatus priuatim legens inſcriptionem, ad collegas ait: *Hinc patet, nos à Rege non deſpici:* dein eam altâ voce à Maſſarello recitari iuſſit. Sed illâ auditâ, ſtatim exorta eſt in Patribus perturbatio, quòd in titulo, *Concilij* loco haberetur *Conuentus*. Amiotus (quod Suauis referre neglexit) eam vocem in eum qui Regi ab epiſtolis erat reiecit; addiditque, in iis quæ à ſe proponenda erant, modò appellari *Conuentum*, modò *Concilium*, modò etiam *Conſeſſum*; nomen autem *Conuentus* frequens eſſe apud Latinos, nec apud eos malè ſonare. Propoſitum illi fuit à Legatis, quando ita erat, peteret ipſe, vt litteræ abſque fraude detrimentoque Synodi legerentur. Sed Amiotus reſpondit, hanc ſibi facultatem à Rege minimè datam, ſed iniunctum dumtaxat, vt eas exhiberet; at verò vbi eas Patres legiſſent, & mandata legationis accepiſſent, eos nihil in litteris offenſuros, quod ſacroſanctum illum cœtum parui penderet. Hiſpani, quorum maior erat frequentia, conclamarunt, excipiendas non eſſe litteras, in quibus Oecumenicum Concilium inſcribebatur *Conuentus*, aut certè Patrum ſententias exquirendas. Sed Præſides ea de re priuatim deliberandum dixere; & ita per ſemihoram in Templi ſacrario habita deliberatio: illic maior pars digniorum ſententiæ adhæſit. Etenim tum Præſides, tum Madruccius, tum vterque Septemuir, & Oratores Cæſaris cenſuere, Regem neutiquam exaſperandum contemptu repudiatæ legationis: & Comes à Monteforti, Cæſaris Orator, libertate Germanicâ eò progreſſus eſt, vt ſi ſecùs fieret, ſe conteſtaturum affirmaret. Promotor itaque Concilij in huiuſmodi modum Gallo reſpondit: [a] *Doctiſſime vir, ſacroſancta Synodus cenſuit legendas eſſe Regis Chriſtianiſſimi litteras, rata, in malam partem ab ea non accipi vocem illam,*

[a] Conteſtatio in Actis eſt aliquantò prolixior in Amioti epiſtola, ſed eadem eſt ſumma.

1551. *Iam, Conuentus: quod ſi fortè aliter acciperetur, conteſtatur habendam eſſe pro nulla.*

Hucuſque nolui multa Suauis errata minutiora notare, quæ oſtendiſſent hominem tantummodò parum conſcium rerum geſtarum: ad id verò patefaciendum, quantum arbitror, opus non eſt probationibus ſupra eas quæ hoc habentur volumine. Silentio idcircò præterij quod is dixerat, in hac Seſſione locum Tridentino Cardinali datum Epiſcopis Præſidentibus ſuperiorem; futuram Seſſionem fuiſſe indictam die 9. Octobris; ſecundam Regis conteſtationem, cuius ipſe tenorem profert, habitam fuiſſe per Paulum Termeſium. Errata, quæ monimentorum Actorumque lectione reuincuntur: ſed reipsâ leuia ſunt, & quæ ob varias rerum geſtarum narrationes nonnumquam in accuratiores hiſtoricos irrepunt. Sed in præſentia impunè abire non ſinam palmare illius mendacium, in quo ſimul noſtri Suauis & legentis negligentia, & comminiſcentis audacia, & calumniantis malignitas palàm fiunt. Affirmat ille, ex eo quòd Præſides vnà cum Oratoribus, ſeorſim ab Epiſcopis, inter ſe decreuiſſent, Regis litteras eſſe legendas, poſteà verò reſponſionem Concilij nomine, Patribus haud anteā communicatam, reddi iuſſiſſent, prudentes viros fuiſſe plurimùm oblocutos; cùm inde appareret, non modò quorum ductu res Concilij adminiſtrarentur, ſed quinam nomine *Concilij* intelligerentur. Hîc verò plura conglomerat, quibus prudentes illi à Suaui laudati refellebant varias ab ipſo recitatas Pontificiorum reſponſiones ad prædicta quæ opponebantur. 2

Iam verò quî fieri poterat, vt hæc iactitata tunc fuerint, quando palàm res contrariè contigit; ita vt Præſides quidem à populo, qui in templum conuenerat, ſeceſſerint, ſed vnà ſecum Epiſcopos Oratoreſque aduocarint? Ad redarguendam falſitatem narrationis Suauianæ ſatis mihi foret adducere Acta legitima, Romæ in arce Ælia repoſita. Verùm vt inſuper oſtendam, Suauem impudenter fuiſſe mentitum, quippe qui ne libellos quidem typis editos, cunctorumque manibus tritos, attentiùs legere ſuæ ſaltem cautionis gratiâ ſtuduerit, à quibus mendacij conuinci poterat; teſtis mihi ſit ipſa Amioti epiſtola, quæ rem geſtam commemorat, & per typos vulgata eſt: in ea hæc habentur: *Adnotandum eſt, vnà cum Epiſcopis ſeceſſiſſe pariter Cæſaris Oratores.* Cæſaris, inquit, non etiam Romanorum Regis, quia eius Orator vnus ex Epiſcopis erat, nimirum Fredericus Nauſea Viennenſis Antiſtes. Mox idem Amiotus ibidem refert, concredita ſibi fuiſſe ab Epiſcopo Verdunenſi, quæ in eo ſe- 3

creto

creto ſeceſſu dicta, & hoc pacto à ſe reſcitum, duos Archiepiſcopos 1551.
Septemuiros ſuaſiſſe, vt litteræ aperirentur, & Regis nuntius audiretur. Quin illud ipſum, quod Suauis narrat à Moguntino dictum publicè in templo, antequam ſecederent, hoc eſt, *Si has Regis litteras recuſatis audire, quo pacto Germanos Proteſtantes, qui nos appellant Concilium malignantium, audietis?* ab eo cordato Principe non illic coram populo prolatum eſt, ſed in ſecreto cœtu in ſacello, cui tamquam vnus ex Patribus ille interfuit; id verò Verdunenſis narratione legitur Amioto ſignificatum: cuius epiſtola cùm iam typis impreſſa fuerit cum aliis Commentariis ad Concilium ſpectantibus in libro Gallico vſque ab anno 1613. adeoque non viuente ſolùm Suaui, ſed multis annis ante vulgatam illius Hiſtoriam; cumque etiam compertum ſit ex aliis minutulis rebus, quæ ibi continentur, & ab eo narrantur, epiſtolam illam ab ipſo viſam fuiſſe, miror equidem tam oſcitanter ab eodem inſpectam, vt ſumma rei faſtigia minimè perceperit. Sed fortaſſe quòd is cæcutiret Diuinæ fuit prouidentiæ, quæ non ſinit in narratione ad Religionem pertinente vultum integrum fraudis obtegi laruâ, ne inſontes qui eum ſpectant, decipiantur; ſontes verò qui eam induunt, impunes abeant. Idcircò voluit, vt vaferrimus inuentor, cuiuſmodi Suauis erat, in errores pueriles laberetur, quò perſpicuum fieret, ea quæ ille à viris prudentibus illius temporis dictitata comminiſcitur, cùm innixa deprehendantur interdum euentis, quæ reipsâ non contigerunt, & de quibus oppoſitum tunc conſtabat, cuncta eſſe libros commentitios, & tabulas adulterinas.

4 Hac redditâ à Promotore Concilij reſponſione, reſignatæ lectæque ſunt litteræ, quarum hæc erat ſententia: Exiſtimaſſe Regem, decere ſingularem obſeruantiam ſuam, maiorumque ſuorum in Eccleſiam, ſuumque egregium ſtudium in Patrum ordinem, eiſdem ſignificare, quânam causâ cohibitus nullum è ſui regni Epiſcopis mitteret ad eum conuentum celebrandum, qui à beatiſſimo Pontifice Iulio Concilij nomine indictus fuerat; cùm præſertim ſciret, alienum eſſe ab ipſorum integritate ac prudentia, quemquam temerè damnare, cuius rationes poſteà cognitæ comprobatione dignæ cenſerentur. Pro certo habere Regem, Patres ab omni partium ſtudio remotos fore; proinde ſe ipſis vti velle tamquam arbitris honorariis, eoſdemque amanter obteſtari, vt quæ ſignificabat, non tamquam ab aduerſario aut alieno profecta exciperent, ſed tamquam à Primogenito Eccleſiæ filio; in qua appellatione & tuenda ac promerenda ſe ipſis polliceri, diuinæque confiſum beneficentiæ

1551. centiæ certò credere, numquam ſe defuturum. Alacri paratoque ipſum animo ferre ad ſuorum proauûm virtutem imitandam; non tamen dum oppreſſis opem ferebat, iniuriaſque propulſabat, velle ſe charitatem in Eccleſiam, eorumque obſeruationem quæ decernerentur deſerere, modò cuncta ordinatè legitimeque peragerentur.

In hiſce litteris nulla inerat Amioti mentio; nec ipſi proponen- 5
dæ rei ſententia communicata fuerat, cùm obſignatus ad Turnonium Cardinalem litterarum faſciculus delatus ex Gallia fuiſſet, quindecim antè diebus in villa Regia, quæ Fons bellæ aquæ dicitur, concinnatus. Quare Amiotus anceps confuſuſque hæſit. Verumtamen magiſtrâ neceſſitate petiit à Maſſarello libellum, qui obſignato faſciculo continebatur; eumque clarâ voce recitauit, ſic exorſus: *Hæc ſunt, ſanctiſſimi Patres, quæ Rex Chriſtianiſſimus poſt ſuſceptum agri Parmenſis patrocinium, poſtq; inteſtini belli metum excitatum, iuſſit exponi ac denuntiari beatiſſimo Pontifici Iulio ſacroq; Collegio.* Hîc verò quæ in Senatu Vaticano dicta fuerant, iiſdem non verbis, ſed ſententiis recenſuit.

b Hæc reſponſio relata in Acta legitima Arcis Romanæ, differt ſolùm in quibuſdam ex accidente à litteris Amioti.

Poſt hæc ita Promotor reſpondit: [b] *Sacroſancta, Oecumenica, & ge-* 6
neralis Synodus, in ſancto Spiritu legitimè congregata, intendens conſultò, maturè, & adhibitâ cauſa cognitione reſpondere in publica Seſſione, prout à te peractum eſt, & rei qualitas poſtulat, te admonet, vt ad eamdem Synodum omnino accedas, huiuſmodi reſponſionem auditurus excepturuſq; in proxima futura Seſſione, quæ die vndecimâ appetentis Octobris habebitur. Quòd verò Chriſtianiſſimus Rex affirmat in ſuis litteris, eſſe in vrbe Tridentina Concilium, acceptat, ac libenter admittit: non tamen te admittit tamquam legitimam perſonam in rebus à te dictis, niſi ſi & in quantum de iure debent. Et nihilominus conteſtatur, nullum generari præiudicium Concilio, eiuſq; proceſſui ex quibuſcumque à te geſtis. Atque interim ſcribas omnes publicos vetat tibi, aut cuicumque huius rei geſtæ tabulas tradere, nec niſi additis reſponſis, quæ tibi reddere parata eſt Synodus die præſcripto, nec ſine ſui ſcribæ ſubſcriptione; aliter conteſtatur irritas fore.

Deinde Legatum adiit Amiotus, prætermiſſumque à ſe reueren- 7
tiæ officium excuſauit, quòd ſcilicet antequam rem incepiſſet, ipſum non inuiſerat, vt ſuo Principi obſequeretur. His Legatus reposuit, Sibi pariter excuſationem deberi, quando vt ſuo Principi deſeruiret, Regi obſiſtere adigebatur; ſignificans militem, quem tamquam Bononienſis Legatus comparabat. Ceterùm indicauit, commotum bellum ſibi non probari, ſed non deſtitiſſe per litteras ſuo fungi munere; ſed litteras carere voce ad reſponſiones refellendas: ſi Romæ fuiſſet, ſibi perſuaderi, eas turbas ſe præpediturum fuiſſe.

fuiſſe. Ita Legatus; ſeu quòd reuerà id ſibi in animum induceret, ex ea fiducia quam de ſua quiſque ſuadela concipit; ſeu quòd vellet beneuolentiam ſibi aucupari, oſtentato beneficio per eam conditionem, quæ iam ampliùs expleri non poterat. 1551.

7 Amiotus publicam conteſtationis fidem à Maſſarello petiit: ſed nihil obtinuit, cùm deſtinatus reſponſioni dies expendendus eſſet, quo vnà cum reſponſis coniuncta, & ab eis quaſi correcta vulgaretur. Quapropter ille Venetias rediit, vt noua ibi mandata caperet à Turnonio. Sed interim Rex die tertio Septembris edictum quod memorauimus promulgauit, in quo reipsâ idem declarabat de obſtaculo iniecto ſuis Epiſcopis (prout ipſe ſignificabat) ſtudioſè à Pontifice per excitatum bellum, ne Concilium adire poſſent: nec vllum internuntium, qui Seſſionis die reſponſum acciperet, mittendum curauit; quemadmodum, cùm Amiotus rem propoſuit, edixit, nullam à ſe reſponſionem peti. [e] Sed denuntiatum illi fuit, velle Patres eam ipſi reddere, tametſi ab illo non peteretur. Hoc intereſt inter reſponſa, quæ petitioni, & quæ oppoſitioni redduntur; altera libentiùs redduntur ſilentio, quippe quod rem negat abſque repulſa, ſæpè eam danti moleſta, quia is per illam odioſus redditur ſeſe inclinanti: in alteris, quamuis prolixa, ſemper manca videntur verba, niſi vis ingens prudentiæ ingentem anxietatem temperet, quâ quiſque ardet magis bonam cauſam prætexere quàm habere.

[e] Ex litteris Amioti.

CAPVT XVIII.

Expenduntur quæ Suauis obſeruat in actionem Iulij, & Concilij integritatem.

1 SVauis pro ſuo inſtituto, quo priſcos graues viros ſuarum recentium ſatyrarum auctores facit, plura cominiſcitur, ab illis tum Pontifici tum Concilio obiecta.

Ac primò quidem; *Indignius viſum eſſe, poſteros Pauli, qui pro libertate Italiæ adeò deſudauerat, fuiſſe deſtitutos.* Profectò huic homini nihil odioſius Romano Pontifice mentis oculis obuerſatur: & quoniam viuus Pontifex veriùs eſt Pontifex quàm demortuus, vt viuentem vituperet, demortuum commendat; quamuis eumdem, qui extinctus eſt, maledictis dehoneſtauerit, dum viuentem deſcripſit. Quot liuidæ obtrectationis aculeis ſtuduit idem Suauis Pauli Tertij famam impetere? Quàm acerbis morſibus ipſum dilacerauit ob amorem in ſuos, ac potiſſimùm ob traditas illis Parmam ac Placentiam? Quæ non affirmat de ipſius auiditate, quâ pro illis Mediolano

1551. inhiauerit? Oblatum Cæſari fuiſſe à Paulo ingentem theſaurum, ſocietatemque aduerſus quemcumque, parato quidquid in ſuis ſubditis ineſſet ſucci coniungere, eumdemque Cæſarem, vt ſibi Chriſtianum orbem ſubiiceret, adiuuare? Petri Aloyſij cædes, Placentiæque occupatio, quamdiu Paulus de iis querebatur, ab omni Suauis reprehenſione fuerunt immunes: nunc verò cùm alius Pontifex Pauli ſtirpem exagitat, ſatis illud ipſum eſt, vt Paulum in cælum euehat, ceu de Italia optime meritum, planeque dignum gratâ remuneratione, ipſius poſteris tribuendâ.

Nolo hîc ingredi iudicium de huiuſcemodi belli conuenientia. 2
Sed Iulius nequaquam in animo habuit deſerere poſteros Pauli, quibus confeſtim reſtitui Parmam iuſſit, redditâ idcircò de ſuo magnâ pecuniæ vi Camillo Vrſino, tributiſque Octauio duobus in menſes ſingulos ſcutorum millibus, præter mille alia pro peculiari ſtipendio. Semper etiam impensè inſtitit Cæſari, vt pacificam Parmæ poſſeſſionem relinqueret penes Octauium, cui de Cæſarianis ſollicito obtulit ſe vel ſuâ præſentiâ, ſi opus foret, eâm defenſurum. Controuerſia in eo fuit, quòd Octauius Gallorum auxilia tunc acciuit, cùm Pontifex haud neceſſaria exiſtimabat; ſimulque animaduertebat, perinde fore ſi Parma ipſis reſeruaretur, ac ſi Iani templum in Italia patefieret: arma verò ad minus Reipublicæ incommodum intulit, tametſi maius ipſe pateretur incommodum, ſicuti oſtenſum eſt. Nec ea argumentatio quantum coloris, tantumdem formidinis habet: Si Pontifex Carolo Placentiam occupanti moleſtiam haud inferebat, cur inferret Henrico Parmam defendenti? Aliud ſanè eſt arma ciere ob aliquod damnum, deceſſoris ætate iam illatum, ab eoque toleratum; aliud verò, nouum, ſibique illatum regnanti detrimentum pati. Lex ipſis etiam priuatis permittit, vt ea, quibus ſpoliati ſunt per vim, illicò à ſpoliatore præripiant, non item iniectâ morâ. Pacis perturbator inter homines habetur, quicumque rerum nouarum causâ bellum mouet. Præterquam quòd ipſa occupatæ Placentiæ toleratio Regem non incitabat ad arma, quæ ne Paulo quidem ſuperſtite commouit; ſed tolerantia nouarum rerum Parmenſium prænoſcebatur, ad bellum Cæſarem commotura. Ac demum Pontifex Parmæ causâ non Gallum aggrediebatur, ſed beneficiarium ſuum, tamquam contumacem, cùm regius auxiliaris tantùm eſſet: contrà verò ad recuperandam Placentiam neceſſe erat, vt Iulius Cæſari nominatim bellum inferret.

Pergit obloqui Suauis, aliquos exiſtimaſſe, cupere Pontificem, 3
vt inter Cæſarem & Henricum bellum erumperet ad obturbandum Conci-

Concilium. Et tamquam de ſuo addit, Certum eſſe, frequentioribus efficacioribuſque poſtulatis ſollicitatum à Pontifice Cæſarem vt arma capeſſeret, quàm Regem vt rem componeret. Sed alterum quidem vnum eſt ex iniquiſſimis iudiciis, quæ mentis ſeu diſtortæ ſeu malignæ temeritas ferre poſſit; alterum eſt euidentiſſimum mendacium, maximeque repugnans illorum temporum monumentis. 1551.

4 Atque vt de priori loquar; Num fortè Iulio deerant aliæ decliuiores viæ, quibus Concilium ſubterfugeret? Nónne poterat per honeſtiſſimam ſpeciem Cæſari reſpondere, velle ſe proſequi iam inductum Romam tranſlationis iudicium, nec obnoxiam æqualium poſterumque dubitationi relinquere æquitatem & ſuam ſimul & Pauli, à quo purpurâ ornatus fuerat, in opere tam memorabili? Præterea, quis Iulium coëgerat ad Henrici conſenſum tam ſedulâ perſuaſione eliciendum, ſicuti vidimus, cùm ſibi certum eſſet, ſuâ ſponte numquam conſenſurum Concilio in Auſtriaca ditione? Quando igitur Pontifex noluit tam faciles inire rationes declinandæ Synodi, an in rem ſuam poſteà futurum fuiſſet, ſpem illius perturbandæ tam caro mercari, hoc eſt, ſuſcepto bello tam arduo, dum ærarium exhauſtum erat, ſimulque expoſitâ periculo ſuâ vniuersâ ſtirpe; & quidem periculo non ad ſpeciem, ſed eiuſmodi, vt ipſe breuî in extincto fratris filio familiæ ſuæ radicem præciſam aſpexerit? Quid plura? nónne Suauis ipſe narrauit, Iulium eouſque fuiſſe progreſſum, vt per Aſcanium Corneum Galliæ Regem monuerit, nihil à quouis Principe iniurioſius Deo poſſe admitti, quàm Oecumenici Concilij progreſſibus obſiſtere? Dein verò, cùm Verallum eidem Regi Legatum mitteret, vt ad concordiam illum adduceret, nónne inter cetera argumenta, quibus eum alliceret, vſus eſt potiſſimè[a] beneficij magnitudine, quo Eccleſia fuiſſet affecta; ſi repetita iam Synodus continuaretur?

[a] Mandata Verallo tradita, 13. Octobr. 1551. apud Burghesios.

5 Quod ſpectat ad alterum: Quid non molitus eſt Iulius, vt controuerſiam componeret? Præter adhibita ab illo officia per Oratorem Gallicum, per Ferrarienſem ac Turnonium Cardinales, & præter ea quibus Regem per Nuntium ſollicitauit, an non ſororis filium ad eumdem legauit? an non remiſit in Galliam Monlucium cum iteratis precibus, ampliſque promiſſis? nónne tot ſuos Nuntios & Cardinales ad Octauium miſit, qui cum eo agerent, antehabitâ, prout ipſe dicebat, charitate dignitati? Num in Senatu non obtinuit Purpuratorum conſenſum iis quæ poſtulauerat, miſſis ad Octauium Diplomatibus, & paratus auferre ad id perficiendum

1551. à Ioanne Baptiſta fratris filio Camerinum, cuius ei dum viueret adminiſtrationem conceſſerat? Iterùm verò poſt accenſum bellum, & ante diſſolutum Concilium, nónne legationem ad Regem obire iuſſit Verallum, vt pacem peteret, & per amplas conditiones offerret,[b] modò pro Sedis Apoſtolicæ dignitate Octauius Parmâ ſecederet? Ex altera parte, quæ apud Cæſarem ad bellum declinandum non tentauit? an per Dandinum tot illi rationum momenta non propoſuit, quibus ſuadebat, vt in præſentia remitteret ſupercilium, præſtolaturus opportuniora tempora, cùm ab aliis tricis libera manus foret? an non denuntiauit, ſe nonniſi quadraginta ſcutorum millia[c] poſſe ſuppeditare, tametſi poſtmodum iactâ aleâ neceſſe illi fuerit longè maiorem argenti copiam impendere? Verùm quidem eſt, Henrico & Octauio oblata recuſantibus, Iulium, Cæſaris poſtulationibus compulſum ad bellum, optauiſſe, quò dignitati ſimul ac ſecuritati conſuleret, citas validaſque ſuppetias, quibus res proſperè cederet.

[b] Extat in mandatis Verallo traditis.

[c] In mandatis Riccio traditis.

6 Poſt pauca, rationes profert Suauis, ob quas Galli negabant ſe obſtrictos iri futuris Decretis illius Concilij. Ex his vna erat, quantum ipſe ſcribit; Quamquam Antiſtites Galliæ minimè opus haberent, per ditionem Pontificiam iter facere vt Tridentum accederent; oportere tamen vt per ſubiectas Cæſari terras tranſirent. Sed cur ſilentio prætérit reſponſum quod reddebatur, nimirum, inter Regem ac Cæſarem haud bellum geri; nec ſatis eſſe impediendæ itineris & commercij ſecuritati initam à Cæſare ſocietatem cum Pontifice, cuius nomine bellum habebatur? Num fortè ignorabat Suauis, an vmquam ipſius ætate inter duos Reges bellum geri quiſquam dixerit, quâ tempeſtate Gallo fœdus inerat aut cum Batauis, aut cum Sabaudo, in Hiſpaniæ Regem pugnantibus? Nónne ipſe pernouit, id temporis libera ac tuta fuiſſe alterius Regis ſubditis ingreſſum manſionemque in alterius ditione, atque inter eos continuatas mutuas legationes, ceteraque amicitiæ & affinitatis officia?

7 Verumtamen ſi Suauis in ea ſe continuiſſet narranda ratione, quâ Galli tunc verè vſi ſunt; quamuis reſponſionem illi redditam omiſiſſet, vnius quidem partis ſtudioſus, ſed non mendax fuiſſet. Audet ſapientiſſimo Pariſienſi Senatui ſententiam imputare, tam ipſius doctrinæ quàm Religioni repugnantem. Huiuſmodi ſententia eſt, Eos, qui cunctis Eccleſiaſticis conuentibus, adeoque Conciliis etiam Oecumenicis non intérſunt, tametſi non legitimè præpediti, eorum ſanctionibus non obligari. Quod non modò tolleret ab Eccleſia Monarchiæ regimen, perinde ac vellent hæretici; ſed ferè etiam,

pro

pro eo ac vetuſtiore ac rudiore mundi ætate viuebant homines, quamcumque communitatis ac Reipublicæ formam: quo quid magis incompoſitum, magiſque contrarium ſacris Litteris, traditionibus, hiſtoriis Eccleſiaſticis, gubernationi fidelium, & ipſius rationis lumini excogitari poteſt? Aliqua mihi gens proferatur, modò in extremam barbariem non degeneret, quæ ita legibus communique regimine ſoluta vitam exigat. Quando vmquam non modò Conſiliario, ſed planè diſcipulo Pariſienſi potuit ſub ſpecie veritatis in mentem cadere, licere cuicumque vel notæ minoris Epiſcopo ſibi hierarchiam quamdam propriumque per ſe mundum conſtituere? Num fortè id vmquam à Gallis aut in Prouinciarum aut in Diœceſeon Synodis vſurpatum eſt, ita vt eſſet alteris in cuiuſuis Epiſcopi, alteris in cuiuſuis rectoris poteſtate, non intereſſe, & ex hoc Decreta communia nolle recipere? Suauis ad rem ſuam plures auctores congerit, ſed nec loca nec verba producit; egregiâ quippe arte, ne poſſit falſi redargui. Sed ne ita quidem ſibi ſatis conſuluit. Profert ipſe in medium S. Gregorium, dicentem, neque Canones Concilij Conſtantinopolitani ſecundi, neque primi Epheſini ab Eccleſia Romana fuiſſe receptos. Concedatur hîc quod falſum eſt; de quo mox: interrogo: An eos fortè illa non recepit, quia iis Synodis non interfuit? Id profectò affirmari nequit ſaltem de primo Epheſino; illi certè interuenit Romana Eccleſia, illi aſſenſa eſt;[a] illi præfuit Cæleſtinus Romanus Pontifex per S. Cyrillum, ipſius Legatum. Verum igitur non eſt, S. Gregorium (etiamſi pro vero ponatur) ea dixiſſe, quæ refert Suauis fauere ſententiæ, ad quam firmandam ab eo producitur; nimirum, cuilibet Eccleſiæ, quæ alicui Synodo non interuenit, liberum eſſe eius ſanctiones recipere vel recuſare. Sed verum adhuc eſt, per hoc ipſum quod hîc narrat Suauis, totam eiuſdem molem ab eo imprudenter conuelli. Etenim cùm Eccleſia Romana & interfuerit laudato Concilio, & illius Canonibus ſanciendis aſſenſerit, non alia de cauſa potuit ipſi licere eos non recipere, niſi quia Concilia ab ipſa accipiunt, non ſuper ipſam obtinent poteſtatem. Quare niſi Legatus, qui eius nomine ibi adfuit, diſerta habuerit mandata de iis omnibus quæ ibidem declaranda ac ſtatuenda ſunt, ſemper illius Concilij Decreta pendent ſuſpenſa, donec à Sede Apoſtolica habeantur rata, quemadmodum Bellarminus oſtendit; quod reliquis inferioribus Eccleſiis minimè conuenit. At ſi quando quarumdam arbitrio permiſſa eſt ſancitarum legum acceptatio (quod tamen de dogmatis Fidei, quæ fuerint ab Oecumenicis Synodis pronunciata, numquam permiſſum) id ex eo factum

1551.

a Vide Bellarm. lib. 1. de Conciliis.

1551. ctum eſt, quòd cùm illæ non per contumaciam abfuiſſent, nec explicatum ipſis eſſet, an eiuſmodi leges iis Diœceſibus conducerent, quarum rectores auditi non fuerant, hæc lenis agendi ratio ſponte ſuſcepta eſt, ne ſcilicet illis legibus niſi pro ipſarum ſententia ac voluntate obſtringerentur. Verùm hanc vniuerſalem poteſtatem Conciliis Eccleſiæ denegare, perinde eſt ac ipſam Eccleſiam eſſe Eccleſiam denegare: Eccleſiæ quippe nomen non aliud, niſi *Conuocatorum congregationem*, adeoque regimen commune ſignificat; ſimulque affirmare, regimen à Chriſto inſtitutum, eſſe omnium, quibus homines vtantur, deterrimum.

Iam verò, tametſi quæ diſſeruimus vera ſint omnia; tamen in iis 8
accidit, quod Ariſtoteles tradit in Logica, Falſas interdum eſſe poſitiones præmiſſas, ex quibus oritur vera concluſio. Etenim S. Gregorius in primis de Epheſino primo contrarium affirmauit ac ipſi Suauis appingit. Scripſit ille quidem [e] ad Anaſtaſium Antiochenum Antiſtitem, vt emendatum eius Concilij exemplar conquireret, aut ſe curaturum vt illud Romā mitteretur; adiecitque, ad ſe Conſtantinopolim perueniſſe deprauatum quoddam exemplar, in quo inter pronuntiata Catholica inſerebantur multa Pelagij ac Cæleſtij documenta, quæ ea Synodus confutarat. At verò de Conſtantinopolitano primo, non de ſecundo dixit aliquando S. Gregorius, [f] illud ab Eccleſia Romana comprobari in Macedonij damnatione; ſed vſque ad id temporis, *Eius*, inquit, *Canones & Acta non habuit, nec accepit*. Et ſuborta difficultas eſt, non de lege aliqua ad Eccleſiæ tribunalia moreſque reformandos edita, ſed de Canone tertio, vbi proximus poſt Romanum Epiſcopum Conſtantinopolitano locus tribuitur; quod opponi videbatur & ſuperiori Eccleſiæ conſuetudini, & Concilij Nicæni ſanctionibus. Quamobrem [g] diu varij Pontifices repugnarunt, donec ob ſtudium pacis vſu receptus eſt, tacitoque Romanæ Sedis conſenſu; poſtea verò diſertā comprobatione Innocentij III. in Synodo Lateranenſi. De reliquo ſcribit idem ſanctus Gregorius [h] ad Theodolindam Longobardorum Reginam, temerè dictum à quibuſdam fuiſſe, Romanam Eccleſiam à prioribus quatuor Conciliis receſſiſſe. Vnde autem ea fuerit orta ſuſpicio, mox de altero capite acturi dicemus.

e Lib. 7. ind. 2. epiſt. 47.

f Lib. 6. epiſt. 31.

g Vide Hiſtoriam ipſius Concilij in editione Romana Concil. general. ſub Paulo V.

h Lib. 12. epiſt 7.

Quod igitur attinet ad Conſtantinopolitanum ſecundum, in eo 9
ſita erat difficultas, quòd ibi damnati fuerant Theodorus Mopſueſtenus, Iba, & Theodoretus, inter quos alius quidem ante ſuorum errorum damnationem accuſationemque iam obierat; alius videbatur in quadam epiſtola, in qua tamquam hiſtoricus eos errores referebat,

1551.

rebat, præferebatque ſimul animum redeundi ad vnitatem Eccleſiæ, ipſos reuocaſſe; eaque propter ad hanc vnitatem à Chalcedonenſi Concilio admiſſus fuerat, poſtquam illic dogmata ad Fidem ſpectantia fuerant conſtituta. Huic igitur damnationi trium hominum, quos nominauimus, priùs habitæ à Iuſtiniano Imperatore, Vigilius [i] Pontifex obſtiterat acriter, cùm videretur Chalcedonenſis Synodi dignitas per eam eleuari, nec profano Principi fas eſſe ſuam ad hæc auctoritatem extendere: mox animaduerſo ſchiſmatis periculo, aſſenſus eſt. Poſteà nouum è ſuo conſenſu exortum ſchiſma conſpicatus, cùm res ad Fidei dogma non pertineret, iterùm pedem retraxit, adeoque recuſauit huic Synodo Conſtantinopolitanæ conſentire: & cum eo complures ex Catholicis conuenere, dum è conuerſo alij Catholici eidem Synodo adhærebant. Atque in ea controuerſia pars vtraque Catholicorum memorata Chalcedonenſis Synodi auctoritatem propugnabat; Vigilius quidem, eiuſque aſſeclæ, quoniam ab illa hi tres in vnitatem Eccleſiæ recepti fuerant: aduerſarij verò, quoniam horum trium commentarij hæreſes continebant, ab eadem Synodo condemnatas. Verùm hæc poſterior ſententia tandem vicit. Quare ſecunda Synodus Conſtantinopolitana, cui noluit intereſſe Vigilius, & quæ idcircò anteà Oecumenica & legitima non fuit, poſteà vel ab ipſo vel à ſucceſſore Pelagio comprobata, vim auctoritatis quæ ipſi deerat accepit. Hinc tamen inter fideles ſchiſma profectum, opponentibus Eutychianis, ceteriſque in Chalcedonenſi proſcriptis, ab ea Synodo Romanam Eccleſiam diſceſſiſſe, dum Conſtantinopolitanam ſecundam probabat. Itaque S. Gregorius pluribus in locis [k] huiuſmodi repugnantiæ vanam ſpeciem diſſipat, oſtenditque, quod ſpectabat ad doctrinam, duas illas Synodos concordare in refellendis trium memoratorum hominum erroribus: id verò luculentiùs quàm alibi declarat ſcribens [l] ad Conſtantium Mediolanenſem Antiſtitem, vbi obſeruat, diſſidium non in dogmatibus verti, ſed in hominibus, de quibus actum fuerat in Chalcedonenſi, poſt firmatam integrè doctrinam; ac proinde controuerſiam non eſſe de articulo Fidei, & qui ad Eccleſiæ auctoritatem nulli obnoxiam errori ſpectaret. Verumtamen quò eam remoueret offenſionis occaſionem, quæcumque tandem ea foret, ſatius duxit, vt ipſius litteræ, quibus ea Synodus [m] comprobabatur, minimè vulgarentur, ac de illa ſermones paſſim non haberentur.

[i] Vide rationes & cuema apud Baronium annis Vigilij Papæ, præſertim à 546. ad 553.

[k] Lib. 1. epiſt. 24. lib. 2. ep. 36. lib. 3. epiſt. 4. lib. 7. ep. 53. lib. 12. ep. 7.

[l] Lib. 3. epiſt. 37.

[m] Vide laudatam epiſtol. 37. & Seuerinum Binium in Notis Vitæ S. Gregor.

10 Narrat denique Suauis, Romæ tolerari non potuiſſe, quòd vellet Rex in Pontificem bellum gerere, ſimulque profiteri, eamdem à ſe in

1551. in Sedem Apoſtolicam reuerentiam retineri, cùm Sedes Apoſtolica nihil aliud niſi Pontifex Romanus ſit. Quod ſubdit ille, Gallos fuiſſe inficiatos, adductis ex oppoſito quibuſdam veterum Pontificum dictis, qui Sedem Apoſtolicam *ſuam Dominam* appellarunt [a].

[a] Stephanus III. relatus in Canone 4. diſt. 79. dicens: *Hæc ſacroſancta Domina noſtra Romana Eccleſia.*

Enimuerò nemo fuit Romæ adeò craſſæ Mineruæ, qui ſibi perſuaſerit, idem prorſus eſſe Romanum Pontificem, & Apoſtolicam Sedem; cùm potiſſima ſit humanæ rationis notio, de vna eademque re duas contradictiones veras eſſe non poſſe: & tamen mutatur Pontifex, Sedes Apoſtolica non mutatur, ſed ſemper eadem eſt; quin ea remanet, & reuerentiæ contemptuſque capax eſt, omni etiam Pontifice vacua. Et quidem conſueuere Pontifices affirmare, ſe vitam ac ſanguinem profuſuros, & aſperrima quæque in ſe paſſuros ad eam Sedem tuendam. Quare mirum non eſt, ſi *Dominæ ſuæ* titulum illi tribuant, cùm ſeipſos generatim nuncupent *Seruos ſeruorum Dei.* Pari quoque ratione idem non ſunt Cæſar & Sedes Cæſarea, Reſpublica & Senatores qui Rempublicam adminiſtrant: ac proinde poſſet quiſpiam odio proſequi nominatim Pontificem, Cæſarem aut Senatores, & ſimul amare Sedem Apoſtolicam, Sedem Cæſaream, ipſam Rempublicam, eorumque Principatuum amplitudinem promouere. Sed quod idem eſſe Roma contendit, eſt vtriuſque auctoritas; cùm alia non ſit Sedis Apoſtolicæ auctoritas, alia Pontificis: adeoque non poteſt ſimul excuti obedientia erga Pontificem, quatenus Pontifex eſt, repudiato Concilio quod ille conuocauerit, & retineri obedientia in Apoſtolicam Sedem: quâ pariter ratione nemo poteſt Cæſari, quatenus Cæſar eſt, nolle obſequi, & ſimul obſequi Cæſareæ Sedi, neque contumaciam exercere in Decreta Senatus, & ſimul in obſequio Reipublicæ perſiſtere. Quiſquis hæc legat, nobis ignoſcat velim, ſi huius ſcriptoris ſophiſmata, parum illa quidem credibilia, ſed nimis credita, nos adigunt ad exercendas elenchorum potiùs quàm hiſtoriæ leges. Verùm ſi huius exercitatio nobilior eſt ad mentem veritate informandam, illorum ars magis eſt neceſſaria ad eradendam ab ea falſitatem; quemadmodum ſemper plus neceſſitatis habet ſe malis purgare quàm bonis perficere. 11

HISTO-

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER DVODECIMVS.

ARGVMENTVM.

PATRVM *labores ad decimamtertiam Seſſionem parandam. Examen eorum, quæ Suauis ſcribit de primordiis & progreſſibus Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, de appellationibus, & degradationibus quas vocant. Seſſio decimatertia. Emendationes & defi.itiones de Euchariſtia in Seſſione promulgatæ; reſponſioneſque ad obiecta Suauis. Quatuor articulorum prorogatio, vt Proteſtantes audirentur; ac fides publica ſecuritatis illis data. Acceſſus ad Synodum Oratorum Septemuiri Brandeburgici, qui eius nomine obedientiam offerunt. Reſponſio, in Seſſione reddita ſuperiori libello Galliæ Regis. Seſſio decimaquarta de Sacramentis Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis. Mendacia ſuper his, & errata Suauis. Diſciplinæ correctiones ibi pariter confectæ; & quæ Suauis de illis diſputat. Tranſitus Bohemiæ Regis. Aduentus ad Synodum Legatorum tum Ducis VVirtembergici, tum quarumdam liberarum Ciuitatum Proteſtantium, tum etiam Septemuiri Saxonis. Vehemens controuerſia, ſed dirempta, de ratione qua eſſent illi admittendi atque accipiendi. Enormia eorum poſtulata. Seſſio decimaquinta, vbi Decretorum ſanctio illis petentibus eſt prorogata; & ampliſſimæ ſecuritatis tabulæ iterum Proteſtantibus conceſſæ.*

1551.

CAPVT PRIMVM.

Parata à Patribus Fidei Decreta ad futuram Seſſionem. Varia confutantur, minorum Theologorum & Epiſcoporum diſputationibus à Suaui imputata.

HÆC euentuum ſeries animos in ancipiti quadam & curioſa de Concilij progreſſibus expectatione ſuſpendit. Hinc enim eorum, qui conuenerant, frequentia & dignitas, ſimulque deliberata voluntas ex vmbra ad ſolem prodeundi, ingentia quæque pollicebantur: hinc verò ſolemnes Gallici Regis obnuntiationes, proximique belli tumultus, dubitationem iniciebant, ne ratis hæc aduerſæ procellæ impetu abrepta in ſyrtes impingeret. 1

a Ex Actis.
b Ex Diario, 8. Septembris.

Proximo Seſſioni die [a] Theologis traditi fuere articuli exagitandi. Octauo Septembris [b] cœptæ ſunt proferri ſententiæ. Omnium primi dixere Didacus Lainius, & Alfonſus Salmeron, Pontificij in Concilio Theologi: deinde Ioannes Arza, Cæſareus pariter Theologus, & ſuo ordine ſubinde reliqui, & plurimi & illuſtres. Magni laboris non fuit Canones ad definiendum concinnare: adhibita quippe Bononiæ cura res aptè digeſſerat; & ea quæ hîc ſancienda erant, haud perinde ſe habebant ac Iuſtificationis articulus, à veteribus Concilijs parum explicatus, breuiterque perpenſus ad id vſque temporis à Scholaſticis; ſed firmanda erant Euchariſtiæ ceterorumque Sacramentorum dogmata, de quibus abundè locuta fuerant Concilium Lateranenſe ſub Innocentio, Conſtantienſe, & poſtremò Florentinum, & à Scholaſticis copioſè diſputatum in 4. Sententiarum, conuenientibus inter ſe de iis cunctis capitibus, in quibus agitabatur damnatio nouæ doctrinæ, quam commenti fuerant Zuinglius, Lutherus, & alij eorum aſſeclæ, qui in nouandi genere ambitioſè ſtuduerant ſe inuentores diuerſarum hæreſum venditare. Articuli ergo trutinæ expoſiti hi decem fuere:

In Euchariſtia non eſſe reuerà corpus & ſanguinem, neque diuinitatem D. N. Ieſu Chriſti, ſed tantùm vt in ſigno. 2

Exhiberi in Euchariſtia Chriſtum; ſed ſpiritualiter tantùm manducandum per fidem, non autem ſacramentaliter.

In Euchariſtia eſſe quidem corpus & ſanguinem D.N. Ieſu Chriſti, ſed ſimul cum ſubſtantia panis & vini: ita vt non ſit tranſubſtantiatio, ſed vnio hypoſtatica humanitatis, & ſubſtantiæ panis & vini: ita vt verum ſit dicere: Hic panis eſt corpus meum, & hoc vinum eſt ſanguis meus.

Eucha-

Euchariſtiam inſtitutam eſſe ob ſolam remiſsionem peccatorum. 1551

Chriſtum in Euchariſtia non eſſe adorandum, neque feſtis venerandum, neque in proceſsionibus circumgeſtandum, neque ad infirmos deferendum: & eius adoratores eſſe veros idololatras.

Non eſſe reſeruandam Euchariſtiam in ſacrario, ſed ſtatim conſumendam, & præſentibus dandam: & aliter facientes abuti hoc Sacramento. Neque licere, vt quis ſeipſum communicet.

In hoſtiis, ſeu particulis conſecratis, poſt communionem remanentibus, non remanere corpus Domini, ſed tantùm ibi eſſe dum ſumitur, non autem ante vel poſt ſumptionem.

De Iure Diuino eſſe, ſub vtraque ſpecie etiam populum & paruulos communicare: & propterea peccare eos, qui cogunt populum alterâ ſpecie vti.

Non contineri ſub altera ſpecie quantum continetur ſub vtraque; neque tantum ſumere communicantem ſub altera ſpecie, quantum ſub vtraque.

Solam Fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendam Euchariſtiam: neque ad id confeſsionem eſſe neceſſariam, ſed liberam, præſertim doctis. Neque teneri homines ad communionem in Paſchate.

Poſt ſingulos articulos hæreticorum loca apponebantur, vnde illi deprompti fuerant, & interdum ij qui hæreticos impugnantes id affirmabant ab aduerſariis dictum.

3 Hæc in dicendis ſententiis ratio Theologis fuit præſcripta:

Vt illæ è ſacris Litteris, ex Apoſtolicis traditionibus, ex Conciliis approbatis, ex Conſtitutionibus, ex auctoritate ſummorum Pontificum, è SS. Patribus, ex communi Eccleſiæ Catholicæ conſenſu colligerentur:

Breuitatem ſeruarent, & à quæſtionibus ſuperuacaneis & inutilibus, atque à proteruis contentionibus abſtinerent:

Vt primus dicendi locus daretur Theologis à Romano Pontifice, ſecundus à Cæſare miſſis; poſt eos Clericis non Regularibus, pro acceptæ laureæ antiquitate; & poſtremò Regularibus, prout cuiuſque Ordini deberetur.

4 Equidem hîc non omittam artem quamdam à Suaui ſæpiùs vſitatam lectoribus detegere. Hic ſemper nauus & induſtrius ad Catholicorum dogmatum firmitatem debilitandam, varias refert peculiares opiniones Thomiſtarum & Scotiſtarum in iis explicandis effatis, de quibus vtrique conueniunt: & quoniam huiuſmodi variæ opinationes in certis dogmatibus explicandis ſemper dubiæ ſunt, validiſque oppoſitis argumentis obnoxiæ, quorum vi per tot ſæcula Scholæ in contraria ſunt diſtractæ; conatur ille perſuadere, ab vtriuſque doctrinæ ſectatoribus fuiſſe laboratum, vt peculiaris

 ipſo-

1551. ipſorum ſententia pro vera ab Eccleſia declararetur, adeoque vt in Concilio ceu Fidei articuli ſtabilirentur non ſolùm quæ Deus reuelaſſet, ſed quæ homines cogitaſſent. Profectò vel maximè alienum ab eorum Patrum mente id fuit, quemadmodum licet cognoſcere non modò ex Actis, in quibus quod ſpectat ad eam de qua ſcribimus tempeſtatem, habentur affatim minorum etiam Theologorum ſententiæ; & tamen nihil extat ex iis quæ Suauis confingit, ſed ex ipſis definitionum verbis, quæ omnia adeò ſunt circumſpecta, vt interdum Patres religioſiùs anxij fuiſſe videantur in exquirendis verborum formulis, remotis ab omni ſpecie labis cuicumque Theologicarum claſſium inferendæ: atque hac de cauſa nihil decretum fuit de modo, quo Chriſtus in Sacramento præſens eſt, nec de gratia, æqualíſne illa, an maior infundatur homini Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie recipienti, præ illo qui ſub vna tantùm ſpecie eam ſumit, nec de aliis huiuſcemodi controuerſiis.

Dein exponit ille pro ſuo more aliquid obiectum articulis poſteà 5
firmatis: alienam tamen perſonam induens dicit, Aliquibus ex illis Theologis minimè placuiſſe, vt ſtatueretur tamquam Fidei pronuntiatum; Chriſtianos obligari ad ſuſcipiendum in Paſchate Sacramentum Euchariſtiæ; cùm planè nouum ſit, ſanctionem Eccleſiæ tamquam dogma Fidei declarari. Sed res ita contigit: Quidam, ceu Ioannes ab Ortega Franciſcanus Hiſpanienſis Theologus, à Carolo miſſus, dixit, articuli oppoſiti proſcriptioni adiiciendam eſſe explicationem aliquam; quandoquidem præceptum non Diuinum, ſed Eccleſiaſticum erat. Quidam etiam, ceu Ambroſius Pelargus Dominicanus, Septemuiri Treuirenſis Theologus, ob eamdem rationem cenſuit, articulum eſſe ſchiſmaticum potiùs quàm hæreticum: ſed reliquus conſeſſus anathemate damnandum putauit; in quod poſteà omnes conuenere: & meritò quidem; nam ſi viueret Suauis, qui quod obiectum eſt, non quod reſponſum, narrat, ac proinde aduerſi argumenti vim comprobare videtur, eum percontarer, nouúmne ſit, in illum tamquam in hæreſis ſuſpectum agi, qui ferè numquam diebus feſtis Sacrificio interſit, qui feriâ ſextâ & Sabbato carnibus citra neceſſitatem veſcatur? Abſque dubio id nouum non eſt: at ea ſuſpicio in quo nititur? in eo planè, quòd dubitetur an hic verè credat ea legitimè fuiſſe ſancita, cùm eadem alioqui tam ſint obſeruatu facilia, vt ipſorum violatio, præſertim aſſidua, nequeat adſcribi violentiæ cupiditatis, quæ conſcientiæ retinacula perrumpat. Quod ſi huiuſmodi reus fateatur, ſe credidiſſe ea licitè committi, hæreſis profectò damnabitur. Quo autem iure, quando

ea cuncta opera legem violant non Chriſti, ſed Eccleſiæ, quæ noua 1551.
dogmata per Fidem credenda reuelare non poteſt? Sed quid facilius, quàm percipere, huiuſmodi hæreſim in ea perſuaſione ſitam eſſe, quà putetur, non fuiſſe à Chriſto traditam Eccleſiæ poteſtatem eas leges condendi, quæ poteſtas in ſacris Paginis, Apoſtolicisque traditionibus continetur? ſiquidem perſpicuum eſt, vbi poteſtas huiuſmodi admittatur ab eo qui legem violauit, cùm ab eodem dubitari non poſſit, an reipsâ latæ fuerint leges illæ; neque pariter dubitatum iri, liceat necne ſibi ea patrare. Porrò certum eſt, Deum in reuelanda poteſtate à ſe Eccleſiæ tributa præcipiendi ea, quæ ad ſalutem profutura arbitretur, voluiſſe, vt in Eccleſia non hæc tantummodò vniuerſalis auctoritas crederetur, quæ ſola credita parum conduceret ad fidelium opera dirigenda; ſed ea quoque peculiaris auctoritas ad ea peculiaria præcepta, quæ reipsâ fuerunt ab Eccleſia impoſita, & diuturno fidelium conſeſſu recepta.

6 Præterea dum Suauis narrat, Præſides indixiſſe Theologis, ſicuti memorauimus, eorum ſententias auctoritate Scripturarum ac Patrum eſſe firmandas; addit, Italis hoc doluiſſe, perinde quaſi hoc pacto ipſorum Theologiæ, in Germanorum Belgarumque gratiam, dedecus conflaretur. Verùm in hoc ipſo confingendo non occurrebat Suaui, huiuſmodi normam ad expendendas doctrinas non potuiſſe nouam accidere, quippe eam priùs vſurpatam in argumento peccati Originarij, Iuſtificationis, & in Religionis articulis anteà ſancitis? An non meminerat, aut ignorabat, tot in ipſis fuiſſe producta ſacræ Scripturæ, Patrum & Conciliorum teſtimonia, vt multis opplendis voluminibus ſuffeciſſent? Non in memoriam recurrebat, inter eruditiſſimos viros in conſeſſu prætérito fuiſſe Hieronymum Seripandum, & Ambroſium Catharinum ex Italis? Num fortè antiquitatis Eccleſiaſticæ ignari inter Italiæ filios duo illi Purpurati Aleander & Contarenus, qui paulò anteà in eo negotio deſudauerant? Præterea cur tantum tunc Septemtrionalibus tribuit, vt Hiſpanorum oblitus ſit, inter quos aderant Synodo Melchior Canus, tam vberis & tam ſelectæ eruditionis Theologus, quàm clarè liquet ex aureo ipſius libro *De locis Theologicis*, & duo ſuprà laudati Lainius & Salmeron, quorum poſterior ex iis quæ copioſe ſcripſit, oſtendit quàm multa legerit; prior verò non dubitauit affirmare, ſe nullum è ſcriptoribus in Concilio producturum, in cuius vniuerſis voluminibus verba ſingula non luſtraſſet? Sed quoniam in præſentia laus eruditionis in Germania Galliaque plurimùm floret, tunc verò Gallici Theologi Synodo non interuenerant, idcircò ſtudet Suauis

 commi-

1551. comminiſci quidquid minuat exiſtimationem Italiæ, quæ Catholicæ Religionis, eiuſque ſummi Præſidis regia eſt: nempe impius pariter in vtramque parentem, quarum altera ipſum regenerauerat, altera generauerat: quaſi poſteà non idem conſpexerit ætate ſuâ vtramque illarum mirificè irradiatam duobus illis eruditionis Eccleſiaſticæ luminibus Baronio & Bellarmino, natis in Italiæ ſinu, & inter Eccleſiæ Senatores adoptatis. Ceterùm quis ambigat, abſolutâ Theologiâ opus eſſe ad Diuina oracula intelligenda, & lectione ſacrorum interpretum, quippe qui peculiari luce diuinitus illuſtrantur, & ſimul ratiocinationis operâ, quæ pariter lumen quoddam eſt à Deo nobis traditum, vt in rem noſtram illo vtamur in cunctis rebus, quæ nobis à Deo proximè aperteque ſeu per naturam demonſtratæ, ſeu per Dei verbum reuelatæ non ſunt. Hinc videmus, tam frequenter ac feliciter fuiſſe lumen illud ab antiquis Patribus adhibitum in ſuorum temporum hæreticis refellendis. Quoniam verò humanæ mentis imbecillitas idonea plerumque non eſt ad ſublimem in vtroque ſimul ſtudio gradum obtinendum, hinc fit, quòd cœtus habeantur, in quibus, pro eo quod Ariſtoteles in Politicis obſeruat, ex multis mediocribus excellens quiddam conflatur. Quemadmodum in diuitiis contingeret, ex collata in vnum pecunia centum ciuium mediocriter locupletium; ſeu, vt ſimilitudinem ab eodem Philoſopho propoſitam producamus, cuiuſmodi erant in epularum copia publica conuiuia, in quæ plurimi, ſed modicum quiſque, ſymbolum conferebant. Eapropter in Synodis Oecumenicis, quò multi Theologi confluunt, quamuis plerique non omnibus abſoluti numeris, cùm alicui ad ſpeculanda ſubtiliora acumen deſit, alij copioſa lectionis ſupellex, & alius in alio doctrinæ genere penuriam patiatur; conficitur tamen quædam veluti Zeuxis Helena, quia ab eorum vnoquoque ea pars operi confertur, quæcumque & quantulacumque illa ſit, quæ in ſingulis ſingulariter excellit. Ecquid tandem ipſe Oceanus eſt, niſi plurimarum aquæ guttarum congregatio?

CAPVT

1551.

CAPVT II.

Varia diſputata & expenſa à minoribus maioribuſque Theologis de articulis Euchariſtiæ; ac præcipuè de præmittenda ante illius ſumptionem peccatorum confeſſione.

1 PRolixum ac laborioſum foret, minutim referre quæ à tot Theologis producta ſunt: aliquam eorum particulam indicare, ſatis erit ad ea recenſenda, quæ per illud examen confecta ſunt. Sanè in eo ſtatutum eſt, vt fieret partitio capitum, quæ memorauimus, in illa quæ de communi ſententia erant abſolutè damnanda, & in illa, ad quæ damnanda videbatur aliquâ declaratione opus eſſe.

In priori claſſe fuerunt primum, tertium, quintum, ſextum (demptâ eâ parte, quæ mox recitabitur) ſeptimum & octauum; in altera continebantur quæ ſubſequuntur.

2 Secundum, in quo dicebatur: *Exhiberi in Euchariſtia Chriſtum, ſed ſpiritualiter tantùm manducandum per fidem, non autem ſacramentaliter. Iſte articulus* (reponimus hîc & continenter deinceps verba confecti breuiarij) *videtur ferè omnibus vt ſuperfluus omittendus, tum quia continetur in primo articulo, tum quia ſacramentalis ſumptio à nemine hæreticorum negatur. Quidam etiam admonuit, hunc articulum eſſe hæreticum, & damnari deberi ſub his verbis:* Non exhiberi Chriſtum ſacramentaliter, niſi exhibeatur ſpiritualiter; *& dicit habere auctorem Oecolampadium.*

3 Quartum, id eſt: *Euchariſtiam inſtitutam eſſe ob ſolam remiſſionem peccatorum: Quia, vt aliqui dicunt, illa dictio,* ſolam, *non aſſeritur ab hæreticis, & abſque ea dictione articulus iſte eſſet Catholicus, cuperent illum ſilentio præteriri à Synodo. Multi verò contrà ſenſerunt, & vellent omnino eum damnari, remanente dictione* ſolam, *ſiue* præcipuè.

4 Illa pars ſexti articuli, in qua dicitur: *Non licere, vt quis ſeipſum communicet: Placeret aliquibus, vt damnaretur ſub hac forma:* In nullo caſu, etiam neceſſitatis, etiam Sacerdoti celebranti, licere vt quis ſeipſum communicet. *Quidam etiam admonuit, eſſe conſiderandum, quod aliqui Doctores dicunt, non licere laico, etiam in caſu neceſſitatis, ſeipſum communicare; ſed tutius eſſe abſtinere, & ſumere Euchariſtiam in voto.*

5 Nonum: *Non contineri ſub altera ſpecie, quantum continetur ſub vtraque; neque tantum ſumere communicantem ſub vna ſpecie, quantum ſub vtraque.*

Prima pars huius articuli ab omnibus iudicatur damnanda, intelligendo eam

1551. *eam quoad Sacramentum: ſecunda verò pars ab aliquibus non cenſetur hæretica, intelligendo eam de gratia, cuius plus aiunt percipi à communicante ſub vtraque, quàm ſub vna: Quamplures contrà ſenſerunt. Aliqui cuperent ita formari articulum, vt in eo non fieret mentio de gratia, ſed tantùm de Sacramento, vt Scholaſticæ diſputationes fugiantur.*

Inter Theologos, qui putabant plus gratiæ conferri ſumenti Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie quam ſub vna ſolùm, comperio in Actis fuiſſe Melchiorem Canum, Antonium Vglioa Franciſcanum Hiſpanienſem (qui arguebat, vti Sacerdos maiorem obtinet dignitatem, dupliciique obſtringitur mandato, itidem decere vt duplici gratiâ donetur) & Sigiſmundum Fedrium eiuſdem Ordinis.

Decimum: *Solam fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendam Euchariſtiam; neque ad id confeſſionem eſſe neceſſariam, ſed ſuperfluam, præſertim doctis: neque teneri homines ad communionem in Paſchate. Prima & tertia pars huius articuli fuit ab omnibus ſimpliciter damnata: ſecunda verò ſub dubitatione dimiſſa: quoniam quidam dicebant, confeſſionem non eſſe neceſſariam ad dignam Euchariſtiæ ſumptionem, habitâ copiâ Confeſſoris, vbi eſſet conſcientia peccati mortalis; ſed ſufficere contritionem cum voto confeſſionis faciendæ tempore ſuo: & idcò non eſſe damnandam partem huiuſmodi. Alij autem dicebant, confeſſionem ſimpliciter neceſſariam, ac per hoc partem illam eſſe vt hæreticam damnandam. Tertij verò vt erroneam, ſcandaloſam, & ad manifeſtum animarum interitum perducentem, ac indignæ ſumptioni Euchariſtiæ oſtium aperientem (vt quotidiana probant exempla) eam damnandam aſſerebant.* 6

In monumentis legi, huiuſce articuli damnationi obſtitiſſe Melchiorem Canum, teſtificantem, huiuſmodi doctrinam fuiſſe traditam à Caietano, ab Adriano Sexto, & à Roffenſi, in articulo decimo ſexto aduerſus Lutherum; à Petro Paludano, à Richardo, ſuper quarto Sententiarum, diſtinctione decimaſeptimâ; à Theophylacto in prima ad Corinth. cap. 11. à Ioanne Chryſoſtomo Homil. 18. in c. 10. ad Corinth. & à Panormitano in c. *De Ordine*, tit. *De celebr. Miſſ.* Quâ opportunitate lectores moneo, cùm à me teſtimonia referuntur vt ab aliis producta, mihi propterea non eſſe animum affirmandi, allatos ſcriptores loqui ſecundùm eorum ſententiam, qui ipſos adducunt. Profeſſus eſt tamen Canus, ſe in ea ſententia non eſſe, quando illi contraria colligebatur ex Eccleſiæ traditione; eademque erat Euſebij opinio lib. 6. cap. 15. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ de Philippo Auguſto, & Nicephori in Hiſtoria tripartita lib. 6. cap. 25. & S. Cypriani in lib. 3. Epiſtolarum, in libello *De lapſis*, & in libello *De dogmatibus Eccleſiaſticis*, cap. 13. & Vgonis lib. 2. *De Sacramentis.* 7

Eſſe

Eſſe igitur damnandum articulum, ſed non tamquam hæreticum; id verò quonam pacto, & quâ formâ, ad ſanctæ Synodi prudentiam ſpectare. 1551.

8 Fuſiùs ſermonem habuit Martinus Olauius, Auguſtani Cardinalis Procurator, dicens, arbitrari ſe, præmittendam noxarum exhomologeſim, ob varios abuſus qui oriebantur ex licentia, quam oppoſitæ ſententiæ ſectatores ſibi arrogabant; nolle tamen, vt id ceu neceſſarium ſtatueretur.

Ambroſius Pelargus cenſuit adiiciendum, *habitâ Confeſſarij copiâ.* Opinationi Caietani omnino adhæſit Reginaldus à Genua Dominicanus. Franciſcus Villarua è S. Hieronymi familia Hiſpanus, Archiepiſcopi Granatenſis Theologus, exiſtimauit, huiuſmodi obligationem non ex Diuino mandato, ſed ex laudabili Eccleſiæ conſuetudine profectam.

9 Collectæ in breue compendium ſententiæ, reſponſioneſque minorum Theologorum, Patribus communicatæ fuere die 17. Septembris, & vigeſimoprimo in congreſſibus generalibus ſententiæ ab illis proferri cœptæ. Sed anteà æquum duxit Legatus quædam monere, vt ſuæ conſcientiæ ſatisfaceret.

Sibi minimè videri, in nouo articulo quidquam definiendum, æqualíſne an maior gratia impertiretur ei, qui vtramque ſpeciem præ illo qui vnicam ſolùm acciperet; proptereà quòd complures Doctores inæqualitatem habebant pro vera, & Concilio ſatis erat hæreſes prohibere, in quo plurimum adhuc operæ ſupererat, ſcholaſticis quæſtionibus relictis. Præterquam quòd nec etiam opportunum fuiſſet, vt ad inæqualitatem propendêrent, ne fieret laicorum in Sacerdotes commotio, quaſi fraudarentur ab ipſis eâ maiori gratiâ, quæ duarum ſpecierum ſuſceptioni tribuitur.

De decimo: Vtrùm antequam Euchariſtia ſumatur, neceſſe ſit peccata confiteri; cùm vtrimque multi grauiſſimique ſcriptores adſint, videri ſibi, poſitionem allatam ſimpliciter reiiciendam, ſtatuendumque, vt vnuſquiſque, antequam Euchariſtiam ſumeret, obligaretur omnino ad noxas confitendas: vbi enim aliter fieret, magnum periculum adiretur; idque tamquam dictum in ſcandalum trahens damnabatur. Nihil tamen ſe dubitare, quin Patres ea eſſent conſilia ſuſcepturi, quæ Chriſtianæ Reipublicæ prodeſſent plurimùm.

10 His dictis, Tridentinus, cui dicendi proximè ius erat, articulos damnauit: ſed vnà ſuaſit, denegandam non eſſe Germanis, etiam Catholicis, vtriuſque ſpeciei ſumptionem; plurimis ex

1551. communi bono rationibus adductis, quas alibi referemus, vbi hac de re ſub Pio IV. ex profeſſo conſilium habitum eſt. De nono articulo cenſuit, nullam de gratiæ æqualitate aut exceſſu mentionem faciendam. Et ſupra decimo, qui ſpectabat ad culpas ante Chriſti Corporis ſumptionem Confeſſione expiandas, auctor erat, vt adderetur, *habitâ Confeſſionis copiâ*, aut ſaltem in voto.

In eamdem ferè ſententiam locuti ſunt duo Septemuiri, qui, ſicuti dictum eſt, iam acceſſerunt, & Epiſcopi Zegabrienſis ac Viennenſis, Regis Romanorum Oratores. Verum Archiepiſcopi Turritanus & Granatenſis, & ſummus Auguſtinianorum Moderator, exiſtimarunt plus gratiæ conferri per ſumptionem vtriuſque quàm vnicæ ſpeciei. Reliqui ferè omnes aut in contrariam abierunt, aut ſimpliciter eam quæſtionem omittendam affirmarunt. Tandem ita potior ſententia fuit, in vtraque ſumptione gratiam æqualem recipi: ſed ſimul ſatius duxit, omnem ea de re mentionem prætereundam. 11

Quod verò in articulo decimo ſpectabat ad obligationem confitendi peccata, priuſquam Euchariſtia perciperetur, magna fuit inter Patres opinionum varietas, perinde atque inter minores Theologos fuerat. Sed plerique arbitrati ſunt, eam antecedentem confeſſionem ita eſſe neceſſariam, vt tamen opinio contraria notam hæreſis haud acciperet. 12

Nouem itaque Patres ex doctioribus primariiſque delecti ſunt, qui Decreta conficerent; & quod attinebat ad poſtremum caput, hiſce verbis Canon ab illis concinnatus fuerat: *Si quis dixerit, ſolam Fidem eſſe ſufficientem præparationem ad ſumendum digniſſimum ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum, anathema ſit. Et, ne hoc Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem ſumatur, ſtatuit & declarat ipſa ſancta Synodus, illis, quos conſcientia peccati mortalis grauat, neceſſariò præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu publicè diſputare præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.* 13

Forma Canonum ad Patres relata eſt Kalendis Octobris, & die ſexto conuenere ad dicendas ſententias; quæ à ſingulis proferebantur, iis exceptis, qui Canones confecerant, cùm ipſorum eſſet, ſui operis rationes ſolùm adducere, ſi quid ab aliis obiectum fuiſſet. Quoniam igitur quibuſdam vox illa *publicè* diſplicebat, Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus reſpondit, appoſitam eam fuiſſe ad euitandam populi offenſionem; priuata ſiquidem de eo diſceptatio interdicta non erat. Alij alia aut adiicienda aut mutanda cenſebant, huic vel illi ſententiæ fauentes; præſertim verò multi 14

cupie-

cupiebant memoratam particulam, *habitâ Confeſſarij copiâ.* 1551.

15 In reliquis Canonibus, quod in eo conſeſſu, meo iudicio, maioris momenti fuit adnotatum, illud eſt, cùm tertius Canon ita fuiſſet conformatus: *Si quis dixerit, ſub qualibet ſpecie, & ſub qualibet ipſius parte non contineri totum Chriſtum, ſit anathema*; Ioannem Æmilianum Hiſpanienſem, Tudætanum Antiſtitem, monuiſſe, vt adiiceretur, *factâ ſeparatione:* ſiquidem variabant ſententiæ, an Chriſtus eſſet ſub qualibet particula hoſtiæ integræ: atque ita effectum eſt. Et quamuis exemplari poſteà reformato Turritanus opponeret, per adiectas voces indicari, id ante ſeparationem verum non eſſe; ac proinde vt illæ delerentur depoſcerent Conſtantienſis ac Stabienſis; quin etiam Lancianenſis vellet, vt amplians particula etiam apponeretur: his tamen omnibus reſtitit Bituntinus, qui vnus è ſelectis Patribus erat; admonuitque, ſolas hæreſes eſſe damnandas, non item Scholaſticorum ſententias definiendas. Quod libentiùs refero, quia Doctor aliquis tradidit, magis ad Fidei dogma pertinere, totum Chriſtum eſſe ſub qualibet particula ante ſeparationem quàm poſt, & iis vocibus *factâ ſeparatione* idem ſignificari, quod *etiam factâ ſeparatione.*

16 Cùm itaque Canones à delectis Patribus reconcinnati fuiſſent, is qui ad Confeſſionem ſpectabat, ita propoſitus eſt: *Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideò in mortem & condemnationem ſumatur; ſtatuit & declarat ipſa ſancta Synodus, illis quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcumque etiam ſe contritos exiſtiment, habitâ copiâ Sacerdotis, neceſſariò præmittendam eſſe Confeſſionem Sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter aſſerere, ſeu etiam publicè diſputando defendere præſumpſerit, eo ipſo excommunicatus exiſtat.*

17 Verumtamen propoſitâ quam attulimus formâ ſimul cum doctrinæ Decretis, quæ Patres deſignati contexuerant in generali cœtu 9. Octobris, Turritanus cenſuit Canoni adiiciendum: *Niſi adſit ingens neceſſitas:* Stabienſis hanc aliam appendicem popoſcit, *quando ſcandalum non vetet:* alij verò has illáſve reſtrictiones optabant, quæ omnes haud ſatis à reliquis comprobatæ; ſolùm vox illa *Sacerdotis* in vocem *Confeſſarij* eſt permutata, quam Iacobus Naclantus Epiſcopus Clodienſis propoſuit; propterea quòd non ineſt cuilibet Sacerdoti confeſſionis audiendæ poteſtas. Et quamquam Muſſus, quippe vnus ex delectis Patribus, reſponderet, vocem *Sacerdotis* loco *Confeſſarij* vſurpari à Synodo Conſtantienſi; ea tamen cautio à Clodienſi adducta comprobationem obtinuit: &, quantum arbitror, ratio fuit, ne crederetur huiuſmodi obligationi locus eſſe,

1551. quando adeſſet Sacerdos, tametſi non præditus auctoritate abſoluendi hominis, qui ad ſacram menſam accedit. Quamobrem cùm & is & alij Canones ac Decreta à deſignatis Præſulibus emendata fuiſſent ex poſtrema Patrum cenſura, Canonis nuper allati tenor, pro eo ac legitur in præſentia, probatus eſt. In Decretis formandis Natura imitanda eſt in informatione viuentium, quæ omnem muſculum, omnemque fibram ſumma cum ratione diſponit: quamuis enim ea ſint parum ſpecioſa, ſemper tamen ſunt plurimum operoſa.

CAPVT III.

Expenduntur Suauis effata de primordiis progreſſibuſque iuriſdictionis Eccleſiaſticæ.

IN reparandæ diſciplinæ negotio decretum fuit, vt continuaretur ſubmotio obſtaculorum, quibus Epiſcopis manſio in ſuis ſedibus præpediebatur: inter ea potiſſimum eſſe illi affirmabant exercendæ iuriſdictionis impedimentum. Hinc Suauis occaſione captâ, originem progreſſumque iuriſdictionis Eccleſiaſticæ longâ digreſſione proſequitur; in qua more ſuo multa pronuntians, nihil probans, inſtar oraculi tria perſuadere, & in lectorum animis imprimere conatur. 1

Primum eſt: Epiſcoporum auctoritatem in controuerſiis dirimendis ſine conſenſione tum Preſbyterij ex clericis conflati, tum deinde generalis cuiuſdam, etiam laicorum, conuentus, ortam eſſe ex ignauia populorum, ab huiuſce curæ onere abhorrentium, & ex ambitione Præſulum huic auctoritati inhiantium. 2

Secundum: Huiuſmodi iuriſdictionem principio fuiſſe voluntariam cuicumque, qui eorum iudicio ſe ſponte committeret; poſteà verò ex Cæſarum Principumque ſuccedentium priuilegio factam eſſe neceſſariam, &, ſicuti loquuntur Iuriſconſulti, *coactiuam:* quam poſtmodum ipſi Eccleſiaſtici adeò confirmarunt, vt eam ſibi arrogent, nihil ferè ab ipſis Principibus pendentem, & à Chriſto ſibi proximè collatam. 3

Tertium eſt: Romanum Pontificem, Eccleſiâ ſub iugum actâ, ad ſe per tyrannidem abripuiſſe quidquid Epiſcopi mille & trecentorum annorum ſpatio ſibi acquiſierant, *conſtituto in medio ciuilis regiminis alio regimine, quod à ciuili non penderet, aduerſus quàm quiſquis, qui de regimine ſcripſerit, fieri vmquam poſſe cogitauerit.* 4

Duo ſunt, quæ Suauis ſtylo præcipue fauent. Alterum, quòd populares 5

pulares opiniones diſſeminet. Etenim populi mens cùm ab vtilitate magis moueatur quàm à ratione, vti quam nec æſtimat, neque percipit, verum putat quidquid ſibi conducibile videtur, probatione minimè quæſitâ. Mihi verò, ad veritatem contrariam efficaciter digneque ſtabiliendam, opus foret aliud volumen contexere, in quo congererem quæ tot illuſtres viri de induſtria ea de re diſputarunt. Alterum eſt, quòd non modò Suauis non cauet ne vllum lædat, ſed intendit multos laceſſere, & rem Chriſtianam perturbare. Proinde quidquid ipſi libuit, proferre licuit, cùm id animo agitaret, vt ipſius libri ducturi eſſent vitam quaſi graſſatorum, qui ſe non abſtinent ab eo, quod ipſis odia proſcriptioneſque variis in regionibus pariat, cùm ſatis illis ſit, per eas excurrere non tamquam hoſpites, ſed tamquam hoſtes. Contrà verò quod mihi propoſui, eſt pax Chriſtianorum; nollemque & ipſos hæreticos vulnerare, ſed conciliare, niſi quantum eorum vulneratio neceſſaria eſt vel ad iuſtam defenſionem, vel ad Catholicos ab ipſorum aggreſſionibus vindicandos. Multò odioſius mihi eſt, inuidioſas diſputationes ingredi de profana poteſtate, cuius diſſenſionem à ſacra inter maximas calamitates enumero, quas pati poſſit Eccleſia, hoc eſt corpus illis membris compactum, quorum Chriſtus eſt caput: quâ planè ratione accideret corpori naturali, in quo dextrum ac ſiniſtrum brachium inter ſe concertarent, ſeque inuicem percuterent. Satis itaque mihi eſt eam tueri veritatem, quam extra omnem controuerſiam omnes Catholici fatentur, prætermiſſis aliis ambiguis lubriciſque quæſtionibus. 1551.

6 Ac primò quidem de iuriſdictione Epiſcoporum, è communitate Fidelium haud pendente, alibi contra Suauem fuse diſſerui; adeoque ſatis hîc habeo, ea breuiter in lectoris memoriam reuocare: cùm homo ſit animal adeò dominandi cupidum, adeoque obtemperandi impatiens, nullo pacto fieri potuiſſe, vt Epiſcopi viribus inermes in ſuis cunctis Diœceſibus, vniuerſiſque Chriſtiani Orbis regionibus populos inducerent ad ſeipſos ſpoliandos, prout Suauis comminiſcitur, poſſeſsâ iuriſdictione, niſi compertum fuiſſet omnibus, id rectæ adminiſtrationi neceſſarium eſſe. Atque hoc conceſſo, duæ conſecutiones extemplò dimanant: altera, ita fuiſſe ab ipſo Chriſto conſtitutum; niſi velimus nobis perſuadere, ab eo fuiſſe quamdam formam regiminis inductam quæ perdurare non poſſet, ac proinde cogerentur homines in omni plaga aliam præſtantiorem ordinare. Secunda conſecutio eſt, vnumquemque hoc regimen inuertere molientem ſeditionis flabellum eſſe, & conniti

1551. Chriſti cultoribus adimere adminiſtrationem illam, quam non in vno alteróve loco, ſed in cunctis Chriſtianæ Reipublicæ oris illi vniuerſi tamquam neceſſariam & putarunt & receperunt, eamdem ipſam tredecim iam aut quatuordecim ſæcula, ſi Suaui credimus, exercentes. Porrò quòd potior Epiſcoporum cura ſit animarum cultura, quàm fori adminiſtratio, vſque adeò certum & omnibus in confeſſo eſt, vt licuiſſet Suaui ſuo labori parcere in petendo huius rei teſtimonio ab ætate atque auctoritate Auguſtini; breuiori itinere potuiſſet ſiſtere in Bernardi ætate, iis productis,[a] quæ ad Eugenium Pontificem ille ſcripſit, quando iam Eccleſiaſtica hierarchia tum ad minores tum ad maximum Pontificem relata, eâdem ratione, etiam ſecundùm Suauis chronologiam, quâ in præſentia, adminiſtrabatur. Quin planè ne vno quidem paſſu ſuam extra ætatem vagatus, per eos annos quibus Romæ adfuit, ſi conciones vmquam in Apoſtolico palatio habitas excepiſſet, de hoc ipſo à ſacris Concionatoribus Præſules ſæpiſſimè admonitos audiuiſſet: & cuicumque oculorum acies adeſt, licet hanc ipſam doctrinam ſæpiùs repetitam legere in plurimis concionibus, quas ætate noſtrâ in hac vrbe egregij viri & ex aliis & ex hoc meo Ordine habuerunt, typiſque vulgarunt. At eam non omnes opere præſtare haud diffiteor: ſed parum emineret Epiſcoporum dignitas, ſi eo ſiſteret in gradu, quò vel omnes vel pleique peruenirent. Sed quid mirum, quando ne ſimplicis quidem Chriſtiani longè inferiora officia ab vllo homine ſanctimoniâ prædito exercentur, quin crebris quotidie labeculis inſpergantur? Permittamus Platoni ideas; ad opus ipſum accedamus. Singuli eruditione præſtantes, variis regionibus & ætatibus mentis ob oculos ſibi propoſitis obſeruent, num ſiue in alia religione, ſiue in Chriſtiana, per diuerſam regendi rationem tantum ſubſidij attributum ac reuerà ſuppeditatum nanciſcantur animarum culturæ, pietatis alimento, ſuaui morum emendationi, quantum in Religione Catholica, & in regimine quo ea hiſce temporibus adminiſtratur? Quiſquis hac Reipublicæ formâ contentus non eſt, næ is aut inſanus aut deceptor eſt. Denique ſuo quiſque reuoluat animo, quæ litium confuſio, quæ ſententiarum iniquitas Eccleſiam peruerteret, ſi cauſæ diiudicandæ eſſent per ſuffragia, non quidem à minutioris notæ clericis, ſed, pro eo ac Suaui liberet, à turba imperita, ad expendendas rationes inepta, ſuiſque cupiditatibus mancipata.

[a] Lib. 1. de Conſider. cap. 5. & epiſt. 256. cuius initium eſt, *Non eſt leue.*

Eadem argumentandi ratio mihi præſtò erit in altero capite iuriſdictionem Præſulum ſpectante, ſi cum laicis componatur. Etenim 7

cùm

cùm antiquiores Epiſcopi armatis legionibus inſtructi non fuerint ad profanos Principes violenter opprimendos, quin ſæpiùs illorum iniuriis velut inerme ſignum appetiti; quonam pacto Chriſtiani Principes, ingenio tam diuerſi, per tot annorum ſeriem, Epiſcopis poteſtatem vnanimes tam amplam permiſiſſent, niſi planè intellexiſſent aut ipſis à Chriſto fuiſſe impertitam, aut certe ad populos rectè gubernandos conducibilem? & vbi alterutrum verum ſit, hoſtis eſt communis vtilitatis, quicumque odio certi alicuius Principatus, huius regiminis euerſionem cum publico detrimento molitur. Neque hîc opus eſt aliam ingredi quæſtionem, an Epiſcopis iuriſdictio in cauſis, non Eccleſiaſticis modò, ſed etiam ciuilibus eorum qui ſe Deo manciparunt, & non ſolùm ad eorum corpora, ſed ad ipſorum etiam ſubſtantias pertinentibus, tribuatur ſeu proximè ab ipſo Chriſto, ſeu per legitimam ſanctionem à Chriſti Vicario, ſeu ex pia conceſſione Chriſtianorum Principum, quam firmarit, irreuocabilemque reddiderit conſuetudo, ac vetuſtiſſima Eccleſiæ poſſeſſio, pro eo ac variant auctorum ſententiæ. Certum illud eſt, nec per vim ab Epiſcopis illam extortam fuiſſe, nec furto ſublatam; cùm in comperto ſit, præter plurimas veterrimorum Pontificum Conſtitutiones, id aperte ſancitum de cauſis criminoſis à quatuordecim Conciliis, quà Oecumenicis, quà Prouincialibus, admodum vetuſtis; in primis à Chalcedonenſi,[b] & maximo & celeberrimo, ſexcentis triginta Epiſcopis conflato, & Cæſarum auctoritate nobilitato: quæ Concilia cum aliis innumeris teſtimoniis recenſentur in erudito commentario[c] à Romana Rota anno 1607. typis edito. Quod autem ſpectat ad iuriſdictionem in Eccleſiarum bona, conſuli poſſunt Synodus[d] tertia Romana, à Symmacho Pontifice habita iam ante mille ſupra centum quinquaginta annos, à Gratiano[e] relata, aliæque complures Prouinciales, præter generalem atque inſignem Lateranenſem ſub Innocentio III.[f] quibus ſanctionibus adeò ſolemnibus, adeoque per varias regiones iteratis, Principes laici opere obſtitiſſent, ſi voluntate diſſenſiſſent. Atqui ex oppoſito eas ſibi probari profeſſi ſunt, cùm in ſuis Academiis ſtipendia perſoluerint Magiſtris Iuris Canonici, in quo ſanctiones illæ continentur. 1551.

b Canone 9.

c Pag. 102. & multis ſequentibus.

d Cap. 3. & 4

e 12. q. 2. cap. Non liceat.

f Cap. 44.

8 Nec aliâ pariter ratione mihi opus eſt ad diluendum quod tertio loco eſt obiectum de ſuprema Romani Pontificis iuriſdictione: ſed remiſſis lectoribus ad ea, quæ Aleandri voce diſſerui[g] in Wormatienſi conuentu, abundè mihi ſit percontari, Quanam magicâ vi Romani Pontifices vniuerſum Chriſtianorum genus adeò faſcinarunt, vt illud inermes ſibi ſubiecerint, cunctis Epiſcopis ad ſibi obſequen-

g Lib. 1. c. 25.

1551. ſequendum, cunctiſque Principibus ad ipſos tamquam Chriſti Vicarios venerandos vſque ad oſculum pedum pertractis? quonam amuleto tam Diuinam poteſtatem tot ſæcula inter tantam hominum rerumque varietatem ſibi conſeruarunt, quibus ad eam retinendam inuitis aliis vires neutiquam ſuppetebant? Enimuerò ſi S. Auguſtinus exiſtimauit, terrarum Orbis conuerſionem ad Fidem abſque miraculis miraculorum maximum futurum fuiſſe, & ſatis efficax ad noſtræ Fidei veritatem comprobandam; multò prodigioſius miraculum, longeque efficacius ad comprobandam legitimam Romanorum Pontificum auctoritatem exiſtimaſſet, hanc ipſorum auctoritatem per Chriſtianas nationes amplificatam, ſi contra veteris Eccleſiæ mentem, & ſine manifeſto rationis titulo contigiſſet. Etenim in gentium ad Chriſtum conuerſione complures viri morum ſanctitate venerabiles, dum Religionem legibus honeſtiſſimam promulgabant, aduerſus ſectas belluarum ritu viuentes, & ab ipſo rationis lumine damnatas decertarunt; & antequam Fidem ſtabilirent, innumerabiles ex illis ſecures cruceſque paſſi ſunt. E contrario, ſi res, de qua loquimur, perinde contigiſſet ac eam Suauis colorat, Pontifices, tametſi eorum multi virtute non præcellentes, ſine huiuſmodi certamine obtinuiſſent hanc ampliſſimam ſupremamque iuriſdictionem, diminutâ ſimul & ſacrâ Epiſcoporum & profanâ Principum poteſtate, quarum vtraque rationi diſſentanea nequaquàm videbatur, ſicuti ſaxorum adoratio.

Supereſt, vt poſtremo Suauis dicto reſpondeam, affirmantis, Hoc regimen Eccleſiaſticum minimè pendens à ciuili, in cuius medio poſitum eſt, ne cogitatum quidem fuiſſe ab vllo ſcriptorum, qui de hominum regimine vmquam egerint. Ita eſt: antiquorum ſiquidem ſapientum mens progreſſa non eſt ad multa longè demiſſiora, quàm ſit Diuinæ ſapientiæ Eccleſiam inſtituentis œconomia. Exempli gratiâ: Nequaquam credidere, per veſtigia noſtris plantis aduerſa poſſe homines ambulare, aut ſub æquinoctiali circulo vitam ducere: nunc verò Hiſpani nautæ illorum Philoſophiam irrident. Sed quoniam poſtquam res cernitur in opus deducta, facilius eſt cauſam inuenire cur poſſibile ſit, quod prius fieri non poſſe cenſebatur. Si Plato aut Ariſtoteles hac noſtrâ ætate ſuperſtites forent, experirentur, admiſsâ etiam hac immunitate ſacræ gubernationis à profana, nullum eſſe nec vmquam fuiſſe Reipublicæ regimen ciuilius, cultius, nobilius, honeſtius imperio Eccleſiaſtico. Sic meâ quidem ſententiâ ratiocinarentur: Duplex eſſe genus præſtantiæ, adeoque ſubiectionis; alterum auctoritatis, alterum roboris: nec poſſe regimen 9

men diu probè perſiſtere, quin in tyrannidem degeneret, ſi hæc vtraque præſtantia in vno eodemque capite copulentur. Auctoritatis præſtantia reſidet in Principe, in Senatoribus, in Togatis: præſtantia roboris in Populo, in Ruſticis, in Militibus. Solet autem præſtantia roboris, auctoritatis præſtantiæ ſe ſubdere, quamdiu rectè moderateque auctoritas exercetur; ac proinde, ſi quis ex robuſtioribus contumacior euadat, à reliquis numero potentioribus coërcetur, legitimam poteſtatem vindicantibus. Sin autem contingat, vt auctoritas ſubditos opprimere moliatur, qui ſic robore præpollent, ad eam infringendam conſpirant; atque huiuſmodi conſpiratio, & obluctantis roboris formido, validum quoddam iuſtitiæ præſidium eſt in animis dominantium. 1551.

10 Idem porrò inter Sacram Profanamque poteſtatem vſuuenit. Sacra quidem ſi ſpectetur, auctoritas ſuprema eſt: ad ipſius quippe reuerentiam profani Principes ſeſe inclinant, ab eaque tum ſibi tum ſuis ſubditis normam accipiunt ad altiſſimum hominis Chriſtiani finem proſequendum. Profana è diuerſo, ſi robur ſpectetur, ſuprema eſt, cùm eius nutui legiones arceſque ſubdantur. Dum Eccleſiæ poteſtas intra recti fines ſe continet, meritò à profana formidatur: nam ſi non ſemper, ſaltem ſæpè populorum veneratio, quâ Religionem colit, ſubditos concitat aduerſus profanum Principem ſacræ poteſtati inſultantem. Contrà verò, ſi Præſes Eccleſiaſticus auctoritate ſuâ per iniuriam aduerſus laicorum poteſtatem abuti vellet, à populis, veneratione in deteſtationem commutatâ, deſereretur, adeoque non ampliùs emineret, ſed contempta iaceret: atque huiuſmodi temperamentum vtrique poteſtati conducit. Hinc enim cuicumque prudenti Principi non moleſtum, ſed gratum eſſe debet, ſe fræno quodam coërceri, ne præceps agatur quò furor effrænatæ potentiæ homines trahit: quod frænum non prodeſt ſolùm ne charitatem in Deum hominesque, ſed etiam ne Principatum amittat; quippe qui remoto pariter ſacræ auctoritatis obſtaculo, diutiùs cum petulantia perſtare non poteſt: ſimul etiam hoc eodem fræno populi longè validiùs obſequio Principis obſtringuntur; eaque propter multò minùs coniurationum ſeditionumque inter Principatus Catholicos efferbuit, quàm in iiſdem regionibus, cùm ibi ethnicorum ſuperſtitio aut hæreſis dominata eſt. Hinc verò dum ſacri Præſides intelligunt, ipſorum potentiam, quantum attinet ad vſum, populorum veneratione vniuerſam inniti, commonentur, vt eam venerationem morum integritate ſibi conſeruent, ſeque ab omni eo, quod immoderationem violentiamque præ ſe ferat, prorſus

1551. ſus abſtineant. Huc accedit ad Principis cautionem, quòd ciuitatum ei ſubiectarum Præſules plerumque ſeliguntur ex familiis ditioni ſuæ ſubiectis, iique vel ab ipſo ad Tiaras nominati, vel eidem gratioſi; quodque reliqui omnes Eccleſiaſtici cum eo pariter connectantur pluribus humanis nominibus, originis, accepti beneficij, vtilitatis: adeoque ab eorum ſeu vi ſeu voluntate nihil ſibi metuendum eſt, niſi vbi palàm à Deo ipſe deſciuerit: quin etiam ipſorum operâ, qui ſunt pacis ſtudioſi, & auctoritate pollentes, ceteri bellicoſiores inſolentioreſque in quiete atque officio continentur. Hinc pariter euenit, moleſtiam Principibus non exhiberi à poteſtate, quam ſummus Pontifex in illorum ditionibus obtinet: hæc enim ſimiliter inermis eſt, & homines Eccleſiæ mancipati, qui tandem ab ea maximè pendent, validiſſimis vinculis clientelæ profano Principi obſtringuntur; adeoque non niſi manifeſtâ conſcientiæ lege compulſi, ad illi repugnandum conuenient. Summi verò Pontifices, vtpote orti priuatis natalibus, profeſſione togati, ætate frigentes, plerumque eorumdem Principum ſtudiis euecti, modicæ minimeque hereditariæ ditionis poſſeſſores, rarò inducunt animum ad ſuſcipienda ſeu continuanda vaſta, inquieta & periculoſa conſilia. Quamuis autem hæc omnia, perinde ac reliqua moralia, & quæ pendent ab humani arbitrij varietate, nec omnino certa in cunctis euentibus confluant, nec vim obtineant ineluctabilem ad permouenda cuncta ingenia, vt proinde interdum profani Principes impetum quorumdam Epiſcoporum, aut per ferociam quorumdam Pontificum moleſtiam aliquam experti ſint; tamen quis adeò deſipiat, vt arbitretur procul arcendum, tamquam pernicioſum, quidquid interdum nocet; tametſi veriſimilior & frequentior ſit eiuſdem vtilitas? Id ita ſi foret, oporteret vt Principes ſuos milites exarmarent, præſidiaque dimitterent, ob exempla multorum dominantium, qui à ſuis præſidiariis oppreſſi & ſceptrum & vitam perdiderunt.

Hæc igitur rationum momenta ſunt, ob quas tot iam ſæcula perdurat id quod Suauis autumat, à priſcis de regendi forma ſcriptoribus tamquam poſſibile numquam fuiſſe cogitatum: nec ſolùm perdurat, ſed tria parit ingentia adiumenta ad mortalem etiam felicitatem. Vnum eſt, maxima & in primis amica inter Principes nationeſque communicatio: cùm per alia tempora, & in aliis ſectis conſpiciamus, à ſingulis ferè principatibus ſingulos per ſe quaſi mundos conſtitutos, exteris vix non ignoratis, aut notis ferè tamquam hoſtibus, non tamquam ſuis ciuibus, vnam humanam Rempublicam conſtan- 11

conſlantibus; quod rectæ hominum conſtitutioni, finique à Natura 1551.
intento tantum repugnat, quantum Ariſtoteles conſiderat, [b] obſeruans non alia de cauſâ hominem ab illa generari alienæ opis indigum, & ſibi ipſi minimè ſufficientem, niſi quòd mutua indigentia commercia contrahat ſocietatemque, per quam communes fiunt ſingulis hominibus merces, notitia, vires ab vniuerſo mortalium genere poſſeſſæ, & vnamquamque regionem locupletet tot ſalutaribus iucundiſque naturæ fructibus, tot præclaris induſtriæ inuentis, tot miris arcaniſque rerum cognitionibus, quot immenſa omnium locorum ingeniorumque varietas progignit. Hæc itaque ſocietas, ac veluti fœdus multarum inter ſe nationum, quantumuis inuicem longè diſtantium ac diuerſarum, mirificè colligatur & extenditur ob coniunctionem, quâ cunctæ Chriſtianæ nationes in vno eodemque Eccleſiæ Capite nectuntur.

b Primo Politicorum.

12 Aliud emolumentum eſt, quòd adſit ſequeſter quidam concordiæ inter Principes Chriſtianos, ad cuius & officium & commodum pertinet eam curare, quò Chriſtiana Reſpublica ſibi obtemperans ſit validior aduerſus infideles, aut contemptores, aut hoſtes auctoritatis ſuæ; & cui tamquam communi parenti poſſint Principes iniuriæ vlciſcendæ ius commotique animi ſenſa condonare.

13 Tertio loco prodeſt, quia principatus quidem extat eiuſmodi legibus inſtitutus, vt qualiſcumque ſit in iis cuſtodiendis infirmitas, quicumque homo, qui litteris vitæque probitate tamquam dignus commendetur, polliceri ſibi poſſit, non quidem ſemper pro menſura meriti (cùm id extra cæleſtem Rempublicam neutiquam ſperandum ſit) ſed ſemper longè ſupra fortunæ ſuæ conditionem ſe prouectum iri. Qui ſanè ad virtutem ſtimulus, nec eſt nec vmquam fuit adeò validus in quouis alio poſt orbem conditum principatu.

14 Si rationes haſce perpendiſſet Suauis, non eo deueniſſet audaciæ, vt rerum ciuilium tam fidenter Ariſtarchum ageret, ratus, tot Principes, tot Senatus, tot Nationes tam longo annorum curriculo mentis impotes fuiſſe, dum ſe ad inermis cuiuſdam Sacerdotis pedes ſponte proſternerent. Admiratio, ignorationis filia, ſed fortunata eſt, quia mentem excitat ad ignotas cauſas nouorum effectuum perſcrutandas: verùm hanc vtilitatem confert, modeſtè pro certo ponens, huiuſmodi cauſas reuerà eſſe non eorum quæ ſciri poſſunt, immenſitatem coarctans inter anguſtias intelligentiæ ſuæ, vnde ſibi perſuadeat id, cuius cauſam nequit attingere, temerè contingere.

1551.

CAPVT IV.

Diſcutiuntur ea quæ ſcribit Suauis de morum legibus, in Seſſione decimatertia latis; tum quod ad Appellationes ſpectat, tum quod ad Degradationes quas vocant.

SVauis vbi doctrinas tam erroneas tamque ſeditioſas præmiſit aduerſus Eccleſiæ, Epiſcoporum ac Pontificis iuriſdictionem, refert, à Patribus agnita fuiſſe duo præcipua, quæ in illius vſu peccabantur: alterum ex parte Præſulum, qui exiguâ charitate, ac ratione minimè paternâ iuriſdictionem adminiſtrabant; alterum ex parte ſubditorum, qui per varia effugia ſe illi ſubducere ſtudebant. Cùm autem ageretur de adhibendis remediis priori vitio, quod, ait ille, alterius erat origo, Patres mordet, quòd non niſi conflato cohortantibus verbis Decreto rebus conſuluerint. Profectò niſi iſtius hominis nequitia cæcitaſque non ex inſcitia, ſed ex liuore orta in comperto mihi eſſet, tamquam rerum ciuilium imperitiſſimus, inter eos qui de illis ſcripſiſſent, à me deſpiceretur. In primis, quâ febri autumnali correptus tam ſtolidè ſomniauit, ex tenuitate charitatis Præſidum in iudicando oriri, vt rei ab illis damnati latæ in ipſos ſententiæ ſe ſubtrahere connitantur? Num fortè nouum eſt adagium, Cunctis iuſtitiam, ſed alienam in domo placere? An fortè probatur reis Calliclis apud Platonem [a] ſententia, Iuſtam pœnam optandam eſſe à ſontibus, veluti ſalutarem medicinam; adeoque probi patroni partes eſſe, vt in amicos ſontes inuehatur, quò ipſis huiuſmodi beneficium comparet; vtque idem inimicorum nocentium defenſionem ſuſcipiat, quò illi eodem priuentur? Num fortè clerici flagitioſi S. Caroli Borromæi ſententiis acquieuerunt, quòd ille ſanctimoniæ exemplar eſſet; an potiùs auſi ſunt prouocare, non inquam ad Romanum Pontificem, ſed ad vim, ad nefas, exploſis in eum bellicis fiſtulis, à quibus diuinitus illæſus perſtitit? Porrò in cauſis ciuilibus, quæ huiuſmodi charitatem in reum non poſtulant, ſed ſolùm vt ſua cuique ratio tribuatur, num fortè negligunt homines efficacitatem iuſtitiæ omni ope declinare? Natiua horum malorum origo inter mortales, eſt inordinatus ſui ipſius amor, qui cupiditatis illecebrâ cuique perſuadet ius pro ſe ſtare, & vtilitatis conſilio quemlibet compellit ad damna, quamuis iuſta, ſubterfugienda. 1

[a] In Gorgia.

Secundo loco libenter documentum aliquod à Suaui didiciſſem; 2
quânam aliâ ratione Epiſcopi, aut quilibet Magiſtratus, ad omnibus abſolu-

abſolutam numeris charitatem adduci poſſint, niſi per admonitionem & cohortationem. Si hanc ille rationem nactus fuerat, cur eam non propoſuit patriæ ſuæ Senatui, qui, vtpote communis boni ſtudioſiſſimus, abſque dubio & illam excepiſſet, & eius quaſi theſauri inuentorem præmiis affeciſſet? Num hic homo docendus erat, duas eſſe menſuras, aut potiùs dicamus, duas normas virtutis? Altera, quæ *medium rei* dicitur, certa quædam norma eſt, & immutabilis, tametſi conditiones hominum permutentur; cuiuſmodi eſt quæ Iuſtitiæ commutanti tribuitur: altera, quæ non rei ſed *rationis medium* appellatur, norma quædam eſt incerta, minimeque manifeſta, quippe à ratione pendens, à qua variè conſtituitur pro varietate innumerabilium conditionum, ob quas id in altero homine & cum altero laudabilior fit, quod alteri vituperatione dignum accideret; atque hac normâ reliquæ, præter Iuſtitiam, virtutes vtuntur. Iam verò, quis neſciat, præter eos qui ne pictam quidem moralem ſcientiam oculis vmquam vſurparunt, huiuſmodi virtutibus certam & immutabilem normam non aptari? Norma vnica in re noſtra eſt Præſidis probitas ac prudentia; adeoque aliter Reipublicæ proſpici non poteſt, quàm ſi optimi Præſides deligantur, quantum & fallacia iudiciorum in electoribus, & inopia exactæ virtutis in eligendis, & munerum copia in Republica permittunt: deinde verò ſi inter illos afficiantur præmio qui benè, tolerentur qui mediocriter, puniantur qui malè Rempublicam adminiſtrant. Quid igitur, inquiret aliquis, proſunt admonitiones illæ cohortationeſque, quas velut expertes cuſpide Concilium adhibuit? Proſunt, vt intelligatur, quam agendi rationem expetat Synodus in iis quos hortatur ac monet; cùm animus adeò ferreus nulli ſit, vt monitus quid à ſe Deus homineſque depoſcant, aliquatenus non moueatur, tum ad Diuinam indignationem, tum ad humanam vituperationem euitandam. 1551.

3 Poſt hæc Suauis per conſuetam ſibi artem, inductâ Ioannis Gropperi perſonâ, diſſerit de altera corruptela, hoc eſt de impedimento ſacræ iuriſdictionis, ob effugia cauilloſque prouocantium ſubditorum. Hîc etiam anſam arripit ad inſinuandum lectorum animis id quod ipſe potiſſimùm intendit, vt cuncta videlicet Eccleſiæ adminiſtratio ad Democratiam redigatur; affirmans, apud veteres conſueuiſſe appellationes ab Epiſcoporum ſententiis à Clericorum cœtu recognoſci: ſed aduerſus huiuſmodi poteſtatem in Eccleſiaſticis conuentibus paulò antè ſatis eſt diſputatum. Pergit deinde improbare facilitatem prouocandi, à iure Pontificio conceſſam; quâ in re

1551. obſeruandum eſt, per lenitatem Canonum curatum fuiſſe, vt multis in rebus iudicia à Legum ciuilium ſolemnitate aut ſeueritate, redirent accederéntve ad ſimplicitatem & æquitatem priſtinam Iuris Gentium aut Naturæ. Exemplum huiuſce rei peti poſſet ex eo, quòd minorem teſtium numerum ad efficaciam teſtamentorum Canones requirant; quòd vim obligandi reſtituant pactionibus, tametſi nullâ causâ conueſtitis; quòd poteſtatem rei ſuæ recuperandæ concedant contra poſſeſſorem malæ fidei, quantouis tempore eam poſſederit; quòd ſufficientis probationis virtutem tribuant, aduerſus quemlibet in cauſis ciuilibus, propriæ confeſſioni, quamquam extra iudicium emiſſæ; & quòd alia huiuſcemodi conſtituant. Porrò quoniam pro Iure Gentium, cui per Legem ciuilem haud derogamus, videatur licere à quauis ſententia quâ grauamur prouocare, adeoque nequaquam cogatur litigator in vllo cauſæ capite ab vnius dumtaxat hominis arbitrio, ignorantiæ animique perturbationi ſubiecto, pendere; hinc effectum eſt, vt vbi lex Cæſarea prouocationem negat à ſententiis quæ *interlocutoriæ* appellantur, hoc eſt, latis de articulis incidentibus, & tantiſper dum primaria cauſa decidatur, Canones huiuſmodi ſeueritatem ad primæuam lenitatem retraxerint, prouocationemque ab omni Decreto quo grauaremur indulſerint. Poſteà, cùm in hominibus cauillationes excreſcerent, atque animaduerteretur (ex eo quòd illi hac benignitate abuterentur, quæſito per varios colores titulo prouocandi ante latam ſententiam, atque ita condemnationem præuerterent euitarentque) nimiùm coarctari ordinariorum Iudicum iuriſdictionem, ſimulque flagitiorum impunitatem laxari, id per Tridentinam Synodum, quemadmodum narrauimus, moderatum.

His quæ dixit nondum contentus Suauis, ictu gemino petit obliquè hanc prouocandi libertatem; inuiſam ſibi, tum quia ipſi diſplicet quidquid placet Eccleſiæ, tum quia conducit eadem ad dignitatem Pontificis, cuius Curia prouocationum causâ euadit tandem ſupremum cauſarum Tribunal. Alter ictus eſt, quod in Monachorum Ordinibus rectè conſtitutis appellationes interdicantur; aut vbi ad hoc perfectæ virtutis faſtigium peruentum non eſt, ſaltem ad iudices extra Ordinem prouocare non liceat: *quod cùm ex eo quod cernitur, conferat ad rectam eorum Ordinum adminiſtrationem retinendam, idem ſanè præſtaret publico Eccleſiæ regimini, vbi prouocationes intra eamdem prouinciam continerentur.* Alter eſt, quòd iure communi haud permittitur ad ſupremum proximè prouocare, intermediis tribunalibus prætermiſſis: id verò eſſet obſeruandum. 4

De

5 De priori, Deo grates agendæ, quòd Suaui Regularium inſtituta ſemel comprobantur: ſed quando? cùm eorum comprobatio poteſt ab ipſo retorqueri ad vniuerſæ Eccleſiæ inſtituta improbanda; quatenus verò eadem illi ſeruiunt ac proſunt, ſemper hæc deteſtatur tamquam regiminis Eccleſiaſtici turbamenta & incommoda. At quorſum eſt hæc comparatio? Num fortè in animum hic induxit, conducibile futurum fuiſſe, vniuerſum ordinem Clericorum per legem cogi ad eam perfectioris vitæ ſeueritatem, cui multæ religioſæ Familiæ ſponte ſe mancipant? an illi præſcribenda eſſet pſalmodia per Caſſinatium aſſiduitatem, maceratio corporis per abſtinentiam Minimorum, & ſtrictiorum Franciſcanorum auſteritatem? & omiſſis legibus rigidioris virtutis, quibus hic vel ille Religioſorum Ordo ſe ſubiicit, in iis ſiſtamus, quæ ſunt cunctis communia; an nihil proprij poſſidendum, an in rerum vſu, in munerum domiciliique conditionibus omnia moderatoris arbitrio committenda? Sapienter in Euangelio conſilia ſecernuntur à præceptis: & ea quæ conſiliorum libertati relicta, vtiliſſima planè ſunt, quia feruentem paucorum charitatem excitant ad Deum ſibi demerendum, dum ea complectuntur: ſi ad mandatorum neceſſitatem redigerentur, eſſent pernicioſa, quia communi hominum tepori occaſionem peccandi præberent, dum ea violarent. Num Suaui non recurrebat in mentem, heroëm ſui poëmatis, hoc eſt Lutherum, affirmaſſe, legem Diuinam, etiam Chriſtianis omnibus communem, inobſeruabilem eſſe, acriuſque deteſtari tamquam irritas, & quæ cuſtodiri nequeant, Religioſorum leges, tametſi coarctatas ad eos paucos homines, qui talem viuendi rationem ſponte ſibi ſelegerunt, quique poſt periclitationem diuturni tyrocinij, perpetuam illius obſeruationem Deo promiſerunt? Numquámne hic legit quæ tradidit S. Thomas[b], Ex vi ſolemnis profeſſionis, in quauis religioſa familia diſſolui quodcumque votum operis maximè laudabilis atque aſperrimæ pœnitentiæ, ob grauitatem perpetuitatemque huiuſce ligaminis? Itaque ſi homines quorumdam Ordinum Regularium ſponte ſe abdicant eo remedio, quod à lege conceditur aduerſus iniurias, quas quandoque patiuntur aut ex praua iudicis intelligentia, aut ex auerſa eiuſdem voluntate; quis erit tam emotæ mentis, vt idem remedium vniuerſo Clero adimendum exiſtimet? Quin paucis illis Ordinibus, quos indicat Suauis, idcircò tolerabile id accidit, quòd & rariora delicta, & mitiſſimæ pœnæ ſunt, præ eo quod Eccleſiaſticis non Regularibus contingit: verumtamen ne hoc quidem ſatis foret, niſi certè iis qui damnati ſunt, liberè liceret per compendiariam

1551.

[b] In 4. diſtinct. 38. q. 1. art. 4. quæſtiuncula 4.

extra

1551. extra iudicium formam iura ſua deducere ad Romana tribunalia, quæ, ſi quid minus æquum ſibi ſuboluerit, executionem ſententiæ retardant.

Verùm non poſtulat Suauis, vt omnis iudiciaria prouocatio interdicatur; quamquam id ab ipſo commendetur, veluti faſtigium benè conſtituti regiminis in quibuſdam Monachorum familiis: ſatis illi eſt, ſi vſurpetur à Clero, quod Regularium Ordinibus commune eſt; nimirum, vt extrà prouocare vetitum ſit. Age iam, ab iſto Solone legem petamus; & Regularium ſanctiones ad non regulares Clericos traducantur. Negant illi, prouocationes extrà habendas: ſed extra quem locum? num fortè extra prouinciam? Minimè quidem; cùm liceat ab omni prouincia prouocare aut ad Præſidem Ordinis ſupremum, aut ad conuentum generalem, qui ſummus & communis vniuerſæ familiæ iudex eſt: extra Ordinem profectò interdicitur. Et non animaduertebat Suauis, idem planè interdici Clericis non regularibus, quibus non licet extra ipſorum Ordinem, hoc eſt, ſiue ad Laicos, ſiue ad Regulares prouocare? Enimuerò erubeſcendus error eſt, quòd is prohibitionem confuderit, prouocandi ad Iudicem externum cum prohibitione prouocandi ad locum externum; perinde quaſi peruulgata non ſit apud legiſperitos de priuilegio legis vnicæ diſtinctio pertrahendi de loco ad locum, aut de foro ad forum. 6

Sed inſuper obſeruandum eſt aliud latens vitium Suauiani ſophiſmatis: Præter prouocationem Regularibus conceſſam ad Iudices proprij Ordinis, adeſt illis facultas prouocandi pariter ad Romanum Pontificem, non item ad inferiores Epiſcopos, quia Regulares illis minimè ſubiiciuntur. Sed nuſquam reperire eſt, quod poſtularet Suauis, vt ſcilicet vetetur ſubditus prouocare ad tribunal ſupremi ſui Moderatoris, niſi fortè ex aliquo peculiari priuilegio, quod idem ſupremus alicui prouinciæ conceſſerit. Atque vt tandem excutiamus quidquid eſt ambiguitatis, quâ ſeu ignorantiâ ſeu nequitiâ Suauis hanc rem obuoluit, animaduertendum ſupereſt: quamquam cunctis Ordinibus prouocatio ad ſummum Pontificem, ſicuti diximus, permittatur; quibuſdam tamen ab ea in cauſis criminoſis effectum ſententiæ haud ſuſpendi, itidem ac neque ſuſpenditur in ſententiis latis, ac dynaſtis beneficiariis Pontificiæ ditionis. Sed hæc nimis dura lex eſt, quòd homo priùs plectatur capite, aut ad tranſtra ligetur; poſteà verò declaretur, iure an iniuriâ fuerit lata ſententia. Cuinam venire in mentem poterit, vniuerſo Clericorum Ordini tantum iugum tolerabile futurum, hoc eſt, vt ſit in 7

abſo-

abſoluta minoris cuiuſpiam Vicarij poteſtate tot innocentium & 1551.
honeſtorum capitum clades? Nónne videmus, vix eam legem tolerari, quæ è Suauis ſententia immenſa laxitas eſt? Profectò ſatis ille nouerat, cùm eſſet ab Eccleſia conſtitutum, vt in certis quibuſdam cauſis & articulis prouocatio executionem ſententiæ minimè retardaret, profanos Principes in ampliſſimis regnis, tametſi fateantur in cauſis Eccleſiaſticorum ſibi poteſtatem non ineſſe, rationem relaxandi hos cancellos adinueniſſe (quam tamen approbare mihi animus non eſt) ratos ipſi naturæ iuri conuenire, vt aliquod perfugium adſit ad preſſuram Iudicum ante executionem declinandum; adeoque vt quacumque damnati rei poſtulatione, ipſi Principes cogant tribunal Eccleſiaſticum acta cauſæ ad ſuos Iuriſconſultos deferre; & ſi ab illis citra iudicij formam Principi denuntietur, reum aliquid iniqui perpeſſum, cogant iudicem ſuperſedere, donec alius legitimus iudex ſuperior cauſam recognoſcat.

8 Hinc ſane licet coniicere, an fieri poſſet, an etiam opportunè fieret, vt vel omnino, vel modo quo executio non retardatur, adimantur Eccleſiaſticis prouocationes ad ſuprema tribunalia, quibus cùm ſumma inſit veneratio, ſumma doctrina, ſumma incorruptio, ineſt pariter reo ſumma ſecuritas ne reus grauetur, ſummumque ſolatium, quod in humana Republica inueniri poſſit. At verò de eo quod Suauis exiſtimat inconueniens, vt nimirum liceat ad ſupremum Iudicem ſtatim ac proximè prouocare; cupiiſſem vt amicè mihi ſignificaret, adeóne exactè compertas habuerit leges omnium Rerumpublicarum municipiales, vt poſſet fidenter affirmare, id in Eccleſiaſtico foro vnicè vſurpari. Vtcumque tamen res habeat, non certè ſingulare, quin potiùs commune eſt omnibus regiminum claſſibus, vt ſuum quæque proprium aliquem ritum obtineat. Enimuerò qui extra perturbationem ratiocinabitur, haud reprehendendum putabit, quòd cùm tandem ad tertiam cauſæ cognitionem Romana tribunalia ſint adeunda, ſit penes arbitrium prouocantis, formam iudicij contrahere, & ad ſecundam eò confugere, prætermiſsâ ad Metropolitanum circuitione, adeoque itineris incommodis, ſumptuſque multiplicatione vitatis. Quòd ſi Tridentini Patres id aliquo pacto perniciosum comperiſſent, nihil eos prohibebat quin id abolerent; quemadmodum cum longè maiori Aulæ Romanæ detrimento cauerunt, ne primæ cauſarum cognitiones ad illam deferrentur, quæ multò frequentiùs contingunt, maioriſque ſunt ponderis quàm ſecundæ.

9 Ab appellationibus gradum facit Suauis ad ritum expungendi

1551. Clericos ab albo Eccleſiaſtico, quem ritum *degradationem* vocant, arreptâ occaſione recenſendi quæ Tridenti decreta ſunt ea de re, ne difficultas illius ad opus deducendæ nefariis Clericis eſſet munimini. Hîc verò ab initio narrationem originis & cauſarum orditur, vnde ritus ille manauerit; ſimulque inſinuat, obliquè voluiſſe Patres illum depingere ad vulgi captum, quaſi quid ab ipſa rei natura requiſitum, vt liceat Iudici laico legitimè pœnam infligere Clerico delinquenti: ſed ſubiicit, omnia alia ab iis cognita, qui rei medullam introſpiciebant; quoniam Clericorum character eſt immutabilis, nec externo illo ritu deleri poteſt.

Vbinam vmquam conſpicatus hîc eſt vel tenue veſtigium, quòd Eccleſia vellet inſinuare, *degradationem* exigi ex natura, vt Clericus fori priuilegium amittat? Qui characterem obtinet quatuor minorum Ordinum (poſitâ communiori ſententiâ, affirmante eos eſſe Sacramenta, adeoque characterem ab ipſis imprimi) nónne, ſi velit, gradum facit ad ſtatum iuriſdictionemque laicorum, ibique ſubiacet cuiuis pœnæ abſque illo ſolemni degradationis ritu? Et priſcis temporibus nónne idem in Subdiaconis contingebat, cùm Eccleſiaſticâ lege nondùm illi Ordini mutatio ſtatus, nuptiarumque facultas interdicta fuerat? Nónne apertè docuit [c] S. Thomas, & poſt ipſum celeberrimæ Angeli [d] & Sylueſtri [e] Summæ, id quod veluti arcanum detegere Suauis intendit; nimirum, in Clericis eo ritu expunctis characterem permanere? Sed hac in re aliam Suauis artem deprehendo: haud ille affirmat, ritum illum tamquam aliquid rem ipſam conſtituens exiſtimatum à vulgo fuiſſe, ſed tamquam neceſſarium. Iam verò ſi nomine neceſſarij intelligit omne illud, ſine quo aliquid fieri non licet, ſiue lege naturali, ſiue diuinâ arbitrariâ, ſiue ſaltem humanâ id prohibeatur; profectò iis qui rei medullas penitus introſpexere, non minùs quàm vulgo huiuſmodi perſuaſio fuit, cùm de hac doctrina conueniant doctiſſimi Cæſarei ac Pontificij Iuriſconſulti, ac tribunalia ſummorum Principum Catholicorum; propterea quòd nefas eſſet, huiuſmodi ritum, ab Eccleſia per vetuſtam comprobatamque conſuetudinem præſcriptum, negligi ac prætermitti, ſicuti pariter reliquas Eccleſiaſticas leges ac traditiones. 10

c 3. parte art. 1. quæſt. 82.
d Verbo *Degradatio*, num. 39.
e Eodem verbo, n. 9. quæſt. 7.

Quod verò deinde admiretur: Si ſatis eſt vnus Epiſcopus ad hominem in album ſacræ militiæ referendum, vnum ſimiliter Epiſcopum ſatis non eſſe ad expungendum indignum, perinde eſt, ac ſi demiraretur, quo pacto cùm à Pontifice ſiue à Cæſare multi obtinuerint facultatem laureæ litterariæ deferendæ, aut nothis legitimæ 11

timæ prolis beneficia impertiendi, iis omnibus non inſit æquè pote- 1551.
ſtas auferendi collatam lauream, conceſſamque legitimi filij prærogatiuam ab eo, qui accepto priuilegio indignus euaſerit. Quin potiùs eadem in re poterat è diuerſo admirationi eſſe Suaui, quòd idem ille numerus Epiſcoporum, qui ſufficit ad expungendum reipsâ Clericum, [f] quod *Degradationem actualem* vocant, de qua infrà, non ſufficiat ad eumdem in gradu priſtino reponendum, tametſi morum emendatione correctum; ſed hoc Romano ſolùm Pontifici reſeruetur. Oportebat compertum illi fuiſſe, multa, cuiuſmodi ſunt iura beneficiaria, & primarij tituli, tamquam ſingularia quædam beneficia à Principe dumtaxat poſſe concedi; ſed eadem in pœnam flagitiorum per minores etiam iudices abrogari poſſe: alia è contrario, communia quippe beneficia, ab inferioribus quoque diſtribui; at eorumdem abrogationem in adeò turpem notam abire, & ob Reipublicæ bonum oportere cum opinione tam grauis pœnæ coniungi, vt meritò maior auctoritas ad poſſeſſorem his ſpoliandum requiratur. Ita non quicumque poteſt militarem cingulum tradere, eumdem auferre poteſt: non quiſquis ad Religioſam profeſſionem admittere aliquem, eumdem è Cœnobij clauſtris eiicere tamquam inemendabilem poteſt. Propterea Canones illum Epiſcoporum numerum requirebant ad Sacerdotem gradu amouendum, quo & intelligeretur, quantâ maturitate ad horrendum illud ſupplicium Eccleſia procederet, & per illius functionis ſolemnitatem horror etiam actionis maieſtate exaugeretur: ſed cùm poſteà fuiſſet animaduerſum, eâ lege fiduciam potiùs quàm terrorem ſceleſtis afferri; propter difficultatem, quæ in locis plurimis occurrebat in tot Epiſcopis conuocandis, vnde retardabatur pœna, & interdum, prout accidit in dilatione, declinabatur, decretum eſt, vt ſolemnitate diminutâ, vſus facilior redderetur. Atqui ſi per haſce populares argumentationes, quas paſſim Suauis diſſeminat, liceat in ludibrium vertere apud vulgus leges conſuetudineſque regiminum; nulla profectò Reſpublica ab huiuſmodi irriſionibus immunis erit, cùm ipſa Naturæ, hoc eſt Diuinæ ſapientiæ opera, fucatis pariter rationibus ab acuta veterum Sophiſtarum temeritate aut damnata aut deriſa comperiantur.

[f] Can.1. & 2. diſt.50. & Syluest. verbo *Degradatio*, quæſt.9. num.11.

1551.

CAPVT V.

Parata Decreta de morum emendatione, per Seſſionem decimamtertiam confirmanda.

CAuillationibus Suauis confutatis, ad Hiſtoriam redeo, non defenſurus amplius, ſed narraturus quæ ad reparandam diſciplinam ſtatuta fuerunt. Hæc vnanimi deliberatione in octo capita partita ſunt.

In primo dicebatur: *Vt iuxta proximæ Seſſionis Decretum Epiſcopi in* 1
commiſſis ſibi Eccleſiis eò libentiùs reſiderent, quò faciliùs & commodiùs ſibi ſubiectos regere, & in vita ac morum honeſtate continere poſſint; illud eos admonendum cenſet, vt ſe Paſtores, non percuſſores eſſe meminerint, atque ita praeſſe ſibi ſubditis oportere, vt non in eis dominentur, ſed illos tamquam filios & fratres diligant; elaborentq́, vt hortando & monendo ab illicitis deterreant; ne, vbi deliquerint, debitis eos pœnis coërcere cogantur: quos tamen ſi quid per humanam fragilitatem peccare contigerit, illa Apoſtoli eſt ab eis ſeruanda praceptio, vt illos arguant, obſecrent, increpent in omni bonitate & patientia: cùm ſæpè plus erga corrigendos agat beneuolentia quàm auſteritas; plus exhortatio quàm comminatio; plus charitas quàm poteſtas. Sin autem virgâ opus fuerit, tunc cum manſuetudine rigorem, cum miſericordia iudicium, cum ſeueritate lenitatem adhibendam eſſe, cùm ſit diligentis ac pij ſimul Paſtoris officium, morbis ouium lenia primùm adhibere fomenta; poſt vbi morbi grauitas ita poſtulat, ad acriora & grauiora remedia deſcendere. Sin autem nec ea quidem proficiant illis ſubmouendis, ceteras ſaltem oues à contagionis periculo liberare. Cùm igitur rei criminum plerumque ad euitandas pœnas, & Epiſcoporum ſubterfugienda iudicia, querelas & grauamina ſimulent, & appellationis diffugio Iudicis proceſſum impediant, ne remedio ad innocentiæ præſidium inſtituto, ad iniquitatis defenſionem abutantur; ſtatuit, In cauſis viſitationis & correctionis, habilitatis & inhabilitatis, nec non criminalibus, ab Epiſcopo, ſeu ab illius Vicario generali, ante definitiuam ſententiam, ab interlocutoria, vel alio quocumque grauamine non appelletur: neque Epiſcopus, aut Vicarius appellationi huiuſmodi tamquam friuolæ deferre teneatur; ſed eâ, ac quacumque inhibitione ab appellationis iudice emanatâ, nec non omni ſtylo & conſuetudine, etiam immemorabili, contrariâ non obſtante, ad vlteriora valeat procedere; niſi grauamen huiuſmodi per definitiuam ſententiam reparari, vel ab ipſa definitiua appellari non poſſit.

In ſecundo: *A ſententia Epiſcopi, vel ipſius Vicarij generalis, in cri-* 2
minalibus, appellationis cauſa, vbi appellationi locus fuerit, ſi Apoſtolicâ aucto-

auctoritate in partibus eam committi contigerit, Metropolitano, ſeu illius etiam Vicario generali; aut ſi ille aliqua de cauſa ſuſpectus foret, vel vltra duas legales dietas diſtet, ſeu ab ipſo appellatum fuerit, vni ex vicinioribus Epiſcopis, ſeu illorum Vicariis, non autem inferioribus Iudicibus committatur. 1551.

3 In tertio: *Reus, ab Epiſcopo, aut eius Vicario in ſpiritualibus generali, in criminali cauſa appellans, coram iudice, ad quem appellauit; acta primæ inſtantiæ omnino producat: & iudex, niſi illis viſis, ad eius abſolutionem minimè procedat. Is autem à quo appellatum fuerit, intra* XXX. *dies acta ipſa poſtulanti gratis exhibeat; alioqui abſque illis cauſa appellationis huiuſmodi, prout iuſtitia ſuaſerit, terminetur.*

4 In quarto: *Cùm difficile ſit adhibere omnem Epiſcoporum numerum, quem Canones ad homines, ob atrocitatem criminum, è ſacris Ordinibus deponendos requirunt; ſi quando autem interuenire poſſent, eorum reſidentia intermitteretur, ſtatuit, vt Epiſcopo per ſe, vel illius Vicarium contra Clericum, in ſacris Ordinibus conſtitutum, etiam ad illius condemnationem, nec non verbalem depoſitionem* (poſt quam ſcilicet reus laico Iudici haud traditur) *& per ſeipſum etiam ad actualem degradationem* (quâ præſtitâ ſtatim redditur) *ab ipſis Ordinibus & gradibus Eccleſiaſticis, in caſibus, in quibus aliorum Epiſcoporum præſentia, in numero à Canonibus definito, etiam abſque illis procedere liceat: adhibitis tamen & in hoc ſibi aſſiſtentibus totidem Abbatibus, vſum mitræ & baculi ex priuilegio Apoſtolico habentibus, ſi in ciuitate aut Diœceſi reperiri, & commodè intereſſe poſſint: alioquin aliis perſonis in Eccleſiaſtica dignitate conſtitutis, quæ ætate graues, ac iuris ſcientiâ commendabiles exiſtant.*

5 In quinto: *Vt Epiſcopus apud Eccleſiam ſuam reſidens, de ſurreptione & obreptione gratiæ, quæ ſuper abſolutione alicuius publici criminis vel delicti, de quo ipſe inquirere cœperat, aut remiſſione pœnæ, ad quam criminoſus per eum condemnatus fuerit, falſis precibus impetratur, per ſeipſum, tamquam Sedis Apoſtolicæ delegatus, etiam ſummariè cognoſcat, ipſamq; gratiam, poſtquam per falſi narrationem, aut veri taciturnitatem obtentam eſſe legitimè conſtiterit, non admittat.*

6 In ſexto: *Quoniam ſubditi Epiſcopo, tametſi iure correpti fuerint, falſa illi crimina obiicere ſolent, vt quoquo pacto poſſint ei moleſtiam exhibeant; ne is vexationis timore ad inquirenda & punienda delicta ſegnior reddatur, & gregem ſibi creditum relinquere cogatur; ſtatuit, ne Epiſcopus, niſi ob cauſam, ex quâ deponendus ſiue priuandus veniret, etiamſi ex officio, aut per inquiſitionem, ſeu denuntiationem, vel accuſationem, ſiue alio quouis modo procedatur, vt perſonaliter compareat, nequaquam citetur, vel moneatur.*

1551. In ſeptimo: *Ne teſtes in cauſa criminali ad informationem, vel indi-* 7
cia, ſeu aliàs in cauſa principali, contra Epiſcopum, niſi conteſtes, & bonæ conuerſationis, exiſtimationis & famæ fuerint, recipiantur; & ſi odio, temeritate aut cupiditate aliquid depoſuerint, grauibus pœnis mulctentur.

In octauo: *Cauſæ Epiſcoporum, cùm pro criminis obiecti qualitate com-* 8
parere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipſum terminentur. Homines quippe arbitrantur, quemadmodum in corporum, ita in Magiſtratuum ordine, firmitatem à corruptione immunem in ſummo ſitam: & prætereà eo tolerabilior euadit ictus, quò venerabiliori manu nobis incutitur.

CAPVT VI.

Decreta de Sacramento Euchariſtiæ ad eamdem Seſſionem parata.

HÆc de morum reparatione. Quantum ad doctrinam ſpe- 1
ctat, optarant Patres vnà eademque Seſſione complecti duo Sacramenta quæ ſubſequebantur Baptiſmum & Confirmationem, de quibus Pauli tempore actum in Concilio fuerat: ſed argumentum nimis amplum nacti, duabus illud Seſſionibus deſtinarunt; quarum prior de Euchariſtia tantummodò ſtatueret.

Prooemio habebatur: *Synodum hoc tam inde à principio habuiſſe in votis, vt ſtirpitus conuelleret zizania errorum & ſchiſmatum in doctrina Fidei, vſu & cultu Euchariſtiæ, quam alioqui Saluator noſter in Eccleſia ſua tamquam Symbolum reliquit eius vnitatis & charitatis, quâ Chriſtianos omnes inter ſe coniunctos & copulatos eſſe voluit. Itaq; ſanam & ſinceram de Euchariſtiæ Sacramento doctrinam tradere, quam ſemper Catholica Eccleſia ab ipſo Chriſto, eiuſq; Apoſtolis, atque à Spiritu ſancto, illi omnem veritatem in dies ſuggerente, edocta retinuit, & ad finem vſque ſæculi conſeruabit; atque omnibus interdicere, ne ea aliter credere, docere aut prædicare audeant, quàm vt eſt hoc præſenti Decreto explicatum atque definitum.* Et capita quidem fuere octo.

Primò decernit: *Poſt panis & vini conſecrationem, Chriſtum verum* 2
Deum atque hominem, verè, realiter, ac ſubſtantialiter ſub ſpecie illarum rerum ſenſibilium contineri: neque enim hæc inter ſe pugnant, vt Saluator ad dexteram Patris in cælis aſſideat, iuxta modum exiſtendi naturalem; & vt multis nihilominùs aliis locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit (Abſtinere Synodus voluit eâ quæſtione, quæ inter Aquinatis & Scoti ſectatores agitatur, vtrùm idem corpus diuinitus poſſit pluribus in locis eo collocationis modo, quo in vno per naturam eſt, collocari.) *ea exiſtendi ratione, quam etſi verbis exprimere*

vix poſſumus, poßibilem tamen eſſe Deo, cogitatione per Fidem illuſtratâ, 1551.
aſſequi poſſumus, & conſtantiſsimè credere debemus: ita enim maiores omnes noſtri, quotquot in vera Chriſti Eccleſia fuerunt, qui de ſanctißimo hoc Sacramento diſſeruerunt, apertißimè profeßi ſunt, hoc tam admirabile Sacramentum in vltima Cœna Redemptorem noſtrum inſtituiſſe, cùm poſt panis viniq́ benedictionem, ſe ſuum ipſius Corpus illis præbere, ac ſuum Sanguinem, diſertis ac perſpicuis verbis teſtatus eſt: quæ verba à ſanctis Euangeliſtis commemorata, & à diuo Paulo poſteà repetita, cùm propriam illam & apertißimam ſignificationem præ ſe ferant, ſecundùm quam à Patribus intellecta ſunt; indignißimum ſanè flagitium eſt, ea à quibuſdam contentioſis & prauis hominibus ad fictitios & imaginarios tropos, quibus veritas carnis & ſanguinis Chriſti negatur, contra vniuerſum Eccleſiæ ſenſum detorqueri: quæ tamquam columna & firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut ſatanica, deteſtata eſt, grato ſemper & memore animo præſtantißimum hoc Chriſti beneficium agnoſcens.

3 Secundò: *Saluator noſter diſceſſurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc inſtituit, in quo diuitias Diuini ſui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium ſuorum; & in illius ſumptione colere nos ſui memoriam præcepit, ſuamq́ annuntiare mortem, donec ipſe ad iudicandum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tamquam ſpiritualem animarum cibum, quo alantur & confortentur viuentes vitâ illius, qui dixit: Qui manducat me, & ipſe viuet propter me: & tamquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præſeruemur. Pignus prætereà id eſſe voluit futuræ noſtræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis: adeoq́ ſymbolum vnius illius corporis, cuius ipſe caput exiſtit, cuiq́ nos, tamquam membra, arctißimâ Fidei, Spei, & Charitatis connexione adſtrictos eſſe voluit, vt id ipſum omnes diceremus, nec eſſent in nobis ſchiſmata.* Huic capiti quintus Canon reſpondet, quo interdicitur, ne quis dixerit, *Vel præcipuum fructum ſanctißimæ Euchariſtiæ eſſe remißionem peccatorum, vel ex ea alios effectus non prouenire.*

4 Tertiò: *Commune hoc quidem eſt ſanctißimæ Euchariſtiæ cum ceteris Sacramentis, ſymbolum eſſe rei ſacræ, & inuiſibilis gratiæ formam viſibilem: Verùm illud in ea excellens & ſingulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm ſanctificandi vim habent, cùm quis illis vtitur; at in Euchariſtia ipſe ſanctitatis auctor ante vſum eſt: nondum enim Euchariſtiam de manu Domini Apoſtoli ſuſceperant, cùm verè tamen ipſe affirmaret corpus ſuum eſſe quod præbebat. Et ſemper hæc Fides in Eccleſia Dei fuit, ſtatim poſt conſecrationem verum Domini noſtri corpus, verumq́ eius ſanguinem ſub panis & vini ſpecie vnà cum ipſius anima & Diuinitate exiſtere: ſed corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguinem ſub vini ſpecie, ex vi verbo-*

1551. *verborum; ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguinem ſub ſpecie panis, animamq; ſub vtraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, non ampliùs moriturus, inter ſe copulantur: Diuinitatem porrò, propter admirabilem illam eius cum corpore & anima hypoſtaticam vnionem. Quapropter veriſſimum eſt; tantumdem ſub alterutra ſpecie, atque ſub vtraque contineri: totus enim & integer Chriſtus ſub panis ſpecie, & ſub quauis ipſius ſpeciei parte; totus item ſub vini ſpecie, & ſub eius partibus exiſtit.*

Quartò: *Quoniam Chriſtus corpus ſuum id quod ſub ſpecie panis offerebat, verè eſſe dixit; ideò perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei fuiſſe, idq; nunc denuò Synodum declarare, per conſecrationem panis & vini, conuerſionem fieri totius ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam corporis Chriſti Domini noſtri, & totius ſubſtantiæ vini in ſubſtantiam ſanguinis eius; quæ conuerſio conuenienter & propriè à ſancta Catholica Eccleſia Tranſubſtantiatio eſt appellata.* 5

Quintò: *Nullum dubitandi locum relinqui, quin omnes Chriſti fideles latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideò minùs eſſe adorandum, quòd fuerit à Chriſto Domino vt ſumatur inſtitutum: nam illum eumdem Deum præſentem in eo adeſſe credi, quem Pater æternus introducens in Orbem terrarum, dicit: Et adorent eum omnes Angeli. Declarat præterea, piè ac religiosè inductum morem, vt ſingulis annis peculiari quodam & feſto die hoc Sacramentum ſingulari veneratione ac ſolemnitate celebraretur, vtq; in Proceſſionibus reuerenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur: æquiſſimum enim eſſe, vt Chriſtiani gratos & memores teſtentur animos erga Redemptorem, pro tam ineffabili & planè Diuino beneficio; ac ſic oportuiſſe victricem veritatem de mendacio & hæreſi triumphum agere, vt eius aduerſarij* (Lutherus indicatur, qui ad Valdenſes ſcripſit, Nihil ſibi in Romana Eccleſia magis diſplicere, quàm ſolemne Dominici Corporis feſtum) *in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta vniuerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati & fracti tabeſcant, vel pudore affecti & confuſi aliquando reſipiſcant.* 6

Sextò: *Conſuetudinem aſſeruandi in ſacrario Euchariſtiam adeò antiquam eſſe, vt eam ſæculum etiam Niceni Concilij agnouerit. Porrò deferri ipſam Euchariſtiam ad infirmos, & in hunc vſum diligenter in Eccleſiis conſeruari, præterquam quòd cum ſumma æquitate & ratione coniunctum eſt, tum multis in Conciliis præceptum inueniri, & vetuſtiſſimo Catholicæ Eccleſiæ more eſſe obſeruatum; adeóq; hunc morem omnino ſalutarem, & neceſſarium retinendum ſtatuit.* 7

Septimò: *Laudat illa Apoſtoli verba formidinis plena: Qui mandu-* 8

cat

cat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans cor- 1551.
pus Domini. Quare communicare volenti reuocandum eſt in memoriam eius præceptum: Probet autem ſeipſum homo. Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat, eam probationem neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa Sacramentali confeſſione ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat. Quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc ſancta Synodus perpetuò ſeruandum eſſe decreuit, modò non deſit illis copia Confeſſoris. Quòd ſi, neceſſitate vrgente, Sacerdos abſque præuia confeſſione celebrauerit, quamprimùm confiteatur. Quæ poſtrema verba nonnulli, ſed pauci, nec primæ notæ Theologi, per admonitionem non per præceptum dicta interpretantur.

9 Octauò: *Quoad vſum, rectè & ſapienter à Patribus tres rationes Sacramentum accipiendi diſtinctas fuiſſe. Quoſdam ſacramentaliter duntaxat id ſumere, vt peccatores: alios tantùm ſpiritaliter, illos nimirum, qui voto propoſitum illum cæleſtem panem edentes, fide viuâ, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem ſentiunt: tertios ſacramentaliter ſimul & ſpiritaliter, qui ſe priùs probant, & inſtruunt. In ſacramentali autem ſumptione ſemper in Eccleſia Dei morem fuiſſe, vt laici à Sacerdotibus communionem acciperent. Sacerdotes autem celebrantes ſeipſos communicarent. Demum paterno affectu obſecrat, vt omnes & ſinguli, qui Chriſtianò nomine cenſentur, in hoc vnitatis ſigno, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ ſymbolo iam tandem conueniant, atque hæc ſacra myſteria Corporis & Sanguinis credant & venerentur.*

Huic capiti reſpondent Canones octauus, nonus & decimus; quibus interdicitur, *ne quis dicat cum Oecolampadio, aut Zuinglio, Chriſtum in Euchariſtia exhibitum ſpiritualiter tantùm manducari, & non etiam ſacramentaliter & realiter: aut neget cum Luthero, omnes & ſingulos Chriſti fideles vtriuſque ſexus, cùm ad annos diſcretionis peruenerint,* [a] *teneri ſingulis annis, ſaltem in Paſchate, ad communicandum: aut cum iiſdem dicat: non licere Sacerdoti celebranti ſeipſum communicare.* Aliis etiam capitibus alij Canones reſpondent; ſed cùm in iis nihil aduertendum ſuccurrat, hic à nobis omittuntur. Studemus quippe, ne vmquam à lectore noſtris paginis gratis donandum ſit temporis pretium, cuius pecuniæ donum ſemper cum vitio, mercatura cum virtute.

[a] Lib. de Confeſſ. c. 3. & in Viſit. Saxon cap. de Euchar.

1551.

CAPVT VII.

Obiecta, quæ Suauis refert aduerſus recitatas definitiones.

ANtequam hinc digrediar, libet expendere aduerſus recenſitas doctrinas obiecta, quæ in officina Suauis recens cuſa, ab ipſo de more vulgata ſunt perinde quaſi antiquis typis Germanicis olim edita. 1

Refert, viſam fuiſſe Synodum ſibi contradicere, dum ex vna parte dicebat, conuerſionem corporis & ſanguinis Chriſti vix poſſe verbis exprimi; ex altera, propriè & conuenienter appellari poſſe *Tranſſubſtantiationem.* ſi enim hoc verum eſt, iam illa proprium ſuum nomen obtinet, quo conuenienter exprimi poſſit. Deo grates agamus, quòd hoſtes Concilij, vt ipſum impugnent, arundines ſtringere pro haſtis cogantur. Nónne à cunctis Patribus affirmatur, æterni Verbi productionem eſſe ineffabilem? vinculum, quo Chriſti humanitas copulatur cum Deo, eſſe ineffabile? Et tamen quis Catholicorum negauerit, alteram verè propriéque appellari *æterni Filij generationem*; alteram, *vnionem hypoſtaticam ſeu perſonalem?* Quid porrò? Deum ipſum nónne Fides docet eſſe ineffabilem? & tamen verè ac propriè multas illi voces aptamus. Quòd dicatur res quæpiam vocibus exprimi non poſſe, non idcircò ſignificatur, nullam eſſe vocem, quæ illi verè ac propriè conueniat. Etenim quidquid mente concipitur, per quædam eius attributa, ſeu ex vſu ſcholarum prædicata concipitur, quæ illi verè proprieque attribuuntur, nec ſimul coniuncta alij rei præter ipſam conueniunt. Quòd ſi hoc non eſſet, verè dici non poſſet, rem illam concipi, ſed vel aliam rem, vel quoddam multarum rerum genus; non autem rem illam ſingularem. Huiuſmodi porrò congeries attributorum vti ſimul coniuncta concipitur, perinde ſimul coniuncta poteſt exprimi voce aliquâ vel priùs vſurpatâ, vel recèns innouatâ; cum aliud voces non ſint, niſi ſigna vocalia conceptionis editæ in mente: ſed inexplicabilis dici res ſolet, cùm de illa neque proprium & indiuiduum conceptum habemus, qui naturam ipſius proximè attingat, quin nobis neceſſe ſit eius imaginem componere multis quaſi coloribus, quos ab aliis rebus mutuos accipimus: neque illius rei varia attributa nobis nota eiuſmodi ſunt, vt mens ipſa ſuo lumine, & ex notitia aliarum rerum, quas experimento didicit, intelligere valeat, quînam fieri poſſet vt ea inter ſe copulentur. Huiuſmodi attributa ſint exempli gratiâ in Verbi generatione, quòd illud

Verbum

Verbum Filius ſit, & tamen haud inferius minuſque antiquum Patre; & in eiuſdem Verbi cum homine coniunctione, quòd duæ ſint perfectæ naturæ in vna perſona; in Deo, quòd ſit extra omnes temporis, loci ac perfectionis limites. 1551.

2 Hac itaque ratione dicitur à Concilio, vix explicari poſſe vocibus conuerſionem ſubſtantiæ panis in ſubſtantiam Chriſti; propterea quòd neque ſimplicem quemdam propriumque illius conceptum habemus, neque poſſumus intelligere, adeoque nec aliis explicare per verba quæ intelligentiæ ſatisfaciant, quo pacto vera ſint quæ per fidem de ipſa conuerſione credimus; cuiuſmodi ſunt, vnam totam ſubſtantiam in alteram totam conuerti, nullâ communi materiâ remanente, nullis priùs inductis qualitatibus, & vnico temporis momento: hoc tamen non impedit, quin appelletur propriè & aptè *tranſſubſtantiatio*. Etenim quemadmodum dicitur *transfiguratio*, cùm corpus ab vna in alteram figuram migrat; *transformatio*, cùm eadem materia ab vna in alteram formam tranſit: ita eâdem proportione ſeruatâ in formando vocabulo, Scholaſtici, ac poſtmodum Eccleſia in magno Lateranenſi Concilio, *tranſſubſtantiationem* nuncuparunt eorumdem accidentium ex vna integra in alteram ſubſtantiam tranſitum: quod ſi iſtiuſmodi vocum nouarum inuentio propter rerum nouitatem ſingulareſque conditiones cunctis artibus liceat, potiſſimùm verò Philoſophię ex Ciceronis [a] admonitu; quantò magis Theologiæ licebit, quæ ſupra ceteras diſciplinas res tam nouas ac ſingulares tradit? a Lib. 3. de Finibus.

3 Verùm quæ ſequitur accuſatio, mihi acriùs bilem cieret, niſi bilem extingueret aſpernatio. Ait: Cùm affirmatum in Synodo fuiſſet, poſt benedictionem Chriſtum dixiſſe, id quod Apoſtolis porrigebat, ſuum eſſe corpus; *ſtatuebatur aduerſus omnes Theologos, & Eccleſiæ Romanæ opinionem, verba conſecrationis non eſſe illa*, Hoc eſt Corpus meum; *quoniam affirmat Synodus, poſt conſecrationem ea verba fuiſſe dicta*. Proh vecordem hominem! Vbinam habetur in Concilio, *poſt conſecrationem?* Suborta quidem mihi fuiſſet dubitatio, miſerum hominem offendiſſe in aliquod Concilij volumen peruerſis typis impreſſum, niſi idem ipſe anteà ſcripſiſſet, à Concilio dici, *poſt benedictionem*. Diſſimulare non libet, fuiſſe multorum & illuſtrium quidem Theologorum ſententiam, qui putauerint, Chriſtum non aliam benedictionis formam adhibuiſſe ſupra panem ac vinum præter ipſam conſecrationem: ſed Gabriel Vaſquez [b], vir æquè diligens ac eruditus, refert, ætate ſuâ vix quempiam reperiri, qui retineret in Scholis eam opinionem, ipſe confutatam validis argu- b 3. part. diſp. 196. cap. 1.

 mentis,

1551.

mentis, decerptis ex Euangelij verbis: aduerſus quam ſcripſit poſteà recentior Thomiſta[c], ſat famâ notus, pro venerandi Magiſtri ſui defenſione conarus oſtendere, verba Concilij huic rei minimè repugnare. Sed hæc omnia cauſæ noſtræ parum interſunt. Profectò non poterat citra grauem errorem Suauis Concilio alteram pro altera vocem tribuere, & hinc poſteà argumentum erroris in doctrina in ipſum deducere.

4 Minus abſurdi præfert quod inde obiicit: Non ſatis probari, adeſſe Chriſtum in Euchariſtia ante vſum, per rationem à Synodo allatam; nimirum, quia Chriſtus dum eam porrigeret, & antequam à diſcipulis eadem ſuſciperetur, dixit, illud ſuum eſſe corpus; cùm ipſa porrectio quædam actio ſit ſpectans ad vſum. Verùm huiuſmodi ratiocinatio Suauis, Lutherum propugnantis, ſi animo ſincero conſideretur, potiùs patefacit, quàm imbecillo fundamento nitatur hac de re illius hæreſiarchæ commentum. Etenim ſi nomine *vſus* comprehendit omnes actiones antecedentes quæ ad vſum diriguntur, ita vt dum Euchariſtia porrigitur, & antequam ſuſcipiatur, iam adſit ſub illis ſpeciebus corpus Chriſti, contingere poteſt, vt is, cui porrigitur, eam non ſuſcipiat; adeoque verum ſit, Chriſti corpus ibi extra vſum fuiſſe, cùm verè dici non poſſit, hominem, qui Euchariſtiam non ſuſcepit, illâ vſum fuiſſe. Præterea ignotum nobis eſt, à quanam actione hic vſus omnino inchoëtur, & quando ſtatus huiuſce vſus eſſe deſinat; adeoque ignotum foret, quando ibi adorandum ſit corpus Chriſti, quando ab ea adoratione abſtinendum. Lutherus cum ſuis has inter anguſtias obſeſſus diu abiit in diuerſa, ac tandem,[d] ſicuti alibi narrauimus, ſcripſit ad Simonem Wolferinum[e]: Quò inextricabiliores difficultates euitarentur, dicendum eſſe, manere ibi corpus Chriſti ab initio precationis Dominicæ, per totum tempus quo fideles commode ſumere Sacramentum poſſunt.

5 Hic tamen vallus ſtramineus eſt. Ac primò quidem, cùm ignota ſit huiuſce temporis menſio, conſequens erit, vt ſi quis aliquanto ſeriùs ad ſacram menſam acceſſerit, dubitare debeat an illud temporis ſpatium elapſum ſit, & an Chriſti corpus an cruſtulum accipiat. Quod cùm frequenter poſſit contingere, palàm eſt, huiuſcemodi inſtitutionem nec vnquam veriſimilem, neque Chriſto conuenientem fuiſſe, Eccleſiæ pietate atque vtilitate ſpectatâ. Perge, poſco: Vbi iam ad aliquod temporis interuallum hoc in Euchariſtia inter cetera Sacramenta ſingulare concedatur, nimirum eam eſſe Sacramentum, & in ſeipſa complecti ſanctitatis cauſam ante vſum,

&

[c] Ioannes à S. Thoma Comment. in 1. part. in approbatione doctrinæ S. Thomæ diſp. 2. art. 3. ad propoſit. 8.

[d] Lib. 5. cap. 1.

[e] 29. Iulij 1543. in 4 tom. operum Lutheri.

& etiam interdum vſum non ſubſequi; quid obtendi poteſt, quod 1551. vetuſtiſſimam impugnet traditionem Eccleſiæ, agnoſcentis ibi Chriſti præſentiam eo toto tempore quo vſus adhiberi poteſt, hoc eſt, donec ipſæ Sacramenti ſpecies ſuperſunt? & quo rationis momento initium præſentiæ Chriſti affigitur precationi Dominicæ, & non potiùs extremo abſolutæ conſecrationis momento? Primum itaque fundamentum voluit verè Synodus confirmare per allatam rationem, videlicet, eſſe ibi Chriſti corpus antequam proximè & reipſa Euchariſtiæ vſus exerceatur: quod inter omnia Sacramenta ſingulare eſt, & initio à Luthero negatum. Quin his planè verbis propoſitus ad cenſuram fuit Patribus in Concilio ſub Paulo articulus die 3. Februarij anno 1547. allato Cochlei teſtimonio, id tamquam Lutheri ſententiam oppugnantis in libro quem hac de re ille ſcripſit. Atque hac primâ poſitione firmatâ, probè intellexerunt Patres, nihil ſupereſſe difficultatis de ſecunda, nimirum, remanere ibi corpus Chriſti, donec Sacramenti ſpecies perſiſtant.

6 Poſt hæc non omnino ſtultè animaduerſa, labitur Suauis in quaſdam ineptias, ſcribitque: *Notabatur etiam tamquam locutio valdè impropria, quæ vſurpabatur in quinto doctrinæ capite, dicens, huic Sacramento Diuinum cultum deberi. Etenim certum eſt, nomine Sacramenti non intelligi rem ſignificatam atque contentam, ſed ſignificantem & continentem; adeoq; meliùs in canone ſexto id fuiſſe correctum, vbi dicitur, adorandum eſſe Dei Filium in hoc Sacramento.* Equidem perſpicio, hunc hominem excurriſſe nonnumquam per Theologiæ ſpatia, numquam tamen ibi ſedem fixiſſe. Erubeſcendam certè imperitiam in eo, qui de hiſce rebus auſit ſcribere! Nomen Sacramenti aliquando accipitur laxiùs, & denotat omne ſignum rei ſacræ & arcanæ; aliquando ſtrictiùs, & more Scholarum, prout coarctatur ad ſeptem Sacramenta in lege noua à Chriſto inſtituta, & importat ſignum efficiens gratiæ, cum aliis conditionibus, quas hîc recenſere non attinet. Itaque gratiæ, non corporis Chriſti ſignum eſt Sacramentum, ſi accipiatur ſub hac ſignificatione Scholaſticorum, ſub qua de ipſo loquitur Tridentinum, & ſub qua Florentinum ex inſtituto doctrinam tradidit. Ac certè quidem caput quintum huiuſce Seſſionis ſatis erat, vt reminiſceretur Suauis, notiſſimam Sacramenti deſcriptionem, à Petro Lombardo traditam[f], *illud eſſe formam viſibilem inuiſibilis gratiæ.* Res igitur quam Sacramentum, quatenus Sacramentum, ſignificat, non eſt Chriſti corpus, ſed gratia. Sed adhuc verum eſt, ne quid diſſimulem, conſiderari à Theologis[g] in quolibet ex ſeptem Sacramentis tria: *Id quod dumtaxat eſt Sacramentum*; ſumentibus tunc

f In 4. diſt. 1.

g Mag. in 4. Sent. diſtinct. 22. S. Thom. 3. p. qu. 84 art. 1.

1551. nomen hoc laxiori, de quo diximus, ac genericâ ſignificatione, hoc eſt id quod ibi ſignificat rem quamdam occultam ſacram, quodque ab alia re ibi minimè ſignificatur; atque huiuſmodi, exempli cauſâ, ſunt verba. *Id quod dumtaxat res eſt*; nimirum, res illa ſacra occulta, quæ ibi ſignificatur, quæque ibidem aliam rem non ſignificat: & hæc, vt exemplo vtamur, eſt ipſa gratia. *Id denique quod ſimul eſt Sacramentum & res*; quia ſimul ſignificat rem quamdam aliam occultam ſacram, & ipſum eſt pariter res quædam occulta & ſacra, quæ ibi ſigno manifeſtiori ſignificatur; id verò in Euchariſtia dicunt Theologi eſſe corpus Chriſti, quod gratiam ſignificat, & per verba ac ſpecies Sacramenti ſignificatur. Sed ex his omnibus nequaquam arguitur, corpus Chriſti eſſe rem ſignificatam, ſi ſpectetur integrum Sacramentum, acceptum proprio ſtrictoque vſu huius vocabuli; & non potiùs ipſum eſſe ſignum eius quod ſignificare dicuntur ſeptem Chriſtianorum Sacramenta, hoc eſt gratiæ. Imò cùm à Chriſto pronuntietur, ſuam carnem eſſe cibum, & ſuum ſanguinem eſſe potum, cumque communiter affirmetur à SS. Patribus, Euchariſtiæ Sacramentum eſſe cibum & potum; neceſſariò conficitur, corpus & ſanguinem Chriſti non eſſe rem ab hoc Sacramento diſtinctam. Quòd autem Chriſtus in Sacramento contineatur; ſi Suauis Ariſtotelem legiſſet, didiciſſet ab eo duplicem continendi rationem: alteram per quam res continetur, & diſtinguitur ab eo quod ipſam continet, cuiuſmodi eſt aqua in vaſe: alteram, quâ res quæ continetur, idem quadamtenus eſt cum eo à quo continetur, quemadmodum partes in toto. Hac poſteriori ratione continetur Chriſtus in Sacramento, cùm hoc ſit quoddam conflatum ex corpore Chriſti, & accidentibus, per quæ idem conflatum ſenſibile redditur; ac de ipſo verè dici poteſt, eſſe formam ſpeciemque *viſibilem inuiſibilis gratiæ*, ſecundùm Magiſtri definitionem, quam attulimus, à Concilio vſurpatam. Iam verò vel maximè compertum eſt, quò totum quoddam adoratione latriæ ſanctè colatur, ſatis eſſe, ſi qua illius totius pars eum cultum mereatur. Nónne huiuſmodi adoratione totum Chriſtum veneramur, tametſi ſecundùm humanam naturam ſit ille creata quædam res, quæ tali cultu digna non eſt, niſi quatenus ineſt in eo toto, quod diuinitatem etiam continet? Cur igitur hoc ſimiliter Sacramentum nobis adorandum non erit, quod totum quoddam eſt, ex corpore Chriſti tamquam ex præcipua parte conflatum?

Poſtremò: *Notata*, inquit, *pariter fuit vox illa in tertio anathemate: Totum Chriſtum contineri ſub ſingulis cuiuſque ſpeciei partibus, ſeparatione factâ.* 7

factâ. Etenim ex eo videtur neceſſario deducendum, non eſſe totum in ſingulis partibus, etiam ante diuiſionem. Enimuerò præclaram argumentationem! Quidam Epiſcopus, cuius mentionem fecimus, dubitationem aliquam præ ſe tulit, ne quis hoc pacto dictum illud interpretaretur; & tamen reliqui omnes tantam è contrario claritatem animaduerterunt, vt exiſtimarint maiori lumine opus non eſſe. At quòd affirmet, id videri neceſſariò deducendum, inauditæ cuiuſdam analyticæ argumentatio eſt. An quoniam tamquam hæreticus damnatur, qui rem quamdam affirmat in certis quibuſdam conditionibus, ex eo neceſſariò colligetur, rem illam extra tales conditiones falsò affirmari? Exemplo ſit: Si dicamus hæreticum eſſe, qui neget Baptiſmi characterem manente vitâ permanere; an hinc per neceſſariam conſecutionem concludemus, falſam eſſe maximè communem Theologorum ſententiam, characterem illum poſt mortem pariter permanere? Poſſet vt ſummum argui: *Ergo non erit hæreſis manifeſta, ſi negetur, Chriſtum eſſe totum ſub ſingulis partibus ante diuiſionem:* de quo ſuprà diſſerüi. Sed quid ſtultius, quàm arguere, tamquam verum definiri, quidquid tamquam hæreſis non damnatur? Præterea quàm craſſæ inſcitiæ ſoboles eſt hæc admiratio ſuper huiuſmodi ratione definiendi, quâ vtitur Synodus Tridentina, quando ea legitur cum iiſdem planè verbis apud Florentinam in celeberrima Catecheſi Armeniis tradita? Sicuti aquæ omnes per ſe dulces pontum ingreſſæ diſplicent guſtui; ita cunctæ doctrinæ, tametſi per ſe optimæ, ab hac Synodo exceptæ, diſplicent Suaui.

CAPVT VIII.

Quorumdam articulorum prorogatio ad Proteſtantes audiendos. Securitas fide publicá illis conceſſa: & quæ de vtraque re Suauis conſiderat, expenſa.

1 PAr eſſe videbatur ad perficiendum opus, explendumque argumentum doctrinæ, ſtatuere, quid eſſet credendum de neceſſitate Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie ſumendæ. Sed cùm Proteſtantes nondum acceſſiſſent, Monfortius, Orator Cæſaris, petiit, vt hac ſaltem deciſione Patres ſuperſederent. Fuerat ſemper plurium Catholicorum perſuaſio, deſiderio ſpem alentium, poſſe ad veterem Fidem qui aberrauerant reuocari, vbi aliqua, quæ præſtari poſſent, indulgerentur; & potiſſimùm duo, laicis vſus Calicis, & Sacerdotibus matrimonium. Propoſitum id fuerat ab eo vſque tempore, quo Campeggius & Aleander Clementis ac Pauli nomine hæc

1551. hæc Religionis negotia in Germania agitarant, pro eo quod ſuo loco à nobis enarratum eſt. Poſtremùm verò Cæſar in libello, *Interim* vocitato, vtrumque Proteſtantibus ad futurum vſque Concilium permiſerat: quippe leges, quarum obſeruantiam diffiderat per auctoritatem ſuam obtenturum, & quarum relaxationem confiderat à Concilio ſe poſtmodum obtenturum. Tribus verò Nuntiis ſubinde in Germaniam petente Cæſare miſſis à Paulo cum ampla facultate, inter ceteras hæc etiam poteſtas cum opportunis reſtrictionibus conditionibuſque tradita eſt, ſicuti ſuprà memorauimus. Quapropter conſideratâ Caroli victrice potentiâ, oblatâque bis ab integro Ordinum conuentu ſubiectione Concilio, fore ſperabatur, vt ſi Proteſtantibus in duobus hiſce capitibus ſatisfieret, Germaniam in Religionis concordiam reſtitui poſſe. Et quamquam aliud eſſet, præcise negare, vſum Calicis non celebrantibus Diuinâ lege interdici; aliud verò, ipſum iiſdem prohiberi Eccleſiaſticâ ſanctione: dubitabatur tamen, ne, quidquid ſuper ea re definiretur, vmbris agitaret eos populos, ingenio ſuſpicioſos, remoueretque à fidentia adeundi Concilij. Idcircò Patres, tametſi cum aliqua ſententiarum diſcrepantia, cenſuerunt hac vtendum indulgentiâ, ſuſpenſis pariter quibuſdam aliis articulis, qui huic videbantur affines. Quare recenſitis Decretis huiuſmodi declarationem adiecere:

Eadem ſancta Synodus errores omnes, qui ſuper hoc ſanctiſſimo Sacramento repullularunt, tamquam vepres ex agro Dominico euellere, ac omnium fidelium ſaluti proſpicere cupiens, quotidianis precibus Deo omnipotenti piè oblatis, inter alios, ad hoc Sacramentum pertinentes articulos, diligentiſſimâ veritatis Catholicæ inquiſitione tractatos, plurimis accuratiſſimiſq; pro rerum grauitate diſputationibus habitis, cognitis quoque præſtantiſſimorum Theologorum ſententiis, hos etiam tractabat: An neceſſarium ſit ad ſalutem, & Diuino iure præceptum, vt ſinguli Chriſti fideles ſub vtraque ſpecie ipſum venerabile Sacramentum accipiant. Et: Num minus ſumat, qui ſub altera quàm qui ſub vtraque communicat. Et: An errauerit ſancta mater Eccleſia, laicos, & non celebrantes Sacerdotes, ſub panis ſpecie dumtaxat communicando. Et: An paruuli etiam communicandi ſint. Sed quoniam ex nobiliſſima Germaniæ prouincia ij qui ſe Proteſtantes nominant, ſuper his ipſis articulis, antequam definiantur, audiri à ſancta Synodo cupiunt, & eam ob cauſam fidem publicam ab illa poſtularunt, vt ipſis tutò huc venire, & in hac vrbe commorari, ac liberè coram Synodo dicere, atque proponere quæ ſenſerint, & poſteà, cùm libuerit, recedere liceat: ſancta ipſa Synodus, licet magno deſiderio eorum aduentum multos anteà menſes expectarit; tamen, vt pia mater, quæ ingemiſcit, & parturit, ſummoperè id deſiderans, 2

derans, ac laborans, vt in iis, qui Chriſtiano nomine cenſentur, nulla ſint ſchiſmata; ſed, quemadmodum eumdem omnes Deum & Redemptorem agnoſcunt, ita idem dicant, idem credant, idem ſapiant, confidens Dei miſericordia, & ſperans fore, vt illi in ſanctiſsimam & ſalutarem vnius Fidei, Spei Charitatiſq́; concordiam redigantur, libenter eis in hac re morem gerens, ſecuritatem & fidem, vt petierunt, publicam, quam ſaluum conductum vocant, quoad ſe pertinet, eius, qui infraſcriptus erit, tenoris dedit atque conceſsit: & eorum cauſâ definitionem illorum articulorum ad ſecundam Seſsionem diſtulit; quam, vt illi commodè intereſſe poſsint, in diem feſtum Conuerſionis Diui Pauli, qui erit vigeſimâ quintâ die menſis Ianuarÿ anni ſequentis, indixit. Illudq́; prætereà ſtatuit, vt in eadem Seſsione de ſacrificio Miſſæ agatur, propter magnam vtriuſque rei connexionem: intereà Seſsione proxima de Pœnitentiæ & extremæ Vnctionis Sacramentis tractandum. Illam autem die feſto Diuæ Catharinæ virginis & martyris, qui erit vigeſimâ quintâ Nouembris, habendam eſſe decreuit, ſimulq́;, vt in vtraque materiam reformationis proſequatur. 1551

3 Per libellum verò ſecuritatis concedebatur omnibus, quantum ad ipſam Synodum ſpectabat, *Vt de iis rebus, quæ in ipſa Synodo tractari deberent, omni libertate conferre, proponere & tractare, ac ad ipſum Oecumenicum Concilium liberè & tutò venire, & in eo manere, & commorari, ac articulos, quot illis videretur, tam ſcripto quàm verbo offerre, proponere, ac cum Patribus, ſiue iis qui ab ipſa S. Synodo delecti fuerint, conferre, & abſque vllis conuitiis & contumeliis diſputare, nec non, quando illis placuerit, recedere poſſint & valeant.* Prætereà, *Vt ſi pro maiori libertate ac ſecuritate eorum, certos tam pro commiſsis, quàm pro committendis per eos delictis, iudices deputari cuperent, illos ſibi beneuolos nominarent, etiamſi delicta ipſa quantumcumque enormia & hæreſim ſapientia fuiſſent.*

4 Narrat Suauis, obſtupuiſſe Proteſtantes, vbi ſenſerunt affirmari à Concilio, ipſos optare, vt de quatuor tantummodò memoratis articulis audirentur; cùm ſæpiùs declaraſſent in Comitiis, nolle ſe vllam ex anteactis definitionibus accipere, ſed velle vt de integro ſuper omnibus audirentur. Diſputare mihi non libet, an huiuſmodi ſtupor fuerit verus in animis, an ſimulatus in linguis, quamuis illum Suauis depromſerit ex ſibi conſueto, & à ſe commendato archiuio, nempe à Ioanne Sleidano[a]. Certum eſt, immeritò obſtupuiſſe. Toties Romani Pontifices & voce & ſcripto Cæſari pronuntiauerant, nolle ſe in dubitationem reuocare deciſiones iam habitas: id enim idem fuiſſet, atque concedere, Eccleſiam falli poſſe, adeoque ante diſceptationem hæreticis palmam tradere. Cæſar verò, Eccleſiaſtici, & plena Comitia, poſt eam declarationem

[a] Lib. 23. initio.

1551. Pontificum, vehementer ab iis Pontificibus Concilium efflagitarant, eique vniuerſæ Germaniæ obſequelam obtulerant. Non poterant igitur obſtupeſcere Proteſtantes, quòd ipſi crederentur animum paratum gerere ad conſentiendum articulis iam ſancitis; niſi obſtupeſcerent, quòd ipſorum conſenſus, duobus in conuentibus præſtitus, vanus quidam & abs re prolatus ſermo non crederetur. Quam autem ob cauſam Orator Cæſaris tam ardenter cupiiſſet ſanctionis moram, ſi poſt confectas etiam abſentibus Proteſtantibus deciſiones, locus nouo examini Decretorumque retractationi patuiſſet? Num ignoramus, à Cæſare ima & ſumma commota, vt Concilium quaſi quamdam Germaniæ malaciam impetraret; miſſoſque poſteà tres ſuos, duoſque fratris Oratores, præter Madruccium Cardinalem, totque Præſules ſibi addictos? & inducemus in animum, hos omnes caſu conueniſſe in poſtulanda prolatione quatuor dumtaxat capitum quæ retulimus, ſi nouiſſent, futurum opus fuiſſe ad reconciliandam in Fide Germaniam, vt non hæc ſolùm quatuor agitarentur, ſed reliqua omnia denuò pertractarentur?

Addit, fidei publicæ formam viſam fuiſſe admodum captioſam, 5
cùm in ea diceret Synodus, id concedi, *quantum ad ſe ſpectat. Siquidem nemo eſt, qui ab altero quidquam petat, niſi quantum ad ſe ſpectat concedere, & non amplius.* Rabidam enimuerò carpendi libidinem! Primò quidem oportebit, vt Iuriſperiti hanc à Suaui regulam addiſcant, captioſas admodum eſſe tabulas, vbi conditio in iis exprimatur, quæ iam tacitè intelligebatur. Ipſi namque huc vſque docuerunt, potiùs per huiuſmodi conditionis diſertam appoſitionem, actorum naturam non variari. Secundò, admodum captioſus habendus erit, qui cùm integrum alicuius rei dominium haud obtineat, illud non abſolutè promittit, ne ſibi arroget ius quo caret, nec id ſpondeat quo præſtando non eſt; ſed adiicit: *quantum ad ſe ſpectat:* quin potiùs ea promiſſionis ratio apud homines ſinceræ ac fidelis laudem obtinet. Fingamus, à Concilio fidem publicam abſque ea limitatione datam: exclamaſſet profectò Suauis, arrogaſſe ſibi Concilium hoc fucato colore abſolutam in aliena ditione poteſtatem; cùm accidere poſſet, vt ij quibus ea ſecuritas concedebatur, flagitium aliquod Tridenti patrarent, cuius puniendi facultas legitima pertineret vel ad Madruccium (qui vt eius Epiſcopus, ita beneficiarius Princeps erat) vel ad Ferdinandum, qui ſupremo iure Tridento dominabatur. At è conuerſo, dum ea poſita fuit reſtrictio, *quantum ad Synodum ſpectat*, cùm par eſſet, modeſtiam

ſtiam ibi agnoſcere, perſuadere conatur, id actum eſſe, vt aditus 1551.
pateret Romano Pontifici, quo poſſet incolumi ſuâ Synodíque dignitate agere quidquid vtriuſque commodo conduxiſſet. In egregiam vere dignitatem, & incomparabile commodum vtriuſque ceſſiſſet huiuſce fraudis patratio: præſertim cùm id temporis nullus extaret hæreſiarcha, è cuius morte hæreſis interitus ſperari poſſet. ſed ex eo ſumma totius Germaniæ deteſtatio expectanda eſſet; quandoquidem in comperto erat, à Concilio Legatoque hac in re nihil agi, ignaro & inconſulto Pontifice: ac proinde fidei publicæ tabulæ ab illis datæ perinde habebantur, ac ſi à Pontifice datæ fuiſſent. Præterquam quòd vbi Proteſtantes confirmationem Pontificiam deſideraſſent, tabellarius Romam miſſus metum omnem abſterſiſſet.

6 Diſſertationem ſuam locupletat, obſeruans, id quod agitabatur de iudicum delectu ad cognoſcenda delicta commiſſa ſeu committenda, quæ ſpectarent ad hæreſim, viſum fuiſſe quoddam rete ad quempiam incautum captandum. Hoc profectò rete aranei opus eſt, quod planè animal à quouis flore venenum haurit, & ex ſuis viſceribus retia extrahit: vir nemo cordatus periculi retia hîc deprehendet, ſed ſecuritatis laxitatem. Certum eſt, à Germanis neutiquam poſtulatum iri abſolutam quamdam omnium hæreticorum facinorum impunitatem; cuiuſmodi foret, in myſterium Diuinæ Triados concionandi, aut Hoſtiæ conſecratæ in lutum publicè proiiciendæ: nec apud homines vmquam auditum eſt, idem eſſe fidei publicæ ſecuritatem, quod effrænata licentia maximè enormium quorumcumque ſcelerum, omni ſupplicio immunis. Quæ cùm ita ſint, quodnam maius per fidem publicam tutamen Proteſtantibus tradi poterat, quàm vt pro iis etiam criminibus, de quibus aliquis dubitare potuiſſet, verbíſne generalibus comprehenderentur, ipſi eos iudices ſuo arbitratu ſibi ſeligerent?

7 Sed accuſationi quæ ſequitur, quid reſponſi ſuppetet? *Vel ipſi*, inquit, *pædagogi deridebant, quòd verbum principale pluſquam centum quinquaginta vocibus diſtaret ab initio ſententiæ.* Itaque publicæ tabulæ, acta, iudicia, edicta, priuilegia, & quidquid ad forum pertinet, ſecundùm pædagogorum regulas, & apud ipſorum tribunal diiudicanda; & quod ab illis tamquam elegans belleque concinnata periodo clauſum non cenſebitur, derididiculo habendum. Quænam arrogantia magis in comico planè pædagogo exhiberi poſſet? Licebat obſeruare Suaui, an ipſius patria, nobilitate iuxtà ac ſapientiâ inſignis, in ſolemnibus Magiſtratuum iuſſionibus eam ſcribendi

1551. normam ſequeretur: exceptiones longè maiores inuenient pædagogi in eruditionibus Iuriſperitorum, in ſubtilioribus Mathematicorum, in profundioribus Scholaſticorum, quin etiam in Patribus, quos præcipuè veneramur, atque adeò in ipſis adoratis ſacrarum Litterarum paginis. Aliàs egimus de huiuſmodi formulis conſuetis, ac propriis cuicumque præcelſæ Curiæ in legitimis tabulis; & quantæ prudentiæ ſit, elegantiæ ſolius gratiâ ea non mutare. Verùm quo animo Suauis audebat pædagogorum iudicium appellare, homo in Latino & Italico ſermone adeò rudis? Et is, qui pueriliter peccat, dum Latina verba perperàm interpretatur, quemadmodum in hiſce libris ſæpiùs oſtendimus; Italicè verò tam abiectè ac tam licenter ſcribit, quantum ex ipſius ſtylo in hoc ipſo apertè deprehenditur? An non memoriæ infixum erat, cùm ipſe quaſdam pro patria diſſertationes eſſet euulgaturus, vſquè adeò rudem & incultum in vſu ſermonis fuiſſe viſum, vt decretum fuerit alterum deligere, à quo illius ſenſa, detracto rusticitatis ſitu, quadamtenus exponerentur; pro eo ac refert non quidem maleuolus quiſpiam, ſed ipſius encomiaſtes, qui eiuſdem Vitam diuini veluti hominis conſcripſit? Sed Hiſtoriam proſequamur.

CAPVT IX.

Seſſio decimatertia. Septemuiri Colonienſis, ac Oratorum Brandeburgenſium in Concilium acceſſus. Reſponſio ſuperioribus Regis Galliæ litteris reddita.

Die itaque vndecimo Octobris, iam Seſſioni præſcripto, habita ea eſt, auctâ ſolemnitate tum ex acceſſu tertij Septemuiri Eccleſiaſtici, nimirum Colonienſis, cui pridie aduentanti obuiàm extra vrbem proceſſerant omnes Concilij [a] Præſules; tum ex legatione alterius Septemuiri laici, qui erat Brandeburgicus, Auguſtanæ profeſſioni addictus. Rem ſacram fecit Ioannes Baptiſta Campeggius, Epiſcopus Maioricenſis; Latinam verò concionem de laudibus Eucharistiæ Turritanus Archiepiſcopus: & quæ iam memorauimus Decreta de Fidei ac diſciplinæ rebus promulgata ſunt. 1

[a] Diarium Cærimoniarum Magiſtri, die 11. & 12. Octobris 1551.

Chriſtophorus Straſius Iuriſconſultus, primus Brandeburgenſis Orator, Latinum ſermonem habuit copioſum, in quo verbis admodum perſpicuis, ſi cui liquebit, ſui Principis obedientiam ſubiectio- 2

iectionemque obtulit. [b] Patres per Promotoris reſponſionem ſignificarunt, Synodo placuiſſe ſummopere facta ab Oratore verba, præſertim vbi nomine Septemuiri obedientiam pollicebatur. Hîc non omittit Suauis dentes in Synodum exerere riſu quodam mordaci, quaſi quod alius non offerebat, ipſa fuiſſet ſtipulata. Num in Oratoris poteſtate non erat, ſi quid minus obtuliſſet, id explicare, ſimulque oppugnare immoderatâ ſtipulatione; cùm præcipuè Straſius Iuris Ciuilis ſcientiâ eſſet inſtructus, & in huiuſmodi cautionum palæſtra exercitatus? At libétne Suauis malitiam contrectare? 1551.

[b] Sleidanus initio lib. 23. & fuſiùs in Actis in arce Ælia, vbi relata ſunt mandata Septemuiri, Oratio Straſii, & reſponſio Synodi.

3 In primis vbi Orator Latinas voces adhibuit, *obſequia & ſeruitia,* quæ cunctis compertum eſt quid ſonent apud Latinos, earum loco ponit *reuerentiam.* Leuiculum id eſt. Appellabatur in oratione Brandeburgici, *Sanctiſſimus Dominus noſter Iulius Tertius, Summus Pontifex ſacroſanctæ Romanæ vniuerſalis Eccleſiæ.* Qui tituli ab Oratoribus tributi Pontifici, ad verbum conſonabant iis, qui in mandatis Septemuiri continebantur, hoc eſt, *Sanctiſſimo in Chriſto Patri & Domino, Domino Iulio Tertio, fauore Diuinæ clementiæ Summo Pontifici, ſacroſanctæ Romanæ & vniuerſalis Eccleſiæ Domino noſtro gratioſiſſimo.* Nónne fuiſſent abundè huiuſmodi verba ad legitimum Præſidem declarandum, cui à cunctis Chriſtianis obedientia deberetur in iis, quæ rum ipſe, tum Concilia ab eo coacta & comprobata ſtatuiſſent? ac de ipſa nominatim Tridentina Synodo, cuiuſmodi erat ſermo in ipſo libello legationis illius? Dabatur in eo facultas Oratoribus interueniendi huic Oecumenico Tridentino Concilio. Dum itaque Septemuir Tridentinum Concilium tamquam Oecumenicum agnoſcebat, quid ambigui ſupererat, quò minùs debitam illi obedientiam profiteretur? Denique, vt diſcernatur an Synodi reſponſio in huiuſmodi obedientia acceptanda, fuerit quædam rei haud promiſſæ ſtipulatio, clauſulam orationis, cui reſponſum eſt redditum, recitemus: *Neque verò dubitare debet ſancta Synodus, Principem Electorem Illuſtriſſimum omnia quæ ſanctæ Synodo placitura ſunt, ſanctè, ſincerè, vt Principem Chriſtianum, & obedientem filium Eccleſiæ Catholicæ decet, obſeruaturum, defenſurum; & hæc omnia ex authentico eius mandato ſancta Synodus percipere poteſt.* Num hic ſermo vrbanam reuerentiam, an obſequentem ſubiectionem præ ſe fert? Et ſanè ne Sleidanus quidem, apud quem veritatis cortina Suaui perſonat, huiuſmodi ſubiectionem Concilio oblatam à Brandeburgico in dubium vocat; nec poteſt inficias ire Suauis, eam hoc in loco à ſe attentè perlectam, dum planè nihil prætermittit ab illo

1551. ſcriptore ſibi arripere, quod poſſit ſplendorem huiuſce legationis Concilio affuſum contaminare; obtendens, ad eam officij demiſſionem progreſſum Septemuirum, quò remoueret obſtacula à Catholicis ac Pontifice obiecta Frederico filio, quem Magdeburgenſes Canonici illius Eccleſiæ Archiepiſcopum nominarant. Qui ergo fieri poterat, ne Suauis animaduerteret, inter ſe pugnare ea duo, quæ ad eleuandam huius obſequij dignitatem coniungebat; & quæ tamen duo quaſi contraria venena vim ſuam inuicem refringebant? videlicet, per eam obſequelam Septemuirum ſtuduiſſe Pontificis conſenſum elicere, quò ad prænobilem illam Sedem ipſius filius eueheretur; ſimulque negaſſe Concilio obedientiam, quam illi vniuerſa Germaniæ Comitia ſpoponderant, inanemque tantummodò veluti vrbani officij fumum offudiſſe, perinde ac cum Rege Perſarum ageretur?

Sed his nondum ſatur Suauis, adhuc odio furit in Romanum Pontificatum; neque cohibere ſe poteſt, quò minùs ab hypotheſi ad theſim deſcendat, inductâque ſcenâ & actoribus pro ſua libidine, reſponſa per ironiam confingit ad Synodi defenſionem, quibus obiecta, quæ diximus, diſſoluerentur: *Id moris eſſe Eccleſiæ ſanctæ Romanæ; ac proinde cùm Patres Concilij Carthaginenſis ad Innocentium Primum ſcripſiſſent, fuiſſe à ſe damnatos Cæleſtium & Pelagium, rogantes, vt ipſorum declarationi ſe conformaret, illum reſpondiſſe, adiectis laudibus, quòd veteris traditionis & Eccleſiaſticæ diſciplinæ memores cuncta repoſuiſſent in ipſius arbitrio, à quo debent omnes addiſcere, quis abſoluendus, quis damnandus ſit. Et ſanè*, ſubiicit Suauis, *ſcita quædam ratio hæc eſt, quâ fiat vt homines id ſilentio loquantur, quod verbis proferre nolunt.* 4

Næ huic homini animus fuit, vt ſcriberet lectoribus à ſtudio litterarum auerſis, ad ſpeculandum ineptis, qui nec euentuum veritatem explorarent, nec diſſertarionum probabilitatem expenderent. Quod ſpectat ad euentum, Concilij Carthaginenſis litteras ita colorat, quaſi Concilij Patres ad Innocentium tamquam ad inferiorem ſibi, nedum æqualem, ea ſcripſerint: nec memorat, eumdem ab illis cohoneſtatum *Domini* titulo, ſæpiùs iterato; quo nomine nec illius nec alterius Synodi Epiſcopi ab Innocentio viciſſim ornantur: neque narrat, confirmationem ab eo Patres hiſce verbis petiiſſe: *Hoc itaque geſtum, Domine Frater, ſanctæ Charitati tuæ inſinuandum duximus, vt ſtatutis noſtræ mediocritatis, etiam Apoſtolicæ Sedis adhibeatur auctoritas.* Quæ loquendi ratio palàm facit, integram illam Synodum vnà ſcripſiſſe ad Innocentium tamquam ad ſuperiorem Pontificem. 5

Obſer-

6 Obſeruandum præterea eſt, haſce litteras fuiſſe ab illis Patribus 1551. ad Romanum Pontificem delatas per Iulium Epiſcopum, ſicuti ex reſponſis conſtat; qui potuit coràm amplè declarare ſenſa ſubmiſſionis ab illis exhibitæ, quæ breuiter indicabantur ſcripto, & pro certis habebantur. Ceterùm quiſnam mente validus ſibi perſuaſerit, Innocentium, niſi hunc celſitatis gradum in Eccleſia iam tenuiſſet, illum fuiſſe ſibi temerè arrogaturum per eam reſponſionem, cum periculo publici dedecoris ſubeundi? cùm præſertim haud potiretur id temporis Romanus Pontifex opibus & prouinciis, quas nunc poſſidet, vnde ſibi reuerentiam communicet. Neque ſolùm illius Concilij Patribus hic reſpondet, pro certo ſumens eorum obſequium ac ſubiectionem erga Romanam Eccleſiam, ipſam verò nuncupans matrem, magiſtram, ac moderatricem omnium Eccleſiarum; ſed per eamdem ſupremi Principis formam alteris litteris Mileuitani Concilij reſcribit, quas idem Epiſcopus Iulius ad ipſum detulerat, & cuidam peculiari epiſtolæ quinque Epiſcoporum, inter quos erat S. Auguſtinus, & quibus reddi nolebat reſponſa à ſe vtrique Concilio tradita. Et quiſquam inducet animum, eos egregios Antiſtites, & Auguſtinum potiſſimè, ſilentio tranſmiſſuros fuiſſe, ſi conſpexiſſent, aduerſus Chriſti ſanctiones priuatum Romæ Epiſcopum (qualem hæretici vnà cum Suaui ſupremum Pontificem depingunt) auſum fuiſſe tyrannidem in Eccleſiam exercere? Neque ad hos Patres dumtaxat, ſed ad Toletanam Synodum in Hiſpania, ad Epiſcopum Rotomagenſem in Gallia, & Conſtantinopolim, atque ad omnem Chriſtianæ gentis locum ſcripſit Innocentius per ſupremi Præſidis auctoritatem: & tamen neminem nacti ſumus ex illius ætatis Epiſcopis, ſanctitate doctrinâque præſtantibus, Eccleſiaſticæ dignitatis ſummoperè ſtudioſis, atque humanæ poteſtatis, quantumuis præcelſæ, contemptoribus, qui auctoritatem Innocentij argueret arrogantiæ; ſed potiùs qui eumdem venerati fuerint, eiuſque reſponſa velut oracula ſuſceperint. Atque vt id breuiter confirmemus, non ſolùm S. Auguſtinus tribus illis epiſtolis Romani Pontificis haud repugnauit; ſed nominatim eas protulit, commendauitque in epiſtola 47. ab ipſo ad Valentinum ſcripta. Et magnus S. Auguſtini diſcipulus, S. inquam Proſper, aduerſus auctorem Collationum cap. 41. loquens de quadam epiſtola à Zoſimo Innocentij ſucceſſore ſcripta, de qua ob temporum iniuriam nihil hodie ſupereſt, præter quædam apud ſcriptores fragmenta, ita de Romano illo Pontifice verba facit: *Africanorum Conciliorum Decretis ſententiæ ſuæ robur adnexuit, & ad impiorum detrunca-*

1551. *truncationem gladio Petri dexteras omnium armauit Antiſtitum.* Quo pacto omnium Antiſtitum, niſi eorum omnium fuiſſet caput, ſed vnus quidam ex Epiſcopis aut Primatibus? Clariùs in Chronico ad annum 420. idem S. Proſper hæc ſcribit: *Concilio apud Carthaginem habito ducentorum ac ſeptemdecim Epiſcoporum, ad Papam Zoſimum Synodalia Decreta perlata; quibus probatis, per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.* Ea verba, *per totum mundum*, obſeruentur pendentia à comprobatione Zoſimi Pontificis. Quæ verba rite fuerunt expenſa à doctiſſimo Gallicorum Epiſcoporum conuentu, habito anno 1653. coram Iulio Cardinali Mazzarino, ſupremo Chriſtianiſſimi Regis Ludouici XIV. adminiſtro, per occaſionem diplomatis ab Innocentio X. editi in quinque opinionum capita Cornelij Ianſenij Iprenſis Epiſcopi, ſicuti liquet ex Actis illius conuentus: qui Præſules idcircò litteris, grauitatem, Religionis ſtudium, ſummiſſionemque ſpirantibus,[e] ad Pontificem ſcriptis, eius definitiones ceu Spiritus ſancti voces acceperunt. Id verò leuiter tetigiſſe mihi ſatis ſit, ad refellendam calumniam, quam ornatu ioculari Suauis in orcheſtram de more deducit. De cetero, Pontificis Romani eminentia, quocumque tempore Eccleſiæ perſpecta, eam obtinet luculentiorum teſtium eruditorumque propugnatorum copiam, vt inſipientiæ mihi verteretur, ſi ad argumentum adeò iam perpenſum diuerterem. Ad operis mei ſeriem regrediar.

e Datis 15. Iulij, an 1653.

Poſtremo loco in ea Seſſione, Regis Galliæ libello, de quo ſuprà diximus, reſponſum eſt. Etenim quemadmodum Henrici conſilium fuerat, vt is non tam legationem exhiberet Concilio, quàm apologiam generi Chriſtiano; eaque propter poſteà neminem miſerat, qui reddendam ſtatuto die reſponſionem acciperet, quòd illam non habere cupiebat, præuidens, per eam ſuæ oppoſitam apologiæ, ipſius neruos labefactatum iri; ita ex aduerſo Synodus ſollicitè ſtuduit reſponſum etiam non audienti reddere, vt illud poſteà vniuerſus orbis audiret. Hæc autem eius ſumma fuit: *Mirum in modum gauiſam fuiſſe Synodum in præterita Seſſione, tum ob recentem Epiſcoporum, Principum, & Septemuirûm qui conuenerant frequentiam, tum ob honorificas legationes Cæſaris ac Ferdinandi, ſuorum regnorum Bohemiæ & Hungariæ nomine; tum etiam quòd per litteras ex Polonia & Luſitania nuntiabatur, ab illis pariter religioſiſſimis Regibus miſſionem ſuorum Oratorum parari. Eadem pia Chriſtianiſſimi Regis officia fuiſſe Synodum ſibi pollicitam: cùm enim adeò clarerent Gallorum Regum in Eccleſiam Catholicam merita, & ipſe Henricus nihilo minor ſuis maioribus haberetur ſeu pietate in Deum, ſeu ſtudio Religionis, ſeu animi magnitudine; ſpes erat, eum* 7

tutelæ firmiſsimæ illi Concilio futurum. Sed cùm ibi Regis nuntius adfuiſ- 1551.
ſet cum ipſius litteris ac libello, ab eorum tenore grauem moleſtiam ac ſolli-
citudinem fuiſſe Patribus incuſſam; non quòd ea plurimum reuerentiæ erga
ſacrum illum Conuentum non continerent, ſed quia difficultas inde obiici
viſa eſt, vnde auxilium ſperabatur. Verùm, etſi propter quaſdam cauſas,
prauaſq́; opiniones Regis animus exulceratus appareret; non tamen idcircò
abiici à Synodo ſpem, quam in Deo, Oecumenicarum Synodorum ſummo Præ-
ſide, & in ſuarum actionum, animorum finiumq́; conſcientia collocabant,
ab ipſo Rege perpenſis iis, quæ ipſius dignitas poſtulabat, & quorum Chri-
ſtiana Reſpublica indigebat, amantiſsimas Patrum cohortationes minùs re-
ctis aliorum conſiliis prælatum iri. Tum ampla neceſſitas exponeba-
tur, quæ ad celebrandam Synodum vrgebat Eccleſiam: *Patres eò*
conueniſſe, non vt commodis alicuius terreni Principis ſeruirent, ſed om-
nium Principum Principis, qui Chriſtus eſt. Id palàm fieri ex præteritis
ipſorum Actis, idemq́; confirmandum ex futuris. Neque fieri poſſe, vt dum
Rex per eam honoris exiſtimationiſq́; ſignificationem ad ipſos ſcriberet, ſu-
ſpicarentur tam indignam de ipſis opinionem ab eo concipi. De bello Par-
menſi ſe minimè dubitare, quin Pontifex optimam ſuorum conſiliorum ra-
tionem eſſet redditurus. Quoad ipſos pertinebat, nihil ſibi optatius eſſe,
quàm tranquillitatem atque concordiam: ſed ob peculiarem controuerſiam,
publicum tanti momenti bonum minimè præpediendum; cùm Epiſcopi, qui
Concilium adituri erant, nec ad arma tractanda, nec ad bellum gerendum
eſſent idonei, ac viæ pariter tutæ paterent, atque in ea vrbe cuncti quiete
plurimâ fruerentur. Meritò ſuſpicari Gallos non poſſe, quin ibi in dicenda
ſententia plenam habituri eſſent libertatem; quandoquidem compertum erat,
conſenſiſſe Patres, vt priuato Regis nuntio liceret quidquid ſibi libuiſſet ex-
ponere, cunctis patienter intenteq́; audientibus. Quòd ſi Galliæ Antiſtites
(quod minimè credendum erat) ſuo deeſſent officio per abſentiam rationi
diſſentaneam, non ideò Concilio dignitatem auctoritatemq́; Oecumenici de-
futuram. Fuiſſe illic primò legitimè coactum, deinde legitimè repoſitum:
Eccleſiam Chriſti, inſtar eiuſdem tunicæ inconſutilis, vnam atque indiui-
duam eſſe. Quod autem ad eam partem ſpectabat, in qua minitabatur Rex,
quædam remedia ſe adhibiturum, à ſuis maioribus vſurpata: Synodum ſibi
perſuadere non poſſe, ea eſſe illius intima animi ſenſa, vt quod ob validiſsi-
mas cauſas inclyti eius deceſſores abſtulerant, velit ipſe renouare cum tanta
Eccleſiæ perturbatione, cum tam fœda ſui nominis macula, cum iactura be-
neficiorum omnium, quæ maiores ipſius & ipſe pariter acceperant tam co-
pioſè & à ſuperioribus & ab viuente Pontifice. Par eſſe, vt Rex animo re-
coleret, ſi à quouis mortalium, quæcumque is agat, communi vtilitati ſunt
conformanda, longè arctiùs eâ obligatione teneri Principes; quippe conſti-

1551. *tutos à Deo in tam celſo gradu non ad priuatam ipſorum, ſed ad publicam omnium vtilitatem. Admonebantur denique Epiſcopi Galliæ officij ſui erga ſummum Paſtorem Concilium indicentem, & erga collegas ſuos, à quibus eò inuitabantur; ac Regi proponebatur parentis pietas, qui miſſis & grauiſſimis Epiſcopis, & præſtantiſſimis Oratoribus, in eadem vrbe illam Synodum promouerat.* Hac ratione ſtuduerunt Patres in hiſce reſponſis eam moderationem ſeruare, quàm difficilem tam conducibilem in controuerſiis cum Principibus, reuerentiæ ac libertatis, beneuolentiæ & correctionis.

CAPVT X.

Decreta de Sacramentis Pœnitentiæ & extremæ Vnctionis ad decimamquartam Seſſionem parata; & ſuper his errata Suauis.

Fvtura Seſſio quò die præſtituto celebraretur, plurimum impenſum eſt curæ iis, quæ opus erant expediendis, cùm experientiâ compertum eſſet, impenſam temporis conceptâ priùs opinione ſemper ampliorem euadere. In libello qui ſingulis tradebatur, hæreticorum articuli de Sacramentis Pœnitentiæ & extremæ Vnctionis exſcripti erant, vt examini ſubiicerentur: inde iacta ſunt fundamenta ad ſententias ſtatuendas. 1

Articuli de Pœnitentia erant huiuſmodi:

Pœnitentiam non eſſe propriè Sacramentum, ad reconciliationem pro relapſis poſt Baptiſmum à Chriſto inſtitutum; nec rectè à Patribus ſecundam tabulam poſt naufragium appellari: ſed Baptiſmum verè eſſe ipſum Sacramentum Pœnitentiæ. 2

Non eſſe tres Pœnitentiæ partes, Contritionem, Confeſſionem & Satisfactionem: ſed duas tantùm, terrores ſcilicet incuſſos conſcientiis, agnito peccato, & fidem conceptam ex Euangelio, vel abſolutione, quâ credit quiſ ſibi per Chriſtum eſſe remiſſa peccata. 3

Contritionem, quæ paratur per diſcuſſionem, collectionem & deteſtationem peccatorum, non præparare ad gratiam Dei, nec remittere peccata; ſed potius facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, eamq; contritionem dolorem eſſe coactum, & non liberum. 4

Confeſſionem ſacramentalem ſecretam Iuris Diuini non eſſe: nec apud antiquos Patres ante Concilium Lateranenſe eius factam fuiſſe mentionem; ſed publicæ tantùm pœnitentiæ. 5

Enumerationem peccatorum in confeſſione non eſſe neceſſariam ad illorum remiſſionem, ſed liberam: & tantùm hac ætate vtilem ad erudiendum 6

pœni-

pœnitentem, & conſolandum; & olim fuiſſe ad ſatisfactionem canonicam 1551.
imponendam: nec neceſſarium eſſe, confiteri omnia peccata mortalia, vtpote occulta, & quæ ſunt contra vltima duo Decalogi præcepta: ſed neque vllas circumſtantias peccatorum, quas homines otioſi excogitarunt: velleq́ omnia confiteri, eſſe, nihil relinquere Diuinæ miſericordiæ ignoſcendum; imò neque licere confiteri venialia.

7 *Confeſsionem omnium peccatorum, quam Eccleſia faciendam præcipit, eſſe impoſsibilem, traditionemq́ humanam, à piis abolendam: neque confitendum eſſe tempore Quadrageſimæ.*

8 *Abſolutionem Sacerdotis non eſſe actum iudicialem, ſed nudum miniſterium pronuntiandi & declarandi, remiſſa eſſe peccata confitenti, modo credat ſe eſſe abſolutum; etiamſi non ſit contritus, aut Sacerdos non ſeriò, ſed ioco abſoluat: imò etiam ſine confeſsione peccatoris Sacerdotem eum abſoluere poſſe.*

9 *Sacerdotes non habere poteſtatem ligandi & ſoluendi, niſi Spiritus ſancti gratiâ & charitate ſint præditi. Et non eos ſolos eſſe miniſtros abſolutionis; ſed omnibus & ſingulis Chriſtianis eſſe dictum: Quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Quorum verborum virtute abſoluere poſſunt peccata, publica quidem per correptionem, ſi correptus acquieuerit; ſecreta verò per ſpontaneam confeſsionem.*

10 *Abſolutionis miniſtrum, etſi contra prohibitionem Superioris abſoluat, verè nihilominùs abſoluere à culpa, & coram Deo: ideo caſuum reſeruationem non impedire abſolutionem: nec Epiſcopos habere ius eos ſibi reſeruandi, niſi quoad externam politiam.*

11 *Totam pœnam & culpam ſimul remitti ſemper à Deo; ſatisfactionemq́ pœnitentium non eſſe aliam, quàm fidem, quâ apprehendunt Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe: ideoq́ ſatisfactiones canonicas quondam, exempli causâ, vel diſciplinæ, vel probandi fideles causâ fuiſſe à Patribus inſtitutas, & in Concilio Nicæno exortas; numquam autem ad remiſsionem pœnæ.*

12 *Optimam pœnitentiam eſſe nouam vitam, pœniſq́ temporalibus à Deo inflictis minimè ſatisfieri; ſed neque voluntariè ſuſceptis, vt ieiuniis, orationibus, eleemoſynis, & aliis bonis operibus non præceptis à Deo, quæ ſupererogationes vocantur.*

13 *Satisfactiones non eſſe cultus Dei, ſed traditiones hominum, doctrinam de gratia & vero Dei cultu, atque ipſum beneficium mortis Chriſti obſcurantes: & fictiones eſſe, quòd virtute clauium æterna ſupplicia in pœnas temporales commutentur, cùm illarum non ſit munus pœnas imponere, ſed abſoluere.*

Sequebantur quatuor de poſtrema Vnctione articuli, ij nimirum:

14 *Extremam Vnctionem non eſſe Sacramentum nouæ Legis à Chriſto inſti-*

 tutum,

1551. *tutum, ſed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum.*

Extremam Vnctionem non conferre gratiam, neque remiſsionem peccatorum; ſed neque alleuare infirmos, qui olim per gratiam curationum ſanabantur: atque ideò eam cum primitiua Eccleſia ceſſaſſe, ſicut & gratiam curationum. 15

Extremæ Vnctionis ritum & vſum non obſeruari ab Eccleſia Romana iuxta B. Iacobi Apoſtoli ſententiam: ideoq; eum mutandum eſſe; poſſeq; à Chriſtianis abſque peccato contemni. 16

Extremæ Vnctionis miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem: Presbyteroſq; Eccleſiæ, quos B. Iacobus adducendos ad infirmum vngendum hortabatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quauis communitate. 17

De fundamentis, ſupra quæ ſtabiliendæ erant ſententiæ, idem repetebatur, quod ante præcedentem Seſſionem iniunctum fuerat; nimirum, vt ea forent ſacræ Litteræ, Apoſtolicæ traditiones, Concilia comprobata, Conſtitutiones auctoritateſque Romanorum Pontificum, ac SS. Patrum, & Eccleſiæ conſenſio. Etenim non modò in cunctis Fidei ſanctionibus loca maximè propria atque intima ſunt, quæ ab auctoritate petuntur; ſed præcipuè in rebus, quæ tunc tractabantur, de Sacramentis, in aperto erat, cuncta pendere ab arbitraria Dei inſtitutione, nullâ ferè humanæ ratiocinationi relictâ operâ, quæ certas ipſa per ſe conſecutiones conficeret. 18

Tria deinde cuncti admonebantur; Vt breuiter verba facerent; Vt inutiles quæſtiones præciderent; Vt in proteruis contentionibus haud perſiſterent. Monita ſanè numquam ſatis inculcata, vbi diſputationis argumenta perampla ſunt, & qui diſputant, ſubtilioris ingenij. In eodem libello dicendi ordo præſcriptus, paucis adiectis ad ea quæ in anteacta Seſſione fuerant ſtatuta, hoc eſt, vt primus ad differendum locus daretur Theologis à Pontifice miſſis, tum iis qui à Cæſare, dein qui à Regina Maria, Belgij moderatrice; poſteà verò iis, qui cum Septemuiris erant: quintus locus Clericis non Regularibus pro ſuſceptæ laureæ tempore; poſtremus Regularibus, pro Familiarum antiquitate.

In fine memorati libelli indicebantur diebus ſingulis conſeſſus bis habendi, quibus horæ tres matutino, totidem pomeridiano tempore inſumerentur.

Suauis per haſce veritates ſibi viam ſternit ad aperiendum ſuis calumniis aditum. Scribit præſertim, *Ab ea præſcriptione deducendi conſecutiones ex illis quinque locis iam recenſitis, nec dicendi prolixitatem, nec vanitatem quæſtionum fuiſſe ſublatam; quin potiùs ad maiores abuſus occaſio-* 19

occaſionem præbitam. Nam ſi more Scholaſtico locuti eſſent, ſaltem in argumento perititiſſent, & integra diſſertatio ſeria fuiſſet ac ſeuera: ſed hac nouâ dicendi ratione, quam poſitiuam vocant (quæ vox Italica eſt, à ſimplici veſtitu, abſque ſuperuacaneo ornatu) in ineptias dilabebatur. 1551. Prætermitto, hunc loquendi modum in ea Seſſione minimè cœptum præſcribi; ſed eumdem prorſus in ſuperiore ſeruatum, ſicuti ibi narrauimus. Ad rem ipſam accedamus. Conſuetum apud Philoſophos effatum eſt, Rectum eſſe regulam obliqui; ſed ob contrariam, non ob conſimilem rationem, propterea quòd obliquum intelligimus id quod recedit à recto. Ita planè diſtorta Suauis affectio: pro regula quâ quidquam comprobet improbétve, rectam Synodi mentem habet: quamdiu res tractandæ auctoritatis ſimul ac rationum trutinam, adeoque Scholaſticum dicendi modum poſtulabant, illam tamquam ſophiſticam, vanam & commentitiam ipſe deriſit: vbi Synodus peculiares ob cauſas iniit rationem agendi, quam *poſitiuam* appellant, & quam idem anteà deſideratam à ſe indicabat; Scholaſtica ſuos ob oculos in ſeriam ac ſeueram, altera in ſeminarium ineptiarum transformatur. Sed ea profectò ineptiarum origo Suauis animo fuit, qui voluit adeò ſtultè ipſius etymon excogitare, de quo longè veriùs quàm paulò antè idem ipſe dixerat de fide publica, Proteſtantium ſecuritati à Concilio data, licere ea verba proferre, *Vel ipſi Pædagogi id irridebant.* Quo pacto miſellus homo tam fœdè lapſus eſt, vt illam etymologiam ex Italica voce deduxerit *veſtitus poſitiui*, hoc eſt ſimplicis, & abſque ſuperuacaneo ornatu?

20 Suâ confiſus audaciâ ſe perſuaſurum putauit, adeò indubitatam Lutheri ſententiam eſſe, quâ dixit, à Scholaſtica Theologia nonniſi ſuperuacaneum ornatum adiici Poſitiuæ, vt voluerit *poſitiuæ Theologiæ nomen* inde deduci. At verò quàm magno Scholaſtica ſit in pretio, & ob validiſſimum adiumentum, & ob vtiliſſimam lucem ad propugnanda atque intelligenda Fidei myſteria, nemo eſt qui neſciat, niſi volumina Doctorum omnium Catholicorum aduerſus hæreticos recentes ignoret. Quonam pacto Suauis libido ſui fellis vndique in Eccleſiam euomendi prohibuit, ne ipſius memoriæ recurreret vetuſtiſſima & cunctis obuia diſtinctio legis *naturalis & poſitiuæ*; cùm hæc poſterior ita nuncupetur, quia obligatio quam affert, in ipſius rei immutabili natura non fundatur, ſed in ſanctione ſcripta, & poſita pro arbitrio ſiue Dei ſiue Magiſtratus humani? Profectò ſecundùm hanc ſignificationem vſurpatum eſt hoc vocabulum *legis poſitiuæ* à S. Thoma in prima ſecundæ,

1551. quæſt. 95. art. 4. ante quadringenteſimum annum; atque eodem pacto dicitur *Theologia poſitiua* ea quæ reſtringitur ad conſideranda quæ ſcripta & poſita ſunt in ſacris voluminibus; non autem ſpeculatur rationes in rerum naturis infixas, & non poſitas ab hominum voluntate, qualia ſunt ſcriptorum dicta, & quas vnà cum ſacris teſtimoniis ſibi adhibet Scholaſtica Theologia: quin etiam Italicum idioma, à quo Suauis tamquam ab originario fonte hanc vocem *poſitiua* inſcitè deriuat, illam verè traxit à Latino, eademque apud veteres eſt in vſu, non ſecundùm ſignificationem, quam illi Suauis tribuit; [a] ſed ſecundùm eam, quâ vſi fuerunt Iuriſperiti, & S. Thomas à nobis laudatus. Contrà verò, loquendi formula, quâ Itali *poſitiuum* nominant veſtitum, modico ciui non Proceribus conuenientem, recens eſt, & inducta pariter habito ad linguam Latinam reſpectu; ſed per analogiam, ductam ab alia ſignificatione illius vocis apud Latinos, hoc eſt à veterum Grammaticorum vſu, qui nomina adiectiua diuidunt in poſitiua, comparatiua, & ſuperlatiua; quemadmodum liquet non modò ex Donato, S. Hieronymi magiſtro, ſed ex Palæmone, quem Tiberio æqualem Suetonius narrat, adeoque plura ante ſæcula quàm ſermo Italicus exiſteret: quia verò nomina poſitiua in hac triplici claſſe ſignificationem minùs nobilem ac ſublimem ſortiuntur; hinc deducta eſt metaphora ad veſtes, aliamque ſupellectilem, quæ nihil ſupra communem conditionem excedunt.

[a] Vide Vocabularium Italicum Florentinæ Academiæ, & allata ibi teſtimonia.

E Grammaticis erratis progreditur Suauis ad hiſtorica mendacia, & exponit lectoribus rationem, quâ Theologi ſententias pronuntiarunt; vtiturque vocibus adeò indecoris, perinde ac ſi cœtus ille ſolùm ex quibuſdam nugatoribus, nullius doctrinæ, plurimæque arrogantiæ coaluiſſet; & quaſi nunc cum admiratione paſſim non voluerentur Opera Melchioris Cani, Alfonſi Salmeronis, Ruardi Tapperi, Alfonſi de Caſtro, præter Ioannem Gropperum, Iacobum Lainium, Ambroſium Pelargum, alioſque complures viros doctiſſimos, qui Synodo per id tempus interfuere, miſſi alij à Pontifice, alij à Cæſare, alij ab eius ſorore Maria Regina, Belgium moderante, alij à florentiſſimis Religioſorum Ordinibus & Academiis, & alij ſecum adducti ab Imperij Septemuiris, aliiſque præclariſſimis Epiſcopis. Sed ridiculum planè eſt, quòd vbi illum integrum cœtum tam vilè tam contemptim habuit, paulò pòſt varios ex eodem conuentu inducit, ſubtiliora quæque & abſtruſiora promentes, quæ illis ſuccurrant aduerſus ſingulos Canones iam digeſtos: cum verò ſibi eſſe in pretio Theologorum ſapientiam oſtendit. 21

dit. Proinde, ſi Suaui credimus, cùm illi ad comprobandas Catholicas doctrinas, ac poſteà in Concilio ſancitas, loquebantur, Apuleij metamorphoſim ſubibant; cùm eiſdem doctrinis aduerſari volebant, formam priſtinam reſumebant. 1551.

22 Atque eo vſque prolabitur eius audacia, vt affirmare non vereatur, nihil penè aliud ad rem prolatum, quò probaretur, Pœnitentiam eſſe Sacramentum, niſi Concilium Florentinum. Fierine potuit, vt illa Synodus, in qua de hoc dogmate cum Latinis Græci conueniebant, tametſi ab Eccleſia Latina ſupra quingentos & ſeptuaginta annos ſeiuncti, aut temerè, & ſine fundamento hunc articulum pronuntiauerit, aut omnis de huiuſmodi fundamenti notitia tam citò, nimirum paulò poſt annum centeſimum, euanuerit? Fieríne potuit, vt etiam fortuitò, & ſine grauibus apertiſque rationibus, per Academias euulgatis, in eamdem doctrinam conuenirent quinto antè ſæculo Magiſter Sententiarum, S. Thomas, & vniuerſa Schola, alioquin adeò diuiſa, vbicumque quæſtionis dubitatio concertationibus locum dedit? Quin etiam cùm probationes adeò validæ, adeoque cunctis manifeſtæ ſuppeterent, qui potuit fieri, vt in tanto & tam ſelecto conuentu, cunctorum ingeniis hæ prorſus laterent? Profectò memoriâ retinuiſſent ea ſaltem verba Euangelij, vt quæ in eodem Decreto tunc confirmato legebantur. Sed inſuper quo pacto accidit, vt ex illis nemo viderit definitionem Lucij III. Romani Pontificis, quæ habetur in cap. *Ad audientiam*, ſub titulo, *De hæreticis*, trecentis ferè annis ante Florentinum Concilium ſcriptam, & à quouis Pontificij iuris mediocriter perito perlectam? Igitur nemo aderat tot inter eruditos viros, cui vmquam occurrerit illud S. Ambroſij dictum; [b] *Cur baptizatis, ſi per hominem peccata remitti non licet? in Baptiſmo enim vtique remiſſio peccatorum omnium eſt: neque intereſt, vtrùm per Pœnitentiam, an per Lauacrum hoc ſibi ius datum Sacerdotes ſibi vindicent; idem in vtroque myſterio eſt?* Nemini verba illa Chryſoſtomi de Sacerdote: [c] *Neque enim ſolùm cùm nos regenerant, ſed etiam poſteà condonandorum nobis peccatorum poteſtatem obtinent?* Et illa alia, [d] vbi formulis tam honorificis confert auctoritatem Sacerdotis cum Regia, eamque illi præfert; quoniam etſi Rex veſtium ſplendore, ſolique maieſtate, vnde profert ſententias, antecellat; *Tamen* (ſic ille diſſerit) *Rex rerum terrenarum adminiſtrationem ſortitus eſt, nec vltra poteſtatem hanc præterea quidquam habet auctoritatis. Verùm Sacerdoti thronus in cælis collocatus eſt, & de cæleſtibus negotiis pronuntiandi habet auctoritatem. Quis hoc dicit? ipſe cælorum Rex: Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis;*

[b] Lib. 1. de Pœnit. cap. 7.

[c] Lib. 3. de Sacerdotio.

[d] Homil. 3. de Verbis Iſaiæ.

1551. *cælis; & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis. Quid cum tanto honore conferri poſſit? à terra iudicandi principalem auctoritatem ſumit cælum: nam index ſedet in terra, Dominus ſequitur ſeruum, & quidquid hic in inferioribus iudicarit, ille in ſupernis comprobat?* Nemini, e Epiſt. 180. quæ ſanctus Auguſtinus ad Honoratum ita ſcribit: e *An non cogitamus, cùm ad iſtorum periculorum peruenitur extrema, nec eſt poteſtas vlla fugiendi, quantus in Eccleſia fieri ſoleat ab vtroque ſexu, atque omni ætate concurſus, aliis Baptiſmum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipſius actionem, omnibus conſolationem, & Sacramentorum confectionem & erogationem?* Magnum enimuerò infortunium illorum Doctorum fuit, qui, cùm è tam remotis terrarum Orbis regionibus eò conueniſſent, de rebus adeò grauibus diſceptaturi in tam auguſto theatro, vbi tanti ponderis res agebatur, poſt impenſum ad id diuturni ſtudij laborem, nequaquam offenderint in hæc & alia plurima teſtimonia ſanè pernota, quibus probatur, pœnitentiam eſſe Sacramentum delens peccata, & gratiam conferens, adeò vt præter Florentinæ Synodi teſtimonium non niſi paleas attulerint, ſicut Suauis narrat, dum campus triticeis frugibus abundabat.

Sed veram rei narrationem proſequamur. Conſueuerant intereſſe Theologorum congreſſibus Oratores Septemuiri Brandeburgenſis, qui poſt Cæſareos conſidebant; interuenere pariter Ducis Wirtembergenſis Oratores priuatim, antequam legationis litteras protuliſſent, vt agendi rationem inſpicerent, audirentque fundamenta doctrinæ; tum etiam Macarius Chienſis Theſſalonicæ Archiepiſcopus, Græco ritu initiatus, cui poſt Latinos Archiepiſcopos ſedes data; verùm vt ad conſeſſum admitteretur, exegerunt ab illo Patres diſertam Fidei Catholicæ & obedientiæ erga Romanum Pontificem profeſſionem, vtpote qui à Conſtantinopolitano Patriarcha ſchiſmatico inſtitutus fuerat. 23

Ingens equidem volumen conficerem, ſi vellem hîc recenſere vel ea dumtaxat, quæ cum ſententiis ibi dictis, teſtimoniiſque productis, tum à minoribus tum à maioribus Theologis, in Acta compendio relata ſunt. Sibi quiſque meritò perſuadere poteſt, quidquid eximij de hoc argumento apud controuerſiarum de Religione ſcriptores extat, id omne ab egregiis illis viris fuiſſe productum: quædam magis ſingularia perſtringam, quibus palàm fiat ſeu ſententiarum diſcrepantia in conſiliis ante Seſſionem habitis, ſeu Patrum mens in aliquo Decreto.

Didacus Lainius, qui primo loco inter minores Theologos ſermonem habebat, damnans poſteriorem ſecundi articuli partem, dixit: 24

xit: Sacramento eſſe neceſſaria pœnitentiam, timorem, dilectionem, contritionem, abſolutionem. Dilectionem pariter tamquam neceſſariam enumerauit Iacobus Ferruſius Hiſpanus, Segouienſis Epiſcopi Theologus, & per hoc eumdem articulum improbauit, cauſatus, ſolis terroribus minimè contineri dilectionem, quæ abſolutè neceſſaria eſt, cùm Chriſtus pronuntiauerit: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* &, *dilexit*, inquit, per præteritum, quia dilectio remiſſionem anteceſſit. Et Apoſtolus: *Triſtitia quæ eſt ſecundùm Deum* (hoc eſt, interpretabatur Ferruſius, ſecundùm Deum dilectum) *operatur pænitentiam in ſalutem.* Et cap. 2. ad Romanos: *Benignitas Dei vos adducit ad pænitentiam.* Vnde S. Auguſtinus ait: *Abſque amore gratia non datur.* Idcircò exigebat is ante omnia primam quamdam, vt vocant, motionem in Deum, ad quam ſignificandam ea Scripturæ verba dicerentur: *Conuerte nos Domine ad te.* &, *Ego ſto ad ianuam, & pulſo: Vos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis.* &: *Extendi manum meam, & non fuit qui adſpiceret.* Poſteà verò actum Fidei, vnde ſcriptum erat: *Accedentem ad Deum oportet credere.* &, *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo.* Hinc oritur, aiebat ille, in homine peccatorum deteſtatio, aſſurgitque in ſpem animus, & amoris initium habetur; inde verò primam gratiam Deus infundit: qui tamen amor naturalis non eſt, ſed à Diuina gratia efficitur; tametſi naturalis amor ad id etiam conferat. Ita Ferruſius. 1551.

25 At Melchior Auoſmedianus, tunc Pacenſis Epiſcopi Theologus, poſteà verò, regreſſus ad Pij Concilium, Guadicenſis Epiſcopus, dixit, Priùs nos propter pœnæ metum dolere, dein propter Deum; poſteà verò, aiebat, peccata confitemur. Et Bernardus Colloredus Dominicanus, Foroliuienſis Epiſcopi Theologus, tamquam neceſſaria numerauit timorem, deteſtationem ac fidem, ex qua ſpes oriatur, & ab hac dilectio. Eiuſdem ſententiæ fuit Franciſcus Contreia ex Ordine Minorum Obſeruantium. Et reuerà, quantum ex Actis coniicio, Theologorum mens erat, vt error hæreticorum damnaretur, tamquam inhoneſtum improbantium pœnæ timorem; non item vt ferrent ſententiam de Scholaſtica quæſtione, an huiuſmodi timor non ſolùm abſque Contritione animi perfecta (de quo controuerſia vix fuit, ſicuti patebit) ſed etiam abſque eo quòd vllus excitetur amor imperfectus, ſufficiat ad peccatorum remiſſionem in Sacramento. Id verò clarè liquet ex ipſa probatione Concilij, quâ huius articuli doctrinam firmat capite quarto; nimirum, Niniuitarum pœnitentiam ex timore profectam ipſis profuiſſe; cùm certum eſſet, eo tempore, quo Sacramentum Pœnitentiæ adhuc non exta-

1551. bat, eam formidoloſam pœnitentiam minimè ſuffeciſſe per ſeipſam ad peccatum delendum; ſed vim tantummodò habuiſſe ad impetrandam nouam gratiam, cuius ope adiiceretur charitatis affectus, quem omnes neceſſarium fuiſſe fatentur ante nouam legem ad iuſtitiam recipiendam.

In Patrum conuentu id pauci attigerunt. Aliquod dumtaxat veſtigium comperio opinionis negantis neceſſitatem amoris, in iis quæ Granatenſis diſputauit. At verò Ioannes Æmilianus, Hiſpanienſis Tudetanus Antiſtes, extremum oppoſitæ ſententiæ tenuit: hoc eſt, opus eſſe Contritione perfectâ; nec tamen hinc argui, per Sacramentum peccata non remitti, quippe quæ Sacramentum iam inuenit remiſsâ præeuntis Contritionis efficacitate: ſiquidem, aiebat, ipſa Contritio id præſtat virtute Sacramenti, cuius votum in ea continetur. 26

Prætereà oportet ſcire, poſteà Decretis doctrinam complexis verba hæc fuiſſe adiecta: *Illam Contritionem, quam Theologi Attritionem vocant, quòd imperfecta ſit, & ſolùm vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu, qui ſeruilis timor dicitur, concipiatur, ſi voluntatem peccandi excludat, & dolorem qualemcumque de commiſſis delictis exprimat, ſtatuit hæc ſancta Synodus, & declarat, non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem (vt quidam blaſphemare non verentur) verùm etiam ſufficere ad Sacramenti huius conſtitutionem, ac donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum veriſſimum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus, cùm ſine aliquo dilectionis in Deum motu eſſe vix queat, viam ſibi ad iuſtitiam munit, & per eum ad Dei gratiam faciliùs impetrandam diſponitur.* Sed laudatus Epiſcopus monuit, falsò dici, huiuſmodi dolorem ſine amore vix vmquam concipi poſſe: quod autem hæc Attritio ſatis eſſet Sacramento conſtituendo, ita vt homini attrito deleantur peccata Abſolutionis ſuperuenientis vi, variare auctorum ſententias, adeoque id eſſe tollendum: quamobrem Decretum, ſicuti nunc exſtat, reformatum eſt, & prout à nobis referetur.

Canon quoque paratus fuerat, vbi damnabatur, quiſquis negaret, Contritione, quâ pœnitens Diuinâ gratiâ per Chriſtum cooperante dolet de peccatis propter Deum, cum propoſito confitendi & ſatisfaciendi, remitti peccata. Sed Balthaſar Eredia Calaritanus Archiepiſcopus admonuit, cùm ea eſſet Caietani & Adriani ſententia, damnandam non eſſe. 27

Nec parum diſceptatum, quâ ratione actus pœnitentis declarandi eſſent partes Sacramenti, nihil ob id perſtrictâ Scoti ſententiâ,

cui

cui neque pariter officere voluerat Synodus Florentina: ac poſtremò ea ratio fuit adhibita, quæ habetur in capite tertio doctrinæ, & in Canone quarto, & quas afferemus. 1551.

28 Reliqua etiam per ſingulas partes ſæpiùs expenſa ſunt, tam accuratè, vt fidem ſuperet. Atque inter cetera contigit, vt poſt cenſuras notaſque minorum Theologorum Legatus iterum Patres cohortatus fuerit ad breuitati ſtudendum, illius neceſſitate patefactâ [f]; ſed ſimul conteſtatus, id cuiuſque arbitrio liberum relinqui: & quò feſtinaretur, propoſuit, vt ex dictis cenſuris & adnotationibus Decreta Canoneſque doctrinæ conformarentur, quæ poſtmodum ad ſuperiorem conſeſſum, ſed ſine anathemate, & cum dubitatione referrentur. Aſſenſere Tridentinus, Septemuiri, & complures Archiepiſcopi; ſed Petrus Guerrerus Archiepiſcopus Granatenſis, vbi ex ordine dicendum ipſi fuit, acriter repugnauit, cùm animaduertiſſet, potiora interdum à Patribus quàm à minoribus Theologis obſeruari; ac proinde manum operi non imponendam, niſi exacta conſultatio præceſſiſſet, & abſque periculo vitioſæ operis formæ. Quoniam verò quidam alij, celeritatis ſtudioſi, aliter ſentiebant, res vrnæ commiſſa; in qua paria vtrique ſuffragia numerata, hoc eſt, viginti quatuor ex vtraque partium, excepto Archiepiſcopo Græco, qui nonniſi per interpretem dicta percipiebat, nec ferebat ſententiam, & Calaritano, qui pendens animi fuit. Quare rurſus, plurimis hinc & iſthinc rationibus adductis, noua ſuffragatio habita eſt, & vicit Granatenſis opinio. Vſque adeò ſeruabatur illæſa Patrum libertas contra Legati ſenſa vel in modicis rebus, & arbitrario ſtatuendis; tantumque curæ impendebatur iis deliberationibus, quibus Suauis nititur fidem adimere, quaſi coactis atque neglectis.

[f] In Cœtu generali, 5. Nouembris.

Per hoc prolixum & accuratum examen, duodecim ibi rerum capita ſtabilita, quibus doctrina traderetur, & nouemdecim Canones, quibus errores proſcriberentur. Nouem priora capita, quibus priores quindecim Canones reſpondent, agunt de Pœnitentia; decimum ac duodecimum caput, quibus poſtremi quatuor Canones conformantur, de extrema Vnctione loquuntur. Proœmium huiuſmodi fuit: *Quamuis in Decreto de Iuſtificatione multus fuerit de Pœnitentiæ Sacramento, propter locorum cognationem, neceſſariâ quâdam ratione ſermo interpoſitus; tanta nihilominùs circa illud noſtrâ hac ætate diuerſorum errorum eſt multitudo, vt non parum publicæ vtilitatis retulerit, de eo exactiorem & pleniorem definitionem tradidiſſe; in qua demonſtratis & conuulſis, Spiritus ſancti præſidio, vniuerſis erroribus, Catholica veri-*

1551. *tas perſpicua & illuſtris fieret, quam nunc ſancta hæc Synodus Chriſtianis omnibus perpetuò ſeruandam proponit.*

Primum verò caput erat: *Si in regeneratis omnibus gratitudo erga Deum eſſet, vt iuſtitiam, in Baptiſmo, ipſius beneficio & gratiâ ſuſceptam, conſtanter tuerentur; non fuiſſet opus, aliud ab ipſo Baptiſmo Sacramentum ad peccatorum remiſſionem eſſe inſtitutum. Quoniam autem Deus, diues in miſericordia, cognouit figmentum noſtrum; illis etiam vitæ remedium contulit, qui ſeſe poſteà in peccati ſeruitutem & dæmonis poteſtatem tradidiſſent, Sacramentum videlicet Pœnitentiæ; quo lapſis poſt Baptiſmum, beneficium mortis Chriſti applicatur. Fuit quidem Pœnitentia vniuerſis hominibus, qui ſe mortali aliquo peccato inquinaſſent, quouis tempore ad gratiam & iuſtitiam aſſequendam neceſſaria, illis etiam qui Baptiſmi Sacramento ablui petiuiſſent, vt, peruerſitate abiectâ & emendatâ, tantam Dei offenſionem cum peccati odio & pio animi dolore deteſtarentur. Vnde Propheta ait: Conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: & non erit vobis in ruinam iniquitas. Dominus enim dixit: Niſi pœnitentiam egeritis, omnes ſimiliter peribitis. Et Princeps Apoſtolorum Petrus, peccatoribus Baptiſmo initiandis pœnitentiam commendans, dicebat: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm. Porrò nec ante aduentum Chriſti Pœnitentia erat Sacramentum, nec eſt poſt aduentum illius cuiquam ante Baptiſmum. Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cùm à mortuis excitatus, inſufflauit in diſcipulos ſuos, dicens: Accipite Spiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quo tam inſigni facto, & verbis tam perſpicuis, poteſtatem remittendi & retinendi peccata ad reconciliandos fideles, poſt Baptiſmum lapſos, Apoſtolis, & eorum legitimis ſucceſſoribus fuiſſe communicatam, vniuerſorum Patrum conſenſus ſemper intellexit: & Nouatianos, remittendi poteſtatem olim pertinaciter negantes, magnâ ratione Eccleſia Catholica tamquam hæreticos exploſit, atque condemnauit. Quare veriſſimum hunc illorum verborum Domini ſenſum ſancta hæc Synodus probans & recipiens, damnat eorum commentitias interpretationes, qui verba illa ad poteſtatem prædicandi verbum Dei, & Chriſti Euangelium annuntiandi, contra huiuſmodi Sacramenti inſtitutionem falsò detorquent.* 29

Secundum: *Ceterùm hoc Sacramentum multis rationibus à Baptiſmo differre dignoſcitur: nam præterquam quòd materiâ & formâ, quibus Sacramenti eſſentia perficitur, longiſſimè diſſidet; conſtat certè, Baptiſmi miniſtrum iudicem eſſe non oportere, cùm Eccleſia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipſam per Baptiſmi ianuam fuerit ingreſſus. Quid enim mihi, inquit Apoſtolus, de iis, qui foris ſunt, iudicare? Secùs eſt de dome-* 30

domeſticis Fidei, quos Chriſtus Dominus lauacro Baptiſmi, ſui corporis membra ſemel effecit. Nam hos, ſi ſe poſteà crimine aliquo contaminauerint, non iam repetito Baptiſmo ablui, cùm id in Eccleſia Catholica nullâ ratione liceat, ſed ante hoc tribunal, tamquam reos, ſiſti voluit: vt per Sacerdotum ſententiam non ſemel, ſed quotiès ab admiſſis peccatis ad ipſum pœnitentes confugerint, poſſent liberari. Alius eſt prætereà Baptiſmi, & alius Pœnitentiæ fructus. Per Baptiſmum enim Chriſtum induentes, noua prorſus in illo efficimur creatura, plenam & integram peccatorum omnium remiſſionem conſequentes. Ad quam tamen nouitatem & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, Diuinâ id exigente iuſtitiâ, peruenire nequaquam poſſumus: vt meritò Pœnitentia laborioſus quidam Baptiſmus à ſanctis Patribus dictus fuerit. Eſt autem hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapſis poſt Baptiſmum ad ſalutem neceſſarium, vt nondum regeneratis ipſe Baptiſmus. 1551.

31 Tertium docet: *Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipſius vis ſita eſt, in illis Miniſtri verbis poſitam eſſe: Ego te abſoluo, &c. quibus quidem de Eccleſiæ ſanctæ more preces quædam laudabiliter adiunguntur: ad ipſius tamen formæ eſſentiam nequaquam ſpectant, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem ſunt neceſſariæ. Sunt autem quaſi materia huius Sacramenti ipſius pœnitentis actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamq́; & perfectam peccatorum remiſſionem ex Dei inſtitutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur. Sanè verò res & effectus huius Sacramenti, quantum ad eius vim & efficaciam pertinet, reconciliatio eſt cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum deuotione hoc Sacramentum percipientibus, conſcientiæ pax ac ſerenitas cum vehementi Spiritus conſolatione conſequi ſolet. Hæc de partibus & effectu huius Sacramenti ſancta Synodus tradens, ſimul eorum ſententias damnat, qui pœnitentiæ partes, incuſſos conſcientiæ terrores, & fidem eſſe contendunt.*

32 Quartum eſt de Contritione: *Contritio,* inquit, *quæ primum locum inter dictos pœnitentis actus habet, animi dolor ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo, cum propoſito non peccandi de cetero. Fuit autem quouis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic Contritionis motus neceſſarius; & in homine poſt Baptiſmum lapſo ita demum præparat ad remiſſionem peccatorum, ſi cum fiducia Diuinæ miſericordiæ, & voto præſtandi reliqua, coniunctus ſit, quæ ad ritè ſuſcipiendum hoc Sacramentum requiruntur. Declarat igitur ſancta Synodus, hanc Contritionem, non ſolùm ceſſationem à peccato, & vitæ nouæ propoſitum & inchoationem, ſed veteris etiam odium continere, iuxta illud: Proiicite à vobis omnes iniquitates veſtras, in quibus præuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum, & ſpiritum nouum. Et certè qui illos Sancto-*

1551. *rum clamores conſiderauerit: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci: Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum: Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ: & alios huius generis, facile intelliget, eos ex vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti peccatorum deteſtatione manaſſe. Docet præterea, etſi Contritionem hanc aliquando charitate perfectam eſſe contingat, hominemq́; Deo reconciliare priuſquam hoc Sacramentum actu ſuſcipiatur; ipſam nihilominus reconciliationem ipſi Contritioni ſine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non eſſe adſcribendam. Illam verò Contritionem imperfectam, quæ Attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati conſideratione, vel ex gehennæ & pœnarum metu communiter concipitur, ſi voluntatem peccandi excludat cum ſpe veniæ, declarat non ſolùm non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei eſſe, & Spiritus ſancti impulſum, non adhuc quidem inhabitantis, ſed tantùm mouentis, quo pœnitens adiutus, viam ſibi ad iuſtitiam parat: & quamuis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad iuſtificationem perducere peccatorem nequeat; tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandum diſponit. Hoc enim timore vtiliter concuſſi Niniuitæ, ad Ionæ prædicationem plenam terroribus, pœnitentiam egerunt, & miſericordiam à Domino impetrarunt. Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos ſcriptores; quaſi tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ, abſque bono motu ſuſcipientium, gratiam conferre: quod numquam Eccleſia Dei docuit, nec ſenſit: ſed & falsò docent, Contritionem eſſe extortam & coactam, non liberam & voluntariam.*

Quintum erat: *Ex inſtitutione Sacramenti Pœnitentiæ iam explicata,* 33 *vniuerſa Eccleſia ſemper intellexit, inſtitutam etiam eſſe à Domino integram peccatorum confeſſionem, & omnibus poſt Baptiſmum lapſis iure Diuino neceſſariam exiſtere: quia Dominus noſter Ieſus Chriſtus, è terris aſcenſurus ad cælos, Sacerdotes ſui ipſius Vicarios reliquit tamquam Præſides & Iudices; ad quos omnia mortalia crimina deferuntur, in quæ Chriſti fideles ceciderint; quò, pro poteſtate clauium remiſſionis aut retentionis peccatorum, ſententiam pronuntient. Conſtat enim, Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuiſſe, nec æquitatem quidem illos in pœnis iniungendis ſeruare potuiſſe; ſi in genere dumtaxat, & non potiùs in ſpecie ac ſigillatim ſua ipſi peccata declaraſſent. Ex his colligitur, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem conſcientiam habet, in confeſſione recenſeri, etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantùm aduerſus duo vltima Decalogi præcepta commiſſa, quæ nonnumquam animum grauiùs ſauciant; & perículoſiora ſunt iis quæ in manifeſto admittuntur: nam venialia, quibus à gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentiùs labimur, quamquam rectè & vtiliter, citraq́; omnem præſumptio-*

ſumptionem in confeſſione dicantur, quod piorum hominum vſus demonſtrat; taceri tamen citra culpam, multiſq; aliis remediis expiari poſſunt. Verùm, cùm vniuerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines iræ filios & Dei inimicos reddant; neceſſum eſt, omnium etiam veniam, cum aperta & verecunda confeſſione, à Deo quærere. Itaque dum omnia, quæ memoriæ occurrunt, peccata Chriſti fideles confiteri ſtudent, proculdubiò omnia Diuinæ miſericordiæ ignoſcenda exponunt. Qui verò ſecùs faciunt, & ſcienter aliqua retinent, nihil Diuinæ bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt. Si enim erubeſcat ægrotus vulnus medico detegere quod ignorat, medicina non curat. Colligitur præterea, etiam eas circumſtantias in confeſſione explicandas eſſe, quæ ſpeciem peccati mutant, quòd ſine illis peccata ipſa nec à pœnitentibus integrè exponantur, nec iudicibus innoteſcant; & fieri nequeat, vt de grauitate criminum rectè cenſere poßint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœnitentibus imponere. Vnde alienum à ratione eſt, docere, circumſtantias has ab hominibus otioſis excogitatas fuiſſe; aut vnam tantùm circumſtantiam confitendam eſſe, nempe peccaſſe in fratrem. Sed & impium eſt, Confeßionem, quæ hac ratione fieri præcipitur, impoßibilem dicere, aut carnificinam illam conſcientiarum appellare: conſtat enim, nil aliud in Eccleſia à pœnitentibus exigi, quàm vt, poſtquam quiſque diligentiùs ſe excuſſerit, & conſcientiæ ſuæ ſinus omnes & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus ſe Dominum & Deum ſuum mortaliter offendiſſe meminerit. Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuerſum, eâdem confeßione incluſa eſſe intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine. Ipſa verò huiuſmodi confeßionis difficultas, ac peccata detegendi verecundia, grauis quidem videri poteſt, niſi tot tantiſq; commodis & conſolationibus leuaretur, quæ omnibus, dignè ad hoc Sacramentum accedentibus, per abſolutionem certißimè conferuntur. Ceterùm, quoad modum confitendi ſecretò apud ſolum Sacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, cùm ob aliorum exemplum, tum ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem, delicta ſua publicè confiteri poſſit: non eſt tamen hoc Diuino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè humanâ aliquâ lege præciperetur, vt delicta, præſertim ſecreta, publicâ eſſent confeſſione aperienda. Vnde cùm à ſanctiſſimis & antiquiſſimis Patribus, magno vnanimiq; conſenſu ſecreta confeſſio Sacramentalis, quâ ab initio Eccleſia ſanctâ vſa eſt, & modò etiam vtitur, fuerit ſemper commendata; manifeſtè refellitur inanis eorum calumnia, qui eam Diuino mandato alienam, & inuentum humanum eſſe, atque à Patribus in Concilio Lateranenſi congregatis initium habuiſſe, docere non verentur: neque enim per Lateranenſe Concilium Eccleſia ſtatuit, vt Chriſti fideles confiterentur, 1551.

quod

1551. *quod iure Diuino neceſſarium & inſtitutum eſſe intellexerat; ſed vt præce-
ptum confeſſionis ſaltem ſemel in anno, ab omnibus & ſingulis, cùm ad annos
diſcretionis perueniſſent, impleretur. Vnde iam in vniuerſa Eccleſia cum in-
genti animarum fidelium fructu obſeruatur mos ille ſalutaris confitendi, ſacro
illo & maximè acceptabili tempore Quadrageſimæ: quem morem hæc S. Syn-
odus maximè probat, & amplectitur tamquam pium, & meritò retinendum.*

Sexto: *Circa miniſtrum huius Sacramenti, declarat ſancta Synodus,* 34
*falſas eſſe, & à veritate Euangelij penitus alienas doctrinas omnes, quæ
ad alios quoſuis homines, præter Epiſcopos & Sacerdotes, Clauium mini-
ſterium pernicioſè extendunt, putantes, verba illa Domini, Quæcumque
alligaueritis ſuper terram, erunt alligata & in cælo; & quæcumque ſolueri-
tis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo: &, Quorum remiſeritis peccata,
remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt: ad omnes Chriſti fi-
deles indifferenter & promiſcuè contra inſtitutionem huius Sacramenti
ita fuiſſe dicta, vt quiuis poteſtatem habeat remittendi peccata, publica qui-
dem per correptionem, ſi correptus acquieuerit; ſecreta verò per ſponta-
neam Confeſſionem cuicumque factam. Docet quoque, etiam Sacerdotes, qui
peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus ſancti in ordinatione colla-
tam, tamquam Chriſti miniſtros, functionem remittendi peccata exercere;
eoſq; prauè ſentire, qui in malis Sacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe con-
tendunt. Quamuis autem Abſolutio Sacerdotis, alieni beneficij ſit diſpenſa-
tio; tamen non eſt ſolùm nudum miniſterium, vel annuntiandi Euange-
lium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata; ſed ad inſtar actus iudicialis, quo
ab ipſo, velut à Iudice, ſententia pronuntiatur: atque ideo non debet pæni-
tens adeò ſibi de ſua ipſius fide blandiri, vt etiamſi nulla illi adſit Contritio,
aut Sacerdoti animus ſeriò agendi & verè abſoluendi deſit; putet tamen ſe
propter ſuam ſolam fidem verè & coram Deo eſſe abſolutum: nec enim fi-
des ſine pænitentia remiſſionem vllam peccatorum præſtaret: nec is eſſet ni-
ſi ſalutis ſuæ negligentiſſimus, qui Sacerdotem ioco ſe abſoluentem cognoſce-
ret, & non alium ſeriò agentem ſedulò requireret.* Ex hiſce poſtremis
verbis coniicere poteſt quiſquis ea legerit, haud eſſe expunctam ſen-
tentiam Catharini, aliorumque Theologorum, opinantium, Sacra-
mento, quò ratum ſit, ſufficere in miniſtro voluntatem ſeriò agen-
di, & obeſſe tantummodò iocum, quem Sacramentum ſuſcipiens
cognoſcere poſſit. At de hoc Seſſione quintâ ſatis.

Septimum erat: *Quoniam natura & ratio iudicij illud expoſcit, vt* 35
*ſententia in ſubditos dumtaxat feratur; perſuaſum ſemper in Eccleſia Dei
fuit, & veriſſimum eſſe Synodus hæc confirmat, nullius momenti Abſolutio-
nem eam eſſe debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam
aut ſubdelegatam non habet iuriſdictionem. Magnoperè verò ad Chriſtiani
populi*

populi diſciplinam pertinere, ſanctiſſimis Patribus noſtris viſum eſt, ut atrociora quædam & grauiora crimina non à quibuſuis, ſed à ſummis dumtaxat Sacerdotibus, abſoluerentur: vnde meritò Pontifices Maximi pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia vniuerſa tradita, cauſas aliquas criminum grauiores ſuo potuerunt peculiari iudicio reſeruare. Neque dubitandum eſt, quando omnia, quæ à Deo ſunt, ordinata ſunt, quin hoc idem Epiſcopis omnibus in ſua cuique Diœceſi, in ædificationem tamen, non in deſtructionem, liceat pro illis in ſubditos tradita ſuprà reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præſertim quoad illa, quibus excommunicationis cenſura annexa eſt. Hanc autem delictorum reſeruationem, conſonum eſt Diuinæ auctoritati, non tantùm in externa politia, ſed etiam coram Deo vim habere. Verumtamen piè admodum, ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in eadem Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoſlibet pœnitentes à quibuſuis peccatis & cenſuris abſoluere poſſunt: extra quem articulum Sacerdotes cùm nihil poſſint in caſibus reſeruatis, id vnum pœnitentibus perſuadere nitantur, vt ad ſuperiores & legitimos iudices pro beneficio abſolutionis accedant. 1551.

36 Octauum huiuſmodi: *Quoad Satisfactionem, quæ ex omnibus Pœnitentiæ partibus, quemadmodum à Patribus noſtris Chriſtiano populo fuit perpetuo tempore commendata, ita vna maximè noſtrâ ætate, ſummo pietatis prætextu impugnatur ab iis, qui ſpeciem pietatis habent, virtutem autem eius abnegarunt; ſancta Synodus declarat falſum omnino eſſe, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino numquam remitti, quin vniuerſa etiam pœna condonetur. Perſpicua enim & illuſtria in ſacris Litteris exempla reperiuntur, quibus, præter Diuinam traditionem, hic error quam manifeſtiſſimè reuincitur. Sanè & Diuinæ iuſtitiæ ratio exigere videtur, vt aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam deliquerint; aliter verò, qui ſemel à peccati & dæmonis ſeruitute liberati, & accepto Spiritus ſancti dono, ſcienter templum Dei violare, & Spiritum ſanctum contriſtare non formidauerint: & Diuinam clementiam decet, ne ita nobis abſque vlla ſatisfactione peccata dimittantur, vt occaſione acceptâ peccata leuiora patrantes, velut iniurij & contumelioſi Spiritui ſancto, in grauiora labamur, theſaurizantes nobis iram in die iræ. Proculdubiò enim magnoperè à peccato reuocant, & quaſi fræno quodam coërcent hæ ſatisfactoriæ pœnæ, cautioreſq; & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; medentur quoque peccatorum reliquiis, & vitioſos habitus, malè viuendo comparatos, contrariis virtutum actionibus tollunt. Neque verò ſecurior vlla via in Eccleſia Dei vmquam exiſtimata fuit ad amouendam imminentem à Domino pœnam, quàm vt hac pœnitentiæ opera homines cum vero animi dolore frequentent. Accedit ad hæc, quòd, dum ſatisfaciendo patimur*

1551. *pro peccatis, Chriſto Ieſu, qui pro peccatis noſtris ſatisfecit, ex quo omnis noſtra ſufficientia eſt, conformes efficimur; certiſſimam quoque inde arrham habentes, quòd ſi compatimur, & conglorificabimur. Neque verò ita noſtra eſt ſatisfactio hæc, quam pro peccatis noſtris exoluimus, vt non ſit per Chriſtum Ieſum: nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil poſſumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia poſſumus: ita non habet homo vnde glorietur; ſed omnis gloriatio noſtra in Chriſto eſt, in quo viuimus, in quo meremur, in quo ſatisfacimus: facientes fructus dignos pænitentiæ, qui ex illo vim habent; ab illo offeruntur Patri; & per illum acceptantur à Patre. Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pænitentium facultate, ſalutares & conuenientes ſatisfactiones iniungere: ne, ſi fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pænitentibus agant, leuiſſima quædam opera pro grauiſſimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, vt Satisfactio, quam imponunt, non ſit tantùm ad nouæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum; ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem: nam claues Sacerdotum non ad ſoluendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt & docent: nec propterea exiſtimarunt, Sacramentum Pænitentiæ eſſe forum iræ vel pænarum; ſicut nemo vmquam Catholicus ſenſit, ex huiuſmodi noſtris ſatisfactionibus vim meriti & ſatisfactionis Domini noſtri Ieſu Chriſti vel obſcurari, vel aliqua ex parte imminui. Quod dum Nouatores intelligere volunt, ita optimam Pænitentiam nouam vitam eſſe docent, vt omnem ſatisfactionis vim & vſum tollant.*

Nono: *Docet, tantam eſſe Diuinæ munificentiæ largitatem, vt non* 37
ſolùm pænis ſponte à nobis pro vindicando peccato ſuſceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro menſura delicti impoſitis, ſed etiam, quod maximum amoris argumentum eſt, temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Chriſtum Ieſum ſatisfacere valeamus.

Inde Synodus accedit ad doctrinam de Sacramento extremæ 38
Vnctionis tractandam. Prooemium huiuſmodi eſt: *Viſum eſt ſanctæ Synodo, præcedenti doctrinæ de Pænitentia adiungere ea quæ ſequuntur de Sacramento extremæ Vnctionis: quod non modò Pænitentiæ, ſed & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua pænitentia eſſe debet, conſummatiuum exiſtimatum eſt à Patribus. Primùm itaque, circa illius inſtitutionem, declarat & docet, quòd clementiſſimus Redemptor noſter, qui ſeruis ſuis quouis tempore voluit de ſalutaribus remediis aduerſus omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparauit, quibus Chriſtiani conſeruare ſe integros, dum viuerent, ab omni grauiore ſpiritus incommodo poſſint; ita extremæ Vnctionis Sacramento*

mento finem vitæ, tamquam firmiſsimo quodam præſidio, muniuit. Nam etſi aduerſarius noſter occaſiones per omnem vitam quærat & captet, vt deuorare animas noſtras quoquomodo poſsit: nullum tamen tempus eſt, quo vehementiùs ille omnes ſuæ verſutiæ neruos intendat ad perdendos nos penitus, & à fiducia etiam, ſi poßit, Diuinæ miſericordiæ deturbandos, quàm cùm impendere nobis exitum vitæ proſpicit. 1551.

39 Caput primum ſic habet: *Inſtituta eſt ſacra hæc Vnctio infirmorum, tamquam verè & propriè Sacramentum noui Teſtamenti, à Chriſto Domino noſtro, apud Marcum quidem inſinuatum, per Iacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem, fidelibus commendatum ac promulgatum. Infirmatur, inquit, quis in vobis: inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmum: & alleuiabit eum Dominus; &, ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Quibus verbis, vt ex Apoſtolica traditione, per manus accepta, Eccleſia didicit, docet materiam, formam, proprium miniſtrum, & effectum huius ſalutaris Sacramenti. Intellexit enim Eccleſia, materiam eſſe oleum ab Epiſcopo benedictum: nam Vnctio aptiſsimè Spiritus ſancti gratiam, quâ inuiſibiliter anima ægrotantis inungitur, repræſentat; formam deinde eſſe illa verba: Per iſtam vnctionem, &c.*

40 Secundum: *Res & effectus huius Sacramenti illis verbis explicatur: Et oratio fidei ſaluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: &, ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Res etenim hæc gratia eſt Spiritus ſancti: cuius Vnctio delicta, ſi quæ ſint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergit; & ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo Diuinæ miſericordiæ fiduciam excitando: quâ infirmus ſubleuatus, & morbi incommoda ac labores leuiùs fert; & tentationibus dæmonis, calcaneo inſidiantis, faciliùs reſiſtit: & ſanitatem corporis interdum, vbi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.*

41 Tertium demum huiuſmodi: *Quod attinet ad præſcriptionem eorum, qui & ſuſcipere & miniſtrare hoc Sacramentum debent, haud obſcurè fuit illud etiam in verbis prædictis traditum: nam & oſtenditur illic, proprios huius Sacramenti miniſtros eſſe Eccleſiæ Presbyteros: quo nomine, eo loco, non ætate ſeniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, ſed aut Epiſcopi, aut Sacerdotes ab ipſis ritè ordinati, per impoſitionem manuum Presbyterij. Declaratur etiam, eſſe hanc Vnctionem infirmis adhibendam, illis verò præſertim, qui tam periculoſè decumbunt, vt in exitu vitæ conſtituti videantur: vnde & Sacramentum exeuntium nuncupatur. Quòd ſi infirmi poſt ſuſceptam hanc Vnctionem conualuerint, iterùm huius Sacramenti ſubſidio iuuari poterunt, cùm in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint. Quare nullâ ratione audiendi ſunt, qui contra tam apertam & dilucidam Apoſtoli Iacobi ſententiam docent, hanc Vnctionem vel figmentum eſſe*

1551. *humanum, vel ritum à Patribus acceptum, nec mandatum Dei, nec pro-*
miſsionem gratiæ habentem: & qui illam iam ceſſaſſe aſſerunt, quaſi ad gra-
tiam curationum dumtaxat in primitiua Eccleſia referenda eſſet: & qui di-
cunt, ritum & vſum, quem S. R. E. in huiuſmodi Sacramenti adminiſtra-
tione obſeruat, Iacobi Apoſtoli ſententiæ repugnare, atque ideò in alium
commutandum eſſe: & denique, qui hanc extremam Vnctionem à fidelibus 1
ſine peccato contemni poſſe affirmant: hæc enim omnia manifeſtiſsimè pu-
gnant cum perſpicuis tanti Apoſtoli verbis. Nec profectò Eccleſia Romana,
aliarum omnium mater & magiſtra, aliud in hac adminiſtranda Vnctione,
quantum ad ea quæ huius Sacramenti ſubſtantiam perficiunt, obſeruat,
quàm quod beatus Iacobus præſcripſit. Nec verò tanti Sacramenti con-
temptus abſque ingenti ſcelere, & ipſius Spiritus ſancti iniuria eſſe poſſet.

Canones ſubſequuntur, qui reipsâ eiuſdem doctrinæ ſumma compendiaria, & interdum quædam ipſius explicationes ſunt, formamque hæreſes damnantium obtinent. Verùm Suauis quieto narratoris munere me frui non ſinit, vt qui Diuinum hoc Confeſſionis tribunal odio habet, fortaſſe quoniam in eo plus quàm in reliquis dominetur hæc ipſius capitalis inimica, Veritas.

CAPVT XI.

Expenduntur quæ Suauis Theologis Tridentinis obiecta ſcribit de poteſtate reſeruandi quædam peccata ad ſuperius Tribunal: de verbis, Quæcumque ligaueritis: *de pœnis à Confeſſario imponendis; & de externo huius Sacramenti ſigno.*

SVmmatim colligit Suauis quæ memoratis capitibus contine- 1
bantur, ſed adeò eneruatè, vt prætermiſſo rationum ſucco, & maieſtatis pietatiſque colore, eorum imaginem perinde conformet, ac corporis effigiem vmbra, quæ falſa quidem dici non poteſt, ſed tamen deformis apparet, etſi corpus formoſum ſit. Poſteà varia confingit à Theologis Concilij obiecta ſuperioribus articulis, dum ad eas promulgandas conſilium habebatur.

Primo loco dicit, Louanienſes & Colonienſes nequaquam conſenſiſſe, vt Fidei dogma declararetur quod ſpectabat ad reſeruanda ſuperiori Tribunali quædam peccata, opponentes, à SS. Patribus hac de re nullam fieri mentionem: Durandum, qui fuerat Pœnitentiarius, Gerſonem Pariſienſem Cancellarium, & Caietanum Cardinalem omnes docuiſſe, non peccata, ſed cenſuras eſſe Romano Pontifici reſeruatas: apud veteres ſcriptores nihil haberi de re-

ſeruandis niſi publicis delictis; eam reſeruandi rationem à laudato Pariſienſi Cancellario improbatam fuiſſe; atque *ab hæreticis dici, illam ad aucupium pecuniæ inuentam, perinde ac etiamnum ſua morum emendatione Campeggius affirmarat; ex quo illis anſam porrigi ea obiiciendi, quæ nec diluiſſent Theologi, nec diluere potuiſſent.* 1551.

2 De his ac de reliquis, quæ Suauis comminiſcitur, referens diſputationes ſuper huiuſce Seſſionis Decretis, nullum in Actis indicium; ſed ſolùm habetur, Abbates Caſſinates monuiſſe, hac de re varia eſſe opinamenta: poſſe iure peccata reſeruari, ſed parcè id agendum, & omnino abſque vlla ſolutione pecuniæ. Et ſanè ſi Theologi huiuſmodi res obieciſſent, facilè promeruiſſent contemptum illum quo Suauis eos excipit, & quem ipſe, quippe verus obiectorum auctor, iuſtè meretur. Quod ſpectat ad veteres Patres; numquam tam fidenter pro comperto ſumpſiſſent eruditi illi ſapienteſque Theologi, numquam eos de reſeruatis criminibus diſſeruiſſe. Non ita cenſuit doctiſſimus Melchior Canus [a], qui illi Seſſioni interfuit; nec alius præclarus Doctor eiuſdem Ordinis & ætatis Dominicus Sotus [b]. Profectò vt Origenis locum omittamus, homil. 10. in lib. Num. ab illis productum, qui dubius admodum eſt, extant prævalida teſtimonia in epiſtola Cypriani [c]: tamen quia hæc poſſent intelligi non de intima reconciliatione peccatoris cum Deo, ſed ſolùm de exteriori cum Eccleſia, incertum pro vero concedamus Suaui. Sed rei noſtræ quid officiebat? nónne in comperto nobis eſt, non modò in Eccleſia primæua licuiſſe cuiuis Sacerdoti quemlibet à peccatis abſoluere; ſed, ſi Nauarro credimus [d], huiuſmodi libertatem perduraſſe vſque ad tempora Vrbani Secundi, à quo fuit interdicta? num propterea in dubitationem vocabant Louanienſes & Colonienſes Theologi, an ea prohibitio, de qua nulla eſt mentio apud antiquos Patres, irrita fuerit? Et an contra Conciliorum & conſequentium Pontificum dicta, & contra conſuetudinem Eccleſiæ fas in præſentia ſit cuicumque ex Sacerdotibus, iuxtà ac ipſi Parocho, noxas abſoluere? Satin' fortè non erat, vt quæ poteſtas reſeruandarum noxarum ad Romanum Pontificem videretur pro certa & indubitata poni ab Innocentio [e] Tertio vſque ab ipſius ætate, à qua quadringenti quinquaginta anni iam ſunt elapſi? Satis non erat, quòd Eccleſia tot ſæcula eam vſurpaſſet? Non ſatis erat aperta ratio; nimirum, ſi ſupremo Paſtori licet ſingulis Sacerdotibus, tametſi poteſtatem vniuerſalem per Ordinis collationem acceperint, iuriſdictionem, quod ſpectat ad homines, coarctare; quídni liceat quantum ad cauſas?

[a] In relatione Pœnit. art. 5.

[b] In 4. Sentent. diſt. 18. q. 2 art. 5.

[c] 16. & 17.

[d] Cap. *Placuit*, de Pœnit. diſt. 1. num. 1. & ſequentibus.

[e] In ſermone Natalium Principum Apoſtolorum.

1551. At verò Durandi, Gerſonis & Caietani doctrinam minimè per 3 tantum errorem ij ſapientes viri protuliſſent, ſatis gnari, nequaquam ab illis in dubium adduci Romani Pontificis poteſtatem in reſeruandis ſibi aliis criminibus, præter ea, quibus affigitur anathema; ſed negari, Pontifices reipsâ id præſtare, adeoque exiſtimari, nonniſi abſolutionem à cenſuris vere Pontifici reſeruatam. Ceterùm & Durandus & Caietanus affirmant, reſeruari ſibi ab Epiſcopis multa delicta, quæ cenſuris haud puniantur; neque hanc in iis reſeruandis poteſtatem inficiantur. Quod verò ait Suauis, ab illis Theologis adiectum, veteres ſcriptores nonniſi de reſeruandis publicis criminibus fuiſſe locutos, non certè ij, quemadmodum confundit Suauis, publica cum exterioribus confudiſſent. Non eſt in more poſitum, noxarum merè interiorum abſolutionem reſeruari; quippe quæ nec offenſioni nec perturbationi ſunt per opus ſceleſtum ac perniciosum bono Reipublicæ ſtatui: quare cùm eiuſmodi noxæ non indigeant hoc alioqui tam duro reſeruatæ abſolutionis fræno, fuit opinio Maioris ac Soti, hanc, tamquam rationi diſſentaneam, aut ratam non eſſe, aut certè non licitam. Verùm de hoc locus agendi non erat: Concilij namque definitio in ipſo genere ſeſe continet; ſtatuitque, vt in hominum adiumentum, non in perniciem, peccata reſeruentur. Atque, vt paucis loquar; Nónne animaduertebat Suauis, quàm inſipienter, adeoque quàm diſſimiliter à vero differentes induceret tam admirabiles viros? Etenim rei cardo in eo vertebatur, vt palàm fieret, quo pacto Pontifex Sacerdotibus, ex Ordinis dignitate vniuerſam abſoluendi facultatem obtinentibus, illius exercendæ vſum poſſet reſtringere, cùm ex eadem ratione in Euchariſtia conficienda Sacerdotum poteſtatem coarctare non poſſet. Tum ſemel oſtensâ huiuſmodi poteſtate in Pontifice ex firmiſſima cauſa, quam retulimus, à Concilio producta, difficultas haud ſupererat, ſeu plura ſeu pauciora, ſeu hæc ſeu illa reſeruarentur, niſi quantum id ſpectaret ad prudentiam; de qua certè, non de poteſtate differit Pariſienſis Cancellarius, & quam etiam reſpicit Concilium, dicens, vt *ad ædificationem, non ad deſtructionem* ea reſeruentur: ac proinde Romani Pontifices non niſi delicta quæ anathemate puniuntur, ſibi reſeruare ſoliti ſunt; ſimulque Epiſcopis & Regularium Præſidibus reſtringit libertatem ea ſibi reſeruandi.

Porrò hæreticorum calumniæ, quòd peccata reſeruentur ad pecuniarium aucupium, tantum aberat quòd dilui non poſſent, pro 4 eo quod Suauis comminiſcitur pronuntiatum à linguis adeò prudentibus, vt illæ facili negotio euaneſcerent per interdictionem, ne quis

quis quidquam pretij perſolueret, vt abſolutionem à reſeruatis criminibus impetraret; perinde vt à Campeggio in ſuis de diſciplina ſanctionibus vetitum eſt, qui numquam dixit, ad pecuniarum aucupium peccata reſeruari, ſicuti Suauis pro certo ponit: ſed in capite nono, vt Sacerdotibus confeſſiones excipientibus occluderetur via ad ſtudendum pecuniarum potiùs quàm animarum lucris, dum grauium noxarum reos huc illucque magno pecuniæ famæque diſpendio mitterent, ſtatuit, vt omnibus Confeſſariis liceret laicos abſoluere à delictis Epiſcopo reſeruatis, exceptis hæreticis, homicidis, & anathemate percuſſis; nullâ tamen de clericis mutatione habitâ: prohibuitque, ne abſolutionis gratiâ quidquam præter voluntariam eleëmoſynam acciperetur. Iam verò ſi ſcriptor hic de Campeggij libello, per typos vulgato, & inter Concilia generalia ac prouincialia inſerto, auſus eſt tam perſrictâ fronte mentiri, ipſumque mendacium linguis tantæ auctoritatis appingere, ob conceptam ab eo ſpem, pleroſque lectorum rei veritatem minimè indagaturos; quam ab eodem fidem ſeruari credendum eſt in monumentis abditis & arcanis? 1551.

5 Fas etiam ſibi ducit confingere, *eoſdem Colonienſes Theologos improbaſſe damnatam in Canone decimo interpretationem Chriſti verborum: Quæcumque ligaueritis, &c. cùm ea ſic diſertè & expreſſè fuiſſet interpretatus Theophylactus; vt proinde ea damnatio aduerſariis gaudio futura eſſet.* Porrò Theophylactus nec tantâ inter Patres antiquitate, nec tantâ in Eccleſia auctoritate eſt, vt damnatum ipſius dictum magno gaudio affecturum fuiſſet hæreticos; quin ille verè ſchiſmaticus fuit, cùm in cap. 3. S. Ioannis, ad ea verba, *Qui è ſupernis venit*, &c. contumelioſis verbis inuectus ſit in Latinam Eccleſiam, docentem, Spiritum ſanctum à Filio etiam procedere. Quid tamen ſi Theophylactus contraria prorſus narrationi Suauianæ ſcripſerit? Interpretatio damnata per decimum Canonem à Concilio eſt, quòd verba Chriſti apud ſanctum Matthæum, [f] *Quæcumque ligaueritis*, &c. [f Cap. 18.] & apud S. Ioannem, [g] *Quorum remiſeritis*, &c. non ſpectent ad ſolos [g Cap. 9.] Sacerdotes, ſed ad cunctos fideles, adeoque cuique liceat remittere peccata ſeu publica per obiurgationem, cui pœnitens acquieſcat, ſeu occulta per voluntariam ipſius confeſſionem. Age iam, quantum huic damnationi repugnet Theophylactus excutiamus. Is vbi ea dicta S. Ioannis [h] exponit, ita differit: *Dicendum autem, quòd & poteſtatem quamdam & donum ſpirituale dedit eis Chriſtus, non vt mortuos ſuſcitent, & virtutes faciant, ſed vt remittant peccata: ideò & ſubdit, Quorum remiſeritis peccata*, & quæ ſequuntur. Ad quoſnam re- [h Cap. 20.]

fert

1551. fert Theophylactus pronomen illud, *eis*, quibus ea Chriſti verba dicta fuerint? illicò declarat: *Vide inſuper Sacerdotum dignitatem, quòd Diuina ſit; Dei enim eſt remittere peccata: ſic igitur illi honorandi ſunt vt Deus; nam quamuis indigni ſint, quid hoc? Diuinorum bonorum miniſtri ſunt, & gratia operatur per eos.* Poterátne clariùs ab eo explicari poſterius hoc teſtimonium à Concilio productum eo Canone, & poteſtas, quæ ibi traditur tamquam ad Sacerdotes coarctata? Verum quidem eſt, ea alia verba ibidem à Concilio pariter producta, quæ habentur cap. 18. S. Matthæi, *Quæcumque ligaueritis ſuper terram*, intelligi à Theophylacto de venia, per quam priuatas iniurias homo quilibet condonare poteſt; & hanc veniam, ait ille, ſequitur in cælo peccatorum condonatio, eâ fortaſſe ratione, quâ hominum tribunalia faciliùs delicta condonant, poſtquam reus ab eo quem læſit veniam impetrauit. Verùm hæc interpretatio, tametſi minùs propria, minuſque litteraria, ea certè non eſt, quæ à Concilio damnatur: damnatur enim, ſicut anteà vidimus, quicumque affirmarit, ea duo Euangelij teſtimonia ita dirigi ad omnes fideles, vt ſinguli poſſint abſoluere à peccatis ſiue publicis per publicam obiurgationem, cui peccator acquieſcat, ſiue ab occultis per voluntariam confeſſionem, quam peccator faciat. At verò ab huiuſmodi ſententia Theophylactus tantum abhorret, quantum oſtendit non modò eius declaratio verborum S. Ioannis, à nobis ſuprà allata; ſed quod ipſe ſcribit ſuper eodem cap. 18. S. Matthæi, illic poſt adductam iam expoſitionem verborum, *Quodcumque ligaueritis, &c.* pergit proxima verba interpretari: *Quoties peccauerit in me frater meus, & remittam ei?* & ea ſic expendit: *Addit, in me ſi peccauerit; nam ſi in Deum peccauerit, non ego, qui idiotes & priuatus ſum, poſſum ei remittere, niſi fortè Dei Ordinem habens Sacerdos.* Quo igitur pacto poterat in mentem Colonienſium Theologorum cadere, per eam damnationem, à Synodo tam expenſis verbis confectam, poſſe Theophylactum peti?

Quod obiectum tertiò dicit Suauis à Theologis Colonienſibus, 6
eſt ſuper iis quæ ibi ſancita ſunt de iniungendis à Confeſſario pœnis; narratque illos contraria diſſerüiſſe: poteſtatem ligandi non intelligi ab antiquis Patribus poteſtatem irrogandi pœnas peccata confitentibus, ſed imperandi vt à Sacramentis abſtinerent: & præterea iiſdem Theologis viſum eſſe, aliquid de pœnis publicè irrogandis dicendum fuiſſe, quæ ex Magno Gregorio ſunt Iuris Diuini; & niſi in vſum reuocarentur, ſaltem reſpectu hæreticorum & publicè delinquentium, numquam Germaniam liberatum iri.

Nolo

7. Nolo hîc obiectare Suaui laudatum ab eo nuper Theophyla- 1551.
ctum, qui ad 16. S. Matthæi caput explicat, poteſtatem clauium
traditam Apoſtolis & Epiſcopis ſucceſſoribus ligandi atque ſoluen-
di, eſſe poteſtatem ſoluendi per indulgentias, & ligandi per iniun-
ctas pœnas; ſiquidem Theophylactus, vt qui nonniſi poſt deci-
mum ſæculum vixit, nomen antiqui Patris non eſt meritus: ſed
opinor inter veteres Patres Suauem agnouiſſe S. Gregorium, qui ſu-
pra mille annos floruit, & ab eo adducitur hac in re. Profectò dum
ille librum ſecundum Regum interpretatur, ſic ait [i]: *Afflictio pœni-* i Lib.3.
*tentiæ ad delenda peccata idonea eſt, cum Sacerdotis fuerit iudicio impera-
ta, cum ab eo, pœnitentium actis diſcuſſis pro modo criminis, onus eis de-
cernitur afflictionis.* Obſeruetur, tamquam certam à Gregorio poni
in Sacerdote auctoritatem imperandæ afflictationis ei qui ſuas no-
xas confitetur, pro earum menſura, ſimulque huiuſcemodi affli-
ctationi attribui peculiarem vim ad ipſas delendas; quæ vis non-
niſi ab inſtitutione Diuina conferri poterit: nec Deus de hoc præ-
cipit, præterquam in duobus iam productis Euangelij teſtimoniis.
Sed abſque dubio non expungetur ex antiquorum numero Ma-
gnus Leo, æqualis Chalcedonenſi Concilio, adeoque eâ viuens
tempeſtate, quâ ex Lutheri etiam ſententia Eccleſia incorrupta per-
ſtabat. Hæc igitur in epiſt. 91. ad Theodorum ſcribit: *Mediator
Dei & hominum hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confi-
tentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione pur-
gatos, ad communionem Sacramentorum per ianuam reconciliationis admit-
terent.* Ecce quâ ratione poteſtas ligandi, ex ſententia veterum Pa-
trum, erat Sacramentorum interdictio, hoc eſt, pœnæ irrogatio,
cum obligatione, ne, priuſquam pœnitentia expleretur, accedere-
tur ad Sacramenta: quæ tamen obligatio nec omnes vniuersè affi-
ciebat, nec ab ipſa natura huius Sacramenti neceſſariò exigebatur,
quod eruditè Bellarminus plurium veterum Synodorum teſtimo-
niis demonſtrat. Verum eſt, etiam hac in re, ſicut & in reliquis, ſe-
uerum fuiſſe Cyprianum, adeoque pro ſua huiuſcemodi ſeueritate
in Sermone *De lapſis* arguens quoſdam, qui rogatu Chriſtianorum,
in carcere commorantium ad ſubeundum martyrium, ad Eccleſiæ
communionem admittebant pœnitentes aliquos, antequam iniun-
ctas ſibi pœnas expleſſent, ita loquitur: *Contra Euangelij vigorem,
contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis com-
municatio, irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, nihil accipientibus pro-
futura; non quærunt ſanctitatis patientiam, nec veram de ſatisfactione
medicinam.* Quapropter dubitandum non eſt, quin veteres Patres

1551. cognouerint, eam facultatem præſcribendi pœnas pœnitentibus, eſſe in Eccleſia & in Sacerdotibus ex inſtitutione Chriſti & Euangelij, & eorumdem verborum quæ Concilium affert. Sed Suauis aberrat, re à peculiari ad vniuerſale traductâ. Vna ex irrogatis pœnis erat abſtinentia Sacramentorum ad aliquod tempus, ſiue nullâ aliâ præceptâ pœnâ, ſiue donec peccator præceptæ ſatisfeciſſet: hinc ille in errorem lapſus, Colonienſes inducit dicentes, non aliam à ſanctis Patribus intelligi poteſtatem ligandi, niſi eam quâ Sacramentorum vſus prohiberetur.

Aliud pœnitentiæ genus publicas pœnas complectebatur, quæ 8
frequentiores quàm in præſentia ab Eccleſia veteri adhiberi ſolitæ: & Suauis eorumdem Colonienſium perſonam agens affirmat, à S. Gregorio eas creditas eſſe Iuris Diuini, confundens Ius Diuinum, quod Eccleſiæ concedit poteſtatem eas imponendi cùm opportunas cenſuerit, quod S. Gregorius teſtatur, & veriſſimum eſt, cum commentitio quodam Iure Diuino, quo Eccleſia ad eas ſemper imponendas obſtringeretur, quod S. Gregorij mentem numquam ſubiuit. De cetero, cur illæ in vſum reuocatæ non fuerint, Suauis idem hoc ſuprà conſiderauit, cùm Puccium Cardinalem induxit id Adriano Pontifici, piæ ſeueritatis ſtudioſo, diſſuadentem; quòd videlicet, dum recentes hæreſes ex cupidine laxitatis, & vinculorum impatientiâ pullulabant, anguſtiarum acceſſio vtilis medicina non eſſet.

Vult poſtremò Suauis, poſtulatum à Colonienſis Academiæ Theo- 9
logis fuiſſe, vt exteriori aliquo certo ſigno huius Sacramenti materia decerneretur; aliter quippe numquam aduerſariorum obiecta diſſolui poſſe. Atqui peccatorum confeſſio num fortè certum ſignum exterius non eſt? quid obiici ex aduerſo poterit, non inquam inſolubile, ſed dignum vt ſoluatur? Quòd ſi vellet hanc confeſſionem ad peculiarem aliquam ſignorum rationem, cuiuſmodi eſſent voces, & illæ quidem certæ, redigere; vellet vtique eam coarctare ſuprà quàm inſtituit Chriſtus, qui mutis etiam hoc beneficium impertiri non dedignatus, ſatis habuit, ſi exhiberentur ea quæcumque peccati & intimi doloris ſigna, quæ vel naturæ vel hominum vſu percipiuntur, & quæ aliis legitimis actis ſufficerent iure naturali, ſublatoque ſolemni ritu, quem ius humanum præſcribit. Aliter exigi pariter poſſet ad materiam Euchariſtiæ panis quidam, vinumque certum ac peculiare, verbi causâ album potiùs vinum quàm rubrum, & panis potiùs azymus quàm fermentatus. Itaque cuiuſcumque Sacramenti materia iis finibus circumſcribitur, qui à Chriſto præ-

præſcripti ſunt, quique aut ex verbis Euangelij, aut Eccleſiæ traditione declarantur: eos verò fines nec relaxare neque coarctare fas eſt. Medium, in quo ſiſtit virtus per legis cuſtodiam, non alio inuenitur circino, niſi legiſlatoris voluntate. 1551.

CAPVT XII.

Alia expenduntur obiecta à Suaui Theologis Franciſcanorum de materia & partibus huius Sacramenti, à Synodo numeratis; & de Abſolutionis ſignificatione, ibi pariter explicata; & obiecta Ambroſio Pelargo de Sacramenti eiuſdem inſtitutione: ac denique examinatur quod affirmat Suauis de auctoritate à Legato vſurpata.

1 MOx ad ea, quæ Theologi ex Franciſcanis obiecerint, deſcendit Suauis, narratque, in recitatis Decretis duo illis ſupra modum diſplicuiſſe. Alterum erat, tres pœnitentis actus, quos memorauimus, appellari materiam Sacramenti, cùm ipſis videretur materia eſſe debere res à miniſtro admota ſuſcipienti. Ad id reſpondeo: Nec potuiſſe illis diſplicere quod Synodus non dixerat; non enim eos actus Synodus *materiam* appellauit, ſed *quaſi materiam* Sacramenti; ac proinde potiùs hoc pacto Scoti ſententiam confirmauit, illos nimirum verè materiam non eſſe, nec remanere de eo diſputandi locum, cùm Eugenius IV. & cum eo Florentina Synodus in Decreto ad Armenios eamdem loquendi rationem vſurpaſſet. Veriſimilius videri poſſet, diſplicuiſſe Franciſcanis id quod Suauis hîc confundit tamquam idem ac definitionem, de qua dictum eſt, videlicet, affirmaſſe Concilium, hos pœnitentis actus eſſe partes Sacramenti, cùm Scotus voluerit eſſe quidem neceſſarias conditiones (in quo recedit ab hæreſi recentiorum) ſed non partes. Non deſunt tamen egregij Franciſcani Doctores, qui ſtudent Magiſtri ſui opinionem explicare ceu communi ſententiæ haud repugnantem: & inter alios Andreas Vega, qui præcipuus è Scotiſtis Concilio interfuit, etiam in erudito volumine quatuor antè annis edito de Decreto Iuſtificationis, quod in Seſſione ſexta promulgatum fuerat, ita ſententiam Scoti expoſuerat, vt in ſolis vocibus diſcrepantia eſſe poſſet, ſed in re veritati ea conſonaret; ita nimirum, vt Scotus non inficietur, hos actus eſſe partes Sacramenti quocumque modo, ſed partes, eius naturam conſtituentes; cùm eas poſuerit ſolùm partes, vti Scholæ loquuntur, *integrales*. Nos verò

1551. iam vidimus,quàm circumſpectè ſe geſſerit Synodus erga Scoti opinionem, dum capite tertio, & canone quarto memoratos pœnitentis actus non Sacramenti ſed pœnitentiæ partes nuncupauit: eodem capite tertio explicauit,eatenus eos appellari pœnitentiæ partes, quatenus ex inſtitutione Diuinâ neceſſariæ ſunt in pœnitente ad integritatem Sacramenti, & ad plenam abſolutamque peccatorum remiſſionem.

Porrò patentiùs ſe prodit nequitia Suauis in adducendis rationibus aduerſus id, quod hac in re ſtatutum eſt in Concilio, prætermiſſis ſilentio ſolutionibus, etſi admodum compertis ac validis. 2
Franciſcanorum nomine obiectat huic articulo parem Baptiſmi rationem, cui contritione opus eſt; nec tamen propterea illam Sacramenti partem eſſe. Sed quis è Theologicis tyronibus reſponſionem non didicit? quandoquidem haud omni Baptiſmo contritio eſt neceſſaria, ſicuti videre licet in infantium Baptiſmo; vnde liquet, eam illius partem non eſſe, ſed ſolùm exigi, antequam infundatur gratia, in eo, qui voluntariè peccauerit ex lege communi, noxam ſcilicet voluntariè contractam non condonari, donec illa deſinat eſſe voluntaria, quod efficitur per pœnitentiam, quantum ad præteritum ſpectat: quantum verò ad futurum,per propoſitum; quæ duo continentur in contritione, ſiue perfecta ea ſit, ſiue imperfecta, quæ alio nomine Attritio nuncupatur. Contrà verò numquam euenire poteſt, vt Pœnitentiæ Sacramentum plenè ſuos effectus producat, prout rectè Synodus loquitur, abſque recenſitis actibus pœnitentis.

Alterum quod Franciſcanis diſplicuit, ſi Suaui credimus, erat 3
Concilij definitio, quâ affirmabatur, à Sacerdote verè pœnitentem abſolui, & non potiùs declarari abſolutum ex vi antegreſſæ contritionis. Id Suauis veriſimile cenſuit, quòd ſibi perſuaſerit, à Franciſcanis ſuſtineri,Contritione perfectâ opus eſſe in Sacramento, adeoque tali, quæ ſtatim & ante abſolutionem peccata deleat; cuius opinionis fuit S. Bonauentura, Magiſtrum Sententiarum in hoc ſecutus. Sed nec eiuſmodi res vera fuit, cùm is, qui Tridenti vnicus id defendit, Franciſcanus non fuerit, idemque ita defenderit, vt verum pariter eſſet, remitti à Sacramento peccata,ſicut indicauimus: nec Franciſcani meritò id ægrè tuliſſent, quando non modò præcipuus illorum Doctor Scotus contrariam ſententiam tradiderat, ſed opinio Magiſtri & S. Bonauenturæ iam videbatur aduerſari verbis Florentini, vbi dicitur, *Effectum huius Sacramenti eſſe abſolutionem à peccatis.* Nec Tridentinum vti poterat aliâ dicendi formâ,

formâ, magis erga huiuſmodi opinionem circumſpectâ, dum volebat producere tamquam propriè dicta illa Euangelij verba, quibus ceu baſi nititur hoc Sacramentum, & quæ ab hæreticis ad metaphoricam ſignificationem detorquebantur; verba, inquam, per quæ committitur Sacerdotibus poteſtas ligandi atque ſoluendi. Etenim vbi fuiſſet permiſſa interpretatio, per quam *ſoluere* ſignificet *declarare aliquem priùs iam ſolutum fuiſſe.*, æquè potuiſſent admitti reliquæ omnes tranſlatæ ac minùs propriæ interpretationes. Quare quingenti & ampliùs anni fluxere, ex quo Richardus Victorinus [a], Theologus eximiæ alioqui pietatis ac modeſtiæ, tam abſurdam cenſuit eam ſententiam, quam nondum adeò præclari Doctores, eo quippe recentiores, comprobauerant aut improbauerant; vt, quamuis tunc declarationes laudatarum Synodorum haud præceſſiſſent, ſibi temperare non potuerit, quin eam irriſione magis quàm impugnatione dignam appellauerit. 1551.

[a] Lib. de poteſtate ligandi atque ſoluendi, cap. 2.

4 At quis infortunatum Suauem decepit, pellexitque ad credendum, ac tam fidenter affirmandum, *hanc opinionem eſſe complexos omnes Scholaſticos Theologos, eamdemq́; S. Hieronymi apertam ſententiam eſſe?* Inter Scholaſticos, præter duos antiquiſſimos, Richardum & Vgonem, eiuſdem & ætatis & patriæ, enumerare mihi licet ex aduerſo S. Thomam & Scotum cum immenſo aſſeclarum exercitû. De S. Hieronymo noſſe peruelim, quibus impreſſum typis Hieronymi Opera Suauis peruoluit, vt in eis nanciſceretur, quod in communibus typis numquam reperiri potuerit? Sed hîc per inſolitam charitatem Suauis reſponſionem referr à Decreti propugnatoribus redditam: *Abſolutè pro hæretico non damnari eum, qui diceret, Abſolutionem eſſe quamdam declarationem, quòd peccata ſint remiſſa: ſed quòd peccata ſint remiſſa ei, qui certò credat ſibi eſſe remiſſa; quo ſola ſententia Lutheri comprehenderetur: ſed Franciſcanis eâ reſponſione haud ſatisfactum, affirmantibus, vbi de hæreſi agitur, oportere dilucidè loqui, nec vbique præſtò futurum qui hanc declarationem proferret.*

5 Si ſenſa Concilij fuiſſent, cuiuſmodi ea Suauis depingit, iure optimo maiorem ſermonis claritatem illi Theologi expetiuſſent; ſed oppoſitum ex eius verbis colligitur: ſic enim ait [b]: *Docet quoque, etiam Sacerdotes, qui peccato mortali tenentur, per virtutem Spiritus ſancti, in ordinatione collatam, tamquam Chriſti miniſtros, functionem remittendi peccata exercere; eoſq́; prauè ſentire, qui in malis Sacerdotibus hanc poteſtatem non eſſe contendunt. Quamuis autem Abſolutio Sacerdotis alieni beneficij ſit diſpenſatio; tamen non eſt ſolum nudum miniſterium vel annuntiandi Euangelium, vel declarandi remiſſa eſſe peccata; ſed ad*

[b] Cap. 6.

 inſtar

8 Prior huiuſce dicti pars numquam à tam eruditi viri labiis potuit 1551.
elabi; neque ſiſtere potuiſſet in mente cuiuſuis, quamquam imperitiſſimi, in eo theatro, vbi iam pro hoc Sacramento copiosè producta fuerant vniuerſæ antiquitatis teſtimonia. Quòd enim ex his multa extant reipsâ ſatis clara, memoratis verbis innixa, palàm fit tum ex iis quæ breuiter in medium protulimus, tum ex aliis plurimis quæ ſacrarum controuerſiarum ſcriptores congeſſerunt. Multò minùs potuit Pelargus partem alteram affirmare, qui & Decreti tenorem legerat, & mentem Concilij callebat, quæ nec ea fuit, nec vmquam ea viſa eſt, vt vellet illos proſcribere, qui recenſitis Euangelij verbis aliquam aliam ſententiam tribuerent, inſtitutioni huius Sacramenti in illis habitæ minimè repugnantem: quare quòd quiſpiam eadem ſic explicet, vt ſimul de hoc loquantur, ſimul de facultate Sacerdotibus tradita, tamquam miniſtris ordinariis Baptiſmi, quid tandem is peccat? & quis ab ipſo tam commodus ad oppugnandum aditus aduerſariis reſeratur? in quanam inquam Dialectica traditum eſt, affirmationem vnius, eſſe alterius diuerſi ſed non contrarij inficiationem?

9 Diiudicet qui hæc perlegerit, an quæ Suauis opponit aut ab aliis obiecta, aut veriùs ab ipſo conficta, huiuſmodi fuerint, ob quæ ad permouendum conſeſſum, ne ea non magni æſtimaret, & ad non retrahendam eorum causâ manum à perpenſis declarationibus, opus fuerit, vt Legatus eam adhibuerit auctoritatis violentiam, quam illi Suauis apponit: quæ videlicet vt ab aliis Legatis hactenus vſurpata non fuerat, præſertim in dogmatibus, quemadmodum diſtinctè oſtenſum eſt; ita multò minùs à Creſcentio fuiſſet tentata, dum ibi aderant tres Septemuiri, & tot prætereà inſignes Germaniæ Præſules, qui paſſi non fuiſſent vim inferri nationis ſuæ Theologis; cùm plerique Epiſcoporum eſſent ſubiecti Cæſari, perpauci Pontifici, quod patet ex ipſorum Catalogo, in primis Concilij voluminibus anno 1564. Antuerpiæ impreſſi. Et tamen Suauis affirmare coactus eſt, maiori ſuffragiorum numero ſtatutum fuiſſe, ne quid mutaretur. Illud etiam aduertatur, oportuiſſe rationem haberi Oratorum Septemuiri Brandeburgenſis, & Ducis Wirtembergæ, qui tunc aderant, & oculati teſtes eſſe potuiſſent vniuerſæ Germanicæ nationi huiuſce in agendo violentiæ. Nos autem ſuprà perſpeximus, à Pontifice adeò fuiſſe expetitam Proteſtantium in Concilio frequentiam, vt hac ſolùm ſpe & hac promiſſione ductus, voluntatem deceſſoris ac ſuam pariter reuocauerit, repoſito Tridenti Concilio. Quo pacto igitur voluiſſet Proteſtantium contuma-

ciam

1551. ciam munire tam forti clypeo, cuiuſmodi fuiſſet Doctorum, Præ-
ſulum, Oratorumque Germanorum teſtificatio, quà palàm fieret,
illic haud libenter audiri, quicumque vſque ad poſtremum ſanctio-
nis firmandæ momentum aliquid validum obiiceret, ſimulque do-
ctiorum monita, ne per minimam quidem animaduerſionem per-
penſa, in irritum cadere? Quòd aliquanto ſeueriùs Creſcentius age-
bat, illud erat, vt nimirum inutiles dicentium digreſſiones præci-
deret, caueretque, ne diſceptationes in altercationes degenerarent.

Vt ad huiuſce capitis finem deueniam, illa mihi confutanda ſu- 10
perſunt, quæ de extrema Vnctione Suauis commemorat. Ea ſunt:
In primo capite huius argumenti Patres ad hoc ſelectos poſuiſſe,
à principio Sacramentum hoc fuiſſe à Chriſto inſtitutum, S. Mar-
ci ſexto; ſed poſteà quemdam ex Theologis animaduertiſſe, Apo-
ſtolos id temporis nondum fuiſſe Sacerdotes, quippe qui ante cœ-
nam vltimam ſacris initiati non fuerant; adeoque cùm declararet
Synodus, huius Sacramenti miniſtrum eſſe Sacerdotem, durum ac
periculoſum fuiſſe viſum: hinc neceſſariò colligi, voluiſſe Chri-
ſtum eo toto antecedente temporis ſpatio hanc legem relaxare, eiſ-
que extra Ordinem hanc poteſtatem illius adminiſtrandi tribuere:
quamobrem placuit, vt vox *inſtitutum* in vocem *inſinuatum* com-
mutaretur; quæ, admonente Suaui, incondite ibi appoſita eſt, æquè
ac fragmentum non benè contextum reliquo panno.

Hæc narratio duas obtinet conditiones egregias, quas in huius 11
ſcriptoris mercibus ſæpiùs experimur. Primò, vt ex legitimis mo-
numentis ea reuincatur falſitatis: præterea, vt ei quoque, qui de
reipſa edoctus intimè non eſſet, incredibilis accidat. Dixi, eam ex
legitimis monumentis falſitatis reuinci: etenim in cœtibus mino-
rum Theologorum, habitis 21. & 22. Octobris, adeoque integro
ferè menſe antequam Canones & Decreta formarentur, quod opus
nonniſi poſt initium Nouembris inchoatum eſt, non vnus dumta-
xat, ſed plures ex Theologis obſeruarunt, huiuſmodi Sacramentum
non inſtitutum, ſed adumbratum atque inſinuatum fuiſſe per ea
quæ habentur in ſexto capite S. Marci, perinde ac planè Synodus
declarauit. Hi verò præſertim fuere Iodocus Raueſtein, Louanien-
ſis Theologus, à Maria Regina miſſus, & Sigiſmundus Fedrius à
Diruta, Præſes Minorum in Vmbria, Tridentini Cardinalis Theo-
logus. In prima itaque forma Patribus propoſita die 16. Nouem-
bris hæc erant verba: *Docet ſancta Synodus, extremam hanc infirmorum
Vnctionem verè & propriè noui Teſtamenti eſſe Sacramentum, à Chriſto
quidem Dominò inſtitutum; per Apoſtolos verò, qui (vt apud Marcum le-
gitur)*

gitur) oleo vngebant ægrotos, & ſanabantur, delineatum & inſinuatum; 1551.
per Iacobum autem Apoſtolum, ac Domini fratrem, cap. 5. ſuæ Canonicæ epi-ſtolæ fidelibus commendatum atque promulgatum fuiſſe.

12 Addidi, incredibile id ſuâ ſponte videri vel iis qui factum non callerent; quoniam tametſi quidam ex Patribus, non admodum antiquis, & quidam ex Theologis, arbitrati fuiſſent, vnctionem, de qua S. Marcus cap. 6. & S. Iacobus cap. 5. agunt, eiuſdem eſſe naturæ; nihilominùs Magiſter Sententiarum ritè diſcrimen [c] animaduertit, dum affirmans hoc Sacramentum iuxtà atque reliqua fuiſſe inſtitutum à Chriſto, & à S. Iacobo tantummodo promulgatum, nullum ex laudato S. Marci teſtimonio argumentum traxit; quemadmodum neque pariter traxerunt ad hoc comprobandum ante illum Hugo Victorinus, & poſt eumdem Alenſis, S. Bonauentura, aliique Scholaſtici. Quin S. Thomas in eo articulo Magiſtri, quæſtiunculâ ſuâ tertiâ, articulo primo, rationem reddit, cur Euangeliſtæ huius Sacramenti non meminerint; adeoque pro certo ponit, non fieri de illo mentionem apud S. Marcum eo loco, cuius minimè quidem oblitus fuerat, cùm paulò pòſt dixerit; *Tamen de vnctione olei Marcum ſexto capite loqui.* Ex quo liquet, illum haud exiſtimaſſe eam vnctionem tamquam huius Sacramenti vſum, ſed tamquam illius præludium ac figuram, eâ planè ratione quâ Concilium ſentit. Quapropter veriſimile non eſt, voluiſſe Concilium, nullâ Patrum inſignium auctoritate nixum, & abſque conſenſu, imò aduerſus conſenſum Scholaſticorum, ad huiuſmodi definitionem procedere, & ab vnius tantùm Theologi, inter tot ſapientiſſimos viros, animaduerſione fuiſſe retractum. Obſeruandum etiam eſt, Dominicum Sotum, qui Concilio interfuerat cùm Decretum de *Iuſtificatione* confectum eſt, & cùm Sacramentorum argumenta digerebantur, haud prætermiſiſſe idipſum reliquis in memoriam reuocare; quemadmodum videmus ab eodem fuiſſe conſideratum in ſuo Commentario ſuper quarto Sententiarum. Addo, opinionem id negantem non perſuaderi ſolùm ex eo, quòd Apoſtoli nondum eſſent Sacerdotes, cùm S. Marcus refert vnctionem ab illis exercitam; ſed quia huiuſmodi vnctio, quantum indicat Euangelium, ſanitatem tantùm corporis, & ita quidem vt numquam falleret, ægris reſtituebat: neque ad mortis periculo proximos coarctata erat, ſed ad cæcos, ad claudos, & ad omnes ægrotos extendebatur; & etiam quia, quantum ex narrationis tenore licet conijcere, infidelibus quoque & nondum Baptiſmo luſtratis, adeoque Sacramenti non capacibus, ſanitas conferebatur. Quòd autem aptè ea vox *inſinuatum* appoſita fuerit,

[c] In 4. diſtinct. 23. q. 1. art. 1.

1551. fuerit, difficile intellectu non eſt: quin è contrario, ſi affirmaſſet Synodus, Sacramentum illud fuiſſe inſtitutum à Chriſto in eo S. Marci loco, opus non erat aliam promulgationem quærere, poſtquam Chriſtus e terris abiit; cùm ſatis fuiſſet, quòd is Apoſtolis promulgaſſet, & in Euangelio ſcriptum, ac traditionibus propagatum haberetur: atque ea de cauſa numquam nominat Concilium huiuſmodi promulgationes de reliquis Sacramentis. Sed quia huius Sacramenti inſtitutio in Euangelio non eſt,& quidam è ſcriptoribus in animum ſibi induxerant, fuiſſe non à Chriſto, ſed à S. Iacobo inſtitutum, quod repugnabat ſuperiori Concilij definitioni in Seſſione ſeptima; eapropter conſultò dictum eſt, fuiſſe *inſinuatum*, hoc eſt adumbratum atque indicatum à Chriſto in eo ſancti Marci loco. Quare S. Iacobus poſteà non inſtituit, ſed promulgauit id quod à vero inuentore atque auctore fuerat illi demandatum & iniunctum: quo pacto etiam dicimus, Sacramenta noui Teſtamenti fuiſſe in veteri inſinuata & figurata. Mihi planè videtur accommodari Suaui, in tot Concilij impugnationibus ab eo congeſtis, id quod reſponſum eſt animoſo cuidam litteratori, qui centum contradictiones in ſpectatiſſimo ſcriptore à ſe repertas gloriabatur: *Hoc eſt* (illi repoſuit veteranus qui aderat magiſter) *centum loca à te minimè intellecta.*

CAPVT XIII.

Leges de diſciplina à Synodo paratæ; & malignæ Suauis animaduerſiones.

HÆc de dogmatibus: Canones de morum emendatione, ſicuti in eorum prooemio dicitur, potiſſimè dederunt operam, vt obſtacula remouerentur, in quæ incurrebant Epiſcopi in coërcendis vitiis Eccleſiaſticorum,è quorum diſciplina tum ob auctoritatem, tum ob rationem, tum etiam ob exemplum, reliquorum omnium fidelium diſciplina pendebat. Id confectum eſt, partim explicatis ſuperioribus diſciplinæ legibus, quas (prout ingenioſæ licentiæ mos eſt) complures ſubtilibus interpretationibus callidiſque conſiliis debilitare conabantur, partim nouis etiam legibus Decreto adiectis: alia quoque rebus aliis conducentia ſtabilita. 1

Primo capite hæc prohibentur: *Cùm honeſtius ac tutius ſit, debitam Præpoſitis obedientiam impendendo, in inferiori miniſterio deſeruire, quàm cum Præpoſitorum ſcandalo graduum altiorum appetere dignitatem;* 2 *ei,*

ei, cui aſcenſus ad ſacros Ordines à ſuo Prælato, ex quacumque cauſa, etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter fuerit interdictus; aut qui à ſuis Ordinibus, ſeu gradibus, vel dignitatibus Eccleſiaſticis fuerit ſuſpenſus, nulla contra ipſius Prælati voluntatem conceſſa licentia de ſe promoueri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus & dignitates, ſiue honores, reſtitutio ſuffragetur. 1551.

3 Capite ſecundo: *Quoniam nonnulli Epiſcopi Eccleſiarum, quæ in partibus infidelium conſiſtunt, Clero carentes, & populo Chriſtiano, cùm ferè vagabundi ſint, & permanentem Sedem non habeant, non quæ Ieſu Chriſti, ſed alienas oues, inſcio proprio paſtore, quærentes, dum per hanc ſanctam Synodum ſe Pontificalia officia in alterius Diœceſi, niſi de loci Ordinarij expreſſa licentia, & in perſonas eidem Ordinario ſubiectas tantùm exercere prohibitos vident, in legis fraudem & contemptum, quaſi Epiſcopalem Cathedram in loco nullius Diœceſis ſuâ temeritate eligunt; & quoſcumque ad ſe venientes, etiamſi ſuorum Epiſcoporum ſeu Prælatorum litteras commendatitias non habeant, clericali charactere inſignire, & ad ſacros etiam Presbyteratus Ordines promouere præſumunt: quo plerumque fit, vt minùs idonei, & rudes, ac ignari, & qui à ſuo Epiſcopo tamquam inhabiles & indigni reiecti fuerunt, ordinati, nec Diuina officia peragere, nec Eccleſiaſtica Sacramenta rectè valeant miniſtrare: Nemo Epiſcoporum, qui Titulares vocantur, etiamſi in loco nullius Diœceſis, etiam exempto, aut aliquo Monaſterio cuiuſuis Ordinis reſederint, aut moram traxerint, vigore cuiuſuis priuilegij ſibi de promouendo quoſcumque ad ſe venientes pro tempore conceſſi, alterius ſubditum, etiam prætextu familiaritatis continuæ commenſalitatis ſuæ, abſque ſui proprij Prælati expreſſo conſenſu, aut litteris dimiſſoriis, ad aliquos ſacros aut minores Ordines, vel primam tonſuram promouere ſeu ordinare valeat. Contrafaciens, ab exercitio Pontificalium per annum; taliter verò promoti, ab executione Ordinum ſic ſuſceptorum, donec ſuo Prælato viſum fuerit, ipſo iure ſint ſuſpenſi.*

4 Capite tertio: *Epiſcopus quoſcumque ſuos Clericos, præſertim in ſacris conſtitutos, abſque ſuo præcedenti examine, & commendatitiis litteris, quacumque auctoritate promotos, licet tamquam habiles ab eo à quo ordinati ſunt, probatos, quos tamen ad Diuina officia celebranda, ſeu Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtranda minùs idoneos & capaces repererit, à ſuſceptorum Ordinum exercitio ad tempus, de quo ei videbitur, ſuſpendere, & illis, ne in altari, aut aliquo Ordine miniſtrent, interdicere poſſit.*

5 His morum correctionibus ſuum addit commentariolum Suauis; ac primò quidem Eccleſiam incuſaturus, Concilium imprudens commendat: dum enim mala, quæ id temporis dominabantur, exaggerat per collationem cum præſenti ſtatu, admoti remedij

1551. vtilitatem commonſtrat, quamquam cupidus etiam illius efficaciæ extenuandæ. Refert, à prudentioribus fuiſſe compertum, eſſe leuioris commodi eas ſanctiones, quando Præſides vetuerunt ibi nominari priuilegia Pontificis, aut ſummi Pœnitentiarij; quæ niſi diſertè nominentur, de ſententia ſacri Iuris Conſultorum numquam habentur pro irritis, nec genericis ſanctionibus coarctantur: ſed nihilominùs Epiſcopos neceſſitate compulſos acquieuiſſe. Num exiſtimabimus, Epiſcopos, ſi primâ vice Tridenti coaleſcentes (tametſi potentiâ & auctoritate longè minùs validi) tam acriter in rebus multò minutioribus obluctabantur, quemadmodum huius Hiſtoriæ ſeries pluribus in locis oſtendit, nunc, cùm aderant Septemuiri & Germanici Præſules (quæ natio libertatem ſpirat, & candorem adamat) conſenſuros fuiſſe apertis oculis, vt ſeruiliter deluderentur per remedia fallacia, mereque ſpecioſa? Vbinam affirmant Canonum periti, quando priuilegia reuocantur, aut coarctantur, nomine generico priuilegij ea quæ à ſummo Pœnitentiario ſeu Pontifice conceſſa ſunt non inuolui; cùm ex vna parte cuncta fiant auctoritate Pontificiâ, & ex altera, res ipſa ſit huiuſmodi, vt ipſi, & non alij, ea poſſint largiri? Nónne Iuris effatum omnibus notum eſt, Legem ſemper in ea ſententia accipiendam, in qua nec vana ſit nec inutilis? Sed euentus ſit nobis arbiter, & obſeruemus, an poſt huiuſmodi prohibitionem ea quæ priùs ſummus Pœnitentiarius aut Pontifex conceſſerunt, vim vllam retinuerint in rebus hîc vetitis, vſúſve perſtiterit ea in poſterum concedendi? Ad narrationem.

Capite quarto habetur: *Omnes Eccleſiarum Prælati, qui ad corrigendos ſubditorum exceſſus diligenter intendere debent, & à quibus nullus Clericus per huius ſanctæ Synodi ſtatuta, cuiuſuis priuilegij prætextu, tutus cenſetur, quò minùs iuxta Canonicas ſanctiones viſitari, puniri & corrigi poßit; ſi in Eccleſiis ſuis reſederint, quoſcumque ſæculares Clericos, qualitercumque exemptos, qui aliàs ſuæ iuriſdictioni ſubeſſent, de eorum exceſſibus, criminibus, & delictis, quoties & quando opus fuerit, etiam extra viſitationem, tamquam ad hoc Apoſtolicæ Sedis delegati, corrigendi & caſtigandi facultatem habeant: quibuſcumque exemptionibus, declarationibus, conſuetudinibus, ſententiis, iuramentis, concordiis, quæ ſuos tantùm obligent auctores, ipſis Clericis, ac eorum conſanguineis, cappellanis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibuſlibet, ipſorum exemptorum contemplatione & intuitu minimè ſuffragantibus.* 6

Capite quinto: *Cùm nonnulli, qui ſub prætextu, quòd ſuper bonis & rebus, ac iuribus ſuis diuerſæ eis iniuriæ ac moleſtiæ inferantur, certos iudices per litteras conſeruatorias deputari obtinent, qui illos à moleſtiis* 7

&

& iniuriis huiuſmodi tueantur ac defendant, & in poſſeſſione, ſeu quaſi, bonorum, rerum, ac iurium ſuorum manuteneant, & conſeruent, neque ſuper illis eos moleſtari permittant, eiuſmodi litteras in pleriſque contra concedentis mentem in reprobum ſenſum detorqueant: idcircò nemini omnino, cuiuſcumque dignitatis & conditionis ſit, etiamſi Capitulum fuerit, conſeruatoriæ litteræ cum quibuſcumque clauſulis aut Decretis, & quorumcumque iudicum deputatione, quocumque etiam alio prætextu, aut colore conceſſæ, ſuffragentur, ad hoc vt coram ſuo Epiſcopo, ſiue alio ſuperiore Ordinario, in criminalibus & mixtis cauſis accuſari & conueniri, ac contra eum inquiri & procedi non poßit: aut quo minùs, ſi qua iura ei ex ceßione competierint, ſuper illis liberè valeat apud iudicem ordinarium conueniri. In ciuilibus etiam cauſis, ſi ipſe actor extiterit, aliquem ei apud ſuos conſeruatores iudices in iudicium trahere minimè liceat. Quòd ſi in iis cauſis, in quibus ipſe reus fuerit, contigerit, vt electus ab eo Conſeruator ab actore ſuſpectus eſſe dicatur; aut ſi qua inter ipſos iudices, Conſeruatorem & Ordinarium, controuerſia ſuper competentia iuriſdictionis orta fuerit, nequaquam in cauſa procedatur, donec per arbitros in forma iuris electos, ſuper ſuſpicione aut iuriſdictionis competentia fuerit iudicatum. Familiaribus verò eius, qui huiuſmodi litteris conſeruatoriis tueri ſe ſolent, nihil illæ proſint, præterquam duobus dumtaxat, ſi tamen illi propriis eius ſumptibus vixerint. Nemo etiam ſimilium litterarum beneficio vltra quinquennium gaudere poßit. Non liceat quoque Conſeruatoribus iudicibus vllum habere tribunal erectum. In cauſis verò mercedum, aut miſerabilium perſonarum, huius ſanctæ Synodi ſuper hoc Decretum in ſuo robore permaneat. Vniuerſitates autem generales, ac Collegia Doctorum, ſeu ſcholarium, & regularia loca, necnon hoſpitalia actu hoſpitalitatem ſeruantia, ac Vniuerſitatum, Collegiorum, locorum, & hoſpitalium huiuſmodi perſonæ in præſenti Canone minimè comprehenſæ, ſed exemptæ omnino ſint, & eſſe intelligantur. 1551.

8 Hoc pariter Decretum non præteritur à Suaui abſque aſteriſci ſui luce. Narrat, Epiſcopis cupientibus deperditam ipſorum iuriſdictionem recuperare, maiorem regulâ viſam fuiſſe exceptionem, dum tot ac tam amplæ communitates eâ immunitate fruebantur; ſed Legatum, re ad Pontificem perſcriptâ, fuiſſe ab eo vetitum, ne hunc articulum mutaret, quippe aliàs expenſum Romæ: par enim erat, vt auctoritas Apoſtolicæ Sedis per has immunitates, præſertim Regularibus fauentes, ſuſtineretur. Haud equidem inficior, vnum ex emolumentis, quæ Regularium immunitas ſecum fert, in eo ſitum, quòd auctoritatem Sedis Apoſtolicæ ſuſtineat ſecundùm inſtitutionem Chriſti, & Eccleſiæ bonum: cùm in comperto ſit, omne Monarchiæ regimen, quò ſe illæſum tueatur, opus

 habere

1551. habere in ſingulis prouinciis aliquo prævalido præſidio eiuſmodi ſubditorum, qui Principi per ſe ac perpetuò illic dominanti nequaquam ſubiiciantur. Verùm præter hoc ad huiuſmodi immunitatem impertiendam aliæ faciunt efficaciſſimæ rationes, à nobis ſuprà commemoratæ, [a] vbi oportuit aduerſus Suauem de hoc argumento diſſerere. Atque hoc ſatis de conuenientia huius priuilegij, cùm à principio conceſſum eſt. Quod autem ad eius conſeruationem, & in Regularium Ordinibus, & in aliis enumeratis Conuentibus; firmiſſima apertiſſimaque ratio eſt, ne tanta hominum caterua, qui vbi conſpirarent, vniuerſæ Reipublicæ terrorem incuterent, irritaretur per eam ſenſus acerbitatem, quam affert noua ſubiectio ſub inſolito perpetui Præſidis dominatu: & hac de cauſa nouimus eſſe Medicorum ac Politicorum documentum, ingentem humorum tametſi putreſcentium congeriem, nec naturali nec ciuili in corpore commouendam. Quapropter exiſtimo, nec ſi Pontifex quidem Epiſcopis offerret vltrò, ſubiectorum ſe ipſorum iuriſdictioni Cœtus omnes ab illa immunes, Epiſcopos, qui Religionis ſtudio ac prudentiâ præcellerent, ob publicam priuatamque quietem, ne id fieret precibus interceſſuros.

[a] Lib. 5. cap. 17.

Sexto capite: *Quia etſi habitus non facit Monachum, oportet tamen* 9
Clericos veſtes proprio congruentes Ordini ſemper deferre, vt per decentiam habitus extrinſeci, morum honeſtatem intrinſecam oſtendant. Tanta autem hodie aliquorum inoleuit temeritas, Religioniſque contemptus, vt propriam dignitatem, & honorem Clericalem parui pendentes, veſtes etiam publicè deferant laicales, pedes in diuerſis ponentes, vnum in diuinis, alterum in carnalibus: propterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, quantumcumque exemptæ, quæ aut in ſacris fuerint, aut dignitates, perſonatus officia, aut beneficia qualiacumque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi, poſteaquam ab Epiſcopo ſuo, etiam per edictum publicum moniti fuerint, honeſtum habitum clericalem, illorum ordini ac dignitati congruentem, & iuxta ipſius Epiſcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per ſuſpenſionem ab Ordinibus, ac officio & beneficio, ac fructibus, redditibus & prouentibus ipſorum beneficiorum; necnon ſi ſemel correpti, denuò in hoc deliquerint, etiam per priuationem officiorum & beneficiorum huiuſmodi coërceri poſſint, & debeant, Conſtitutionem Clementis V. in Concilio Viennenſi editam, quæ incipit: QVONIAM, *innouando, & ampliando.*

Hîc opponit Suauis, per eam Clementis V. Conſtitutionem in- 10
terdici ſolùm genus quoddam veſtium virgatarum, ac verſicolorum, quæ noſtrâ ætate non ſunt in vſu, adeoque in rem non fuiſſe eam hîc renouari. Sed omnino homines odio habiti inſtar aquæ ſunt,

ſunt, in qua res obiectæ, quamuis reuerà rectæ ſint, apparent ſæpè 1551.
diſtortæ. Num hîc legere potis non erat, adduci à Concilio Clementis Conſtitutionem, quantum attinet ad pœnam ab illa inflictam, adiectis his vocibus, eam *innouando, & ampliando?* quam rogo vim obtinet hoc verbum, *ampliando?* Per illam Conſtitutionem præſcriptæ ſunt pœnæ iis, qui propriis quibuſdam laicorum veſtibus, in Gallia eâ tempeſtate conſuetis, vbi Vienneńſe Concilium celebratum eſt, vterentur: ſed hoc ipſum peractum fuit ex vniuerſali quadam ratione initio Conſtitutionis appoſita, per hæc verba: *Quoniam qui abiectis veſtibus propriè congruentibus Ordini alias aſſumere, & in publico portare rationabili causâ ceſſante præſumit, profeſſorum illius Ordinis prærogatiuâ ſe reddit indignum, præſenti Conſtitutione ſancimus, &c.* Cùm igitur ea ratio in quacumque propria laicorum veſte, quam ſibi Clericus aſſumeret, æquè valeret, Tridentinum ad omnia huiuſmodi veſtimenta pœnas Clementinæ ſanctionis traducit.

In capite ſeptimo habetur: *Cùm etiam qui per induſtriam occiderit proximum ſuum, & per inſidias, ab altari auelli debeat, quia ſuâ voluntate homicidium perpetrauerit; etiamſi crimen id nec ordine iudiciario probatum, nec aliâ ratione publicum, ſed occultum fuerit, nullo tempore ad ſacros Ordines promoueri poſſit, nec illi aliqua Eccleſiaſtica beneficia, etiamſi curam non habeant animarum, conferri liceat; ſed omni Ordine ac beneficio, & Officio Eccleſiaſtico perpetuò careat. Si verò homicidium non ex propoſito, ſed caſu, vel vi vim repellendo, vt qui ſe à morte defenderet, fuiſſe commiſſum narretur; quam ob cauſam etiam ad ſacrorum Ordinum, & Altaris miniſterium, & beneficia quæcumque, ac dignitates iure quodammodò diſpenſatio debeatur; committatur loci Ordinario, aut ex cauſa Metropolitano, ſeu viciniori Epiſcopo, qui nonniſi causâ cognitâ, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, diſpenſare poſſit.*

11 Hîc etiam Suauis occaſionem arripit Eccleſiæ Latinæ carpendæ, in qua locus datur relaxationibus legum, quibus vetantur homines ſacris initiari, quod ligamen *irregularitatem* nominant: has verò relaxationes purò aliarum à Latina Eccleſiarum regimini ignotas affirmat. An Suauem non pudet cum aliis Eccleſiis Latinam conferre? Et vſque adeò cæcutit, vt non videat partem Chriſtianæ gentis, quæ ab Eccleſia Latina ſeceſſit, ab eaque non pendet in præſentia, cadauer eſſe, quin minus quàm cadauer, quando non modò ſpiritum Eccleſiæ non retinet, ſed ne figuram quidem? abſque diſciplina, abſque litteris, abſque coniunctionis vinculo, abſque rituum firmitate, abſque verâ pietate cultorum? Et huiuſmodi hominum conſuetudines contendit hic obiectare aduerſus maieſtatem, diſciplinam,

1551. plinam, ſanctimoniam Eccleſiæ Latinæ? Vbinam hic didicit, eam rectè adminiſtrari Rempublicam, vnde indulgentia & venia ſemper exulent?

Pergit dicere, remedia, quibus cautum erat ne clericis homicidis huiuſmodi relaxationes facilè indulgerentur, imbecilla fuiſſe, proptereà quòd ſemper erat integrum Pontifici, per varios modos his Decretis derogare; adeoque ad augendum pretium ipſarum relaxationum, non ad minuendum numerum profuturum. A Deo dumtaxat validiora remedia ſperanda ſunt; cunctis enim humanis legibus poſſunt homines derogare: quin Diuinis etſi derogare non poſſunt, poſſunt tamen repugnare, & impunem earum violationem permittere. Sed quicumque ſibi perſuadet, hanc relaxationum facilitatem reipsâ poſt Concilium perſiſtere, Romam adeat, petatque, vt homicidio voluntario per inſidias patrato lex, de qua diximus, relaxetur, & abſque dubio ſuam hanc perſuaſionem abiiciet. 12

Capite octauo: *Quia nonnulli, quorum etiam aliqui veri ſunt Paſtores, ac proprias oues habent, alienis etiam ouibus præeſſe quærunt, & ita alienis ſubditis quandoque intendunt, vt ſuorum curam negligant: quicumque, etiam Epiſcopali præditus dignitate, qui alienos ſubditos puniendi priuilegium habuerit, contra Clericos ſibi non ſubiectos, præſertim in ſacris conſtitutos, quorumcumque etiam atrocium criminum reos, niſi cùm proprij ipſorum Clericorum Epiſcopi, ſi apud Eccleſiam ſuam reſederit, aut perſonæ ab Epiſcopo deputandæ interuentu nequaquam procedere debeat; aliàs proceſſus, & inde ſecuta quæcumque, viribus omnino careant.* 13

Capite nono: *Quia iure optimo diſtinctæ fuerunt Diœceſes & Parochiæ, ac vnicuique gregi proprij attributi Paſtores, & inferiorum Eccleſiarum Rectores, qui ſuarum quiſque ouium curam habeant, vt Ordo Eccleſiaſticus non confundatur, aut vna & eadem Eccleſia duarum quodammodò Diœceſum fiat, non ſine graui eorum incommodo, qui illi ſubditi fuerint: beneficia vnius Diœceſis, etiamſi Parochiales Eccleſiæ, Vicariæ perpetuæ, aut ſimplicia beneficia, ſeu præſtimonia, aut præſtimoniales portiones fuerint, etiam ratione augendi cultum Diuinum, aut numerum beneficiatorum, aut alia quacumque de cauſa, alterius Diœceſis beneficio, aut Monaſterio, ſeu Collegio, vel loco etiam pio, perpetuò non vniantur, Decretum huius ſanctæ Synodi ſuper huiuſmodi vnionibus in hoc declarando.*

Capite decimo: *Regularia beneficia, in titulum Regularibus profeſſis prouideri conſueta, cùm per obitum aut reſignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Religioſis tantùm illius Ordinis, vel iis qui habitum omnino ſuſcipere, & profeſſionem emittere teneantur, & non aliis, ne veſtem lino lanâque contextam induant, conferantur.* 14

Suam

Suam hîc fabulam Suauis adnectit, tentatam à Regularibus fuiſſe recuperationem Abbatiarum, vt vocant, quibus ipſi antiquitus fuerant exuti, & nunc Clerici non Regulares tamquam commendatis fruebantur, atque in eo Epiſcopos illis ſuffragatos eſſe; ſed Præſides, conſpicatos id Romanæ Curiæ obfuturum, in adeò tenue temperamentum deueniſſe. Fingine quidquam poſſit vel populo incredibilius? Regulares, qui Romanæ Curiæ patrocinio tantoperè indigebant vt aduerſus plurium Epiſcoporum poſtulata ipſorum priuilegia ſuſtinerentur, rem moliri adeò pernicioſam Romano Senatui, qui huiuſmodi prouentibus deſtitutus, alimentis deſtitueretur? Præterquam quòd ſperandum numquam fuiſſet, in eo Chriſtianos Principes conſenſuros, penes quos facultas eſt certos homines nominandi, quibus tam multi tamque opimi prouentus tribuantur. In fine Operis patebit, duriſſimum obſtaculum, in quod aliquo in regno Synodus offendit ne ibi reciperetur, fuiſſe modicum illud quod hac in re ad redintegrationem Regularium ipſa ſanciuit. Ex altera parte Epiſcopi, quorum multi huiuſmodi bona poſſidebant, aliique complures, ſperare poterant ſe per Purpuram ea conſecuturos, quâ humanâ vtilitate ducti, Regularium conatus promouiſſent? *Humanâ*, inquam, *vtilitate*; hac enim decempedâ Suauis ſententias metitur. Quod ſpectat ad rationes Diuinas, liquidò patet, quantam id in Eccleſiâ perturbationem excitaret. Quod autem ille blaterat, initum temperamentum parum profuiſſe, quia diſtributa iam fuerant ea omnia Regularium bona, quæ per commendationem dari potuerant; palàm facit, eum prorſus oblitum tot Cœnobia & Regularium domos opulentiſſima, quibus illi vbique terrarum vel in præſentia potiuntur. 1551.

15 Capite vndecimo: *Quia Regulares, de vno ad alium Ordinem tranſlati, facilè à ſuo Superiore licentiam ſtandi extra Monaſterium obtinere ſolent, ex quo vagandi & apoſtatandi occaſio tribuitur: nemo, cuiuſcumque Ordinis Prælatus, vel Superior, vigore cuiuſuis facultatis, aliquem ad habitum & profeſſionem admittere poſſit, niſi vt in Ordine ipſo, ad quem transfertur, ſub ſui Superioris obedientia in clauſtro perpetuò maneat; ac taliter tranſlatus, etiamſi Canonicorum Regularium fuerit, ad beneficia ſæcularia, etiam curata, omnino incapax exiſtat.*

16 Capite duodecimo: *Nemo, cuiuſuis dignitatis Eccleſiaſticæ, vel ſæcularis, quacumque ratione, niſi eccleſiam, beneficium, aut capellam de nouo fundauerit & conſtruxerit, ſeu iam erectam, quæ tamen ſine ſufficienti dote fuerit, de ſuis propriis & patrimonialibus bonis competenter dotauerit, ius patronatus impetrare aut obtinere poſſit aut debeat. In caſu au-*

1551. *tem fundationis aut dotationis, huiuſmodi inſtitutio Epiſcopo, & non alteri inferiori reſeruetur.*

Capite decimotertio: *Non licet Patrono, cuiuſcumque priuilegij prætextu, aliquem ad beneficia ſui iuris patronatus, niſi Epiſcopo loci Ordinario, ad quem prouiſio ſeu inſtitutio ipſius beneficij, ceſſante priuilegio, iure pertineret, quoquo modo præſentare; aliàs præſentatio ac inſtitutio forſan ſecutæ, nullæ ſint & eſſe intelligantur.*

Poſtremò indicebatur, die 25. Ianuarij, præter capita iam deſignata, agendum pariter eſſe de Ordinis Sacramento, & diſciplinæ leges continuandas. Id ſibi Synodus propoſuerat: ſed certa futuri notitia in arcano dumtaxat Diuinitatis archiuo ſeruatur, cuius clauiger in terris nemo.

CAPVT XIV.

Seſſio decimaquarta. Argumenta contra doctrinam Fidei, Teutonum hæreticorum nomine à Suaui producta.

Plura hîc à Suaui narrantur de Pontificis mente, arcaniſque inter ipſum ac Legatum negotiis; quæ cùm ſolâ teſtificatione hominis, toties temeritatis malignitatiſque conuicti, nitantur, ne refelli quidem operæpretium erit. Seſſio præſcripto die, S. Catharinæ virgini ac martyri ſacro, celebrata eſt. Litauit ſolemniter Franciſcus Manriquius Aurienſis Antiſtes; Latinam Orationem habuit Epiſcopus S. Marci. 1

Scribit Suauis, Canones in Germania fuiſſe typis vulgatos, & quæ hæretici Germani obiecerint, refert; ſed per eam ſtudij propenſionem, quam ſcripturæ cuiuſpiam auctor præ ſe ferre ſolet, cùm eam ipſe conſuetâ ſibi ratione recitat, dum alienam mentitur.

Primum quod opponitur eſt: Cùm reliqua Sacramenta per aliquam veteris Teſtamenti figuram eſſent adumbrata, mirum videri, fuiſſe inſtitutum à Chriſto Sacramentum Confeſſionis, cuius nullum ibi veſtigium appareat. Satis mihi ſit aduerſus id S. Ioannis Chryſoſtomi teſtimonium, in quo agnoſcitur tum ſimilitudo inter vmbram huiuſce Sacramenti, quæ habetur in veteri, & corpus eiuſdem, quod eſt in nouo, tum corporis ſupra vmbram præſtantia. Sic ille lib. 3. de Sacerdotio diſſerit: *Corporis lepram purgare, ſeu veriùs dicam, haud purgare quidem, ſed purgatos probare, Iudæorum ſacerdotibus ſolis licebat: at verò noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, verùm animæ ſordes non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt.* Hæc autem figura in veteri Teſtamento extans Confeſſionis Abſolutioniſque, 2

lutioniſque, quæ per hoc Sacramentum fit, præcipuè fuit obſeruata à Ioanne Fonſeca Epiſcopo Stabienſi, cùm in generali conſeſſu hac de re verba fecit. 1551.

3 Alterum obiectum eſt: In Euangelio non exprimi ſingulatim obligationes omnes actioneſque huius Sacramenti. Quis id inficiatur? Sed ſi continerentur in Euangelio clarè ac diſtinctè omnes Fidei articuli, vix vmquam inter Chriſtianos hæreſes extitiſſent. Neque pariter Diuinæ Triados myſteria tam ibi disertè traduntur, vt per tot ſæcula neceſſe non fuerit ad ea declaranda plura Concilia conuocari. Hinc patefit neceſſitas confugiendi quoque ad Dei verbum non ſcriptum, quod eſt traditio, & ad interpretem vtriuſque Diuini verbi, errori haud obnoxium, qui eſt Chriſti Vicarius.

4 Tertia cenſura eſt: Cùm hoc Sacramentum conſtitutum fuerit in eo Redemptoris verbo, *Quorum remiſeritis, &c.* per ipſius formam potiùs verbum *remitto* quàm *abſoluo* adhibendum fuiſſet. Reſponſio in promptu eſt. Efficaciæ Sacramenti alterutra vox ſatis erat, ſicut notat præcipuè Cardinalis Lugo, [a] meus olim magiſter: ſed poſterior ab Eccleſia præſcribitur; cui ſi alteram præferret Sacerdos, peccaret. Præſcriptionis verò ratio eſt, quia Eccleſia & Synodus huius inſtitutionem Sacramenti agnoſcit non ſolùm in allatis S. Ioannis verbis, ſed etiam in illis S. Marci, *Quodcumque ligaueritis*, &c. *Et quodcumque ſolueritis*, &c. vt paulò antè Suauis ipſe diſſerüit: quocircà mirum non eſt, ſi ab Eccleſia in ritu formulæ indictum ſit verbum *ſoluendi* aut *abſoluendi*; quandoquidem illud & continetur in altero ex locis Euangelij productis, & ſignificantiùs exprimit iudicialem actionem, quæ in hoc Sacramento exercetur.

a In diſp. 15. de Pœnit. ſect. 6.

5 Quarto loco opponit: Si per ea verba collata fuit Sacerdotibus poteſtas non modò abſoluendi, ſed etiam ligandi, ab hac poſteriori alterum Sacramentum conſtituendum fuiſſet, vel certè idem, cum ineuitabili neceſſitate proferendi hanc formulam, *Ego te ligo*, quemadmodum ob priorem poteſtatem neceſſe eſt hanc formam proferre, *Ego te abſoluo*.

Cur aliud non ſit Sacramentum, exercitium ligandi, aliud exercitium abſoluendi, perſpicuum eſt. Ligatio per ſalutarem pœnam impoſitam, eſt actio ſubſequens actionem ſoluendi, quæ per Abſolutionem fit, à qua ritè peracta alterius actionis efficacia Sacramentalis pendet. Cur autem ad iniungendam ſalutarem pœnam illæ certæ voces, *Ego te ligo*, neceſſariæ non ſint, ſi ſermo fiat de quadam neceſſitate, quam omnino exigat Confeſſionis natura, ratio pariter in aperto eſt; quoniam, ſicuti diximus, huiuſmodi neceſ-

1551. ſitas nec ſimiliter ex ipſa natura Confeſſionis exigitur in verbis Abſolutionis, ſed iis vti debemus, ne ritus ab Eccleſia præſcriptus violetur. Quod ſi vltrà quæratur, quare Eccleſia certa verba præſcripſerit Abſolutionis formulæ, & ad pœnam imponendam ſatis habuit, vt quæuis adhiberetur formula, modò eamdem ſignificationem haberet: conuenientia huius rei eſt, propterea quòd Abſolutio præcipuum quoddam ac potioris momenti eſt in hoc Sacramento; adeoque maior illi debetur ſolemnitas, maieſtas, ac formæ præſtantia; atque hinc etiam Latinè pronuntiatur. Pœnæ verò impoſitio, quæ iam conſtitutam Sacramenti eſſentiam inuenit, minoris eſt pretij: cumque pœnitenti, quamuis rudi, eſſet explicandum, quænam ipſi ſatisfactio imponeretur, neceſſe fuit vt illum Sacerdos vulgari ipſius idiomate alloqueretur, eâque verborum formâ, quam ad eiuſdem captum magis accommodatam cenſeret, vt onus impoſitum leuius redderetur.

Vrget quintò: Obligationem omnia peccata diſtinctè confitendi, perperàm colligi ab iudiciaria, quam Chriſtus tradidit, poteſtate ea remittendi aut retinendi: ab eo ſiquidem diſcreta non ſunt duo genera peccatorum, alterum quod remittendum, alterum quod retinendum eſſet; ſed ſolùm duas hominum claſſes, alteram pœnitentium, quibus cuncta peccata remittuntur, alteram non pœnitentium, quorum omnia retinentur; & idcircò diſtinxit, *quorum, & quorum.* 6

Quî fieri poterat, vt è Suauis memoria fugerent Chriſti verba, in eo S. Matthæi loco toties adducto, *Quæcumque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata in cælis; & quæcumque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta in cælis?* Verùm tametſi nulla eſſet alia diſtinctio, niſi pœnitentium, & non pœnitentium; nónne tunc etiam neceſſe foret, peccata diſtinctè cognoſci, quò ſimul cognoſceretur, an eum, qui ſeipſum accuſat, illorum verè pœniteat, an is animum paratum gerat ad occaſiones proximas euitandas, aliaſque ſalubres medicinas accipiendas, quamuis amaras, quæ ſibi à Sacerdote præſcriptæ fuerint?

Sextum quod obiicit, fallacia eſt ad vulgus decipiendum: hoc eſt, Apoſtolos, rerum cæleſtium peritiſſimos, & parum humanæ ſubtilitatis curioſos, ignoraſſe, per quaſnam conditiones ſpecies variaret: *Si verò Ariſtoteles huiuſmodi ſpeculationem non induxiſſet, id adhuc ab hominibus ignoraretur. Et tamen ex eo Fidei articulus ad ſalutem neceſſarius confectus eſt.* 7

Enormis in vocum ambiguitate peruerſio! Percontor, num ante

Ariſto-

Ariſtotelem, cùm Solon in ſuis legibus noluit ſupplicium vllum 1551.
præſcribere parricidio, ne ſuis ciuibus declararet illud poſſe committi, compertum erat, conditionem hanc, quòd parens necaretur, efficere, vt alia ſceleris eſſet natura, quàm ſimplicis homicidij? an quando tanta orta eſt diſputatio, abſoluendus necne Oreſtes eſſet ob cædem matris, quamuis adulteræ, & quæ ſuum coniugem illius parentem fraude malâ interfecerat, ideoque memoriæ proditum eſt, illum cælo vindice in furorem actum, tantum obſtrepuiſſent ſcenæ propter cædem in alio quàm in matris capite perpetratam? Idem dico de Oedipodis inceſtu & homicidio, tametſi minimè voluntariis, ob quæ fertur ille ſeipſum regni & oculorum iacturâ ſponte mulctaſſe. Omnino quæ natio tam rudis fuit, quæ non diſcreuerit tamquam crimina diuerſæ rationis mendacium ſine periurio, & cum periurio, furtum rei profanæ, aut ſacræ, cædem priuati ciuis, aut Principis, concubitus cum aliena, aut cum filia? Potuit quidem Ariſtoteles vocabula *Conditionum* ac *Specierum* inducere (quod neque pariter verum fuit, cùm ille ea iam in medio poſita nactus, ac ſuper iis fuerit philoſophatus, non ipſa fabricauerit) ſed res, quam voces illæ ſignificant, naturæ vi in animis inſculpta eſt. Potuit etiam Ariſtoteles diſtinguere ac diſcriminare eas conditiones, ob quas ex notione communi variant aut non variant ſpecies; quod reipſa nec ab eo peractum eſt, ſed potiùs à ſubſecutis rerum moralium indagatoribus. Ceterùm rudis quædam notitia notabilis diſcriminis inter crimina, in his vel illis conditionibus patrata, mediocris cuiuſuis ingenij negotium eſt: neque mens Concilij fuit, præcipere pœnitentibus, vt exquiſitam quamdam philoſophantium ſubtilitatem adhiberent ad exprimenda peccatorum diſcrimina; ſed ſolùm, vt eas exponerent conditiones, quæ pro communi hominum exiſtimatione efficiunt, vt noxa in aliam naturam migrare cenſeatur, alioqui notabilis turpitudinis nomine ſignetur; adeò vt ſi vellet ſeruus illius noxæ veniam ab hero ſuo, vel ſubditus à Principe impetrare, haud ſibi ex impetrata venia ſatis cautum putarent, vbi de illa noxæ conditione ipſos celaſſent. Quòd ſi adhuc pœnitens tam craſſæ mentis ſit, vt ne hanc quidem communem notitiam pertingat, ſatis eſt, vt is explicet id quod nouit, adiutus à Confeſſario; nec aliâ prætereà obligatione conſtringitur: quod neutiquam admitteretur ad acceptæ veniæ firmitatem in humano foro, cui multò minùs ineſt clementiæ quàm Diuino.

8 Septimum eſt: Cùm agnouiſſet Synodus in Confeſſario perſonam iudicis, *inconſtantiam quamdam videri, eos damnare qui dicerent,*

 Abſolu-

1551. *Abſolutionem eſſe nudum miniſterium pronuntiandi; cùm perſpicuum ſit, aliud non eſſe munus iudicis, niſi pronuntiare innocentem hominem qui talis eſt, nocentem qui deliquit: at verò Iudicis metaphora non patitur, vt dicatur, delinquentem hominem ab eo iuſtum reddi, quod adſcribitur Sacerdoti.*

Debuerat hic ſcriptor non obliuiſci, interfuiſſe illi Synodo primarios Chriſtiani Orbis Iuriſconſultos, & inter reliquos huiuſmodi fuiſſe duos Præſides Creſcentium & Pighinum; adeoque par fuerat, vt lentiùs progrederetur ad eos damnandos, tamquam in errorem prolapſos in iis vocibus, quarum ſcientiâ potiebantur. Obſeruandum eſt, duplex eſſe Iudicum genus: quidam rationes, quibus litigatores nituntur, ſimpliciter declarant; alij, tamquam beneficium aliquod Principis exequentes, ius aliquod conferunt, quòd ante latam ab ipſis ſententiam non extabat. Hi verò poſteriores, ſunt Iudices illi, quibus committitur vt cum cauſæ cognitione poſſint tamquam à Principe delegati venias, relaxationes, aliaque huiuſcemodi concedere. Dixi, *cum cauſa cognitione*; quia in hoc diſtinguitur ſecundùm Legis peritos is, qui *merus* executor ab illis nuncupatur, ab eo qui dicitur *mixtus*. Alter merè commiſſa exequitur, alter cauſam priùs cognoſcit, & an inſint in ea conditiones illæ quas Princeps exigit; quibus agnitis ſententiam fert, ſimulque beneficium impertit. In hoc Iudicum genere eſt Confeſſarius, à quo non quiſquis id ab ipſo petat, cæco impetu eſt abſoluendus; ſed ij quos ipſe nouerit ad id paratos, pro eo ac poſtulat Chriſti lex, iuſtitiæ ſimul & clementiæ temperationem complexa. Atque idcircò etiam dicitur à Synodo, relictos à Chriſto *Sacerdotes ſuos Vicarios, vti Iudices, & vti Præſides:* cùm Præſidum munus ſit, non ſolùm cognoſcere ac declarare aliorum rationes, ſed recognoſcere beneficia in illos à Principe directa, vt ea impertiant aut non impertiant, pro facti conditionibus quæ voluntati concedentis conſonent aut diſſonent. Porrò quòd auctoritatem Confeſſarij obtineant non merè declarandi, ſed conſtituendi homines reconciliatos Deo, colligit Concilium à verbo *remittere*; idque obſeruauit S. Ioannes Chryſoſtomus in loco iam laudato, dicens, à ſacerdotibus Iudæorum ſolùm comprobari, fuiſſe hominem leprâ mundatum; at verò à Sacerdotibus Chriſtianis reipsâ animos leprâ purgari; & in hanc ſententiam reliqui Patres loquuntur. Non igitur inconſtantia in Concilio, ſed ignorantia in Suaui fuit, qui exiſtimauit repugnare cuicumque Iudicis conditioni, nouum ab eo ius tribui homini, qui illud non habebat.

Octauo

9 Octauo loco vehementer inuehitur in rationem quamdam à Synodo adductam pro explicatione peccatorum, ſecundùm ſpeciem ac numerum habenda: nimirum, vt Confeſſarius congruentem illis pœnam iniungat; quod ab eo tripartitò impugnatur. Primò, quoniam reipsâ leues pœnæ pro grauiſſimis criminibus imponuntur: deinde, quia Synodus ipſa declarauit, ſatisfieri etiam poſſe per alia opera, & per ærumnas, quas Deus infligit, patienter toleratas: tertiò, quia Confeſſario comperta eſſe non poteſt menſura pœnarum huius vitæ, quæ metiatur debitum pœnarum in purgatorio luendarum, ab hoc vel illo peccato contractum; quocircà per diſtinctam peccatorum omnium cognitionem non redditur idoneus ad præſcribendam ſatisfactionem æqualem. 1551.

10 Sed quod ſpectat ad primum; Multorum Confeſſariorum lenitas culpâ non vacat, niſi quando pœnitentis imbecillitas illis ſuaderet, eſſe hominem alliciendum, cùm primò reſipiſcit, per remedia leniora. De reliquo conſtat, à Synodo verbis grauiſſimis [b] Sacerdotes retrahi ab hac perniciosa clementia, ne ipſi quoque alienæ culpæ participes euadant. Quare è quorumdam Sacerdotum vitiis norma petenda non eſt ad æſtimandum pœnæ debitum in eo qui peccata confitetur: præcipuè verò cùm ipſi exerceant partes iudicis ſimul & medici, ſæpè diuerſo generi, diuerſæque frequentiæ criminum, diuerſa pariter afflictationum remedia eſſe magis accommodata cognoſcunt. b Cap. 8.

11 Hoc poſtremum ſatis foret ad diluenda quæ ſecundo ac tertio loco ſunt obiecta. Sed inſuper quod ſpectat ad alterum, quamuis verum ſit, poſſe pœnitentem aliis modis ſatisfacere, quid inde conficitur? Nemo ignorat, liberum non eſſe reo certam pœnam ſibi à Præſide inflictam in remiſſione recuſare, quamuis æquale opus ſibi faciendum ſuſcipiat, alioqui liceret pœnitenti nolle pœnam ſibi vllam imponi à Confeſſario, vt qui mallet integrum in purgatorio debitum ſoluere. Prætereà laborioſa opera, quæ à Sacramento dependent, peculiarem vim ob merita Redemptoris obtinent, & ex *opere operato*, ſicuti Scholæ loquuntur; adeoque multò ampliùs per ea ſatisfit, quàm per alia ſimilia à pœnitente ſponte ſuſcepta: ac proinde ipſius in lucrum cedit onus acceptandi exercendique pœnas, pro criminis grauitate præſcriptas.

12 De tertio, certum eſt, definiri non poſſe à Sacerdote, quodnam opus ex vi Sacramenti peractum ſatisfit delendo integro debito per hæc aut illa peccata contracto; ſed certum etiam eſt, exercendum ab eo pariter eſſe hac in re iudicium ex quadam prudentiæ norma, infli-

1551. inflictâ pœnâ grauiori cum grauiora ſunt crimina, quantum corporis animique robur in pœnitente patiatur: & in re dubia par eſt, ad mitiorem partem ſe flectat, ne Sacramento tam neceſſario tamque arduo difficultatem augeat: præterquam quòd non modica ſatisfactionis pars eſt ipſe pudor, quo quis erubeſcit dum ſeipſum accuſat, aperitque eam ſui criminis conditionem, cuius conditionis interdum magis quàm ipſius criminis illum pudet. Hoc autem eſt quoddam mulctæ genus, quod ſi culpam non adæquat, cuicumque tamen culparum generi ac numero ſemper aptatur, nimirum rubor ille coram vno homine, loco publicæ infamiæ, quâ iuſtè poſſet à Deo puniri, tametſi æternum ſupplicium condonaret. Quantum verò vtilitatis conferat ad morum probitatem hæc diſtinctæ Confeſſionis neceſſitas à Chriſto præſcripta, vt venia impetretur, euiteturque inferorum miſeria; quantum roboris habeat tum ad coërcendos homines à variis flagitiis, ex timore illius præuiſi ruboris, tum poſteà ad emendandos ope Sacerdotis aberrantium mores, ad expurgandos à prauis animorum affectionibus, ad reuocandos in viam ſalutis, faſſi ſunt ipſi hæretici, cùm operam dederunt, vt per humanam legem eam inſtitutionem reponerent, poſtquam illam per Diuinæ legis contemptum abrogauerant. Sed fruſtrà id moliti: vt enim ſoli Deo ad eam excogitandam adfuit ſapientia, itidem eidem vni adfuit potentia, quâ efficeret vt eam homines & communiter acciperent, & faciliter tolerarent. Opus enimuerò quod antiquis omnibus legiſlatoribus fieri numquam poſſe viſum fuiſſet; quippe eorum nemini accommodantur ea verba S. Auguſtini Deum alloquentis, quæ tam abſurda Pelagio ſonuerunt: *Da quod iubes, & iube quod vis.* Sed iter proſequamur.

CAPVT XV.

Aduentus Oratorum Ducis VVirtembergici, & Septemuiri Saxonis. Eorum poſtulata in Cœtibus generalibus. Seſſio habita 25. Ianuarij anni 1552. in qua fides publica ſecuritatis Proteſtantibus rurſus data, & articulorum deciſio illis petentibus prorogata.

Illicò poſt Seſſionem conuerſa opera eſt ad concinnandos de rebus deſtinatis Canones pro Seſſione futura: & Suauis infeliciter mendax, quia immemor, narrat quod hauſerat è ſuo Sleidano[a]: Quamquam Canones de quatuor articulis prorogatis parati multò 1

a Lib. 23.

anteà

anteà in promptu eſſent, denuò fuiſſe in quodam peculiari conuentu ad incudem reuocatos, perinde ac ſi nihil ad id vſque temporis agitatum de illis fuiſſet; cùm tamen paulò anteà idem retuliſſet, Legatum iugi oratione Patres cohortatum, ne res ſemel ab ipſis firmatas, etſi nondum promulgatas, ad trutinam repeterent, atque ea de cauſa recuſaſſe examini ſubiicere nouas difficultates, quamuis ponderoſas, quas Theologi Louanienſes & Colonienſes, Franciſcani & Pelargus protulerunt; idque, ne huiuſmodi exemplo nixi Proteſtantes eò venturi, aggrederentur ipſi quoque obſtinatas & importunas diſputationes. Quo pacto igitur tam repente Legatus ac Synodus ſenſa voluntatemque mutarunt? 1552.

2 Quin tunc planè maior fuiſſet adhibenda circumſpectio à Suaui prætexta, ne Proteſtantibus, Catholicorum exemplo, ad recognoſcenda iam Decreta animus adderetur. Tridentum acceſſerant Oratores, quos nominauimus, Ducis Wirtembergenſis, ſimul etiam alij hæreticarum Vrbium liberarum, ac præſertim Argentorati, cuius nomine adfuit Ioannes Sleidanus, de quo toties facta mentio, deſcripſitque res conſuetâ [b] ſibi fide, animique ſinceritate; quem poſteà ſecutus eſt Suauis, ſed nouis fabulis adiectis. Breuî etiam expectabantur Mauritij Saxoniæ Septemuiri Legati, qui paulò pòſt aduenere. Ac ſatis quidem iam vſque ab initio patuit, ab huiuſmodi Oratoribus ſpem concordiæ non afferri, cùm animum illius cupidum nec ipſi gererent, vt qui Præſides inuiſere noluerunt, ne Pontificiam auctoritatem in iis agnoſcere viderentur; & in comperto eſſet, illos adeſſe paratos ad indicendum potiùs bellum tamquam aduerſarios, quàm ad offerendum obſequium tamquam ſubiectos. Verumtamen id contingebat, quod in pluribus euentis huius Hiſtoriæ notauimus, ſcilicet neceſſarium videri, vt hæc veritas, in ipſius cauſa à prudentibus præuiſa, reipsâ palàm fieret populo; qui non minùs in ſpe quàm in metu nimius eſt, & ſæpè irritum agitatæ optatæque concordiæ exitum adſcribit potiùs ſuorum aſperitati quàm hoſtium improbitati. Quamobrem Pontifex iniunxit Præſidibus, vt, antehabitâ maieſtati charitate, deuorarent quidquid à Proteſtantibus inſolentius ageretur, & ad omnia illorum poſtulata, etſi minùs conuenientia, ſeſe flecterent, dummodò id ſine iactura Religionis & Eccleſiæ fieri poſſet; numquam parenti eſſe dedecori inſaniam filij tolerare, quò reuocet ad ſanam mentem. Quòd ſi Paulus III. paſſus fuerat Pontificium Nuncium perrexiſſe ad hæreticos, ſubiturum apud eos repulſas atque contemptus; multò magis arrogantes eorumdem petitiones, agendique ratio-

[b] Lib. 13.

1552. rationes, cùm ipſi domum noſtràm adirent, eſſe tolerandas.

Fuit qui ſpem conceperit, eorum duritiam mitigatum iri per 3
excelſæ dignitatis conciliatorem. Etenim per eos dies *c* tranſiit Tridento, Germaniam repetens, Bohemiæ Rex, Ferdinandi filius, cum Caroli V. filia in matrimonium ducta. Eius ingreſſus quàm maximâ potuit pompâ etiam militari celebratus: ad quingentos paſſus extra vrbem obuiàm Patres iuere. Equitauit medius inter Creſcentium & Madruccium, à quo domi ſplendidiſſimè exceptus. Regina in lectica ſequebatur: in reliquum iidem adhibiti ritus, quos in ſuperiore illius tranſitu memorauimus. Verùm non ampliùs quàm triduum ibi Rex commoratus, nihil de negotio confecit; ſed illud promouentibus Cæſaris Oratoribus, concordiæ cupientiſſimis, hinc Wirtembergenſes ac Saxones adducti ſunt, vt ſuas legationes exponerent in domo Legati coram Cœtu generali, habito 24. Ianuarij, pridie quàm Seſſio celebraretur: hinc verò Legato perſuaſum eſt, vt ipſe pateretur anteà omitti ab ipſis debitum ipſius inuiſendi officium. Sed priùs quàm id fieret, Cæſariani Præſidibus ſignificarant Oratorum Proteſtantium poſtulata, de quibus maturè deliberatum fuerat in cœtu pridie coacto, ne improuiſa illorum petitio perturbationem afferret, & pro concordia diſcordiam irreparabilem redderet.

c 13 Decembris, extat in Diar. Mag. cæremon. præter Acta.

Illic etiam propoſitum eſt nomine Pontificis, vt ei Patres ſuam ſententiam ſignificarent, confirmanda nécne eſſet electio habita (quod alibi indicauimus in tranſitu) à Canonicis Halberſtadienſibus & Magdeburgenſibus, quâ Fridericum, Septemuiri Brandeburgici filium, ſibi Epiſcopum poſtulabant: ab illis Canonicis hoc conſilium fuiſſe ſuſceptum, quò ſe præpotenti Duce munirent contra vires finitimorum Proteſtantium: Fridericum iureiurando ſpopondiſſe, ſe Fidem Catholicam ſuſtentaturum; & à Paulo III. per miſſum hominem confirmationem petiiſſe, ſed Pontifice priùs demortuo, dein Sede vacante, nihil confectum; nunc denuò idem à Iulio petere. Ex oppôſito obiici minorem ætatem, quæ viceſimum quartum annum non exceſſerat; conditionem parentis, qui hæreſi in vſu Calicis & coniugio Sacerdotum adhæſerat; & prætereà Decretum Concilij, vetantis in vno eodemque capite plures Epiſcopatus. Ex altera parte animaduertendum, neminem auſurum fuiſſe eas Eccleſias adire, tam potenti competitore aduerſante: quare niſi illi concederentur, eas deſtitutum iri. His etiam poſtulatis preces Cæſaris Regiſque Romanorum fauere. 4

Sententiis variatum eſt. Tridentinus, Septemuiri, & complures 5
alij

alij Archiepiſcopi ad conceſſionem proni erant. Granatenſis, & quamplurimi eum ſecuti, temporis ſpatium ad deliberandum petiere. Alij vnam, non duas Eccleſias Friderico tribuendas putabant. Ita nihil eâ die confectum. Die poſtero idem in deliberationem rediit; ſed huiuſmodi conditionibus temperatum: 1551.

Vt adiungeretur Friderico earum Eccleſiarum adminiſtrator tantiſper, dum is legitimam ætatem expleret, ac ſuam religionem moreſque experimento comprobaſſet.

Vt adiret Concilium, eique vſque ad exitum intereſſet, & eiuſdem Decreta ſe ſeruaturum iuraret. Hoc pacto denique res propoſita, etſi variè oppugnata, maiori ſuffragiorum numero comprobata eſt.

6 At non ita Patres fuerunt ancipites, cùm primùm Oratorum Wirtembergenſium Saxonumque poſtulata præſenſere; ſed confeſtim id conſilij ab illis ſuſceptum, quod poſteà, pro eo ac narrabimus, effectum eſt.

Manè Wirtembergenſes, vt qui priùs quàm Saxones venerant, admiſſi, ſuæque confeſſionis formâ traditâ Maſſarello, petierunt, vt in Religionis controuerſiis deſignarentur iudices indifferentes; cùm Pontifex & Epiſcopi Pontifici obſequentes, in quos agitabatur lis, eſſe iudices in cauſa propria minimè poſſent. Et quædam alia breuiter adiecerunt ex iis, quæ fuſiùs à Saxonicis expoſita in ipſorum legatione referemus. Dimiſſi ſunt à Conuentu, ſimulque ipſis ſignificatum, deliberaturos Patres ſuper iis quæ illi propoſuerant, & reſponſa ſuo tempore reddituros.

7 Eodem die, pomeridianis horis[d], Mauritij Saxoniæ Septemuiri Oratores auditi. Hunc titulum hi adhibuere erga Patres: *Vos ampliſſimi & reuerendiſſimi Patres, & veſtræ ampliſſimæ dignitates & præſtantiæ.* Sic Latinè locuti. Quod ad rem attinet, eædem planè fucatæ rationes ab illis iteratæ ſunt, quibus Proteſtantes quamcumque Synodum reiecerant, quæ legitimè coacta, & non ſchiſmatica fuiſſet, & quibus tam Pontifex quàm Cæſar adeò frequenter apertè repugnarant: nimirum poſtulata ad quinque capita redigebantur.

d Refertur ad verbum in Diario Magiſtri cæremon. præter Acta.

8 Primum erat huiuſmodi: Eo obtentu, quòd ſecuritas tradita per fidem publicam haud ſufficeret, quodque Concilium Conſtantienſe decreuiſſet, præſtandam non eſſe fidem publicam reis ob crimen Religionis; aliam ab ipſis peti, eâ formâ, quæ Bohemis à ſubſecuto Baſileenſi Concilio data fuerat. Qua in re ſciatur oportet, falſum eſſe quod hîc dicitur, huiuſcemodi Decretum à Con-

1552. ſtantienſi Concilio fuiſſe conditum. Decretum fuit, per fidem publicam hæreticis conceſſam à profanis Principibus, haud obſtringi Iudices Eccleſiaſticos, ad quos pertinet de his cauſis iudicare; adeoque laicorum Magiſtratui obſeruatâ ex parte ſua ſecuritatis fide, nihil vltrà præſtandum: verùm Eccleſiaſtico Magiſtratui, qui fidem non dederat, integrum eſſe ſuo fungi munere. Quocircà Saxonum petitio nitebatur quâdam calumniâ, perinde quaſi Concilia docerent, fidem publicam haud eſſe ſeruandam; eratque ſtudioſè quæſita cauillatio in eo ſecuritatis libello, qui ab ipſo Concilio illis legitimè traditus fuerat. At verò Suauis, minutarum alioquin ineptiarum narrator, obuoluit ſilentio verum tenorem Conſtantienſis Decreti, & vt ob oculos imperitorum hanc Eccleſiæ labem relinquat, & ne fidem malam detegat, quâ Proteſtantes agebant. Verè tamen idem obſeruat, eorum petitionem eò tetendiſſe, vt quædam ſibi conducibilia obtinerent, quæ ſe quæſituros ex verbis Baſileenſi formulæ ſimilibus arbitrabantur.

Sed à Patribus, quantum aſſequi coniecturâ poſſum (nam in 9
Actis de hoc perpauca) reſpondebatur, fidem publicam Baſileæ fuiſſe Bohemis datam in Seſſione quarta, hoc eſt, eo tempore quo Synodus erat à Pontifice ſeiuncta atque ſchiſmatica, adeoque illam haud mereri, vt ad exemplum Concilio legitimo adduceretur: prætereà, nec in illa formula contineri capita, quæ Proteſtantes affirmabant ac flagitabant, quæ præcipue duo erant; Ne Religionis controuerſiæ niſi per ſacræ Scripturæ teſtimonia iudicarentur; &, Vt hæretici ius ſuffragij ibi exercerent. Nam quod ſpectabat ad primum, in eo ſecuritatis libello hæc erant verba: *Lex Diuina, praxis tum Chriſti, tum Apoſtolica, tum Eccleſiæ primitiuæ, vnà cum Conciliis, Doctoribuſq; fundantibus ſe veraciter in eadem, pro veriſſimo & indifferente iudice admittentur.* Quod totum æquè admittebatur à Patribus Tridentinis, ſed non item cum iis interpretationibus, quas addebant Proteſtantes; quaſi foret in ipſorum arbitratu, diiudicare an recentis Eccleſiæ praxis ab antiqua diſcordaret, an hæc illáve Synodus, hic an ille Doctor verè niteretur huiuſmodi fundamentis. Quod autem ad ſecundum ſpectabat; in Concilio Baſileenſi numquam Bohemis conceſſum fuerat ius ferendæ ſententiæ, ſed ſolùm facultas *differendi ac diſputandi cum charitate ac modeſtia.* Quæ verba non ſonant ampliorem auctoritatem eâ quam obtinent minores Theologi in rebus diſcutiendis. Scire pariter operæpretium eſt, in eo Baſileenſi libello cautum fuiſſe Bohemorum indemnitati, etiam nomine Romani Pontificis. Sed de hoc noluerunt quidquam mutire

tire Proteſtantes: quod à Suaui narratur quidem, ſed omiſsâ cauſâ. Ea erat: Quoniam ſi Proteſtantes nomen Pontificis expreſſum in ſecuritatis libello voluiſſent, per eam occaſionem Patribus petenda fuiſſet ab illo facultas, eaque in publicæ fidei tabulis apponenda; & ita eâdem operâ à Concilio profitendum, ſibi non ineſſe poteſtatem obligandi Pontificis: & ex altera parte, tametſi Pontificis nomen omitteretur, omnem ſuſpicionis nebulam abſtergebat Legati Nunciorumque Pontificiorum ſubſcriptio, quorum facultates patebant ampliſſimè. 1552.

10 Secundo loco poſtularunt Oratores, vt parata iam articulorum deciſio protraheretur ad Theologorum aduentum, qui à Saxone breuî mittendi erant de his diſceptaturi, & quibus nondum accedere licuerat, fidem publicam cuiuſcumque expertem periculi deſiderantibus.

11 Tertiò, vt recognoſcerentur, ac denuò in diſputationem reuocarentur vnà cum Saxonicis Theologis, quæ ad eam vſque diem decreta fuiſſent Confeſſioni Auguſtanæ aduerſantia. Hæc fuiſſe Auguſtani Conuentus ſenſa, cùm Imperij totius nomine continuatio Tridentinæ Synodi intermiſſæ poſtulabatur: Nouam hanc trutinam neceſſariam eſſe, quòd ipſorum Principi innotuiſſet, iis articulis, præſertim de Iuſtificationis negotio, multa errata non leuia contineri, per ſacras Litteras redarguenda: Huiuſmodi capita ſtatuenda eſſe Chriſtianarum omnium nationum calculo, quarum Antiſtites ſuperioribus Decretis haud interuenerant; & his abſentibus, eam Synodum peculiarem conuentum, non Oecumenicum Concilium appellandum. Ad hæc Patres: Si aliquorum abſentia poſt indictum Concilium ſatis eſſet ad abrogandam illi auctoritatem Oecumenici, liberum cuicumque eſſet eam impedire; & vix ex tota antiquitate produci poſſet Concilium, de quo id ipſum quoquo modo in controuerſiam adducere non liceret: hoc verò maximè opponi poſſe Tridentino Conuentui, cùm integra natio Gallorum abeſſet. Ceterà, quînam fas eſſet Oratoribus affirmare, eam fuiſſe Auguſtani Conuentus ſententiam, quando is disertè petierat continuationem Concilij Tridenti? Id quod numquam fuit, minimè continuari: igitur ab vniuerſi Imperij Ordinibus exiſtimatum fuiſſe Concilium Oecumenicum, non peculiarem quemdam cœtum, cœtum illum, qui Tridenti habitus fuerat Paulo ſedente, quique memorata Decreta pronuntiarat.

12 Quarto loco poſtulabant, vt cùm quædam ex controuerſiis, potiſſimùm de Romano Pontifice, agerentur, meminiſſent Patres ſan-

1552. ctionum Concilij Conſtantienſis ac Baſileenſis, in quibus ſtatuitur, vt in cauſis Fidei, & in iis quæ ad ipſum Romanum Pontificem ſpectant, ille Concilio ſubiiciatur. Inſtabant igitur Saxonis nomine Oratores, vt primo loco id à Patribus Tridentinis declararetur, perinde ac à Baſileenſibus Seſſione ſecundâ; adeoque iuramento ſoluerentur ij qui Pontifici fuerant obligati, quamquam eo ſoluti iam eſſent habendi ex iis quæ laudatæ Synodi definierant. Hæc poſtulatio impellebat Concilium in ſcopuloſum illud fretum, cuius metu Clemens, & Cardinales ab eo delecti, Cæſari in Belgio ſignificarant, per huiuſmodi conuentum maius diſcrimen noui ſchiſmatis quàm ſpem concordiæ allatum iri, quemadmodum ſuo loco expoſuimus[e]. Et à Cæſare id temporis reſponſum fuit, Pontificis Romani, quippe ſupremi Præſidis, eſſe, res in Concilio agitandas præſcribere, ac propterea ſeditioſam illam diſputationem vitari poſſe. Quod ad concordiam attinebat, exploratam ſibi ſatis eſſe pertinaciam hæreticorum; proinde à ſe non peti Synodum, quò hi reuocari poſſent ad frugem, ſed quò vniuerſæ Eccleſiæ proſcriptione punirentur. Quod mihi libuit hîc recenſere, vt lector intelligat, lentè proceſſiſſe Pontifices ad hanc conuocationem, non per fictos & emendicatos colores, ſed ob validiſſimas rationes, exitu comprobatas.

[e] Lib. 3. cap. 5.

Tam callidæ petitioni plura Præſides oppoſuere, ſed duo præcipua. Alterum, cùm ſemper Lutherus, eiuſque factio Concilium Conſtantienſe tamquam irritum ac ſacrilegum deteſtati fuiſſent, quippe qui præcipuas opiniones ſuas ab eo damnatas conſpexerant; cumque tunc vt maximè Lutherani obfirmati refellerent tot illius Decreta certæ ſignificationis & efficaciæ, alienum ab omni ratione videri, nunc ab ipſis proferri veluti diuinum Oraculum quoddam illius Decretum dubiæ intelligentiæ, & neutiquam confirmatum à Martino Pontifice, cuius confirmatio tantùm extenditur ad Fidei dogmata ibi aduerſus recentes hæreſiarchas ſancita. Alterum fuit, cùm ad habendum legitimè Concilium exigerent Oratores Chriſtianarum nationum omnium interuentum, certè niti non poſſe Baſileenſi, ad quod infringendum coacta fuit Synodus tam ampla, tam nobilis nationum concurſu, cuiuſmodi fuit Ferrarienſis, ac dein Florentina, quam poſteà comprobauit Eccleſia. 13

At è conuerſo ſtudebant Oratores cohoneſtare petitionem ſuam, quæ alioqui ſupra modum rationi diſſentanea videbatur, quando non tam pugnam quàm deditionem ante pugnam efflagitabat. Hinc rationem adducebant, ſemper ab hæreticis decantatam, & 14

anteà

anteà à Wirtembergenſibus productam; cùm eſſent de Romano 1552.
Pontifice multa corrigenda, eidem Iudicem agere non licere. Sed reponebatur à Patribus: Hanc argumentationem quò magis popularem, eò vitioſiorem eſſe; vtpote quæ ſi ſemel admitteretur, omnem Monarchiam deleret, cuius regimen poſtulat, vt Princeps ipſe ſibi ſit lex, nec alium iudicem præter Deum & publicam infamiam reformidet. Quod ſi hoc admittitur in hereditariis Principatibus quò maiora bona decerpantur, quæ ſecum fert auctoritas ſuprema coniuncta cum vnitate perfecta; quantò potiori iure id admittendum in principatu per ſuffragia collato, & in quo ſenex eligi ſolet, & iam diu probatus? Accedebat, ex eodem argumento, ſi penitus introſpiciatur, confici pariter, nullum aliud rectæ gubernationis genus poſſe ſubſiſtere; cùm omnes tandem ad ſupremum Magiſtratum ſint redigendæ, ſiue is vno dumtaxat, ſiue pluribus conſtituatur, qui Magiſtratus leges ſimul det & accipiat. Perpenderent proinde non modò Principes, an domi ſuæ huiuſce doctrinæ vſum admitterent, ſed etiam politici; nam eo admiſſo, poſſet ne Principatus vllus perſiſtere, niſi fortè vniuerſa populi fæx in eo dominaretur?

15 Probè intellexerant Oratores, declarationem, quam ipſi poſtulabant à Synodo, vt nimirum ea Pontifici ſuperior pronuntiaretur, agnoſci à prudentibus rerum æſtimatoribus idoneam eſſe non quidem ad componendas, ſed ad multiplicandas controuerſias: Pontifex quippe viciſſim contrarium declaraſſet; nec fieri poterat, vt tertius in terra ſupremus Iudex inueniretur. Quare ad alia magis immoderata magiſque abſurda petenda progreſſi ſunt, conati perſuadere, vbi potuiſſet impetrari à Pontifice vt ab eo huiuſmodi iuramenta relaxarentur, ingentem ex hoc plauſum Concilio excitatum iri, ſaltem apud imperitos, auctâ in omnium animis ſecuritate, ſimulque exiſtimatione illius libertatis, quæ legitimo Concilio opus eſt. Sed hoc diluebatur; nimirum, ſi huiuſmodi iuramenta vim habebant, & res ibi agitandas complectebantur, etſi Pontifex legitimus erat in omni cauſa Epiſcoporum iudex, illa iuramenta fruſtrà relaxatum iri, cùm ante ipſa præceſſiſſet obligatio ſeruandi quidquid per eadem iuramenta firmatum fuerat; hac verò obligatione Epiſcopos à Pontifice ſolui non poſſe, vt qui nec arbiter nec dominus erat prærogatiuæ ſuæ, à Chriſto inſtitutæ; adeoque nec eiuſmodi prærogatiuæ officere poterat: ſin autem hæc iuramenta vel inania haberentur, vel res quæ tunc agebantur haud complectentia, incaſsùm pariter laxationem peti.

Poſtremo loco Oratores eas Diuini obſequij publicæque ſalutis conte-

1552. conteſtationes adiecere, quæ ſunt vocabula communia ingentium malorum æquè ac bonorum auctoribus: habitæque ab ipſis orationis exemplar ſcriptum tradidere. His per communia verborum officia, perinde atque Wirtembergenſibus, reſponſum eſt.

Dimiſſis Oratoribus, manſere Patres in conſeſſu cum Cæſaris ac Ferdinandi Oratoribus, quos audacter mendax Suauis affirmat huiuſmodi cõnſeſſibus haud ſolitos intereſſe, cùm oppoſitum Acta Concilij perpetuò teſtentur. Illic, pro eo quod ſtatutum fuerat in congreſſibus priuatis, & cum Conciliatoribus, & inter Epiſcopos habitis, decretum eſt, vt extrema omnia, quoad fieri poſſet, indulgerentur. Narrat Suauis, in conſiliis, in quibus hac de re deliberatum eſt, Legatum ſemper immobilem in contraria ſententia perſtitiſſe; ſed animaduerſo præualido aliter opinantium impetu, cùm illum inhibere non poſſet, tacuiſſe. Quod vnicuique perſpectum eſt, quo pacto concordet cum iis, quæ hîc ſcriptor ſuprà ſtuduit obtrudere ad exaggerandam Legati potentiam in verſandis aliorum conſiliis ac ſuffragiis, & eleuandam Concilij libertatem. 16

Patres itaque conſenſere, vt deſtinatæ ſanctiones de Miſſæ ſacrificio & Ordinis Sacramento differrentur, quibus de rebus in cœtibus Theologorum & Patrum expenſa iam fuerant capita proſcribenda; tum etiam excuſi Canones & Decreta, ſed nondum ad generalem conuentum relata. Simul etiam iniunctum, vt interim alia pararentur de Sacramento Matrimonij, ne cunctatio otium ac tædium pareret, vt poſteà Synodus pari feſtinatione poſſet abſolui, adeoq; Paſtores Eccleſiis,& Eccleſię Paſtoribus reddi. Statutum præterea eſt, vt nouæ tabulæ ampliſſimæ fidei publicæ Proteſtantibus exhiberentur, in quibus, ſublato diſertè quocumque obice, per Decreta Conſtantienſis & Senenſis Synodi illato, ipſa penè verba Baſileenſis apponerentur, præſertim de cautionibus ſecuritatis; quod obſeruare licet vtraſque tabulas comparatè legentibus, in laudatis Conciliis impreſſas; omiſſis tamen verbis, quæ, ſicuti memorauimus, in Baſileenſibus tabulis explicabant rationem ſeruandam in diiudicandis controuerſiis. Quamquam enim ea verba ad optimam ſignificationem tunc fuiſſent appoſita; tamen animaduertebatur, moliri Proteſtantes inextricabilis litigij telam ex illis texere, clypeumque conſtruere aduerſus cuiuſcumque Iudicis poteſtatem, præterquam elinguis, qui nec reſpondere poſſet, nec pronuntiare. Atqui ſi liceret hoc pacto controuerſias decidere, non alio opus eſſet in Republica Iudice præter legem. 17

Poſtremò, ne per verba honorifica rei vtilitas impediretur, ſtatutum 18

tum fuit, vt ante congreſſum ſolemnis conteſtatio pronunciaretur, 1552.
quæ in Actis extaret, & legitur in nonnullis Concilij exemplaribus impreſſa; vt nimirum Decreto quodam Seſſionis ſecundæ renouato, ob quoſcumque homines, etiam ab iis delegatos, ac libellos admiſſos, qui eſſent eiuſmodi, vt admitti non deberent ſecundùm ius aut conſuetudinem, & etiam ob permiſſionem ferendi ſuffragij, vel etiam per verbum *Placet*, nihil vnquam intelligeretur detractum iuri ac dignitati præſentis Concilij, ſeu cuiuſcumque futuri, cùm iis in operibus pacis tantummodò & vnitatis ratio haberetur, modis omnibus honeſtis conuenientibuſque quæſitæ.

Poſtero die, vigeſimoquinto Ianuarij, decimaquinta Seſſio habita eſt, nouem Epiſcoporum, qui ſuperuenere, acceſſione factâ. Sacrificium peregit Nicolaus Maria Caracciolus Catanenſis Antiſtes: Latinè concionatus eſt Ioannes Baptiſta Campeggius Maioricenſis Epiſcopus. Promulgata in ea fuere duo Decreta de prorogatione, & publicæ ſecuritatis libello, quæ ſuprà memorauimus. De poſteriore non eſt operæ quidquam amplius referre. De priore, verbis grauitate ac pietate permixtis, huiuſce moræ ratio reddebatur, quò ſcilicet expectarentur Theologi Proteſtantium, quorum nomine poſtulatum id fuerat, ſimulque celerrimus illorum aduentus promiſſus: cùm ſperandum eſſet, eos tandem Eccleſiæ iudicio acquieturos, exoptatamque concordiam Chriſtianis populis reddituros. Sic interdum par eſt, vt qui publicam perſonam gerunt, deceptos ſe credi ſinant vanâ quâdam ſpe, ne maligno deprauati deſiderio credantur: vulgus quippe quos in ſe ſentit affectus, eoſdem in ſapientes traducens, exiſtimat id vnumquemque opinari futurum aut non futurum, quod ipſe appetit aut abhorret.

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER DECIMVSTERTIVS.

ARGVMENTVM.

LEGATIO *Veralli Cardinalis in Galliam. Miſſio Epiſcopi Montis Faliſci Tridentum, & Camaiani ad Cæſarem. Euentus belli. Mors Joannis Baptiſtæ de Monte. Armorum ceſſatio ad duos annos à Pontifice ſtatuta, & poſteà à Cæſare confirmata. Septemuirûm Tridento diſceſſus. Seßio prorogata. Lis inter Oratores Regum Luſitaniæ ac Romanorum. Expeditio Proteſtantium, & Concilij ſuſpenſio. Fuga Cæſaris Oeniponto. Legati Creſcentij obitus. Concordia Paſſauienſis inter Cæſarem & Proteſtantes. Varia belli euenta in Germania, & Belgio. Quæ Pontifex cum Cæſare per Achillem Graſſium, & cum Henrico per Proſperum Sanctacrucium egerit. Legatio Dandini Cardinalis ad illum, & Capiteferrei ad hunc, pacis componendæ gratiâ. Tumultus Senenſium. Mors iuuenis Britanniæ Regis; & ſororis Mariæ Catholicæ ſucceſſio. Secreta illuc miſſio Joannis Franciſci Commendoni, dein legatio Poli; eiuſque obſtacula tandem amota. Coniugium Anglicanæ Reginæ cum Philippo Caroli V. filio. Moronus ad Auguſtana Comitia Legatus, & Antonius Auguſtinus ad nouum Britanniæ Regem Nuntius. Pontificis mors. Succeſſio Marcelli II. breuiſque illius exitus. Senarum deditio. Pauli IV. creatio. Britanniæ ad Catholicam Religionem*

gionem conuerſio. Britannici Oratores excepti. Datus Hiberniæ regni titulus. Promotus ad Purpuram Carolus Carraffa, eiuſque conditiones. Auguſtana Comitia, eorumque ſanctiones de Religione. Suſpiciones inter Pontificem & Cæſarem, auctæ ex iis, quæ Romæ acciderant Sfortianis & Columnenſibus. Septem Cardinales creati. Regna omnia à Carolo in filium tranſlata. Occultum fœdus inter Pontificem & Galliæ Regem. Induciæ confectæ inter hunc Regem, & Cæſarem, & Philippum Regem. Hac de cauſa Pontificis querimoniæ. Legationes Carraffæ in Galliam, & Rebibæ in Belgium. Variæ diſſidij cauſæ inter Pontificem & Neapolitanum Proregem. Solemnis denuntiatio à Pontificij fiſci Procuratore in Senatu habita in Cæſarem & Philippum Regem. Oratoris Cæſarei Româ profectio. Pax abſque fructu agitata inter Pontificem ac Proregem. Arma à Prorege illata, & loca prope Romam ab eo occupata. Res in Gallia à Carraffa tranſactæ. Eius reditus cum ſuppetiis, & cum Rebiba Legato. Concordia Octauij Farneſij cum Hiſpano, à quo ei reſtituta Placentia. Armorum ſuſpenſio inter Pontificem ac Proregem, ſed infectâ pace.

CAPVT PRIMVM.

Belli euenta. Legatio in Galliam Veralli. Cooptati in Purpuratorum Senatum Patres. Miſſio Epiſcopi Montis Faliſci Tridentum; & poſteà Petri Camaiani ad Cæſarem.

1 NECESSARIVM arbitror, inter ſacrarum rerum ſeriem profani aliquid intermiſcere; quando pro humana imbecillitate, tametſi in effectis naturæ res terrenæ ita cæleſtibus ſubiectæ ſint, vt nullo pacto quidquam in illas influant, è contrario in mortalium negotiis ab alteris altera mutuò pendent; nec homines ita conuerſos ad cælum attollunt oculos, quin pedibus terræ inſiſtant. 1552.

Cœpta iam fuerat à Pontifice ac Cæſare [a] armorum tractatio proſperi ſucceſſus auſpiciis: nam non modò Cæſariani in conflictu captiuos abduxerant Andalottum, Memorancij Gallici Comeſtabilis generum, itemque alios duos Proceres, à Rege Galliæ ad hoc bellum miſſos; ſed multis oppidis in agro Parmenſi potiti, agrum vniuerſum

[a] Vide cuncta apud Adrianum, lib. 8.

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER DECIMVSTERTIVS.

ARGVMENTVM.

LEGATIO *Veralli Cardinalis in Galliam. Miſſio Epiſcopi Montis Faliſci Tridentum, & Camaiani ad Cæſarem. Euentus belli. Mors Joannis Baptiſtæ de Monte. Armorum ceſſatio ad duos annos à Pontifice ſtatuta, & poſteà à Cæſare confirmata. Septemuirûm Tridento diſceſſus. Seßio prorogata. Lis inter Oratores Regum Luſitaniæ ac Romanorum. Expeditio Proteſtantium, & Concilij ſuſpenſio. Fuga Cæſaris Oeniponto. Legati Creſcentij obitus. Concordia Paſſauienſis inter Cæſarem & Proteſtantes. Varia belli euenta in Germania, & Belgio. Quæ Pontifex cum Cæſare per Achillem Graſſium, & cum Henrico per Proſperum Sanctacrucium egerit. Legatio Dandini Cardinalis ad illum, & Capiteferrei ad hunc, pacis componendæ gratiâ. Tumultus Senenſium. Mors iuuenis Britanniæ Regis; & ſororis Mariæ Catholicæ ſucceſſio. Secreta illuc miſſio Joannis Franciſci Commendoni, dein legatio Poli; eiuſque obſtacula tandem amota. Coniugium Anglicanæ Reginæ cum Philippo Caroli V. filio. Moronus ad Auguſtana Comitia Legatus, & Antonius Auguſtinus ad nouum Britanniæ Regem Nuntius. Pontificis mors. Succeſſio Marcelli II. breuiſque illius exitus. Senarum deditio. Pauli IV. creatio. Britanniæ ad Catholicam Religionem*

gionem

gionem conuerſio. Britannici Oratores excepti. Datus Hiberniæ regni titulus. Promotus ad Purpuram Carolus Carraffa, eiuſque conditiones. Auguſtana Comitia, eorumque ſanctiones de Religione. Suſpiciones inter Pontificem & Cæſarem, auctæ ex iis, quæ Romæ acciderant Sfortianis & Columnenſibus. Septem Cardinales creati. Regna omnia à Carolo in filium tranſlata. Occultum fœdus inter Pontificem & Galliæ Regem. Induciæ confectæ inter hunc Regem, & Cæſarem, & Philippum Regem. Hac de cauſa Pontificis querimoniæ. Legationes Carraffæ in Galliam, & Rebibæ in Belgium. Variæ diſſidij cauſæ inter Pontificem & Neapolitanum Proregem. Solemnis denuntiatio à Pontificij fiſci Procuratore in Senatu habita in Cæſarem & Philippum Regem. Oratoris Cæſarei Româ profectio. Pax abſque fructu agitata inter Pontificem ac Proregem. Arma à Prorege illata, & loca prope Romam ab eo occupata. Res in Gallia à Carraffa tranſactæ. Eius reditus cum ſuppetiis, & cum Rebiba Legato. Concordia Octauij Farneſij cum Hiſpano, à quo ei reſtituta Placentia. Armorum ſuſpenſio inter Pontificem ac Proregem, ſed infectâ pace.

CAPVT PRIMVM.

Belli euenta. Legatio in Galliam Veralli. Cooptati in Purpuratorum Senatum Patres. Miſſio Epiſcopi Montis Faliſci Tridentum; & poſteà Petri Camaiani ad Cæſarem.

1 NECESSARIVM arbitror, inter ſacrarum rerum ſeriem profani aliquid intermiſcere; quando pro humana imbecillitate, tametſi in effectis naturæ res terrenæ ita cæleſtibus ſubiectæ ſint, vt nullo pacto quidquam in illas influant, è contrario in mortalium negotiis ab alteris altera mutuò pendent; nec homines ita conuerſos ad cælum attollunt oculos, quin pedibus terræ inſiſtant. 1552.

Cœpta iam fuerat à Pontifice ac Cæſare [a] armorum tractatio proſperi ſucceſſus auſpiciis: nam non modò Cæſariani in conflictu captiuos abduxerant Andalottum, Memorancij Gallici Comeſtabilis generum, itemque alios duos Proceres, à Rege Galliæ ad hoc bellum miſſos; ſed multis oppidis in agro Parmenſi potiti, agrum vniuerſum

[a] Vide cuncta apud Adrianum, lib. 8.

1551. uerſum vaſtauerant, & in vrbem penuriam ac terrorem intulerant. Quare Octauius nouos inter ſubditos, modiceque viribus inſtructus, vrbis defenſioni penè diffidebat, cùm Petrus Strozzius, Regis Galliæ miles, celeritate, Gonzagæ & Marignano priùs incredibili, poſteà admirabili, ſuorum militum ingentem globum adduxit, Parmæque intulit, deluſo inſequentium hoſtium conatu. Id autem non minùs dominationem Farneſiis, quàm exiſtimationem Strozziis confirmauit.

Mirandula quoque armis Pontificiis ac Cæſareis obſeſſa eſt, 2
quippe ſubiecta Principi Farneſiarum partium, & vnde commeatus Parmenſibus ſuppeditabatur. Sed ibi pariter res, quæ proſperè cœptæ fuerant, conceptâ iam ſpe in deterius inclinarunt. Pontifex iactâ per bellum aleâ, expertuſque neceſſitatem ſumptus in campo longè maiorem quàm in palimpſeſto ſubduxerat, angebatur inter anguſtias ærarij, & moleſtiam deterendæ gloriæ, cuius erat appetentiſſimus, ſubditorum plauſu iam excitatæ, deterendæ inquam per impoſita onera, quæ ſunt vel maximum odij popularis irritamentum. Itaque oppigneratis gemmis omnibus, ſumptum euſque ſuppleuerat: [b] atque, vt fœderatis vſuuenit, de Cæſarianis conquerebatur, quòd ij pecuniâ armiſque promiſſa ſubſidia nequaquam explerent. Hinc verò Cæſarianis neceſſe erat, confinium frontem ad Subalpinam Italiam à Gallis poſſeſſam præſidio munire, vnde finitimo Mediolanenſi Principatui formidabilis armorum impetus imminebat: ipſi quoque eam auri penuriam patiebantur, quæ plerumque magis premit ampliores principatus; vtpote quibus neceſſitas eſt ad illud plures in partes diffundendum, quemadmodum ſæpè vaſtiora corpora maiori vitalium ſpirituum inopiâ ad exercendas vitæ functiones laborant.

[b] Extat in ſecunda inſtructione, tradita Camaiano, 10 Octobris 1551. inter monumenta Burgheſiorum.

Vexabatur adhuc Pontifex Cæſaris poſtulatis. Hic enim non pri- 3
uata commoda, ſed communis boni prouidentiam aduerſus hoſtium conſilia profeſſus, à Iulio per Ioannem Manriquium nouum Oratorem petierat, vt ad opponendas æquales vires tot Cardinalium cohorti, Gallis natione ſeu factione addictorum, octo in ſui gratiam Senatui adſcriberet, quatuor diſertè explicandos, & quatuor generatim nominandos, & in ſinu reponendos; qui prout opportunitas ſuaderet depromerentur. Negauit Pontifex petitioni ſe poſſe aſſentiri: libenter quidem duobus inter eos, qui à Carolo nominabantur, ſe Purpuram collaturum, nimirum Poggio ac Bertano, Nuntiis apud Cæſarem, illi in Hiſpania, huic in Germania; ſed in tertio, qui erat Petrus Tagliauia Archiepiſcopus Panormitanus,

tanus, vti ſanguinis claritudinem morumque probitatem agnoſcebat, ita plus doctrinæ deſiderabat. Præterea cùm id temporis ille Concilio inter Præſules præſtantiſſimos adeſſet, exiſtimabat Pontifex, ſi Purpuram illuc ipſi mitteret, in reliquis inuidiam animique amaritiem excitum iri, quemadmodum in Paceci electione olim contigerat; quamuis Pacecus is eſſet, qui antequam Conuentum adiret, legendus vulgò noſcebatur. Quæ ratio Pontificem retrahebat, ne Pighinum Præſidem, tametſi charum ſibi, ſummoque in pretio habitum, ad eam ibi dignitatem eueheret; cùm præſertim ſibi ſuboluiſſet, non deeſſe ex Septemuiris ibi degentibus, qui ad eumdem honoris gradum aſpiraret; nec ſine acerbo rubore toleraſſet, ſe collegæ minoris notæ fuiſſe poſthabitum. Sed præ reliquis abhorrebat à quarto, qui erat Hydruntinus Archiepiſcopus, quòd eius nomen in cauſa Religionis ad Cardinales Fidei Quæſitores delatum fuerat: atque hac de re comperio, [c] poſt tertium annum, cùm Pontifex vnum Cardinalem in tempore nominandum in gratiam Cæſaris retinuiſſet in ſinu, ab eo per Ferdinandum Vegam denuò ipſum Archiepiſcopum fuiſſe propoſitum, ſed incaſsùm. 1551.

[c] Ex litteris Moroni ad Polum, in Belgium, 19. Martij 1554. in ſyllabo litterarum Poli, poſteà citando.

4 Proſequebatur Pontifex, poſtulationem Cæſaris, vt tot Purpuræ ſeruarentur in ſinu, acerbiſſimam futuram fuiſſe Senatui Purpuratorum, nec ſe tam facilè conſenſum omnium conſecuturum, ſinequo mos non erat tot ſimul capita in ſacrum Collegium adſcribi; ſibi, quippe nouo Pontifici, non adeſſe perinde obſequentia Cardinalium ſtudia, ac illi qui Senatoribus à ſe creatis præſidet. Accedebat neceſſitas aliis Principibus gratificandi, cuiuſmodi erat Ferdinandus Rex, qui dignitatem illam petebat Georgio Martinuſio, ex Ordine S. Pauli primi Eremitæ [d] Epiſcopo Varianenſi. Hic anteà alumnus, deinde ſupremus adminiſter Ioannis Regis, ac poſteà defenſor filij pupilli, & vxoris viduæ, fœdus anteà cum Turca nexuerat; ſed tandem eiſdem perſuaſerat, vt ſe Ferdinando concederent; eidemque pacificam poſſeſſionem non Pannoniæ ſolùm, ſed etiam Daciæ ſimul obtinuerat: quamquam, prout mirabiles contingunt rerum humanarum conuerſiones, idem Ferdinandus paucis poſt impetratam illi Purpuram menſibus, tamquam ſingulari tum de ſe tum de Eccleſia benemerito, per eam feſtinationem, [e] vt ſolus ipſe promotus fuerit, non expectatâ proximâ ceterorum electione; idem, inquam, Ferdinandus, eo nomine quòd occultiſſima Georgij cum Turca molimina fuiſſent detecta ad Daciam ſibi Turcarum auxiliis occupandam, eumdem per inſidias necari iuſſit, ſicuti erit infrà narrandum. De hoc etiam homine videre eſt,

[d] In Actis Conſiſtor. 30. Iulij 1539. cùm propoſitus fuit Epiſcopus Varianenſis, legitur nominatim Monachus S. Pauli primi Eremitæ.

[e] 12. Octobris 1551. vt in Actis Conſiſtor.

1551. quantæ fuerint auctoritatis ea, quibus innititur Suauis, qui S. Baſilij Monachum illum deſcribit, aduerſus quàm in Actis Vaticani Senatus habetur. Narrat etiam, ei fuiſſe conceſſam Purpuram ob Cæſaris nominationem à Ferdinando ipſi impetratam: at ex oppoſito, ſicut retulimus, Pontifex in documentis biduo antequam is eligeretur Nuntio traditis, inter alias excuſationes, cur Cæſari poſtulatis obſecundare omnino non poſſet, adduxit, à Ferdinando Rege ſe premi ad Martinuſium promouendum. Sed ad reſponſa Pontificis reuertamur.

Addebat ille, peti quoque à Republica Veneta, vt in Purpuræ diſtributione aliquis etiam e ſuis filiis ornaretur. Ac poſtremò, ſibi quidem videri æquum non eſſe, vt in ea electione omnes Aulæ ſuæ Præſules benemerentes remuneratione vacui præterirentur; qui, vbi ſe præ externis excluſos cernerent, in eam deſperationem deciderent, quæ operoſæ virtuti neceſſarium alimentum ſubtrahit. Optabat præterea Iulius, quoad poſſet, eam Præſulum Cæſarianorum electionem protrahere, quò minùs obſtructam ſemitam haberet ad concordiam cum Rege Galliæ, à ſe maximoperè expetitam. Etenim præuidebat, per illud opus irreuocabile, Regis commodis diſſentaneum, aures regias obduratum iri ad quemlibet de pace ſermonem. Sed opus videbatur, vt ea cunctationis ratio cautiùs inſinuaretur, ne Carolo inſideret altiùs ea ſuſpicio, quam is à ſe de Iulio in continuatione fœderis parum conſtante conceptam, nimiùm ſanè præ ſe ferebat, adeoque ne tepeſceret in ſuppetiis miniſtrandis; tametſi reuerà per hanc ipſam ſuſpicionem ille magis in opere incaluit: quippe magis ſollicitè ſubmittuntur auxilia in eas artes, quarum deditio magis timetur. 5

His itaque curarum motibus agitatus Pontifex, ſtatuit Galli animum denuò pertentare. Vt autem ratio exhiberetur, quâ poſſet Rex in vota Pontificis ſeſe flectere, illibatâ ſui nominis exiſtimatione, cuius anxietudo ſolet interdum humani generis felicitatem vnà cum Principum concordia præpedire, Legatum ad eum miſit, pacificationem cum Cæſare in ſui gratiam petiturum. Is fuit Verallus Cardinalis, vir ad huiuſmodi negotia experimento probatus: quod pariter vſui erat Iulio, ad publicæ quietis ſtudium oſtendendum, vt poſteà, vbi forte res non ſuccederet, minùs grauatè onera tolerarentur, vtpote iniecta ab inflexibili aduerſariorum peruicacia, non ab inquieto Principis ingenio. Viſum eſt Iulio, huic legationi alteram adiungere ad Cæſarem, quâ ſimul concordia inter ipſum & Henricum tranſigeretur; atque ad eam obeundam ſelegit 6

Carpen-

Carpenſem Cardinalem, Carolo prorſus addictum. Simul etiam, 1551.
quòd haberet in animo Bononiam petere, quò propinquior [f] & bellum & Concilium foueret, promptiorque eſſet ad Tridentum adeundum, ad Cæſarem coràm alloquendum, & ad ineundum cum illo conſilium, per quod Eccleſiæ bono tum in ſacris tum in profanis conſuleretur, de Cupis Cardinalem, inter Purpuratos antiquiſſimum, Romæ Legatum nominauit.

7 Sed ne quid Cæſari ea Gallicana miſſio ſuſpicionis iniiceret, voluit Iulius Camaianum, de quo dictum eſt, ad illum expeditè legare, qui tradita Verallo mandata ipſi aperiret: per ea verò [g] iniungebatur Legato, ne vllâ ratione aſſentiretur, vt Parmæ Octauius remaneret. Iniunctum ſimul Camaiano fuerat, vt Cæſarem edoceret, eam legationem fuiſſe decretam, quò charitatem paternam Pontifex teſtaretur, ſed cum tenui ſucceſſus ſpe, pro animi habitudine quæ cernebatur in Gallo: Iulium verò ad repulſam, quam penè certam opinabatur, apud ſe firmiter ſtatuiſſe bellum proſequi pro virili; ac propterea conaretur Nuntius vrgere Cæſarem ad opem copioſè ac feſtinatò ferendam. Iuſſus pariter fuerat cauſas in medium proferre, quibus Pontifex repugnantiam excuſabat, ne expetitam Cæſari Purpuratorum electionem indulgeret. Poſteà ægrotante Iulio, ideòque Camaiani profectione dilatâ, conſilia pariter mutata ſunt. Nam [h] increbreſcente Romæ terrore ex Turcicæ claſſis fama, viſum eſt neceſſe fore, vt Princeps adeſſet in Regia, vnde ſubditos animaret, periculiſque proſpiceret; maximè verò, [i] quòd poſteà Cæſar ſignificauit Camaiano, ſe nihil morari illud iter Pontificis, quo ipſe obſtringeretur ad iter pariter ſuſcipiendum Bononiam, quò Iulium alloqueretur: neque ſimiliter moleſtiam præ ſe tulit ex Verallo in Galliam legato, qui ob huiuſmodi dubitationem iuſſus fuerat in via ſubſiſtere: [k] & in diuturnam quartanam delapſo Carpenſi, euanuit ipſius ad Carolum legatio, quæ ad ſpeciem potiùs erat quàm ad opus.

8 Quod ad Purpuratorum creationem ſpectabat, Cæſar, auditis Pontificis rationibus, [l] Camaiano reſpondit, id in ipſius iudicio à ſe reponi. Quare Iulius 20. Nouembris tredecim Purpuratos creauit. In quo plura peccat Suauis; vnum quidem leuius, ſed manifeſtum: Protractam rem à Pontifice fuiſſe, aduerſus quàm anteà ſtatuerat, vſque ad conſuetum tunc tempus Natalis Domini; & tamen libri, in quibus dies cooptationis Purpuratorum in Senatum notantur, etiam per vulgi manus circumferuntur. In reliquis fraude malâ peccat. Dicit: Cùm in Senatu id temporis duo de quinquaginta Cardinales

[f] In ſecundis documentis Camaiani infrà citãdis, & in epiſt. Dandini Bononiâ, 12. Septemb 1551. ad Creſcentium Legatum.

[g] In documentis Verallo traditis, 3. Octobr. 1551. in ſcripturis Burgheſiorum.

[h] In ſecundis documentis Camaiano traditis, 12. Decembris 1551. apud Burgheſios: & in epiſtola Dandini ad Martinengum, Nuntium apud Regem Romanorum, 26. Octobr. 1551.

[i] Litteræ Dandini ad Gonzagam Bononiâ, 7. Nouemb. 1551.

[k] Litteræ Dandini ad Io. Bapt. de Monte, 20. Octobr. 1551.

[l] Litteræ Dandini ſuprà citati ad Gonzagam.

1551. dinales numerarentur, viſam fuiſſe nimiam prodigentiam tanti numeri appendicem, contrà quàm eorum temporum mos ferret; ſed à Pontifice eo fuiſſe nomine fucatam, vt æquâ lance Gallorum factio libraretur. Verumtamen, quod ſpectat ad numerum, nec is nimius fuit, nec ij qui adlegebantur tales, vt Collegium vnanimi conſenſu eos non exceperit[m]; cùm per eam coaptationem donati præmio viderentur præſtantiſſimi maximeque benemeriti Præſules, qui tunc Aulam Pontificiam cohoneſtabant. Huiuſmodi erant Sarracenus Archiepiſcopus Materanus, Riccius, Berranus, Mignanellus, Poggius, Cicala, Dandinus tunc Bononiâ Romam accitus,[n] & ab armorum adminiſtratione ad litterarum præfecturam: ij planè viri, quorum rebus honorificè geſtis, quà dum Nuntios agerent apud Reges, quà dum in Concilio deſudarent, hæc hiſtoria paſſim illuſtratur: Iacobus Puteus, Princeps inter Duodecimuiros Romanæ Rotæ, quam doctis deciſionibus locupletauit, ſimulque Bartienſis Archiepiſcopus; Aloyſius Cornelius, Magnus Cypri Commendator, in gratiam Reipublicæ Venetæ: reliqui etiam ſimilibus animi dotibus fuere conſpicui. Quod ad alterum attinet, cauſa quam Pontifex protulit, cur Collegium augeret, alia planè fuit ac Suauis comminiſcitur, cùm in ſinu potiùs quàm in ore illam habere oportuiſſet, ne Regem, quicum pacem cupiebat, exulceraret. Sed dixit,[o] ſibi opus eſſe Romæ prudentibus fidelibuſque conſiliariis, quandoquidem complures è Cardinalibus inde aberant, alij vt profanis Principibus obſequerentur, per id Rege Galliæ indicato, alij ex contumacia, per hoc Farneſiis perſtrictis, alij vt ſuis in ſedibus reſiderent.

m In Actis Conſiſtor.

n Diploma Pontif. ad Dandinum, 20. Nouemb. 1551.

o In mandatis Epiſcopi Montis Faliſci, 23. Nouemb. 1551. apud Burgheſios.

Non ita mentitur Suauis, dum narrat, Pontificem excuſandum 9
ſe curaſſe per Epiſcopum Montis Faliſci, quem Tridentum mittebat, apud Creſcentium Legatum, quòd eâ vice illi gratificari nequierat in promouendo Saulo, eius Prolegato Bononienſi, & ab eodem vehementer commendato; ſimul etiam demiſsâ quodammodò maieſtate, blandiùs indulgente cuidam appetentiæ, in illius præcelſi Purpurati animo conceptæ altioris fortunæ, cui moleſtiam inferre poterat tot nouorum electorum & forſitan comperitorum cooptatio: per eumdem indicaſſe, ſe ſignificaturum cunctis Cardinalibus, quos ipſe in Senatum adlegiſſet, quænam illis ratio habenda eſſet de Creſcentio Cardinali ſibi percharo, tum ſe viuente, tum poſteà ſe demortuo. Mira ſanè denuntiatio in eiuſmodi conditionis Principe, cui nullus ſermo tam odioſus eſſe ſolet, quàm de ſucceſſore. Verum pariter eſt quod narrat Suauis tum de gratiis Ponti-

Pontificis nomine ab Epiſcopo actis tribus Septemuiris Archiepi- 1551.
ſcopis, ob ipſorum erga Synodum pietatem, tum de gratificationis promiſſionibus: at non ita cum veritate concordat, quod idem ſcribit de iis, quæ Iulius Pighinò ſignificari iuſſit. Ea reuera hæc fuere: [p] Læto eſſet animo; quia in ipſius cauſa iam concluſum erat, & poterat abſque noua partis interpellatione ſententia proferri. Quibus verbis indicabat Pontifex Purpuræ collationem, quam in ſinu clauſam Pighino ſeruauerat, cùm reliquos Purpuratos renunciarat, declarandam vbi primum à Synodo eum accerſiſſet, quod paucis poſteà menſibus effectum eſt. [q] Enimuerò Iulius in Principatu collocatus, egregius remunerator fuit illorum laborum, quorum, Legati munere defunctus, ſpectator in Concilio fuerat. Etenim præter alia exempla, quæ iam retulimus, ac deinceps referemus, haud ita multò pòſt Catharinum promouit à tenui Eccleſia Minorenſi ad nobiliorem opulentioremque Conſenſem, cùm ea ex obitu Creſcentij vacauit. Et quod mirum videri poſſet, Braccio Martello, qui quaſi turbo perpetuus voluntati auctoritatique Legatorum, & menti commodiſque Pontificis obluctatus fuerat impetu tam immoderato, quantus pluribus in locis patefactus eſt, haud ſe difficilem præbuit in commutanda paupere ſede Fæſulana, Camaiano conceſſa, in Aletinam, amplam ac diuitem, magis in eo recti animi, quàm vehementiorum operum habitâ ratione: quod inter reliqua innumera argumenta apertè commonſtrat, Concilij Patribus non ſolùm in dicenda ſententia non defuiſſe libertatem; ſed nihil obfuiſſe licentiam quin præmiis afficerentur.

[p] In Actis Concilij ſub Iulio, vbi ponitur hæc Cardinalium creatio, dicitur creatus etiam Pighinus, ſed à Pontifice ſeruatus intimè, alio tempore declarandus; ideoque cum Præſulis habitu tunc in Synodo manſiſſe.

[q] 30. Iulij 1551. vt in Actis Conſiſtorialibus.

10 Ex Veralli reſponſo multa concordiæ ſpes affulſit, cùm Rex animum præ ſe ferret aſſentiendi, vt Octauius Parmâ decederet triplici conditione:

Vt conueniens illi compenſatio tribueretur: Vt Pontifex per firmam cautionem ſecurum redderet Regem, nec Parmam in Cæſaris poteſtatem ituram, nec ſe cum Cæſare ſocietatem initurum in ceteris cum ipſo Rege controuerſiis.

De prima conditione: [r] Inſiſtebat Pontifex iis, quæ ipſe priùs obtulerat, à nobis expoſita. De ſecunda, exhibebat ad vadimonium ſuam Senatuſque Vaticani ſponſionem, eamdemque Cæſaris ſyngraphâ confirmatam, in qua pollicebatur, ſi Parma recuperaretur, eam in Eccleſiæ poteſtate futuram, ſaluo tamen vtriuſque partis iure. Offerebat inſuper Iulius, ad eam cuſtodiendam, virum nobilem, & neutri partium addictum à ſe impoſitum iri, qui fidem ſuam iureiurando obſtringeret, eam vrbem ſe Sedis Apoſtolicæ no-

[r] Leguntur ſecunda mandata Camaiano tradita.

1551. mine ſeruaturum; ſimulque aduerſus vtriuſque Principis molimina defenſurum. De tertia, Henrico abundè cautum dicebat, præter obligatam à ſe fidem, per tot beneuolentiæ ſuæ pignora, quæ Rex acceperat; quin affirmabat, nulli ſe labori incommodoque parſurum, vt communem pacem componendam curaret.

Is erat rerum ſtatus, cùm Pontifex exeunte Decembri Camaianum ad Cæſarem iterùm miſit. Verùm cùm auctor huius Hiſtoriæ, ob dierum propinquitatem non animaduertiſſet anteà, duas fuiſſe Camaiani miſſiones, in leuem aliquem lapſum incidit, qui tamen nihil officit Operis propoſito, in editionibus Italicis. Summa mandatorum, quæ ſecundò loco dederat, ad duo capita redigebatur: 11

Alterum, Vt Cæſarem edoceret de iis quæ Verallus acturus erat; eidemque demonſtraret, vbi aduerſus Gallum belli cauſa ceſſaret, rationi conſentaneum omnino futurum, vt concordiam Pontifex redintegraret.

Alterum, Vt vbi pax non ſuccederet, inſtaret Carolo ad armorum continuationem vrgendam, eamdemque interim ſtrenuè proſequendam, occluſis auribus callido pellacis ſpei ſono; cùm apparatus armorum ſit efficaciſſimum inſtrumentum non minùs ad pugnam declinandam, quàm ad victoriam reportandam.

CAPVT. II.

Concordia inter Pontificem & Gallum iterùm agitata. Joannis Baptiſtæ à Monte obitus. Armorum ceſſatio firmata. Septemuirùm Tridento diſceſſus. Seſſio prorogata. Aduentus Oratoris Luſitani, eiuſque cum Oratoribus Ferdinandi contentio.

1552. QVamquam initio Gallus [a] ſe libenter aſſenſurum oſtenderet, vt Octauius Parmam dereret; tamen obſtaculum aut offendebat aut opponebat in triplicis propoſitæ conditionis negotio. Cumque illi proſperè cederet Parmæ ac Mirandulæ propugnatio, incepit paulatim ad pactiones ſibi auctiores animum adiicere; non per odioſam ſpeciem, quaſi debitas illas exigeret, ſed per modeſtiorem formam, quaſi Pontificem cohortaretur ceu beneuolus conſultor, & obſequioſus rogator. Ad hoc tranſigendum [b] deſtinatus à Rege eſt Turnonenſis Cardinalis, præcipuus Gallicarum partium in Italia rector, qui Venetiis, ſicuti diximus, morabatur. Is verò ſecuritatis tabulas à Pontifice petiit: ſed illi reſponſum eſt, Huiuſmodi Purpurato tabulis haud opus eſſe; tamen non tam 1

[a] Totum extat in octauo Adriani libro.

[b] Litteræ Dandini Româ ad Verallû, 16. Decemb. 1551. & 8. Ianuarij 1552.

tam ad ipſius ſecuritatem quàm ad ſpeciem dignitatis, Abbatem Roſſettum, Pontificis Cubicularium, qui eum deduceret, miſſum iri titulo Commiſſarij, vt vocant. Atque ita effectum eſt. Turnonius itaque vt Romam peruenit, vrgere denuò Pontificem cœpit, ne recuſaret, ab Octauio Parmam retineri, oblatis in reliquum amplis conditionibus. Et, ad augendum ſuæ mercis pretium, animabatur à cupiditate, quam agnoſcebat in Pontifice, illius emendæ. 1552.
Ægrè patiebatur ex altera parte Iulius, à Gonzaga non modò remiſſius geri bellum, ſed frequentes commeatus, qui per ditionem Mediolanenſem, à ſe Cæſaris nomine adminiſtratam, & per Mantuanam, illius fratris filio ſubiectam, Parmam importabantur (eò protracti à magnete omnium pellaciſſimo, id eſt, ab illecebra certi & ingentis lucri) nequaquam impediri. Ex altera parte angebatur ob vicinam claſſis Turcicæ excurſionem; timebatque, ne ſibi, quaſi maieſtatis tenaciori, vitio verteretur apud Deum & apud homines, quòd exactam ſui clientis obedientiam erga ſe, communi ſubditorum quin & Chriſtianorum ſaluti prætuliſſet.

2 Cœpit igitur aurem præbere illi conditioni, ſine qua parum is ſperabat quidquam confectum iri. Actum proinde eſt de armorum ſuſpenſione, quæ Pontificis dignitatem illæſam ſeruaret ſuprà quàm pacis nomen effeciſſet; ſed quæ ſenſim poſtmodum pax euaderet. Interim Octauius in Parmæ poſſeſſione maneret; cui exacto biennio liberum eſſet ſtabilem cum Eccleſia concordiam ſancire, ab omni erga Regem obligatione ſoluto: Traderetur duobus Farneſiis Cardinalibus Caſtrenſis Principatus, qui pro ea prudentiæ lege, quæ cuique præcipit odiſſe tamquam amaturo, à Pontifice per eiuſmodi moderationem occupatus fuerat, vt Farneſianos adminiſtros reliquerit, rem ciuilem & œconomicam curaturos, impoſito ſolùm ad res bellicas adminiſtrandas Rodulfo Baglionio: Ne illic plus militum quàm ad ſolum præſidium haberetur: Vt Rex ſimul & Octauius ſponderent, nullam per ea loca illatum iri moleſtiam aut Pontifici, aut etiam Cæſari, vbi vellet ad eas pactiones accedere: Vt Rex boni filij partes erga Pontificem expleret, fineretque Eccleſiaſtica negotia e ſuo regno Romam adire. Hic erat agitatæ concordiæ modus.

3 At verò Cæſar, tametſi diſtractus motibus, quos ei Proteſtantium arma minabantur, adeoque virium impotens ad exteras expeditiones, Pontificem omni ſtudio dehortabatur, ne huiuſmodi pacta conficeret. Idem pariter vrgebat Io. Baptiſta Montanus, Pontificis fratris filius, armorumque ſupremus Præfectus, qui iuuentâ feruidus,

1552. uidus, magnique plenus animi, militarium artium ſupra modum appetens ac peritus, & in iis laborum diſcriminumque contemptor, nihil ardui ac formidabilis egregiâ ſanè virtute declinabat, & per illius belli exitum ſibi ſingularem nominis gloriam ardentiſſimè cupiebat. Quare cùm per ætatem nequiret ille ſpecioſum ab honeſto diſcernere, ad magnificam quidem, ſed inconſideratam denuntiationem progreſſus erat; Vbi patruus ſuo muneri defuiſſet, non idcircò ſe illi adhæſurum, ſed militiam tamquam Cæſaris militem proſecuturum. Quæ denuntiatio Pontificem in anguſtias redigebat: ſed ab eiuſmodi anguſtiis per infortunium longè moleſtius liberatus eſt Iulius. In conflictibus ad Mirandulæ obſidionem quò plus virtutis, eò minus cautionis Montanus oſtenderat: quapropter in grauia proximaque pericula ſe coniecerat, non ſatis diiudicans, quanti referat Principis, hinc priuati militis, hinc ſupremi Ducis vita, adeoque quàm inæqualis vtrique cura impendenda ſit ex recta fortitudinis norma; quæ, ſicuti virtutes reliquæ, à Prudentia regitur. Vnde Pontifex ſummâ ſollicitudine illum admonendum curauerat,[e] prænuntians, ſi quid ferale accidiſſet, eius mortem exitum belli cum hoſtium emolumento futuram: nolle profectò ſe ex obſidione Mirandulæ adeò lugubrem fructum decerpere. Sed ardens iuuenis, qui gloriæ caput deuouerat, & illi gloriæ, quæ idolum quoddam eſt ex aura populari conflatum, non lux ſincera è ſapientum comprobatione coalita, neglexit quaſi imbellia, tenerioris patrui mónita, è prudenti Principis meditatione profecta. Quare in quodam cum hoſtibus congreſſu per ſingularem virtutem in arma corruens, & alieni ſanguinis cupidior quàm æſtimator ſui, hoſtibus ignotus, multis datis acceptiſque vulneribus, extinctus cecidit. Eius poſteà cadauer pluriniorum capitibus conſtitit, tum interfectoribus illud ſibi auidè affectantibus, tum Pontificiis, qui dedecore irâque inflammati ipſum defendere ac vindicare conſtanter voluerunt. Id cauſæ fuit, quòd Pontifex ceſſationem ab armis tranſegerit, ſuis confeſtim iuſſis ab omni hoſtili vi propè Parmam ac Mirandulam ſe abſtinere; conceſsâ tamen Cæſarianis certo dierum interuallo facultate, in munitiones à ſuis relictas ingrediendi. Verùm, ſiue quòd horum milites eò miſſi tyrones eſſent & inexperti, quemadmodum cauſatus eſt Pontifex,[d] ſiue quòd Pontificiis haud placeret vt illi proprio tunc nomine depugnantes, ac fœderis vinculis ſoluti, rem fortiùs agerent, quemadmodum Cæſariani affirmarunt; nec ingreſſus in munimenta circa Mirandulam, nec obſidionis continuatio ipſis proſperè ceſſit. Quamobrem cùm poſteà

[e] Litteræ Dandini, nomine Pontificis, ad Io. Bapt. Montanum, Româ, die 12, Ianuarij 1552.

[d] In mandatis Epiſcopo Montis Faliſci datis, miſſi ad Cæſarem poſt Parmenſem concordiam.

1552.

poſteà concordia, de qua diximus, inter Pontificem & Cardinalem Turnonium Regis Galliæ & Octauij nomine[e] ad biennium ſtatuta fuiſſet, relictâ Cæſari ad eam accedendi libertate, ipſe pariter illam comprobauit, ſtatimque inter Cæſarianos[f] atque inter Octauium Gallique adminiſtros par armorum ſuſpenſio firmata eſt. Pontifex verò ſequeſtrum ſe geſſit,[g] vt Cæſar Farneſios in gratiam reciperet, quibus, pro humanorum fœderum infirmitate, humanorumque conſiliorum fallacia, ex hac ipſa concordia (quæ tunc rebus Henrici Regis adeò accommodata, adeoque apta ad fouendam alienationem ab Hiſpanis, coniunctionemque cum Gallis videbatur) orta poſtmodum opportunitas eſt ſe arctiùs cum Hiſpano coniungendi; cùm ab eo non pacificam modò Parmæ poſſeſſionem obtinuerint, ſed propè deſperatam iam reſtitutionem Placentiæ, ſicut infrà patebit.

[e] 25. Aprilis in Commentariis apud Burgheſios.

[f] 29. Maij in monumentis apud Burgheſios.

[g] In mandatis Epiſcopo Montis Faliſci datis, vt in ſcripturis apud Burgheſios.

4 Intereà Proteſtantium Oratores,[h] quippe qui Tridentum acceſſerant, non vt concordarent, ſed vt obturbarent, primùm ampliſſimis publicæ fidei ad ſecuritatem tabulis haud præ ſe tulere contentos: dein cùm concionem habuiſſet Ambroſius Pelargus ſuper Euangelio de zizaniis, dixiſſetque, nonnumquam hæreticos, ne deteriora moliantur, eſſe tolerandos, altius conclamarunt, perinde ac ſi fuiſſet ille auditores cohortatus ad fallendam in ipſos fidem; ſed cùm publica fuiſſet concio, nec auditorum teſtimonia ad querelam firmandam poſſent adducere, expoſtulare cœperunt, prorogationis tempore parari Canones de Sacramento Matrimonij, quod ipſorum Theologis non expectatis, nec re cum ipſis communicatâ, agendum non erat. Satis in aperto patebat expoſtulationis iniquitas, cùm in more numquam fuiſſet expectari ne integras quidem nationes Catholicorum ad digerendos articulos propoſitos, qui, donec promulgentur, tamquam opus adumbratum non perfectum habentur: quin ſæpiùs euenerat, vt ad extremam vſque horam non leuis in ipſis mutatio habita fuerit. Verumtamen qui poſtulanti ſatisfacere percupit, non tam poſtulati æquitatem conſiderat, quàm poſtulantis firmitatem. Quapropter Cæſariani balbutientes, cum Camaiano loquebantur,[i] non auſi cunctationem expoſcere, ſed illius deſiderium præ ſe gerentes: & eodem modo ſuper diſciplinæ emendatione agebant; ad quam voluiſſent vt Synodus plenè animum conuerteret, ne tempus ad expendenda dogmata ſupereſſet: quæ argumentum erant tam odioſum, quàm emendatio gratum Proteſtantibus; vt qui in alteris hæreſes ſuas damnatas conſpiciebant, in altera Catholicorum corruptelas.

[h] Vide Adrianum lib. 8. & Parutam lib. vltim. primæ partis.

[i] Litteræ Camaiani ad Maſſarellũ, 22. Febr. 1552.

1552. Poſteà pro conſuetudine Principum, qui moleſtas ſibi res ab aliorum miniſtris geſtas incuſant, quaſi profectas ex vtilitate priuata, non è Domini commodo, cœperant Cæſariani muſſitare, à Creſcentio, diuturnioris procul ab Vrbe moræ impatiente, agi feſtinantiùs quàm maturius negotia Concilij, nimiumque auctoritatis in iis diſcutiendis adhiberi. Sed hoc ne ſuſpicari quidem licebat, quemadmodum alibi oſtenſum eſt. Etenim ex ipſo Sleidani calculo[k], Synodo tunc aderant, præter Tridentinum, ac tres Præſides, ſeptuaginta duo Epiſcopi; ex iis verò vigintiquinque erant Hiſpanienſes, octo Germani, duo e Sardinia, quatuor e Sicilia, & vnus ex Pannonia, qui omnes numero quadraginta Cæſariani erant; ex reliquis viginti duobus Italis maior pars obſtricta Cæſari, quà familiæ clientelâ, quà ſubiectione Diœceſeos: & inter minores Theologos, numero quadraginta duos, continebantur vigintiquinque Hiſpani, & duodecim Belgæ. Hoc pacto à Sleidano enumerantur. Et quamquam numerus maior eſſet, quàm Sleidanus recenſet, tum Epiſcoporum, qui reipsâ aderant ſeptuaginta octo, præter Abbates, ſummoſque Regularium Ordinum Præſides, tum etiam minorum Theologorum, qui ſexagenarium explebant numerum; tamen in vtriſque ij qui Cæſari addicti erant, eâdem ſeu parum diuersâ proportione reliquos ſuperabant. Sed, ſicut hoc etiam poſito verum eſt, à Cæſarianis ea fuiſſe in Legatum iacta; ita diſcrepat à vero, Cæſarem per ſolemnium denuntiationum minas contendiſſe, vt Pontifex procraſtinationem imperaret, adeoque illum à feſtinatione deterruiſſe, quemadmodum Suauis affirmat, adiiciens, poſteà fuiſſe miſſum ad hanc rem à Carolo certum hominem Romam ac Tridentum; neſcit tamen illius nomen, pro more impoſtorum, qui ne conuincantur, generatim narrant. Et ſanè Iulius, cui neque Rex Galliæ per denuntiationes metum incuſſerat, neque anteà Carolus V. tunc victor, & cùm ille adhuc in Purpuratorum eſſet ordine; multò minùs in præſentia huiuſmodi denuntiationibus ceſſiſſet, dum Cæſarem conſpicabatur aduersâ laborantem fortunâ, atque tunc vt cùm maximè Pontificiæ opis indigentem, anxiumque ne ille cum aduerſario Rege coniungeretur. Ac palàm quidem fecit Iulius hanc ſui fiduciam aduerſus Caroli ſenſa, non ſolùm in concordia, quam narrauimus, cum Gallo, ſed in ſuſpenſione Synodi, de qua mox dicemus. 5

Res ita ſe habuit: Cùm Cæſar blandè ſe geſſiſſet, rogauiſſetque Synodum, vt reliquorum Proteſtantium acceſſum præſtolaretur, [l] Pontifex ac Patres conſenſere prorogandæ Seſſioni, 6

quæ

k Lib. 23.

l In cœtu 18. Martij, ex Diario Magiſtri cæremoniarum.

quæ [m] fuerat indicta 19. Martij, vſque ad Kal. Maias: ad quod etiam iuuit diſceſſus Tridento Septemuiri Treuirenſis, ob armorum rumorem [n], quamquam per ſpeciem ægræ valetudinis; quod poſteà [o] imitati ſunt duo reliqui Septemuiri, apertè profeſſi, ſe ad ſuas ditiones tuendas proficiſci, at ſimul polliciti, ſe redituros vbi primùm ea ſuſpicio deſiiſſet. 1552.

m Acta Arcis Æliæ, 16 Februar. & 12. & 13. Martij.
n 16. Febr. in dicto Diario.
o 21. Martij ex eodem Diario.

7 Hos inter euentus Pontifex, per grauem indignationem & querelam habitam in Senatu, [p] nuntios excepit violentæ necis Martinuſio Cardinali illatæ, non ſolùm ſpecie atrocis, ſed etiam deturpatæ à fama, ſemper potentioribus inuida, & miſeris fauente, ad enormia quæque conſiliorum molimina res reuocante: perinde quaſi Ferdinandus Rex per horrendum illud ingrati animi ſcelus aſpiraſſet ad occupandum ingentem theſaurum, qui pro vulgi opinione, falſa poſtmodum comperta, penes Martinuſium erat; atque ad ſubterfugiendum graue onus annuæ penſionis, quâ octoginta millia ſcutorum illi ſoluerentur, eidem promiſſæ ad priſtina ipſius promerita compenſanda. Sed hæc nimis abhorrebant tum à Chriſtiana pietate, & ingenita Ferdinando æquitate ac manſuetudine, cui potiùs vitio vertebatur, quòd frigidiori ſtudio ſontes reprimeret, quam quod voluntario ſcelere in inſontes ſæuiret; tum etiam ab eiuſdem vtilitate, cui conducibilis ſane fuiſſet, ad nouum & adhuc nutans ſceptrum confirmandum; illius hominis vita, qui Ferdinando illud tradiderat, ſi cum auctoritate fides etiam in eo perſtitiſſet; atque ita planè hic rumor lentâ quidam, ſed certâ temporis luce falſus detectus eſt.

p 18. Ianuarij 1552. in Actis Conſiſtorialibus.

8 Intereà quò populari ſe infamiâ liberaret Rex, prolixum libellum, ſcriptum ad Franciſcum Villaquium Epiſcopum Raabenſem, ſuum [q] in Hungaria Proregem, vulgauit, vbi exacta rei geſtæ ratio reddebatur: quam magis adhuc legitimè purgandam curauit apud Pontificem, à quo ipſe in ius accitus fuerat, delegatis hominibus ad rem pro iure inquirendam. Quare paucos poſt dies auditâ Romæ Regis defenſione, ſeiuncta ipſius cauſa in Senatu fuit [r] ab eorum cauſa, qui Cardinalem interfecerant: cumque neutiquam probaretur ea cædes à Rege demandata, ipſum extra culpam eſſe iudicatum eſt. Poſteà interfectores Romam venerunt, & abſolutionem honorificè impetrarunt; in qua admiſſum facinus Chriſtianæ Reipublicæ ſalutare declarabatur, ſicut ipſe Suauis indicat. Verùm quemadmodum in coniurationibus contingere ſolet, vt numquam ipſarum textura credatur, cùm ante exitum earum tela præciditur, ita in hominum opinione ſcriptorumque narratione incerta ſemper

q Apud Bzouium anno 1552.
r 12. Februarij, in Actis Conſiſtorialibus.

ſtetit

1552. ſtetit innocentia ſeu proditio Martinuſij. Non tamen hæc opinionum varietas dignum excuſatione Suauem reddit, dum ipſe, tamquam certæ communique omnium perſuaſioni, adhæret illi, quæ Regem magis onerat velut iniquum in cæde patranda, & Pontificem velut imbecillum in abſolutione indulgenda; cùm ipſe probè nouerit id quod ſcribit Paulus Paruta Reipublicæ Venetæ Chronographus, adeoque peritiſſimus earum potiſſimè rerum, quæ ad Turcam ſpectabant, de quo Senatus ille vel maximè ſollicitus id temporis erat. Hic igitur inter Italicos ſcriptores [f] egregius, non ſinceritatis minùs quàm ſcriptionis candore, nec pietatis quàm prudentiæ luce, citra omnem dubitationem affirmat agitatam ab interfecto Martinuſio proditionem.

[f] In vltimo libro primæ partis.

In iis quæ pariter ad Ferdinandum attinent, accidit interim Tridenti alia quamuis longè leuior perturbatio. Cùm illuc Luſitani Regis Oratores die 5. Martij peruenißent, quorum primus Iacobus de Silua è regio erat Conſilio, ſecundus Iacobus Gouea Theologus, tertius Ioannes Paez Iuriſperitus, controuerſia de loco inter eos & Regis Romanorum Oratores coorta eſt. Quamobrem die 19. Martij diu id expenſum, tum à Patribus vnà cum ipſis Oratoribus, quorum ſinguli pro re ſua rationes plurimas adducebant, tùm poſteà ſeorſim à ſolis Patribus. Statutum poſtremò eſt, vt eâ vice primus Luſitanus Orator inter Epiſcopos è regione Præſidum ſedem haberet, ibique legationem ſuam atque obedientiam exponeret, dum Oratores Ferdinandi in Legati Conclaui morarentur. Id ita effectum. Tum dimiſſis Oratoribus, ab eo qui à ſecretis erat perlecta eſt reſponſio iam parata, illis reddenda, cui per verbum *Placet* aſſenſum ab omnibus: dein ipſis reuocatis ab eodem recitata. Sed cùm adhuc lis perſtaret de loco in aliis ſeu cœtibus ſeu Seſſionibus obtinendo; & Præſides ac minores Patres pro concordia fruſtrà laboraſſent, eius deciſio in Pontificem reiecta: &, quemadmodum in quibuſdam monumentis comperi, Epiſcopus Zagabrienſis, vnus ex Ferdinandi Oratoribus, hac de re Romam ſcripſit ad quemdam Pontificium adminiſtrum; commendauitque ſui Principis rationes, eumdem rogans, vt exemplum aliquod in ſuam rem ſuppeditaret, curaretque ſibi propitiam Pontificis ſententiam, ſiue Ferdinandus ſpectaretur tamquam Romanorum ſiue tamquam Pannoniæ Rex; qui titulus efficacior videbatur, quippe regni non ſpe, ſed re ab eo poſſeſſi: & illius quidem regni nomine legatione is Epiſcopus fungebatur. Sed reſponſum eſt Româ [t], poſt adhibitam diligentiam deprehendi, veterem eſſe controuerſiam, nec vmquam deciſam,

[t] 3. Aprilis 1552.

ciſam, quod ad ſacellum Pontificium ſpectabat; atque in Concilio Conſtantienſi fuiſſe generatim præſcriptum eumdem ritum inter Oratores, qui in ſelectioribus Eccleſiæ officiis Romæ coram Pontifice ſeruabatur: proinde nolle Pontificem nondum auditis partibus quidquam decernere. Videri, faciliùs rem poſſe componi, ſi Oratores Ferdinandi, vti qui erant Epiſcopi, in Epiſcoporum ordine, ſed ſupra ceteros ſederent; Luſitanus verò, quippe laicus, inter Oratores laicos locum haberet. Vbi per hoc haud fieret ſatis, aliud cum Tridentinis Patribus conſilium excogitarent. 1552.

Lis nec diiudicata nec compoſita perſtitit vſque ad 24. Aprilis diem, quo generalis conſeſſus habendus erat; non quidem in Legati domo, vbi ex lethali tunc morbo is decumbebat, ſed in templo. Quare cùm & pro dignitate & pro more Oratores omnes adeſſe deberent, conuentum eſt (quod & præſtitum fuit tum eo die, tum proximâ, ac deinde ſequenti die 27. quibus conuentus habiti, & ſimiliter die poſtero 28. quo Seſſio ſexta & poſtrema ſub Iulio celebrata eſt) vt Oratoribus Luſitanis locus daretur è regione Cæſareorum Oratorum, hoc eſt, ad dexteram ante Præſidum ſedes, vbi ſedere iam conſueuerant Septemuiri Eccleſiaſtici, è Synodo tunc profecti; Oratores verò Ferdinandi ſubſellia tenerent ad ſiniſtram prope Cæſareum, editâ priùs à Præſidibus publicâ ſolemniq́ue declaratione, id fieri per eam dumtaxat occaſionem, conſentientibus partibus quietis gratiâ, & nihil inde detrahendum illarum ſeu cuiuſlibet alterius iuri; & ne quid oriretur detrimenti ex prærogatiua, in ſolemni ſacrificio Seſſionis die conſuetus pacis ac thuris honor nulli Oratorum fuit exhibitus; rei verò peractæ legitimam teſtificationem, die 5. Maij ſignatam à Præſidibus, Luſitani voluerunt. Sed hæc poſteà euenere, tametſi narrata ſint hoc loco, vt rei totius ſeries vnico proſpectui ſubiiceretur: cùm Hiſtoriæ imitanda ſæpè ſit quorumdam ſpeculorum conditio, in quibus varia inter ſe diuiſa in vnam imaginem coaleſcunt.

1552.

CAPVT III.

Legati morbus. Arma à Lutheranis mota. Cæſaris ac Tridenti diſcrimina. Multorum Antiſtitum diſceſſus. Synodi ſuſpenſio. In eam conteſtatio quorumdam Hiſpanorum Patrum. Legati obitus.

IAm verò par eſt ad incepta nos regredi. Paucos intra dies incidit in morbum Legatus: [a] & vti mos eſt, Magnatum ægrotationes adſcribi ſemper animorum ægritudini, perinde ac ſi in ipſis, aduerſus quàm in reliquis hominibus vſuuenit, non animus ex corpore, ſed corpus ſemper ex animo tantum pati poſſet; ita creditum eſt, morbum ab eo fuiſſe contractum ex ægrimonia, quòd Synodus ſe duce progreſſus haberet improſperos, & contra præceptam ſpem, quin propinquæ ſolutionis indicia præ ſe ferret. Neque hîc negauero quod narrat Sleidanus, tametſi à Spondano probabili coniecturâ reiectum tamquam ſcriptoris apertè maligni narrationem, à nullo reliquorum auctorum confirmatam; nimirum, Creſcentio pridie quàm æger decumberet, veſperi fuiſſe viſum ingentem ac nigrum canem, toruis oculis: quare accitis duobus cubiculariis ab eo impoſitum, vt illum abigerent, quem idem ſub propinqua menſula latere affirmabat; ſed diu conquiſitus huiuſmodi canis nuſquam repertus eſt, niſi in heri phantaſia, in qua referunt permanſiſſe ad ipſam donec viueret perturbandam: haud, inquam, factum negauero; nam in iis quæ apud me ſunt monumentis [b], id verè narratur. Leuis tamen peruerſæque mentis eſt, argumentum deducere æternæ vindictæ illi viro infligendæ, ex oculorum præſtigiis, quas conſuetas nouimus iis qui ob humores lethali corruptioni proximos hallucinantur. Quamobrem maiori cum grauitatis laude Suauis hanc rem neglexiſſe, quàm Sleidanus aut ſupra verum amplificaſſe, aut ſupra veriſimile interpretaſſe viſus eſt. 1

[a] 25. Martij, ex Diario Magiſtri cæremoniarum.

[b] Diarium Magiſtri cærim. qui huic euentui adfuit, & eum narrat ſub 25. Martij.

Ægrotante Legato primas partes Pighinus exercebat: tunc verò accidit, vt exploſi Proteſtantium cuniculi in Cæſarem impetum fecerint. Mauritius Septemuir, & iniuriæ ſibi ducens numquam impetratam libertatem Philippi Lantgrauij, ſoceri ſui, qui ſe Carolo dederat, acceptâ fide de carcere non perpetuò futuro, & dedecori ſibi vertens Cæſaris ſcomma, quo reſpondebatur, nullam diuturnitatem eſſe perpetuam, conſpiratione initâ cum pluribus Germaniæ Principibus ac Rege Galliæ, arma mouit: & cùm facilè præſidium externorum vincatur, vbi ciuium animi poſſidentur, leui negotio 2

gotio Auguſtam, propenſione Lutheranam, occupauit. Dein fœderatorum exercitus Oeniponto minitatus eſt, vbi Cæſar degebat, adeoque Tridentum etiam vrbem propinquam deterruit: vnde multi Epiſcopi non ſolùm Itali, ſed Hiſpani fugam arripuere, tametſi Oratores Cæſaris omni ſtudio eleuare pericula niterentur; & Carolus poſt aliquam titubationem ſtatuiſſet haud Oeniponto diſcedere, ne ſui metus confeſſione animum perduellibus adderet, & famam hoſtilis potentiæ, fortiſſimam inter bellicas machinas, roboraret. Sed Madruccius, nolens per attenuatum verbo periculum re ipſum augere malo ſuo, & ſollicitus, ne vrbi ſuæ aut maius eſſet præſidium ad propellendas, aut minus illicium ad prouocandas Proteſtantium aggreſſiones, Pontifici ſignificauit [c], tutam ab fœderatorum impetu eam manſionem ſe polliceri non poſſe. Quapropter Pontifex, re in deliberationem vocatâ in cœtu Purpuratorum [d] die 15. Aprilis, ex eorum ſententia Concilij ſuſpenſionem decreuit, & in eodem cœtu ad Collegium retulit, quæ de induciis cum Turnonenſi egerat. 1552.

c Adriani lib.8.

d In Actis Consiſt.

3 Contrà Cæſariani in Tridentina vrbe vel maximè abhorrentes ab ea interruptione Synodi, quæ tot ipſorum curis laboribuſque confecta tantæ ſpei baſis erat, denuò obſtrepuere, perinde ac in huiuſmodi occaſionibus conſueuerant: & quoniam interdum ipſa imbecillitas acuit ad minas, ſignificarunt, velle ſe in eo negotio extrema quæque tentare. Quocircà Præſides, quippe inferioris Ordinis Præſules, auſi non ſunt confeſtim mandata exequi; ſed Pontificem monuerunt, [e] permoleſtam Patribus futuram fuiſſe ſuſpenſionem, Pontificio Diplomate indictam abſque vlla auctoritate ac voluntate Concilij; ac proinde ſe ſatius duxiſſe, memoratum Diploma non depromere, ſed curare vt ipſa Synodus id conſilij per ſe ſuſciperet. At Pontifex nihil amplius cunctandum reſcripſit, & [f] à ſe minas huiuſmodi planè deſpici. Vt autem per ſpei ſtimulum ſuaue ſimul & efficax acumen adderet, mandato ſignificari Pighino iuſſit, vbi ille in Concilio præſidere defineret, incepturum in Vaticano Senatu conſidere. Sed hæ litteræ nihil effecerunt, quippe re antè ipſarum aduentum confectâ. Etenim proſpecto id temporis non cogitatione ſolùm, ſed penè oculis è Tridenti turribus imminente diſcrimine, & ineuitabili Patrum ac Theologorum fugâ, priùs generalis conuentus habitus eſt [g], in quo ex plurimorum ſuffragio, ac præcipuè Tridentini, Epiſcopi Zagabrienſis, pro Ferdinando Rege Oratoris, & Archiepiſcopi Granatenſis, conſilium ſuſpenſionis, infrà ſcribendæ, ſuſceptum eſt; ac poſteà die 28. Aprilis

e Acta in Arce S. Angeli, 15. Aprilis 1552.

f Litteræ Camaiani ad Maſſarellum, 1. Maij 1552.

g 24. Aprilis 1552.

lis

1552. lis celebrata fuit Seſſio, ſolemniter ad aras litante Michaële à Turre, Epiſcopo Cenetenſi, ibique decantato extra ordinem Euangelio S. Ioannis, *Modicum iam non videbitis me, & iterùm modicum, & videbitis me*, &c. ceteriſque ritibus adhibitis præter concionem, Epiſcopus qui Sacrum celebrabat, hoc Decretum recitauit.

Sacroſancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu ſancto legitimè congregata, præſidentibus in ea Reuerendiſſimis Dominis, Sebaſtiano, Archiepiſcopo Sipontino, & Aloyſio, Epiſcopo Veronenſi, Apoſtolicis Nuntiis, tam eorum proprio, quàm Reuerendiſſimi & Illuſtriſſimi Domini Marcelli, tituli ſancti Marcelli S. R. E. Cardinalis Creſcentij Legati, ob aduerſam eius grauiſſimam valetudinem abſentis, nomine, non dubitat Chriſtianis omnibus patere, hoc Concilium Oecumenicum Tridentum primò à Paulo felicis recordationis conuocatum & collectum fuiſſe: deinde à ſanctiſſimo Domino noſtro Iulio III. efflagitante Carolo Quinto Auguſtiſſimo Imperatore, ea præcipuè de cauſa fuiſſe reſtitutum, vt Religionem in multis orbis partibus, & præſertim in Germania, in diuerſas opiniones miſerabiliter diſtractam, in ſtatum priſtinum reuocaret; abuſus & mores Chriſtianorum corruptiſſimos emendaret, cumq́ ad hoc agendum quamplurimi Patres, nullâ laborum ſuorum periculorumq́ habitâ ratione, è diuerſis regionibus alacriter confluxiſſent; reſq́ ſtrenuè, magno fidelium concurſu, feliciterq́ procederet, ac ſpes eſſet non leuis, illos Germanos, qui eas nouitates excitarant, in Concilium venturos, & ſic animatos, vt veris Eccleſiæ rationibus vnanimiter acquieſcerent; lux denique quædam rebus affulſiſſe videretur, caputq́ attollere inciperet profligata anteà, & afflicta Reſpublica Chriſtiana: hi repentè tumultus, ea bella hoſtis generis humani verſutiâ exarſerunt, vt Concilium velut hærere, ac ſuum curſum interrumpere, ſatis incommodè cogeretur; ſpeſq́ omnis vlterioris progreſſus hoc in tempore tolleretur: tantumq́ aberat, vt ſancta Synodus Chriſtianorum malis & incommodis mederetur, vt multorum mentes, præter ſui animi ſententiam, irritaret potiùs quàm placaret. Cum igitur ipſa ſancta Synodus omnia, & præcipuè Germaniam, armis ardere & diſcordiis videret, omnes ferè Epiſcopos Germanos, præſertim Principes Electores, ſuis conſultum Eccleſiis è Concilio abiiſſe; decreuit tantæ neceſſitati non reluctari, & ad meliora tempora reiicere; vt Patres, quod eis nunc agere non licet, ſuis ouibus proſpectum ad ſuas Eccleſias regredi valerent; ne diutiùs vtrobique inutili otio conterantur. Atque ita, quoniam ſic temporum conditio tulit, huius Oecumenici Concilij Tridentini progreſſum per biennium ſuſpendendum fore decreuit, prout præſenti Decreto ſuſpendit: eâ tamen lege, vt, ſi citiùs pacata res ſit, ac tranquillitas priſtina reuertatur, quod ſperat Dei Optimi Maximi beneficio non longo fors ſpatio futurum, ipſius Concilij progreſſus 4

ſus eodemmet tempore ſuum vim, firmitatem vigoremq́ habere cenſeatur. 1552.
Sin autem (quod Deus auertat) peracto biennio prædicta legitima impedimenta non fuerint ſubmota; quamprimùm ceſſauerint, talis ſuſpenſio eo ipſo ſublata eſſe intelligatur, ac ſuus vigor & robur Concilio ſit reſtitutum, & eſſe intelligatur, ſine alia noua Concilij conuocatione: accedente ad hoc Decretum conſenſu & auctoritate Sanctitatis ſuæ, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ.

5 De hoc Decreto conuenere reliqui omnes, præter duodecim ex Hiſpanis, qui ſolemnem conteſtationem illi oppoſuere. Inter eos Ioannes Bernardus Dias Epiſcopus Calaguritanus æquè ſuſpenſioni ac prorogationi obſtitit: non ita reliqui vndecim. Hi fuere Saluator Alepus Archiepiſcopus Turritanus, Ioannes Salazarius Epiſcopus Lancianenſis, Aluarus à Quadra Epiſcopus Venuſinus, Petrus Acugna Auellaneda Epiſcopus Aſturienſis, Ioannes Fonſeca Epiſcopus Stabienſis, Franciſcus Nauarra Epiſcopus Pacenſis, Michaël Puchius Epiſcopus Elvenſis, Ioannes Æmilianus Epiſcopus Tundenſis, Martinus Ayala Epiſcopus Gadixenſis, Aluarus Moſcoſus Epiſcopus Pampilonenſis, & Petrus Poaz Epiſcopus Ciuitatenſis. Eorum conteſtatio hæc fuit:

6 *Cùm hoc ſacrum Oecumenicum Concilium, ante tot annos à toto Chriſtiano Orbe deſideratum, tantis laboribus procuratum, tandem Tridenti ad extirpandas hæreſes, tollenda ſchiſmata, reformandos mores, pacemq́ inter Chriſtianos Principes componendam, fuerit conuocatum; neque poſt eius conuocationem fuerit adhuc ſatisfactum nedum omnibus, ſed nec plenè alicui ex cauſis propter quas conuocatum eſt, præſertim reformationi neceſſariæ abuſuum, vnde mala omnia, quibus vexatur Eccleſia, & orta eſſe, & confoueri apertum eſt. Nos infraſcripti Archipiſcopus & Epiſcopi, noſtrarum conſcientiarum teſtimoniis compulſi, huic Decreto ſuſpenſionis Concilij cum omnibus in eo contentis circumſtantiis & conditionibus, tam quoad ſubſtantiam eius quàm quoad formam, contradicere decreuimus, prout de præſenti contradicimus & repugnamus: tum quia cauſæ ſuſpendendi, quæ in eo aſſignantur, bella ſcilicet & Germaniæ tumultus (quos breuì ſedatos iri ac componi vel in ipſo Decreto ſperari dicitur) non vſque adeò videntur vrgere, vt ſit propter eas ita à Concilij proſecutione ceſſandum, ſaltem in his quæ ad reformationem attinent: quinimò ad ſedandas Principum diſcordias aptiſſima viſa eſt Concilij conuocatio, ſubindeq́ proſecutio & continuatio. Tum etiam, quia dicta ſuſpenſio magis diſſolutionis quàm iuſtæ, moderatæ, aut neceſſariæ ſuperſeſſionis ſpeciem præ ſe ferre videtur. Neque enim, etſi cetera difficultates deèrint, quas timere nos docuit experientia, tam celebris Prælatorum conuentus ex tam diuerſis remotiſq́ prouinciis haberi*

1552. *beri facilè poterit; nec deerunt impugnatoribus Catholicæ Eccleſiæ occaſiones & rationes ad ſerenda alendaq́; bella atque diſcordias, quibus huius Concilij, cuius nomen apud eos eſt tam odioſum, reaſſumptionem impediant, ac ludificentur, quod nunc eos conari, variiſq́; rationibus tentare videmus; ſi præſertim viderint, conatus huiuſmodi proſperè eis cedere, noſq́; eò adegiſſe, vt ab incepto operè ceſſauerimus. Præterea deterret nos ingens ſcandalum, certaq́; hæreſum propè confirmatio, quam ex tali & tam diuturna ſuſpenſione nedum ipſis Eccleſiæ aduerſariis, ſed & Catholicorum pleriſque orituram eſſe manifeſtum eſt; cùm Dominica caſtra, publicamq́; cauſam deſerere non aliâ ratione magis quàm perſecutionum metu, laborum impatientiâ, &, quod peius eſt, cauſæ ipſius, & Diuini auxilij deſperatione opinabuntur; cùm tamen in tuto loco, ab omni bellica iniuria remoto, ſediſſe nos viderint, vbi aliàs, cùm non minus periculoſa bella gererentur, nihilominus ipſa Synodus fiducialiter in Diuino hoc opere perſeuerauerit, quod profectò inficiari nec nos ipſi poſſumus. Cùm itaque è manibus noſtris repetendæ erunt animæ, quæ perituræ ſunt per ſubtractionem huius ſalubris atque vnici remedij, aliiſq́; de cauſis conſcientias noſtras mouentibus, huic Decreto non expreſsè contradicere non poſſumus, imò & contradicimus, &, quantum poſſumus, abſolutè repugnamus. Ne tamen omni conſilio non conſentiendi rationem quærere videamur, néve abhorrere credamur à ſuaui rerum diſpoſitione, cùm & nos difficultatis temporum, receſſuſq́; Prælatorum Germanicæ nationis ferè omnium, rationem aliquam habendam eſſe non improbemus, petimus, vt ſequens viam, quam hactenus tenuit atque ſeruauit hæc ſancta Synodus, Seßionem ad proximas Kalendas Maij indictam, ad moderatum aliquem terminum proroget, diemq́; declaret, qui ipſe ita pro homine interpellet, vt alia conuocatio, declaratio aut intimatio minimè ſit expectanda, quominus ad hunc locum Concilij omnes Prælati conuenire & poſſint & teneantur. Addentes nihilominùs, quòd ſi infra dictum declarandum terminum prædicta impedimenta ceſſauerint, curet Sanctitas ſua Prælatos omnes ad proſecutionem Concilij reuocare, quos interim ad proprias Eccleſias remeare, ſi libeat, licebit. Vltima verò Decreti verba, quibus commendatur Decretorum huius ſanctæ Synodi obſeruatio, placerent vtique, ſi abſque his verbis (quatenus ad eos de iure ſpectat) publicetur: quæ litium occaſio eſſe videntur & ſeminarium. Quæ quidem omnia ita & non aliter fieri petimus, & proteſtamur: quòd ſi ſecùs fiat, nullum nobis, nec ſanctæ Synodo præiudicium fieri quouis tempore, tam propter huius Decreti ſuſpenſionis publicationem, quàm ob quemcumque alium actum factum vel faciendum, attentatum vel attentandum per quaſcumque perſonas contrà huius Oecumenici Concilij auctoritatem & poteſtatem, Conciliorumq́; Oecumenicorum omnium. Petimus inſuper à Synodi huius Notario, vt hanc*

noſtram

noſtram ſchedulam contradictionis, atteſtationis, ac proteſtationis, inter 1552.
Acta Synodi, vnà cum hoc Decreto inſerat, indeq́; ipſe, vel alij, nobis vnum vel plura authentica inſtrumenta exhibeant.

7 Hæc conteſtatio reliquorum neminem à priori ſententia retraxit. Nam quod ad primam partem ſpectabat, iidem ipſi qui contradicebant, prorogationis neceſſitatem fatebantur, multoq́ue magis eam faſſi fuerant plures ex ipſorum collegis ac ciuibus per quamdam diſceſſus ſpeciem, qui fugam præ ſe ferret. Hoc poſito, biennij ſpatium rebus conſentaneum agnoſcebatur ab iis, qui ratiocinatione, non cupiditate, ſpem futuræ tranquillitatis ad id neceſſariæ metiebantur. Quod ſi ea priùs eueniſſet, proſpectum iam fuerat vt illicò Synodus reſtitueretur: nec dubitandum erat, quin vbi illa videretur opportuna, à Pontifice, iiſdemque Principibus, qui priùs eam legendam curauerant, reuocaretur. Ex altera parte, ſi iidem Principes ſecùs putaſſent, quæcumque certa conuocatio fuiſſet præſenti Decreto indicta, in irritum caderet.

Quod verò attinebat ad ea verba, quæ poſtremâ parte continebantur, *in quantum ad ipſos de iure ſpectat:* vel ea prætermittenda ſilentio erant, eo animo, vt tamen ſubaudirentur; & idem litium ſeminarium perduraſſet, nimirum ad quem & quouſque de iure ſpectaret efficere, vt quæ Synodus decreuerat, obſeruarentur: vel eorum Antiſtitum ſententia erat, vt non modò ſonus, ſed etiam ſignificatio huiuſmodi verborum excluderetur, adeò vt ad ſingulos abſque vllo diſcrimine earum ſanctionum plena executio pertineret: & cui latere potuiſſet, quantum confuſionis perturbationiſque in Eccleſiam inde manaturum aduerſus omnium Canonum ſanctiones, omniumque Conciliorum voluntatem?

8 Quemadmodum nullum in terris bonum damno aliquo vacat, ita nullum malum alicuius commodi expers eſt: nimirum, grauiores ærumnæ leuiorem breuioremque nunc reddidere controuerſiam de ſuſpenſione, quàm ſedente Paulo de tranſlatione. Tunc bonum nocuit, ſcilicet ingruentis luis ceſſatio, quæ cauſa fuit, cur reluctantes Epiſcopi illic perſiſterent, quæ animos ipſis ſuppeditauit ad perpetuò impugnandam tamquam ſimulatam cauſam profectionis, à reliquis priùs peractæ; Cæſari verò ſpecioſum fucum, ad huiuſmodi creditum ius per ſe ac per alios firmiter ſuſtinendum. Ex aduer[illegible] præſentia malum profuit, quia periculis creſcentibus conte[illegible] contraria factis euaſit; quandoquidem illius auctores paulò poſt ſuæ ſaluti diſceſſu conſuluere. Neque vllam timiditatis notam mereri potuit ea Togatorum manus, quòd ſe diſcrimini ſubduxerit, quando

1552. quando vel ipſe Carolus V. qui ad eam vſque diem hoſtibus inter mortales ſummè formidandis pectus ſemper aduerſum obiecerat, neceſſe habuit ſuis ſubditis perduellibus terga oſtendere, ne priſtina ipſius fortitudo in temeritatem abiret, & ab ipſis captiuus cum Imperij Chriſtianique nominis pernicie abduceretur. Etenim prævalido Cluſiæ tranſitu à Proteſtantibus occupato, ille per offuſas intempeſtæ noctis tenebras Oenoponto diſceſſit, [h] infirmâ valetudine, lecticâ vectus, quem maior comitatus pars equorum penuriâ pedes in ea repentina rerum perturbatione ſecuta eſt: nec ille ſe tutum habuit, donec Villacum oppidum Carinthiæ peruenit, finitimum Foroiulij, ſub Veneta ditione. Quin illic, etiam ex milite collecto, quà vt Cæſar honorificè exciperetur, quà vt fines munirentur, nouum metum concepit Carolus, in ſuſpicionem adductus ab exorto, quamuis falſo, rumore fœderis inter Venetos ac Proteſtantes initi. Paucis horis poſt Cæſaris diſceſſum Oenoponto, illuc Mauritius ingreſſus, qui [i] intactis ciuium bonis ac Ferdinandi (qui pacis potiùs amicus quàm hæreſis inimicus putabatur) hoſtiliter depopulatus eſt quidquid ibi habebant Cæſar, Auguſtanus Cardinalis, & Hiſpani, nomina Proteſtantibus infenſiſſima, quòd primus illatarum illis cladium auctor, alter conſiliarius, poſtremi executores fuiſſent.

h Vide Parutam in poſtremo lib. primæ partis, & fuſiùs Adrian. lib. 9.

i Vide Spondanum, an 1552.

Has inter turbas miniſtri Pontificij ab huiuſmodi anguſtiis ad 9
tam ſubitariam profectionem compulſi ſunt, vt cum eorum quibuſdam, niſi Madruccius neceſſaria ad viaticum ſuppeditaſſet, malè actum eſſet. Creſcentius, etſi oppreſſus morbo, [k] vt in mortem potiùs quàm in hoſtem incideret, per Atheſim Veronam deportari ſe iuſſit, vbi intra triduum [l] deceſſit; atque eius cadaueri Romam delato is honor redditus eſt, qui virtuti etiam in cineribus ſoluitur.

k Diarium Magiſtri cærim. 7. Maij 1552.

l Acta in Arce Ælia, 25. Maij.

° Suauis affirmare nihil veretur, in Aula Romana duos Nuntios 10
fuiſſe acriter obiurgatos, quòd in Decreto Synodus Chriſtianos hortata eſſet, vt ea quæ fuerant à ſe ſancita ſeruârent, non priùs requiſitâ Pontificis confirmatione, quâ deficiente ſanctionum pariter efficacia deficiebat, ex doctrina quæ Romæ traditur: & addit, fuiſſe qui diceret, & Nuntios, & Epiſcopos qui conſenſerunt, ea de cauſa in cenſuras prolapſos. Enimuerò quemadmodum à veteribus amor cæcus depictus fuit, ita pariter odium cæcum depingendum vi[illegible] retur; niſi quòd fortaſſe cognouerint id quod poſteà S. Th[illegible] notauit, vim omnem odij, itidem ac cuiuſuis animorum affecti[illegible] non aliud reuerà eſſe, niſi intermixtum quemdam amorem. Nonne [m] Antuerpienſibus typis impreſſum legitur? nonne Suauis ipſe narra-

m Synodus cum citatis ſcripturis fuit impreſſa Antuerpiæ an. 1564.

narrauit,fuiſſe in eo Decreto requiſitas conſenſionem auctoritatemque Pontificis & Apoſtolicæ Sedis ? 1552.

11 Tam palmaris mendacij confutationi par eſt adiiciam ſolutionem eiuſdem calumniæ. Cur, inquit ille, diſputandi locus negabatur Proteſtantibus aduerſus Decreta iam conſtituta in Concilio, ſi ea certa & extra falſitatis aleam non erant, donec à Romano Pontifice confirmarentur ? In promptu ratio eſt: Quia reipsà confirmabantur, pro eo ac Pontifex de illis edoctus ſubinde per ſuas litteras ad Præſides ea comprobabat, & edenda per typos curabat, variiſque adiectis ſignificationibus confirmabat: & vbi cetera deeſſent, eadem ipſa reſponſa, quà Cæſaris Oraroribus voce, quà Carolo Germaniſque Eccleſiaſticis ſcripto reddita à Paulo & Iulio, poſtulantibus, ne res ſancitas in controuerſiam ampliùs reuocarentur, efficacis comprobationis vicem ſubiiſſent. Quamquam in fine Synodi, quò ſolemnior firmiorque memoria rerum omnium in faſtis Eccleſiæ ſupereſſet, prudenter & à Synodo poſtulata, & à Pontifice prolata fuerit vniuerſalis ac diſerta illarum confirmatio, ſicuti ſuo loco ſcribemus, cùm haud nouum ſit, eamdem actionem iteratis comprobationibus confirmari ad cautionis vbertatem, ac maieſtatis acceſſionem; eo ſanè pacto, quo magnifico ædificio maior columnarum numerus apponitur, quàm illi ſuſtinendo ſufficiat. Quemadmodum Angelorum eſt præſtantia, qui famulis non indigent, famulis carere; ſed hominum, quibus illi ſunt opus, ſuprà quàm indigeant, iis abundare: ita vniuerſe rebus, quæ fulcimentis non egent, præſtantiæ vertitur, fulcimentis vacare; ſed rebus, quæ fulcris indigent, eis ſuprà quàm indigeant abundare.

CAPVT IV.

Variæ Suauis calumniæ de Synòdi dilatione, ſuſceptoque à Pontifice Syriæ Patriarcha, reſecta.

1 SEd nondum Suauis cauillos enatimus. Is ad carpendum Pontificem obſeruat in primis, ſuſpenſionem Synodi, tametſi ad duos annos ſtatutam, decem poſteà perduraſſe. Verùm hic auctor (quod alibi notatum eſt) vitium præ ſe fert maximè diſſentaneum homini, artem quam exercet Suauis profitenti, hoc eſt mendaciorum textori, vitium inquam obliuioſi. Quo pacto exciderat è memoria quod paulò antè narrauerat, ſpatium biennij fuiſſe ſub conditione præſcriptum, ſi obſtacula interim deſiiſſent; nimirum, inter Chriſtianos Principes diſcordiæ ? Licebat ipſi animaduertere

1552. ex ipſa hiſtoriæ à ſe conſcriptæ ſerie, an vllam pacis auram reſpirauerit Chriſtiana Reſpublica vſque ad poſtremos Henrici Secundi dies, & Pij IV. Pontificatum, quo tempore ſtatim ſuſceptum perfectumque conſilium eſt Synodi reuocandæ.

Præterquam quod omittendum non eſt, cùm Concilium ad id 2.
vſque temporis Cæſar ac Germani ſuis officiis auxiliiſque curaſſent, ſemel iterumque congregaſſent, ac ſuſtinuiſſent in poſterum complures annos, eius reſtitutionem illis diſplicere cœptam. Etenim Carolus, [a] qui anteà Synodum, veluti componendæ Germaniæ inſtrumentum, optauerat, ſpe huiuſmodi fructus iam abiectâ, alteque in ipſo vulneratâ à perduellibus Germanis eâ inuicti Principis exiſtimatione, quam per tot heroica facinora ſibi conſtruxerat, perpetuam quamdam auerſionem concepit in Teutonicum nomen; nec æquis planè oculis aſpicere poterat quempiam illius nationis, quaſi obſcuratæ ſuæ gloriæ monimentum. Vſque adeò, vt non modò numquam poſteà Germaniam repetierit, ſed parum aut nihil operæ Germanicis negotiis impenderit, & iam tum apud ſe ſtatuerit, ſe Imperio abdicare, & in fratrem illud transferre; tametſi obſiſterent & Comitia, & ipſe Ferdinandus, qui ſatis intelligebat, acceſſionem ſplendidi ſyrmatis iacturâ fortiſſimi maximeque neceſſarij clypei ſibi conſtituram. Similiter quoque Germani, mutatâ ſententiâ, in apertam à Concilio alienationem conſpirarunt. Hæretici, qui ab eo ſemper in ſinu abhorruerant, ipſumque petierant ſolâ ſpe non obtinendi, & interim retardandi per eam petitionem impetum aduerſarum virium, iam harum depoſito metu, apertè reluctabantur, ne rurſus eam officinam reſtitutam aſpicerent, in qua ipſorum proſcriptio cudebatur. Catholici magna ex parte ab opinione deiecti, quòd per Synodum exoptata concordia comparanda eſſet, Concilium formidabant tamquam nouarum emendationum anguſtiarumque tribunal. Quamobrem opus fuit, vt Pontifices aduerſâ aquâ nauigarent, vt ad portum adducerent nauigium illud, quod in anchoris ſubſtiterat, onuſtum remediis, infirmo Eccleſiæ corpori ſaluberrimis.

[a] Hæc omnia continentur in relatione Delfini Nuntij in Germania ad Caraffam Cardinalem, Pauli IV. ex fratre nepotem, apud Burgheſios.

Subiicit hîc Suauis, à Iulio, quò ſpecie quadam populis ſatisfieret, cœtum feruidè deſtinatum fuiſſe eo nomine, vt mores reformarentur; ſed illicò euanuiſſe. Sæpiùs his reſponſum à nobis eſt, vniuerſali morum reparationi, vt res benè ſuccederet, vniuerſali conſultatione conſenſuque opus fuiſſe; atque idcircò à multis Pontificibus eam tentatam extra Concilium, à nullo confectam. Et tamen negari non poteſt, inter eos certè aliquos fuiſſe Religionis ſtudioſiſ- 3

dioſiſſimos, cuiuſmodi potiſſimùm Adrianus Sextus, & Paulus Quartus fuere. Quin vbi quiſpiam res in hoc genere geſtas abſque liuore perpenderit, animaduertet, alios quoque Pontifices ab hiſce correctionibus neutiquam abhorruiſſe, cùm tot ac tam graues deprehendantur, quæ ipſis conſentientibus, quin etiam extimulantibus, ſancitæ ſunt in Concilio ætate Pauli Tertij, Iulij, ac Pij: & tamen probè intelligebant, ob quamdam honeſtatis publicæ rationem, minùs ſe liberos futuros ad Synodorum legibus frequenter derogandum, quàm emendationibus, ipſorum voluntate ac poteſtate conſtitutis. 1552.

4 Irridet poſteà Suauis, quaſi artem Pontificis ad compenſandam apud opinionem vulgi vanâ quadam ſpecie diſſolutionem Concilij iacturamque Germaniæ, quòd Syriæ Patriarcham in Synodum exceperit, qui illius nationis nomine obedientiam Pontifici deferebat: quam artem pariter ille adſcribit Paulo Tertio, qui cum Patriarcha & quibuſdam Epiſcopis Armeniæ ſimiliter egit. Affirmat etiam, eodem actus odio, inanem huiuſmodi ſpeciem Præſulum Græcorum ab Eugenio Quarto Baſileenſi Synodo fuiſſe oppoſitam. Sed vt ab hoc poſtremo exordiamur; Si acceſſus ipſius Conſtantinopolitani Imperatoris cum ſuo Patriarcha, & compluribus ſuorum Præſulum ac Theologorum, inanis ſpecies ac fucus eſt, neſciuerim profectò, quidnam ſolidi ac ſubſiſtentis nomen promereatur. Quod ſpectat ad exhibitum à Syro Patriarcha obſequium, ſedente Iulio (& idem valet in Armenios, ſedente Paulo) num fortè ſatius erat, illum reiici, & ſuo nomine, & legitimis litteris eorum populorum, qui Neſtoriano ſchiſmati diutiùs adhæſerant, ad vnitatem Eccleſiæ remigrantem? Extat [b] in Actis Vaticani Senatus eiuſmodi litterarum ſententia, in quibus tum Eccleſiaſtici, tum laici nationis illius, obedientiam Romano Pontifici profitentur; ab eodem confirmari Patriarcham ſuum Simonem Sulahanum S. Baſilij Monachum petunt; & vnà cum eo regreſſuro idonei viri miſſionem flagitant, qui de Fidei rebus ipſos edoceat. Extat etiam ibidem appoſita Fidei profeſſio, quam in Senatu Purpuratorum habuit idem Patriarcha: rei verò ſeries & occaſio pleniùs exponitur in Annalibus [c] Eccleſiaſticis illius ætatis. Dum verò Suauis Romanam Aulam deridet, quòd mirificè lætata fuerit Syri aduentu, eique conuerſionem illam ceu minùs conſtantem exprobrat, caueat profectò ne palàm faciat, deriſores Romæ eſſe pariter Cæli deriſores; in quo, ex Chriſti teſtimonio, *magnum eſt gaudium ſuper vno peccatore pœnitentiam agente*; tametſi eorum plerique poſtmodum relabantur

[b] 20. Febr. 1553.

[c] Vide Bzouium in anno 1553.

1552. tur in crimina. Reuocemus in memoriam ingenioſam S. Thomæ doctrinam; ab eo, qui pium conſilium à quopiam ſuſceptum inficiatur eſſe opus Dei, quia diu non perdurat, Manichæorum impietatem comprobari, quæ Deum rerum tantummodò corruptionis expertium, non item corruptionis capacium, auctorem facit. Si huiuſmodi dubitationibus, & his inconſtantiæ exemplis commoti Pontifices ſe difficiles præbuiſſent in amanter excipiendis iis qui ad Eccleſiæ ſinum accurrunt, haud certè Chriſto fuiſſent adepti tam vaſtam orbis partem in America, aliiſque regionibus recens detectis; quæ ſanè adeptio à Romana Sede coëmpta eſt perpetuâ ingentis pecuniæ, præclarique ſanguinis profuſione, non alio recepto ibi emolumento ex illis barbaris ad Fidem conuerſis, præter adiectos Deo cultores, & cælo ciues. Quiſquis ad has irriſiones cauendas, tamquam prudentiæ normam ſtatueret, nihil vmquam agere cum irriti euentus ac deperditi laboris periculo, duas artes, quæ humanæ vitæ ſunt cardines, eliminaret, agriculturam & mercaturam.

CAPVT V.

Concordia firmata in conuentu Paſſauienſi inter Cæſarem ac Proteſtantes. Varia bellorum euenta. Quæ Pontifex apud vtrumque Principem egerit per Achillem Graſſium, & Proſperum Sanctacrucium.

1553. QVo tempore Proteſtantes ad opprimendum Cæſarem arma ſuſtulerant, Henricus Rex ab illis accitus, qui cum eo fœdus anno ſuperiori iunxerant, ſed occultè, vt ante tonitrui ſtrepitum fulmen feriret, ſplendidos libellos ad arma ſua cohoneſtanda vulgauerat; ſimulque validis copiis Cæſaris ditiones inuaſerat, ac priùs Lotharingiam, Cæſaris beneficiariam, occuparat, miſſo in Galliam illius Principe puello, & in ſuam poteſtatem redactis Metis, Tullo & Veroduno; progreſſuſque in Germaniam, quam ſpe iam deuorauerat, breuî expertus eſt, ab eis, qui aſſertam Deo ac [a] legitimo Principi fidem violant, eam fœderato minimè ſeruari. Proteſtantes cœperunt magis ſibi timere ab amico præpotenti, ob ingentis exercitus robur, ingentiſque regni propinquitatem, quàm ab hoſte imbecillo, ob inopiam parati militis, & longinquitatem hereditariæ ditionis. Eapropter vix inducto concordiæ negotio inter eos ac Cæſarem, ad Regem de re futura quaſi præterita ſcripſerunt, affirmantes, controuerſias iam eſſe compoſitas; proinde ſe 1

[a] Vide Paruatam vltimo libro primæ partis, ac Spondanum, anno 1552.

Regi

Regi gratias agere ob ſuppeditata ab eo ipſis arma, quorum ampliùs haud indigebant. Henricus, tametſi à præcelſa ſpe deiectus, adeoque nec opinato dolore perculſus, magnanimâ moderatione reſpondit, Lætari ſe ob decerptum ſuâ operâ ab amicis fructum; & vbicumque res poſtularet, paratum ſe fore ad Germaniæ libertatem ſuis viribus promouendam. Poſteà quoque paſſus Oratorem ſuum, Epiſcopum Tituacenſem, inductum fuiſſe à Proteſtantibus, propriæ vtilitati ſeruientibus, in quamdam pacificationem Regi minimè decoram; in qua dicebatur, Cùm Regi ius non eſſet ſe immiſcendi negotiis Imperij, illi permitti, vt priuata iura, quæ ſibi eſſe crederet, Mauritio exponeret, per illum Cæſari referenda. Atque, vt hîc paucis indicetur huiuſce tragicæ commotionis exitus, Galliam ille repetiit, armis à Regina Maria, Belgium moderante, in eum commotis; viditque ſtatim contra ſe militantem in exercitu Cæſaris Albertum Brandeburgicum, qui præcipuus auctor fuerat, vt Germaniam Henricus ingrederetur. Et quamquam obſidio Metenſis Carolo non ſucceſſerit; ſucceſſit tamen illius copiis expugnatio per vim, atque incenſio Tarauannæ, [b] ac poſteà Hedini, arcium præualidarum. Et ſanè bellum illud per ſummam Regis proſperitatem inceptum vbique, & in agro Pedemontano, & in Lotharingia, & in Germania, & in mari, captis [c] vel ante portus Hiſpaniæ citerioris Cæſareis triremibus, infauſtè poſtmodum ceſſit, depulſis è Senenſi ditione Gallis, & infelici expeditione Guiſij, Paulo Quarto ſuppetias ferentis: neque peractum eſt, niſi cum gemina Hiſpanorum victoria, ad S. Quintinum, & ad Grauelingam; vnde ipſis pax vtiliſſima parta eſt. Nec maius ex eo motu commodum ſibi traxerunt præcipui illius auctores Albertus & Mauritius. Prior ingenio vel maximè inquieto ſe aſſenſurum negauit concordiæ Paſſauienſi, quam infrà recitabimus, direptionemque bonorum Catholicorum & Eccleſiaſticorum potiſſimè proſecutus eſt; ob quam accitus ad Cæſarem poſt Metenſe obſidium, & ad ea reſtituenda damnatus, in maiorem & aduerſus alterum contumaciam, & aduerſus alteros rabiem præceps abiit. Quare cùm ægrè ferret Mauritius hominis ſuperbiam, quâ ſolus ille communi concordiæ à ſe compoſitæ, & à reliquis Imperij Principibus acceptæ, reluctabatur, habitis à Cæſare mandatis, iunctiſque cum Ferdinando viribus, Alberto bellum intulit; qui victus in prælio, coactus eſt extorris in Gallia diem claudere, ab eo Rege, à quo paulò antè defecerat, exceptus. Nec ea victoria minùs funeſta victori accidit; quippe lethaliter confoſſus tormentariæ fiſtulæ pilâ, intra biduum extin-

1553.

b Vide Spondanum initio anni 1553. & diſtinctius litteras Dandini tunc Legati apud Cæſarem Bruxellis.

c Narrantur hæc in mandatis à Iulio III. datis Legato in Galliam Capiteferreo, poſteà referendis.

1553. extinctus eſt abſque prole, Auguſto fratre in Septemuiratu illi ſuffecto poſt aliquam contentionem, diremptam ex concordia cum Ioanne Friderico anteà Septemuiro, ac poſteà captiuo apud Cæſarem; à quo dignitate ſpoliatus in priori cum Proteſtantibus bello, ac tandem libertati redditus eſt, quemadmodum breuî narrabimus. Huiuſmodi præmium adepti ſunt concitatores illius in Religionem procellæ, tametſi victores. Verùm hinc & Religio & potentia Cæſaris grauiſſima & irreparabilia detrimenta paſſa eſt. Nec defuit qui diceret, voluiſſe Deum ipſi Carolo palàm facere, illum à ſe puniri vel Eccleſiæ ſuæ damno propter immoderatam auiditatem Parmæ occupandæ. Ne in arcana Diuinæ prouidentiæ, & in iura certaminum inter Principes ingrediamur, certum eſt, ſi Carolus Iulij monitis, quæ memorauimus, auſcultaſſet, pacificus Germaniæ dominus euaſiſſet, ſuis viribus ad Fidem redactæ, eamque veluti pietatis ac fortitudinis ſuæ trophæum Chriſti Vicarius, & Auſtriacis Principibus hereditariam reliquiſſet: ſed hominem in ſumma felicitate ſibi moderari, eſſet celſius felicitatis faſtigium ſupra conditionem humanam.

2 Iam verò nos tempus monet, vt noſtræ narrationis ſeriem reſumamus. Ferdinandus pacis appetentiſſimus, adeoque Proteſtantibus haud inuiſus, cùm primùm hæc arma crupere, ad Pannoniæ cuſtodiam morabatur; illinc verò feſtinanter, & ab Aprilis initio fuit accerſitus à Cæſare, tametſi permagno ſuo incommodo, propter ingentes Turcarum eo anno progreſſus. Is itaque poſt multa itinera & colloquia, operâ etiam Ducis Bauariæ generi ſui, celebrem concordiam compoſuit, initam in conuentu Paſſauienſi[d]; quæ ſimul cum pace Norimbergenſi, de qua mentionem fecimus anno 1532. appellantur à Proteſtantibus duplex libertatis ſuæ columna. Illic inter Imperij Principes de rebus publicis deliberantes præcipuè conuenit, vt Philippus Lantgrauius liberaretur, atque vt Mauritius cum decem bellatorum millibus Ferdinando militaret in Hungaria aduerſus Turcam. Ea tamen pactio nulli planè fuit emolumento[e]. Anni ſiquidem tempus, & arma Turcica eouſque progreſſa fuerant, vt ampliùs rerum iacturæ impediri non potuerint. Sponte quoque liberauit Cæſar Ioannem Fredericum, Saxoniæ iam Septemuirum, de quo ſæpiùs dictum eſt. Huic in tumultuaria Oeniponto profectione obtulerat Carolus libertatem; ſed ille eâ recuſatâ Cæſarem ſequi maluit. Quâ in re non magis generosè idem ſe geſſit in ſpeciem quàm re prudentem, intelligens, hac ſolùm viâ dignitatem Septemuiralem amiſſam à ſe recuperari poſſe,

d Præter allatos auctores relatio Delfini Nuntij ad Caraffam Cardinalem, nepotem ex fratre Pauli IV. anno 1557.

e Vide Adrian. lib. 9.

poſſe, ſi per varias fortunæ vices Cæſar Mauritium, in quem digni- 1553.
tatem illam tranſtulerat, ſuperaſſet; puniturus hoc pacto ingratum alterius animum, & alterius fidem remuneraturus. Ceterà non poterat Ioannes Fridericus, quidquid eueniſſet, de ſua libertate ampliùs dubitare, quandoquidem & eam Cæſar obtulerat, & ipſe in eo ſui Principis infortunio magnanimâ repulsâ recuſauerat.

3 In rebus Religionis, quæ potiſſimùm ad nos pertinent, de duobus capitibus conuentum eſt. Prius erat, vt neutri è duabus partibus, quarum alteri *Religionis veteris*, alteri *Confeſſioniſtarum* nomen indictum (cùm hi nollent aut inuiſum nomen *Hæreticorum* ſibi accipere, aut ſplendidum *Catholicorum* aliis tribuere) moleſtiam inferre alteri Religionis causâ liceret. Atque hoc pacto finem habuit Decretum *Interim*, quod tam obſtrepenti crepitu erumpens, minimum durauit, minus confecit. Adiectum illi capiti fuit, vt Cæſareum tribunal vtrique partium indifferenter ius diceret. Alterum erat, vt intra ſex menſes noua Comitia celebrarentur, in quibus decerneretur, quonam ex quatuor modis controuerſiæ Religionis componi poſſent; an Concilio Oecumenico, an proprio vnius nationis, an colloquio, an Cæſareo conuentu.

4 Non interfuit ipſe Carolus huic concordiæ; adeoque quamquam ille Philippum liberaſſet, aliaſque pactiones expleſſet, prorogatâ dumtaxat ad aliquod tempus Comitiorum conuocatione, & quamquam cuncta Cæſaris nomine ſpopondiſſet Romanorum Rex; tamen ratus, id ceteris à ſe rebus glorioſiſſimè geſtis diſſonare, numquam ſe illi conſenſiſſe profeſſus eſt. Vnde accidit, vt in eius fratrem famâ fuerit oblocuta, vtque Paulus Quartus ob eam inter alias cauſas ſemper recuſauerit Ferdinandum vt Cæſarem agnoſcere, ac ratum habere: ſed cui comperta erat Ferdinandi erga Carolum inſignis reuerentia, & quantum Carolo diffiderent Proteſtantes, quibus tunc ob res proſperas elatis perdifficilè ſatisfieri poterat, ne ſuſpicari quidem licebat, aut alterum Cæſaris nomine fuiſſe pollicitum quod in mandatis non haberet, aut alteros pacificationi conſenſiſſe, mandatis Cæſareis non inſpectis. Quare vnicè poterit Carolum excuſare imperioſa illa neceſſitas, cui omnis humana potentia ſubiecta eſt.

5 Nihil fuerat à Pontifice prætermiſſum, quo Cæſarem ab huiuſmodi anguſtiis liberaret; idcircò duos Nuntios feſtinè legarat poſt inducias Parmenſes ad concordiam inter vtrumque Principem tranſigendam, Proſperum Sanctacrucium, Romanæ Rotæ duodecemuirum, qui poſteà donatus eſt Purpurâ, ad Henricum, & Achil-
lem

1553. lem Graſſium, Montis Faliſci Antiſtitem, ad Carolum. Demandatum eſt Sanctacrucio, vt certum redderet Regem de ſincera Pontificis reconciliatione, quæ tametſi ſuſpenſionis temporariæ nomen haberet, perpetua pax reipsâ futura erat; ſimulque commoneret, quàm pariter opportuna foret inter ipſum Regem ac Cæſarem pacificatio: cùm enim per eorum diſcordias incrementa caperent Turcæ atque hæretici, non Fidei ſolùm, ſed gentis Catholicæ hoſtes tantum ſibi locorum ac ciuium acquirebant, vt iis coërcendis, ab ipſorum poſteà potentia pares aggeres extrui non poſſent: offerebatque ſeipſum acceſſurum ad eam rem componendam, vbi ambo Principes eò propenderent. Graſſio iniunctum, vt nomine Pontificis grates ageret Cæſari, quòd is Parmenſem concordiam comprobaſſet: & poſt breuem eorum quæ ipſe in iis negotiis egerat rationem expoſitam, ſignificaret id quod apud Henricum, ſicuti modò diximus, vrgebat de pace; ad eamque faciliùs perficiendam, quod in eo erat ipſum hortaretur. Et quemadmodum Pontifex viuido promptoque pollebat ingenio ad rationes in re qualibet excogitandas; ita plurimis argumentis multa illi ſuadebat, opportuna quieti proſperitatique communi. Tria præſertim hęc erant: Vt Breſſellum Ferrariæ Duci reſtitueret; cùm id non æquitatis tantùm, ſed etiam prudentiæ ratio poſtularet, ne abalienaret à ſe pollentem viribus in Italia Principem, ſibi clientem, & qui in bello præterito neutri parti addictus fuerat. Vt libertatem redderet tribus nobilibus Gallis, quos ſuprà nominauimus, captiuis apud Cæſarianos ſub primos armorum motus; cùm id & generoſi eſſet animi, & planè laudabile, neque Cæſari quidquam officeret. Vt amicè ſe gereret cum Farneſiis, redderetque Octauio ditiones, & Cardinalibus Sacerdotiorum prouentus, quos in regno Neapolitano poſſidebant. Qua in re inſinuabat Pontifex, ſi Farneſij Gallis indigere deſinerent, deſituram pariter Gallorum in ipſos clientelam, vbi amicum in tutela Cæſaris perfugium nanciſcerentur; quod poſteà verum comprobauit euentus. Ac ſanè notandum eſt, Ariſtotelem in incomparabili illo Rhetoricæ tractatu docuiſſe, Quemadmodum in genere demonſtratiuo argumenta ab honeſto, & in iudiciali à iuſto; ita in deliberatiuo ab vtili eſſe petenda.

CAPVT

CAPVT VI.

Dandini legatio ad Cæſarem, & Capiteferrei ad Regem Galliæ, communis pacis gratiâ. Aliæ legationes in Italia ad ſedandos Senarum tumultus. Obitus adoleſcentis Angliæ Regis. Controuerſiæ de ſucceſſione; quæ in Mariam ſororem deuenit.

1 CVm in Nunciorum linguis minus efficacitatis eſſet, & in dies magis & arma & iræ inter Carolum & Henricum exaſperarentur, cum totius orbis perturbatione, & inæſtimabili Religionis detrimento, voluit Iulius adiumenta noua experiri per legationem duorum [a] Cardinalium, qui eorum Principum, ad quos mittebantur, negotia optimè callebant, iiſdemque erant in primis gratioſi. Hi fuere Dandinus, qui ſecretioribus epiſtolis Pontificis præerat, ad Cæſarem deſtinatus, & Capiteferreus ad Regem Galliæ. Vtrique impensè mandauit [b], vt exponerent in vtraque Aula, à Pontifice nullum aliud niſi communis Parentis commodum ſpectari, nullâ habitâ conſanguineorum ratione, quibus nec optabat nec accepturus vmquam erat à Principibus beneficium vllum; cùm ipſe ſibi videretur obſtringi ab incrementis Turcarum & hæreticorum, vt impenderet quidquid gratiæ apud Catholicos Principes reperiſſet, in Eccleſiæ non in familiæ emolumentum. Quin obiurgari ſuauiter Sanctacrucium Nuntium iuſſit, quòd de huiuſmodi commodis per ſuas litteras ſæpiùs muſſitaſſet; vetuitque, ne vmquam in poſterum his ſermonibus os aut aures reſeraret: idemque per Dandinum exponi mandauit Epiſcopo Atrebatenſi, qui inter Cæſaris miniſtros ſupremam auctoritatem exercebat. Nec minus ipſe recuſauit, tamquam contrarium ſuo conciliatoris officio, id quod Sanctacrucius ſuâ ſponte tranſegerat confeceratque cum primariis Galli miniſtris, & cum ipſo Rege; vt nimirum hic ſuas vires impenderet, quibus Pontifex Senas occuparet, & Eccleſiaſticæ ditioni coniungeret [c]: cui Cæſar & Italici Principes minus repugnaſſent, quàm vt ea vrbs in Gallorum poteſtatem veniret; Rex verò, diminutâ æmuli potentiâ, hereditariam maiorum gloriam auxiſſet, auctâ Sedis Apoſtolicæ ditione. Ea Iulij repulſa Sanctacrucio accidit permoleſta, pro eo ac euenire ſolet, cùm è ſublimi ſpe laudis ac remunerationis exciditur; adeoque pro communi hominum conſuetudine, qui amaritiem inopinatam vlciſcuntur, eam per verba aſpergendo illius nomini qui ipſis deguſtandam ingeſſit, hanc Pontificis auſteritatem adſcripſit puſillanimitati, à curis alie-

[a] In Senatu 3 Aprilis 1553. vt in Actis Conſiſt.

[b] Mandata vtrique data 11. & 14. Aprilis, apud Burgheſios.

[c] In Vita Sanctacrucij, ab eo Latinè ſcripta, quæ nunc eſt in manu Marcelli Cardinalis Sanctacrucij.

1553. nioris, quàm quæſtuum appetentioris. Fuit itaque iniunctum Legatis à Iulio, vt pacem ita proponerent: Superuacaneum videri, vt ſummæ prudentiæ vtriuſque Principis oſtenderetur, quantum illa commodi, quantum laudis in eo rerum ſtatu ipſorum vtrique allatura eſſet. Sed quoniam huiuſmodi notitia interdum non ſufficit, cùm ſincerus ac fidus inter partes ſequeſter deficit, huius ſe operam offerre: atque vt rem vrgeret, ſignificauit Henrico, eſſe notiſſimum vel inter priuatos effatum, inter duos pacem componi non poſſe, niſi percuſſor & ſuperior aliquid indulgeat læſo ac ſuccumbenti. Percuſſorem & ſuperiorem eſſe Henricum ob tot tantaſque plagas variis in regionibus Cæſari ſimul inflictas; proinde oportere ab ipſo aliquid exhiberi, quo alteri ſatisfieret: perpenderet pariter, quo pacto Cæſar, tametſi tantum iuris amoriſque haberet in Senas, eamque vrbem ſibi clientem & addictam tam diuturnâ impenſâque curâ ſeruaſſet, ſpondebat tamen ab ea recedere, vbi Rex pariter ſuum inde militem reuocaſſet.

Ad hæc aliaque plurima, quæ ſubſequentur, intelligenda, ope- 2
ræpretium erit cognoſcere, [d] Senenſes fuiſſe pertæſos Hiſpanicæ adminiſtrationis ſub Mendoza, perinde quaſi is per ſpeciem curandæ quietis vellet ipſos ſeruitio premere. Et reuerà notabatur homo ille nimiâ ſuperbiâ, ob quam Pontificem quoque grauiter irritarat, ſatellitum Præfecto Romæ ex leui cauſa verberato. Cæſar itaque his de rebus certior factus, haud ita multò pòſt Mendozam reuocauit: ſed interim, quemadmodum ſpecies cùm extra ſuas partes (Indiuidua Dialectici dicunt) non ſit, nec amatur ipſa, nec habetur odio, niſi harum partium cauſâ: [e] ita Senenſes erga Mendozam malè affecti, iam cœperant Hiſpanorum vniuersè adminiſtrationem odio proſequi. Quo animaduerſo ſtatuerat apud ſe Mendoza, ab eorum dentibus ſibi cauere, iniecto arcis fræno, quam extruebat. Senenſes verò innatæ libertatis ſolliciti, eiecerant præſidium Hiſpanicum, ac Florentinum cum Hiſpanis coniunctum, & illius ſtructuræ miniſtros; cùm tamen in eiuſdem operis demolitione ſimul abiicerent, aduerſus quàm intendebant, ſuam optatiſſimam libertatem. Vt Hiſpanos itaque deturbarent, ad conſuetum Gallorum antidotum confugerant. Quocircà magnis turbis in Italia, & prope ditionem Eccleſiaſticam excitis, Pontifex ſub earum initia Legatum ad Senenſes miſerat Mignanellum Cardinalem, ipſorum ciuem, vt illas componeret, productis in collegio exemplis [f] Leonis, aliorumque Pontificum, qui conſimili legatione Senenſes cohoneſtauerant. Poſteà rebus exacerbatis duos deſignauit Legatos, [g] alte-

[d] Vide præcipuè Adrianum lib. 9. & Cinum in Vita Coſmi Florentiæ Ducis.

[e] Vita Sanctæcrucij, & epiſtola Dandini ad Capiteferreum, 6. Augusti 1552.

[f] In certu Conſiſtor. 13. Auguſti 1552. vt in Actis Conſiſt.

1553.

[g] alterum Cardinalem Sermonetæ nuncupatum, intimum Gallis, qui Ferrarienſem Cardinalem ac Termeſium, Gallicæ factionis duces, ad quietem adduceret; alterum Corneum Cardinalem, ſuæ ſororis filium, Aſcanij fratrem, Hiſpano militantis, ad Florentiæ ducem, vt is quoque pacis conſilia ſuſciperet. Præterea Pontifex ipſe Viterbium acceſſit, vrbem [h] Senenſibus finitimam, Romæ cuſtodiâ demandatâ Cardinali de Cupis tamquam Legato, ſimulque Vrbinatium Duci, qui à Pontifice conſtitutus fuerat ſupremus Eccleſiaſticæ militiæ Præfectus, cum annuis triginta ſcutorum millibus pro ſtipendio. [i] Sed his omnibus nihil effectum eſt, quin Senenſes nimia libertatis ſollicitudo in ſeruitutem protraheret, & in Gallis nimia Senenſis propugnationis auiditas iter aduerſariis strueret eius vrbis occupandæ.

[g] In Senatu 15. Maij 1553. vt in Actis Conſiſt. mandata verò extant in monumentis Bergheſiorum.
[h] Decretum id in Senatu 2. Iunij 1553. in Actis Conſiſt.
[i] Extant in mandatis Nuntio Delfino datis, infrà citandis.

3 Nihil pariter Pontificis adhortationes Regem permouêre, ne in æmulo imitaretur immodicam illam præſentis proſperitatis fiduciam, quæ hunc è ſuperiori ad inferiorem conditionem deiecerat. Quamobrem reſponſio Henrici fuit, [k] Se paci conſenſurum, nullis nouis conditionibus ineundæ: vbi etiam ipſe Cæſari ſatisfaceret, non proinde ſtabilis concordiæ ſe certum futurum; idcircò ſatius ſibi videri, nihil à ſe peculiare offerri, ſed audire quid alter poſtularet. Cæſar è conuerſo, virtuti, potentiæ ac fortunæ ſuæ minimè diffidebat, quarum ei adhuc fauentes vires per eos dies feliciter expertus erat in expugnatione tum Teruanæ, ſtatim à ſe incenſæ ac deſtructæ, tum poſteà Hedini, [l] in cuius defenſione ictus globo cecidit Horatius [m] Farneſius Henrici gener, ac poſteà multi viri nobiles captiui ſunt adducti. Quare egreſſo cum ingentibus copiis Regi [n] Cæſar occurrere geſtiit, ſed à ſuo ſeiunctus exercitu, vt qui tam grande corpus non erat, cui tantum caput congrueret. Verùm paucos intra dies abſque vllo memorabili ſucceſſu Rex ad Galliæ confinia receſſit, & Cæſar Bruxellas. Interim Carolus ad oſtentationem maioris animi in maiori diſcrimine, tenui conditioni ſibi oblatæ prægrandi poſtulatione reſpondit. Ea fuit; Vt quidquid occupatum fuerat, Imperio, Ducibus Lotharingiæ ac Sabaudiæ, & ſibi pariter in Belgio, reſtitueretur: vt ſubderetur Octauius Farneſius plenæ obedientiæ Sedis Apoſtolicæ: remouerentur militiæ Gallicæ ab agro Senenſi; ſibi verò compenſarentur illata in mari damna, à tempore quo Orator Gallus apud ſe morabatur, nec ſibi bellum indictum erat, cum aliis pactionibus, in negotij proceſſu à ſe promendis. Quibus ſanè vt Galli acquieſcerent, opus erant duæ immanes in acie clades, quales planè multos poſt annos Hiſpani inflixere.

[k] Extat in reſponſo Cæſaris ad Dandinum, anno 1553.
[l] 19. Iulij 1553. vt in Diario Magiſtri cærimon. & Legati, & fuſiùs in duabus eius litteris 20. Iulij ad Montanum Card. & ad Pontificem.
[m] 16. Iulij eodem anno.
[n] Litteræ Dandini ad Pontificem, ad Legatum Galliæ, & alios, 2. 16. 20 & 26. Septemb. 1553.

1553. xere. Quare tunc non alia reſponſio Gallorum fuit, quàm negotij per ſilentium præciſio. Pontifex Legatos reuocauit[o]: ſiquidem eorum vtrique alterum ſuffecit, ob ea quæ mox contigere, & longam ſed non ingratam à nobis narrationem depoſcunt.

o Dandinus diſceſſit Bruxellis 9. Octob. vt in Diario iam dicto.

Tot inter motus, Catholicis & Eccleſiæ pernicioſos, vnus accidit ampliſſimi emolumenti, videlicet Britannici ſceptri mutatio. 4
Obiit Britanniæ Rex Edoardus ſextâ Iulij anno 1553. & ſextodecimo ætatis ſuæ, extinctâ cum eo virili prole Henrici Octaui, eodem die, quo ille multis antè annis vitâ ſpoliarat in odium Religionis Thomam[p] Morum. Edoardus, ad id incitatus à Duce Nortumbrienſi, qui ipſius iuuentam regebat, eo pacto ſucceſſionem regni diſpoſuit, quo ſtuduerat Dux vt in ſuam ſobolem illud deuolueretur, fucatâ ambitione obtentæ Religionis, quæ adeò formoſa res eſt, vt ab illius vmbra decorem ſibi quærant facinora deterrima, eique infenſiſſima. Henricus Edoardi pater duas habuit ſorores: ex his Margareta, natu maior, Iacobo Quarto Scotiæ Regi nupſit, cuius ſtirps hac noſtrâ ætate Britanniæ ſceptrum obtinuit. Minor natu Maria, priùs in matrimonium data Ludouico XII. Galliæ Regi, poſteà Carolo Brandono, Anglo Dynaſtæ. Filia ex hoc ſecundo coniugio ſuſcepta, Franciſca nomine, virum habuit Henricum Graium, Dorcheſtriæ Marchionem, qui operâ Nortumbrienſis ad Ducatum Suffolcenſem nuper aſcenderat. Porrò cùm ex his parentibus fuiſſent ortæ tres filiæ, neptes ex conſobrina Edoardo Regi, dum adhuc eſſent virgines, Dux Nortumbrienſis, ſimulatque animaduertit Regem lento morbo ad mortem delabi, effecit vt vno eodemque die duæ minores cum duobus ex primariis Proceribus matrimonio iungerentur; maiorem verò natu Ioannam Gilferdus ipſius filius quarto loco genitus vxorem duceret. In ea conatus ille eſt regni diadema collocare: quare ægrotantem Edoardum cohortatus eſt, vt id teſtamento conſtitueret. Ad hoc conſequendum, neceſſe erat Regi perſuaderi, id ipſum & rationi conſentaneum eſſe, & ad eum ſpectare. Quod ad primum attinebat, excludendæ anteà erant duæ Regis ſorores, illi à patre ordine ſuffectæ, & progenies Margaretæ Scotorum Reginæ & Edoardi amitæ. Margaretæ obiectabatur, quòd eſſet extera; duabus Regis ſororibus ambiguitas legitimorum natalium, & dubitatio quin eam Religionem expellerent ex Anglia, quam Edoardus induxerat. Maria ſiquidem, Catharinæ Aragonenſis filia, & in Henrici teſtamento ad hereditatem ſecundo loco vocata, maternam Fidem ſequebatur; quæ fundamentum ipſi erat, vt proles verè legitima, adeoque legitima heres

p Vide Spondanum, & allatos ab eo auctores, anno 1553.

&

& indubitata coronæ Britannicæ haberetur. Minor, Eliſabetha, tertio loco a parente vocata, ducebat ortum à Bolena, cuius coniugium multis de cauſis irritum cenſebatur, & cui nam adhæreret Religioni incertum erat. Has itaque ob rationes poſitâ iam omnium, quas nominauimus, excluſione, tamquam rationi conſentaneâ; vt alterum Regi perſuaderetur, nimirum, ineſſe illi poteſtatem eligendi ſucceſſoris, in medium afferebatur, memoratam ſubſtitutionem ab Henrico habitam cum auctoritate Ordinum, fuiſſe pupillarem, & non fideicommiſſariam, adeoque eam euanuiſſe ex eo die, quo è pupilli conditione Edoardus exceſſerat. 1553.

5 Poſtquam Dux Regem pertraxit ad inſtituendam regni heredem Ioannam nurum ſuam, id confirmandum curauit ſubſcriptis multorum Procerum nominibus, qui cum ea, eiuſque viro, ſeu ſanguine ſeu aliis vinculis erant coniuncti: ſed rem vſque ad Regis obitum occultauit; poſteà verò vt eam iidem ipſi Proceres exequerentur, operam dedit. Ioanna ſui iuris tenuitatem animaduertens, nonniſi ſubinuita permiſit ſe Reginam acclamari, deducique ad breuem ac tragicam ſolij ſcenam. Sed populus in Mariæ regnum conſpirauit, vtpote cui & ſubtiliores rationes & ſpecioſiores fauebant. Subtiliores quidem, cùm probè intelligerent periti, nullam patris actionem ſatis futuram fuiſſe illi eo iure ſucceſſionis ſpoliandæ, quod ipſi, tamquam vero legitimoque matrimonio procreatæ, ſecundùm regni leges debebatur. Diuortium Henrici à Catharina, tamquam omni iuſtitiæ contrarium, non à Catholicis modò, ſed ab ipſis hæreticis fuiſſe improbatum. Addebant, vbi etiam Ordinum conceſſio Henrico præſtita tum libera tum legitima fuiſſet, per eam illi facultatem tradi, vt poſitâ ambiguitate, quænam ex tot ipſius nuptiis eſſent legitimæ, de regni ſucceſſione ſtatueret, pro eo ac ipſe opportuniùs arbitraretur; ac proinde maiorem in eo auctoritatem non fuiſſe vocandi primo loco Edoardum, quàm illi Mariam ſubſtituendi: poſitâ verò in Henrico eâ poteſtate, de ipſius voluntate liquere, cùm eius teſtamentum non de ſubſtitutione pupillari loqueretur, ſed adhiberet verba abſoluta, & quæ ſucceſſioni ex fideicommiſſo conuenirent. Atque vtut res eſſet, etiamſi Henrici conſtitutio cenſeretur & vim habuiſſe pro Edoardo, & in Edoardo iam deſiiſſe; cùm hic tamen parem Ordinum conceſſionem haud obtineret, nequaquam per eam derogari poſſe iuri quod legitimè deuoluebatur in ſororem natu maiorem, ſucceſſioniſque, ex iis quæ diximus, capacem. Ita per legalis doctrinæ ſcita diſſerebatur. Magis quoque Mariæ fauebant rationes aliæ vulgò intellectæ ac ſpecioſæ.

1553. cioſæ. Etenim populi frequentia, cui ſumma, vbi velit, ineſt potentia, his intimis legum momentis omiſſis, pati non poterat, in dubium reuocari primam ſobolem Anglici Regis ac Catharinæ, quam ſingulari reuerentiâ ſemper coluerat, & aduerſus naturæ ordinem, paternamque voluntatem, Ioannæ in remoto gradu tranſuerſariæ poſthaberi. Itaque dum abſens Londino Maria fluctuabat animo, an ſibi in Galliam exuli eſſet capienda fuga, an Angliæ ſolium conſcendendum; ad ipſum euecta eſt populari conſenſu. Dux Suffolciæ proditor denuntiatus; Nortumbrienſis verò cum infelici nuru Ioanna coniectus in vincula. Hic vt perduellis capite mox damnatus, Religionis errores abiurauit, & in patibulo populum eſt cohortatus ad Fidem Catholicam excolendam, expellendamque hæreſim, eiuſque concionatores tamquam publicorum omnium malorum ſemina. Ioannæ ſexus & cognatio à clementi Mariæ animo tunc commiſerationem impetrarunt; verùm haud multò pòſt nouis excitis tumultibus, detectiſque ad eam attollendam machinis, oportuit vt extremo ſupplicio regni tranquillitatem firmaret: cùm in Principis quidem poteſtate ſit, quippe vindicis, publici reo criminis parcere; non tamen, quippe publici medici, peſtilenti membro indulgere.

CAPVT VII.

Curæ Poli ac Pontificis, vt Angliam ad bonam frugem redigerent. Legatio ea de cauſa Polo deſtinata. Ioannes Franciſcus Commendonus occultè à Dandino Legato ad Reginam miſſus: & quid ille egerit, & ad Pontificem retulerit. Obices obiecti Polo per viam à Cæſare: idcircò titulo eius legationis mutato, duobus Legatis Pacis conciliatoribus Polus ſuffectus.

HAud cunctanter noua Regina propenſionem animi patefecit ad reſtituendam Religionem Catholicam, recuſato titulo, quo Eccleſiæ Anglicanæ caput nuncuparetur, repoſitiſque Romanis ritibus, tametſi pedetentim ac ſuauiter, pro eo quod curandæ populari corruptioni expedit. Potiſſimè verò Henrici cum Bolena connubium irritum eſt declaratum, perinde ac Mariç ac matris decus poſtulabat, vt in hac vetæ vxoris, in illa legitimæ filiæ dignitas agnoſceretur; idque reipsâ, non autem fictione, nec beneficio Canonum, in bona fide parentum innixo, quod pariter in Eccleſiæ Pontificiæque ſententiæ dignitatem redundabat. Sed antequam hęc 1
eueni-

1553.

euenirent, viſum eſt Apoſtolicæ Sedi, vt rei opportunitati ſuâ adhibitâ induſtriâ obſecundaret. Degebat id temporis Polus[a] Marguzzani, in ſalubri loco ſupra Benacum, ſeu curandæ valetudinis causâ, ſeu ſtudio litterariæ ſolitudinis, ſeu quò ſe ab Aula ſubduceret, poſtquam in ea inter Pontificalium Comitiorum æſtus nunc ad ſumma nunc ad ima diu iactatus fuerat. Ibi auditâ nouæ Reginæ aſſumptione, ſtatim ſuccenſa illi ſpes eſt ſpectandæ ſuæ Britanniæ in Fidem priſtinam reſtitutæ, cuius rei ſemper deſiderio conflagrarat; atque ea de cauſa ad Pontificem miſit[b] Vincentium Parpaliam nobilem Pedemontanum, Abbatem S. Solutoris, familiarem ſuum, cum litteris nuntiiſque, quibus ad negotium illud ſuſcipiendum Iulius inflammaretur. Euentus veriſimilitudinem conſiderabat tum ex argumentis per ratiocinationem deductis, tum ex effectis experimento comprobatis. Priora nitebantur coniunctione, quâ nectebantur Mariæ ius ad regnum, & auctoritas Pontificis: poſteriora cernebantur in conſtanti Mariæ animo, quo in ſeipſa Catholicam Religionem illæſam ſeruarat eâ tempeſtate, quâ vſque adeò ea Religio inſectationibus petebatur, vt huiuſmodi criminis nomine vel quidam ex illius familia in carcerem coniecti fuerint. Ex oppoſito ponderabat, eam ſchiſmati conſenſiſſe; at excuſationem habebat, propterea quòd nemo Anglorum illi obluctari auſus fuerat poſt abſciſſa capita Thomæ Moro, ac Fiſcherio Cardinali. Concludebat, difficultatem maximam, in quam erat offendendum, ſitam in iis eſſe, qui bona Eccleſiaſtica arripuerant, adeoque ſuarum euerſionem fortunarum à regni conuerſione formidarent: ſed optimum eſſe conſilium, illis, quoad fieri poſſet, indulgere, cùm ſatius Eccleſiæ foret, temporaria huius vitæ bona, quàm cum bonis temporariis æternam ſimul animarum ſalutem amittere. Opportunum videri, ſi Pontifex rem ſedulò aggrederetur per duos Legatos, Belgicum & Gallicum, qui darent operam, quâ vterque Princeps omni ope atque induſtriâ, miſſiſque priuatis nuntiis ad Reginam, rem promouerent: eos ſperandum eſſe nequaquam ab illa reiectum iri, quemadmodum regij adminiſtratores reiecerant. Denique ſuam ipſius operam offerebat, quantum Pontifex arbitraretur eam vſui futuram, vbi quid clarius certiuſque innotuiſſet.

[a] Cuncta extant in libello litterarum ad Polum à 9. Auguſti ad 1. Nouemb. 1554. qui ſeruatur in Archiuio S. Inquiſitionis Romæ, & auctori ab Albitio Cardinali communicatus eſt.

[b] 6. Auguſti.

2 Sed Iulio tot ſtimulis haud opus erat. Edoardi obitu, Dynaſtarumque contentione vix acceptis, antequam Poli litteræ ad ſe deferrentur, ex conſenſu Senatus[c] ad eum ſcripſerat, ipſius prudentiam conſulens, quid profuturum putaret in illius regni motibus ad opitulandum animarum ſaluti. Poſteà verò de ſucceſſione Mariæ

[c] 1. Auguſti 1553.

1553.

riæ factus certior, ex communi pariter Purpuratorum ſententia Polum Angliæ Legatum pronuntiarat[d]; quippe qui cùm propter regij ſanguinis decus, tum propter virtutis conſpicuæ famam, patriæ iacturis ad Religionem ſpectantibus poſſe conſulere credebatur: atque hac de re alteras litteras ad illum ſcripſerat, eodem planè die, quo Polus memoratam epiſtolam ſuper eo negotio ad Pontificem dederat. Quare qui Poli litteras Romam ferebat, cùm prope Bononiam illi occurriſſet is quem Pontifex ad Polum miſerat, regreſſus eſt. Polus acceptis epiſtolis, iterùm Romam legauit Abbatem S. Solutoris[e], ſignificauitque, ſe quidem eo Legati munere perfuncturum; ſed ſatius ſibi videri, vt antequam auctoritas Pontificia diſcrimini exponeretur, per hominem priuatum animi tentarentur; atque ad eam rem eò miſit Henricum Peningum[f], familiarem ſuum, cum litteris præſertim ad Dandinum Legatum, & ad Antonium Bonuiſium negotiatorem in Anglia, atque ad ipſam Mariam. Dandinus perpenſâ rei grauitate ac difficultate, ratus eſt neceſſarium, vt vir aliquis legeretur Peningo ſpectabilior, ſed ſimul citra omnem pompam, & præſtanti ſolertiâ præditus, qui ſibi inter clauſtra aditum aperiret, & ex caligine lucem cieret.

d 5 Auguſti 1553. in Actis Conſiſt.

e 11. Auguſti.

f 12. Auguſti 1553.

Inter ceteros egregios viros, quos ſecum Dandinus adduxerat, 3
aderat Ioannes Franciſcus Commendonis Venetus[g], Pontificis cubicularius, qui primâ iuuentâ ſe in Iulij notitiam inſinuauerat per quædam concinna Epigrammata ab ipſo confecta de celebri Iulij Villa, quæ id temporis, inſtar cuiuſdam Parnaſſi, poëtarum omnium Muſas excitauerat. Sed Pontifex, homo acutus, cùm carmina Commendonis legeret, prædixit, eorum auctorem virili poſtmodum ætate maiora carminibus præſtiturum. Eapropter ad grauiora ſtudia ipſum compulit, & in ſuam familiam adſciuit; poſteà verò ad Vrbinatem Principem miſit, ad aliqua tranſigenda negotia, exitu non pœnitendo. Delibatâ per hæc Commendonis indole, Dandinus, qui Iulio è ſecretis primas agebat, illum ſecum ad Belgicam legationem, ſicuti dictum eſt, adduxerat. Nec iuuentæ flore ſpes fructus fefellit, quos hic ætate maturiore protulit, vt conſtabit ex hac hiſtoria, cuius ipſe amplam & honeſtiſſimam partem occupabit, adeò vt laboris præmium Senatoriam dignitatem acceperit, à ſe non mediocri auctoritate ac decore ſub varijs Pontificibus exercitam. Huic itaque Dandinus negotium quàm occultiſſimè commiſit, nullis ipſi mandatis traditis, quò liberum illi foret, dum res inſtaret, conſilium capere à conditionibus, quæ præuideri non poſſunt: ſolùm generatim iniunxit, vt quàm maximè poſſet vera exploraret,

g Quod ſpectat ad Commendonem, eſt in eius Vita calamo ſcripta ab Antonio Maria Gratiano, qui fuit illi à ſecretis, ac poſteà Epiſcopus Ameliæ, ſcripſitque hiſtoriam Cypri. Eſt etiam in epiſtola Dandini ad Pontificem, quem per ipſum Commendonem ab Anglia reuerſum miſit, ſignaturque 29. Auguſti 1553.

ploraret, &, ſi aditum nactus eſſet, Reginam alloqueretur, hortaretur que ad regnum cum Deo & Eccleſia reconciliandum. Verùm quoniam neceſſe erat, per ignotos homines, nominique Catholico ac Pontificio infenſiſſimos, Commendono rem gerere, munire ſe ſtatuit arcano tam recondito, vt nulli hominum pateret, niſi Iacobo Sorantio, Londini Veneti Senatus Oratori, cui is commendabatur à Marco Antonio Amulio, eiuſdem Reipublicæ tunc apud Cæſarem Bruxellis Oratore; de cuius cooptatione in Purpuratum Senatum ſuo loco in hiſtoria quam ſcribimus dicendum erit. Hi duo Veneti Oratores egregio Religionis ſtudio, cum auctoritate ſolertiaque coniuncto, mirum in modum pium illud opus promouerunt, perinde vt Legatus Dandinus Pontifici teſtatus eſt. Itaque Commendonus Bruxellis profectus, ſolus ac taciturnus Grauelingam perrexit, vrbem maritimam, vnde in Angliam commodè traiicitur. Ibi duos ſibi famulos ſelegit, regionis ac linguæ peritos, quibus ſui cauſam itineris ſimulauit eſſe quædam implicita nomina, ſibi relicta à patruo ſuo mercatore, Londini demortuo. Angliam ingreſſus, non licentiam ſolùm, ſed violentiam hæreticorum adhuc dominantem aſpexit; Reginam verò eorum obſidione cinctam, à quibus per ſpeciem obſequioſæ cuſtodiæ cuique extero acceſſus ad ipſam prohibebatur. Et ſumma præcipuè ſuſpicio erat de Pontifice & Cæſare: ab altero mutationem religionis, reſtitutionemque bonorum, quæ Eccleſiis diripuerant, ſibi metuebant: ab altero, nuptias Mariæ ſobrinæ ſuæ cum Philippo filio, adeoque externi Principis dominatum. Inter has anguſtias offendit Commendonus, Cælitum ductu, in Ioannem Lium, nobilem Anglum catholicum, qui vt in Fide perſiſteret, exilium è patria Eduardo regnante paſſus fuerat; & dum in Italia moraretur, amicitiam conſuetudinemque contraxerat cum Commendono, vt ſponte propenſo (quod viuidæ indolis iuuenes aſſolent) ad familiaritatem nectendam cum ingenuis aliarum nationum viris. Poſteà reuerſo in patriam Lio, cum Aulæ mutatione ipſius quoque fortuna variauerat, adeò vt ex interioribus Mariæ domeſticis numeraretur. Quare Commendonus, tentato priùs homine, eidemque illâ ſimulatâ perſonâ quam reliquis ſimulabat, nactuſque in amico priſtina Religionis ſenſa, veteriſque familiaritatis fidem, quâ multa ipſi de præſenti rerum Aulæque ſtatu patefecit, haud eſt veritus illi aperire quid moliretur. Itaque eius operâ, tametſi perdifficiliter, ad Reginam acceſſit. 1553.

4 Non perinde difficilem Mariæ animum, atque acceſſum ad eius colloquium expertus eſt; quin illius aduentu mirificè gauiſa, eique

1553. rem ſedulò tegendam commendauit, & ſpem proſperi ſucceſſus fecit, donec per ſpeciem liberandę ciuitatis à militiæ onere, ſeipſam ab obſidione liberauit, quâ ſplendido cuſtodiæ nomine claudebatur à ſuis; cœpitque clàm agitare cum Cæſare memoratum coniugium, & per illud virium ſocietatem, quâ ipſa poſſet domi timorem aliis incutere, pati non poſſet. In hiſce rerum conditiónibus, accito ad ſe Commendono epiſtolam ſuo ſcriptam ad Pontificem chirographo tradidit, in qua pollicebatur, ſe ſuumque regnum in Fide atque obedientia Romanorum Pontificum futura, addens, aliqua ſuo nomine coràm Commendonum illi expoſiturum. Quæ illi exponenda committebantur, hæc erant: A ſe in Comitiis abrogatum iri, quidquid patre ac fratre imperantibus Religioni auctoritatiqùe Pontificiæ noxium ſtatutum fuerat, miſſis Romam Oratoribus, qui Regni nomine præteritorum criminum veniam peterent. Optare ſe, vt Pontifex eam veniam omnibus liberaliter indulgeret, & ibi Legatum deſignaret Polum Cardinalem, qui huiuſce veniæ, reique ſacræ reſtituendæ miniſter foret. Sed [h] antequam opus inciperetur, expectandos eſſe vel molliores populorum animos in Apoſtolicam Sedem, cuius nomen hoſtili odio apud illos erat, vel magis edomitos à Regina, cui tunc obſequium quaſi ſponte & precariò exhibebant, ſemper & in ore & in animo Eliſabetham ſororem habentes, quò ætate minorem, eò maiorem ingenio, & ipſis in Religione concordem.

h Colligitur ex epiſt. Pontif ad Polum, 21. Septemb. 1553.

Cum his mandatis Commendonus Londino diſceſſit poſt quindecim dierum moram, poſtridie quàm Nortumbriæ Dux ſupplicio affectus eſt. Sed præ cęteris iniunctum illi obſtrictum religione ſilentium de acceptis mandatis, præterquam cum Pontifice ac Polo, adeò vt nulli patefaceret, ſe fuiſſe cum Regina collocutum. Reuerſus Bruxellas Commendonus, equis curſoribus Romam conuolare à Legato iuſſus, diu noctuque feſtinans, perpaucos intra dies eò peruenit, tametſi opus illi fuerit aliquantulùm diuertere, quò Polum alloqueretur. Subſtiterat Polus in eodem vbi priùs degebat oppido, ſupra Benacum, certius aliquid præſtolaturus de mente tum Cæſaris, per cuius ditiones ſibi iter habendum cernebat, & à quo Reginam plurimum pendere compertum erat, tum ipſius Reginæ, ad quam legabatur. Ad Cæſarem ipſe præmiſerat Antonium Floridibellum, [i] qui ſibi à ſecretis erat, quò ſobrinæ ſucceſſionem in regnum, & hinc opportunitatem gratularetur, quæ Carolo ad patrocinandum ibi Religioni offerebatur, ſimulque deſtinatum Legati ſibi munus ſignificaret; ipſum verò Floridibellum optimè inſtruxit 5

i 21. Auguſti 1553.

ad

ad ea diluenda, quæ fortè obieciſſet Cæſar huic legationi, quaſi immaturæ; quod in eo ſitum erat, vt illi poneret ob oculos, hinc Angliæ populos procliues in Religionem videri, pro eo quod oſtenderant, delato Catholicæ Reginæ ſceptro; hinc verò cùm cogenda eſſent Ordinum regni Comitia, in quæ cuique licet ſuas referre rationes, ob quas in antegreſſo regimine ſe grauatum exiſtimet, grauiſſimum Sedis Apoſtolicæ detrimentum futurum fuiſſe, ſi nemo aduerſus ſchiſma illius nomine cauſam egiſſet. Quapropter etiamſi Poli in Britanniam acceſſus nondum opportunus agnoſceretur, opus tamen fore, vt ipſe ad confinia ſaltem adeſſet, vt à Comitiis mitti poſſent, qui ſecum de negotio agerent. Cum eodem litterarum ac documentorum tenore paulò pòſt ad Mariam miſit [k] Michaëlem Trochmertonum: inde ſeptem diebus elapſis, ſeptimâ Septembris Commendonus ad Polum peruenit, ipſumque res à ſe geſtas edocuit. Polus epiſtolam ad Pontificem deferendam ipſi tradidit, eadem neceſſariæ celeritatis ſenſa exprimentem. Intereà antequam Commendonus Romam perueniret, illinc ad Polum rediit [l] Vincentius Parpalia, ab ipſo, vti narrauimus, eò miſſus, retulitque, à Pontifice in eius prudentia omnino reponi vt pergeret ſiſterétve, vt legatione ſuâ fungeretur aut ſuperſederet: & in hanc rem tria Diplomata tradidit, vnum ad Cæſarem, alterum ad Henricum, tertium ad Reginam; ſimul etiam mandata cum facultate indulgendi quidquid illa ſaluti populorum profuturum cenſeret. Profeſſus pariter eſt Pontifex, à ſe nonniſi animarum lucrum quæri.

6 Indicauerat Polo Commendonus nomine Dandini Legati (id quod clarius poſteà [m] perſcriptum ipſi fuit à Floridibello) optari à Cæſare illius legationis prolationem, ſiue quòd, vt ille affirmabat, acerbus adhuc Britanniæ ſtatus eſſet, atque ita conformatus, vt ab intempeſtiuo Legati Pontificij acceſſu perturbaretur potiùs quàm componeretur; ſiue quòd, ſicuti rumor fuit, in ſuſpicionem Cæſar venerit, inde obſtaculum iniectum iri nuptiis, quæ agitabantur inter Mariam ac Philippum, ad quas Carolus vehementer propendebat, quamuis illa & prouectiore eſſet ætate, trigeſimum octauum annum attingens, & valetudine imbecilliore. Vſque adeò in Principum coniugiis politicæ rationes naturalibus præualent. Quamquam [n] Carolus, ſpectatâ fortaſſe illius copulæ veriſimili ſterilitate, animum initio præ ſe tulit agitandi pro ſeipſo eas nuptias, narrans Dandino Legato, in vno ex quatuor colloquiis à ſe habitis cum Henrico Octauo, hunc, dum Maria nouennis adhuc erat, penè ſtatuiſſe eam Carolo nuptui dare, licet poſteà ab eo conſilio deflexerit.

1553.

k 28. Auguſti 1553.

l 14. Septembris 1553.

m Montibus 7. & 8. Septemb. 1553.

n Litteræ Legati Dandini ad Pontificem, vltimo Iulij 1553.

1553. flexerit. Sed dein Carolus ratus forſitan eſt, ætatem ſuam grauem, ſuamque tenuem valetudinem neque conſentaneam neque optabilem nouellæ ſponſæ futuram. Porrò dubium erat, ne Polus non modò tamquam Anglus adhæreret communi Anglorum ſententiæ, externorum dominarum auerſanti, ſed etiam penè riualis peculiarem obicem iniiceret. Cùm enim varia cum indigenis coniugia fuiſſent Reginæ propoſita, inter eos Polus quoque vocitabatur, quippe Religione concors, ſanguine regius, virtute inclytus. Nec deſtiterat Regina idipſum Commendono indicare, eum percontata, an exiſtimaret Pontificem ad id legem Polo relaxaturum, cùm is nondum Sacerdos ſed Diaconus eſſet, extarentque huiuſmodi relaxationum exempla ingentis alicuius emolumenti gratiâ. Quocircà labitur Suauis, dum ſcribit, tunc Polum nullo ſacrorum Ordinum initiatum fuiſſe: quin vniuersè huius tam memorandi euentus quamdam potiùs malignam lucem, quàm claram notitiam præ ſe fert. Verùm Regina contracto poſteà metu ex vicina æmulorum Gallorum potentia, inter quos & Britannos varia intercedebant diſſidia, animum adiecerat eiuſmodi ſponſo, qui dum ab ipſa pro dote regnum acciperet, eidem ingentes Monarchiæ vires pro dotis additamento conferret.

Commendonus die 11. Septembris Romam ingreſſus, Pontifici rem aperuit. Hic præ lætitia effuſis lacrymis cum illo conuenit, vt ad promiſſi ſilentij cuſtodiam exponerentur Collegio nuntij quos ipſe tulerat, tamquam ab aliis delati, & non ex ore Reginæ profecti. Coacto ſtatim Senatu, dum id quod ſibi licebat ad Purpuraros referret, ſeu memoriæ diffiſus, ſeu miniſtro honorem allaturus, improuiſo Commendonum acciuit, iuſſitque rem geſtam exponere. Hic primùm, vtpote iuuenis, & cui ſatis animi nondum erat, coram tam venerabili theatro voce ac geſtu trepidare cœpit. Sed hæc ipſa trepidatio gratiam poſteà loquenti conciliauit, cùm ita plenè concinneque verba faceret, vt ea trepidatio non ex imbecillitate, ſed ex modeſtia agnoſceretur enata. Difficultatem Pontifex nactus eſt,[o] in decernenda cum Cardinalibus Poli legatione, cùm rem integram ipſis communicare vetaretur. Verumtamen ne hoc quidem fidele ſilentium ſatis fuit, quò minùs euulgatâ poſtmodum rerum notitiâ, & non ſimul euulgato adhibitæ cautionis modo, eâque ad aures Reginæ perlatâ, ab ea commiſſi arcani violator Commendonus crederetur: id per ſuas litteras[p] conqueſta cum Polo. Hic verò numquam prætermiſerat hinc ad Mariam ſcribere, & in Belgium ad Cæſarem, ad Dandinum Legatum, & ad Nuntium Camaianum, hinc

[o] Apparet ex memoratis Pontif. litteris ad Polum, 21. Septemb. 1553.

[p] 29. Octobris 1553.

hinc Romam ad Pontificem, varioſque Cardinales Religionis ſtudioſos, ac præcipuè ad Apoſtolici Palatij Magiſtrum, de quo infrà exponemus, neceſſe fore, vt ipſe vel in Anglia, vel ad eius fines adeſſet, quo tempore prima Comitia celebrarentur. Difficultas tamen ambiguitaſque negotij effecere, vt in primo Pontificio Senatu ſpatium temporis ad deliberandum vſque ad futuram hebdomadam poſtulatum fuerit. Conuenerunt poſteà vno animo ª Pontifex & Cardinales; Cùm tanta humorum cruditas cerneretur, ſceptrumque in illius probæ Reginæ manu adeò vacillans, non eſſe per eam feſtinationem aut tam ingentia cœpta labefactanda, aut Mariæ nouas turbas excitandas, adeoque amittendi regni diſcrimen creandum. Proinde præſtolaretur Polus, antequam progrederetur & ſe Legatum euulgaret, Reginæ voluntatem ac ductum; interim verò, quò poſſet honeſtâ ſpecie illuc appropinquare, Legatus ad Carolum & Henricum pergeret ad pacem componendam, euocatis è Belgio Dandino, & è Gallia Capiteferreo. Ita quò grandia quædam conſilia deliteſcant, quæ odorati liquoris inſtar ſimul ac deteguntur euaneſcunt, oportet interdum non tam homines quàm munia perſonari.

1553.

ª 18 Septembris 1553.

CAPVT VIII.

Proficiſcitur ad nouam legationem Polus. Reſponſum Reginæ Dilingam ipſi delatum. Nouum hoc munus Cæſari ingratum, qui Polo denuntiat, vt ſiſtat in via. Varia Poli ſtudia apud Cæſarem adhibita, præſertim per Petrum Sotum, cuius operâ honorificè admittitur. Pergit in Galliam. Duræ pro pace conditiones à Gallo quæſitæ. Quæ Pontifex cum Ferdinando interim egerit Religionis cauſâ in Germania.

1 ACceptis nouæ huius legationis Diplomatibus à Pontifice, Polus extemplò in viam ſe dedit ª. Et vbi Tridentum attigit, Kalendis Octobris Peningi litteras accepit, qui cum Regina clàm collocutus, cupientiſſimam Poli nactus erat, adeò vt affirmaret, ſui regni dimidio id ſe coëmpturam fuiſſe. Adiecerat tamen, eo tempore à ſe timeri tumultus hæreticorum, nimiâ & rabie & ſuperbiâ formidabilium: non poſſe ſe obedientiam Eccleſiæ ritu legitimo profiteri ante Comitia, & hæc ante inaugurationem ſuam haberi non poſſe. Proinde ſe à Polo petere, vt per conceſſam ab ipſo relaxationem legis liceret ſibi Coronam ſuſcipere, ante-

ª Litteræ Poli ad Floridibellum, 28. Septemb. 1553.

1553. quam debitum Sedi Apoſtolicæ obſequium redderet; & quò ſaluâ conſcientiâ id à ſe fieret, voluit vt Peningus per curſorem id à Legato celeriter poſtularet, quò ante ſolemnem diem reuerteretur; [b] quod reipsâ contigit. Cauerat illa, ne in iureiurando, per quod ſibi ſolemniter obedientia promittebatur, quidquam contineretur aduerſus Pontificis dignitatem ſupremam; ſimulque affirmauerat, ſchiſmaticum titulum, hoc eſt, Eccleſiæ Anglicanæ caput, à ſe haud aſſumptum iri, etiamſi alia tria regna per illum ſibi comparare potuiſſet.

b Apparet ex documentis, quæ Peningus parauit vt Pontificem edoceret, ad quem à Polo miſſus eſt 21. Octobris Dilingâ, vt infrà.

c 2. Octobris Tridento.

Prolixas ad Reginam litteras [c] ſermone Anglico ſcripſit Polus, 2
quibus oſtendebat, & quàm arctè grati animi lege ipſa teneretur obſequi generosè Deo tam ſibi propitio, & quantum prodeſſet ad firmandum ſibi regnum, ſi Pontificiam auctoritatem in eo reſtitueret. Huic aduerſantium numerum tantum non eſſe, quantus videbatur. Etenim ex tribus Ordinibus, Eccleſiaſticum nonniſi iniurias ac rapinas à ſchiſmate accepiſſe; Popularem, loco tenuiſſimi cenſus, qui S. Petro priùs ſoluebatur, innumeris oneribus oppreſſum fuiſſe: inter Nobiles ſolùm quoſdam eſſe Eccleſiaſticis prædis locupletatos; ſed hos præ ceteris omnibus paucos numerari in Magiſtratibus, quos poſſidebant à Reginæ beneficentia pendentes, atque huiuſmodi, vt aliâ ratione facile conciliari poſſent. Ipſam denuò rogabat, vt importunam illam trepidationem excuteret, eamdemque remoueret ab animo Cæſaris, quem ipſe interim adire parabat alterius legationis ſuæ nomine.

d Cuncta apparent ex memoratis litteris.

e 10. Octobris 1553.

f Signata 7. Octobris 1553.

g Apparet ex litteris Poli, 21. Octob. & ex documentis, quæ Romam Peningus attulit.

h Omnia apparent ex epiſt. Floridibelli ad Polum, 15. Octobr. & ex epiſt. Poli ad Pontificem, 21 Octobris 1553.

Perrexit itaque Polus, [d] miſſo in Galliam Abbate S. Solutoris 3
cum litteris ad Regem, ac Regis Pontificiſque adminiſtros, per quas illos de hoc ſuo nouo munere edocebat. Atque vt idem Cæſari exponeret, Floridibello iniunxit. Ipſe per viam ſubſtitit aliquantulùm Dilingæ, quæ Auguſtano Cardinali parebat, vt ſecuritatis tabulas opperiretur, à Duce Wirtembergico, aliiſque Dynaſtis hæreticis concedendas, quorum ditiones attingere opus erat. Illic eum nactus eſt Peningus [e], è Britannia regreſſus, attulitque epiſtolam, quam illi per ſummam beneuolentiam ac religionem ſuâ manu Regina perſcripſerat [f]; ita tamen, vt ſingula in voce Peningi reponeret. Rei ſumma hæc erat: Vt Polus pedetentim accederet [g] Bruxellas; Reginam verò cum eo acturam per litteras, quas illi ab Atrebatenſi Epiſcopo deferendas curaret, quò tutiùs peruenirent.

Dandinus à legatione ſua, vt diximus, reuocatus, in Italiam re- 4
uertebatur [h]; nactuſque per viam Polum, eius nouam legationem mini-

minimè gratam Cæſari futuram prædixit; idque poſteà confirmatum fuit à Floridibello, qui vbi primùm id Atrebatenſi Epiſcopo nuntiauit, vidit illum moleſtâ quadam admiratione commotum dixiſſe: Nihil priùs ea de re à Pontifice ſignificatum Cæſari: quînam pacem ſperari poſſe per vnicum Legatum, quando nihil confectum fuerat à duobus, qui iam reuocabantur? Eam legationem velamen eſſe legationi Anglicanæ prætentum: proinde de ea vehementer conqueſturam Reginam, quæ tunc ab huiuſmodi rerum ſpecie abhorrebat, quippe & ſuo & publico bono contraria; ſe verò probè noſſe, à Regina id fuiſſe Cardinali declaratum. 1553.

5 Verumtamen is iter proſecurus, paucis intra ditionem Wirrembergenſis Ducis, à quo ſecuritatem tranſitus acceperat, leucis confectis, obuiàm habuit Ioannem Mendozam (non Didacum, ſicuti Suauis narrat) qui Cæſaris epiſtolam[i], fidei conciliatricem, & nuntios illi detulit; [k] Cæſarem ob grauiſſimas cauſas, quas Pontifici ſignificarat, haud opportunum ducere ipſius acceſſum ad Aulam: idcircò poſcere vt vel ibi vel in alio itineris loco ſiſteret. Cauſæ poſtmodum à Mendoza ſunt expoſitæ, & cum iis quas retulimus conſonabant; ſed addebatur præterea, Oneri futurum Cæſaris famæ, ſi per vnius Legati miſſionem hic Cæſarem priùs adiret, adeoque oſtenderet, componendæ pacis difficultatem in illo ſitam, ad quam amoliendam Legati operâ opus eſſet. Aliquid etiam de Reginæ coniugio quaſi in tranſitu tetigit, oſtendens, illud eſſe ante reliqua omnia conficiendum, & cum extero contrahendum, quò contentio amoueretur inter indigenas, quibus intolerabile foret, ſe illi ſubiici, quem anteà cum æqualitate ſtatus & æmulatione animi ſpectabant. Qua de re Polus ſibi temperans parcè dixit, Res eſſe dignas, quæ plurimùm expenderentur. Sed non ita ſibi temperauit in diſſimulando aculeo illius ſibi Indictæ moræ, queſtus id fieri per Sedis Apoſtolicæ indignitatem: cùm ipſe iuberetur à Pontifice progredi, haud videri, quo pacto poſſet alterius Principis voluntate conſiſtere: ſatius eſſe, ſi Cæſar abſque velamine loqueretur, ac palàm faceret repugnantiam erga ipſum nominatim, quàm erga Pontificiam legationem generatim. Studuit Mendoza eam ab illo ſuſpicionem euellere, quod ad ipſum nominatim ſpectabat; propoſuitque vt lentè pergeret, & Leodij ſubſiſteret. Sed Polus maiori ſibi dedecori futurum duxit, ſi tam propè Aulam acceſſiſſet, & illic poſteà fores quaſi pulſans, & ingreſſum non impetrans moraretur. Præterquam quòd ipſi videbatur ibi ſubiectior fore, vbi integrum ſibi non eſſet ad Reginam, quandocumque vellet, ſeſe conferre.

[i] Sub 25. Octobris.

[k] Cuncta extant in litteris, & documentis à Polo Romam miſſis, 27. Octob. per alium nuntium Peningum reuocante, qui erat in via.

1553. ferre. Quare maluit Dilingæ manere: ibi verò paulò pòſt à Montano Cardinali per litteras accepit mandata[l]: Cùm Pontifici probabiles rationes adductæ fuiſſent à Cæſare de ipſius mora, ne vltrà pergeret quamdiu eius acceſſus haud opportunus Cæſari videretur. Quamuis autem Abbas S. Solutoris nactus fuiſſet in Gallia[m] animorum propenſionem vt eò Polus accederet; per Belgium poſteà hic regreſſus, animaduertit id diſplicere Cæſari, non ampliùs conſentienti vt Polus ab Henrico ſuam legationem inchoaret, quod fortaſſe vereretur, ne illinc rectà in Britanniam ille pergeret.

l Litteræ Montani ad Polum, 28. Octobris 1553.

m. Quod ſequitur extat in litteris plurimis, & Commentariis in litterarum libello.

Equidem enarrare plenè non poſſem, quàm impenſo ſtudio, 6 quantàque ſolertiâ Polus curauerit ea repagula ſoluere, prolixis admodum neruoſiſque litteris per idoneorum hominum miſſiones ad Cæſarem, ad Reginam & ad Pontificem. Sed efficaciſſimam ad id Petri Soti operam expertus eſt. Hic ſacrarum Cæſaris Confeſſionum olim auditor, tutius poſteà duxerat ſaluti animæ ſuæ curam illius deponere, à qua innumerabilis animarum numerus pendebat. Quare ad priuatas exercitationes ſecedens, nobile iuuenum Seminarium Dilingæ adminiſtrabat: qui poſteà Concilio ſub Pio Quarto interueniens, amplæ de ſe laudis materiam hiſtoriæ noſtræ ſuppeditabit. Is itaque ea de cauſa Bruxellas ſe contulit cum litteris Poli ad Cæſarem; ac tandem eius cohortationibus commotus Carolus, remiſſo ad Polum vrbano reſponſo, eius admittendi inuitandique ad Aulam voluntatem præ ſe tulit. Sed vera cauſa, quæ Soti operam adiuuit, quantum arbitror, fuit, quoniam firmatum iam, etſi nondum euulgatum, fuerat connubium inter Philippum & Mariam. Etenim epiſtola à Cæſare ad Polum ſcripta eſt 21. Decembris; & Pontifex in litteris, quibus Cæſari congratulabatur, narrat, ab eius Oratore id ſibi fuiſſe communicatum Kalendis Ianuariis. Summa conditionum erat: [n] Si liberi ex iis nuptiis ſuſciperentur, in Angliam & materna bona ſecundùm regni leges ſuccederent: ſicuti in regna & bona paterna ſuccederet Carolus, prius Philippo genitus; ita tamen, vt ditiones inferioris Germaniæ ac Burgundiæ primo inter mares, qui fuiſſent à Maria geniti, deberentur; & vbi mares deficerent, primæ inter feminas genitæ, dummodò in Anglia, aut in Germania, & de memorati Caroli conſilio nuberet. Si Carolus, eiuſque poſteri deficerent, ſuccederent in cunctos Philippi Principatus filij ex eo nouo matrimonio ſuſcepti, ſecundùm eorum Principatuum leges. Vt Philippus & Maria viciſſim admitterentur ad honores adminiſtratio-

n In libello epiſtolarum Dandini, in exitu anni 1553.

ſtrationemque vtriuſque ditionum. Vt Philippo fas non eſſet leges conſuetudineſque Anglicanas mutare; Mariam ab Anglia, niſi id petentem, abducere, & gemmas regnique theſauros aſportare. Vt Anglia neque rectâ nec obliquâ viâ ſe bello implicaret inter Cæſarem & Regem Galliæ. Quin vt obſtringeretur Philippus ad curandam pacis continuationem inter Angliam & Galliam: eſſet tamen ipſi liberum, Cæſari parenti opem ferre viribus aliarum ditionum, quas tanquam patrimonium obtinebat. Statutis igitur hoc pacto nuptiis, patuit aditus ad Cæſarem Polo. Miſſus illi obuiàm eſt honoris causâ Sabaudiæ Dux, qui tunc apud Cæſarem morabatur, à Gallis magna ex parte ſuo principatu ſpoliatus. Mox à Cæſare Legatus perhonorificè exceptus eſt.

1553. 1554.

7 Poſteà aliquid in Anglia tumultuatum[o], firmati coniugij causâ. Cæſar verò animum præ ſe tulit admodum indifferentem ad [p] recedendum, cùm, vt affirmabat, nonniſi Religionis nationiſque Anglicæ beneficio conſenſiſſet. Sed Regina ſibi obſequentium ope ſeditioſos edomuit. Interim Polus Galliam petiit, ſuo Pacificatoris munere functurus. Verùm tametſi perblandis modis exceptus ab eo Rege, quem (ſicuti tunc ipſe affirmauit, & ſicuti viſus eſt facto confirmaſſe) pœnituit Poli Pontificatui obſtitiſſe, non potuit tamen vnguento facundiæ ſanare tam profunda laceræ Chriſtianæ Reipublicæ vulnera, & ad quæ curanda opus erat immensâ ſanguinis poſtmodum eluuione, effuſi duobus in conflictibus, qui tandem veri pacificatores fuere. Solùm itaque impetrauit Polus, vt Cæſaris petitionibus, per Dandini litteras in Gallia communicatis, ſicuti narrauimus, Rex [q] aliquid reſponderit: ſed eiuſmodi reſponſum fuit, vt ſpem concordiæ abiiceret potiùs quàm attolleret.

8 Intereà de coniugio Mariæ cum Philippo Pontifex certior factus ab Oratore Cæſareo, exhibenda Cæſari conſueta honoris & beneuolentiæ officia curauit, quæ vnà cum vrbanitatis ſignificatione negotio prodeſſent. Quapropter Nuntium ad illum miſit [r] Hieronymum Mozzarellum Dominicanum, quem ex Apoſtolici Palatij magiſterio [s] ad Conſenſem Archiepiſcopatum, fruſtrà eius lacrymis obſiſtentibus, promouerat. Vacauerat ea Sedes ex obitu Catharini, ſummâ exiſtimatione viri, per annos quos vixit, ſed per opera quæ ſcripſit, minore; cui fortaſſe communis de ipſis opinio minùs fauit, quia ille in iiſdem communem aliorum opinionem minoris fecit: ſed in certaminibus cum hæreticis, functionibuſque Concilij nemini ſuorum æqualium aut collegarum plauſu ceſſit. Nouo igitur Archiepiſcopo demandatum eſt, vt firmatum coniugium

[o] Omnia extant in memorato litterarum libello.

[p] Litteræ Poli ad Moronum, 9. Febr. 1554.

[q] In litteris Montani ad Delfinum Nuntium, 13. Aprilis 1554 & fuſiùs in libello litterarum Poli.

[r] In Senatu 23. Octobris 1554. vt in Actis Conſiſtorialibus.

[s] 11 Decemb. 1553. in Actis Conſiſt. Extant cuncta in mandatis Nuntio traditis, 29 Ianuarij 1554. in monumentis Burgheſiorum.

1553. Cæſari gratularetur, ac poſteà certum illum redderet de Poli Car-
1554. dinalis integritate: eius virtutem eam eſſe, vt nulla rerum mortalium vtilitas à præſcriptis per Pontificem mandatis, Religioniſque bono eum dimouere poſſet. Poſtremò, vt ad pacem denuò cohortaretur; ad quam etiam promouendam Ferdinandum Regem ſtimulauit per nouum Nuntium Zachariam Delfinum, Epiſcopum [t] Pharenſem, & aliâ tempeſtate Cardinalem.

t Mandata ſunt illi tradita 3. Decembr. 1553. in Burgheſiorum monumentis.

Iniunctum quoque Delfino eſt, vt quàm maximo poſſet ſtudio præpediret in proximis Comitiis incommoda Religioni imminentia ab iis quæ ſtatuenda illic erant ex Paſſauienſi concordia, ſimulque aliud inchoatum à Pontifice opus Regi commendaret. Nimirum Iulius, vt eam Germaniæ partem ſeruaret quæ integra adhuc erat, & eam quæ defecerat recuperaret, illorum armorum opem animo volverat, quæ ſibi propria habet Eccleſia, id eſt, virtutem atque doctrinam. Idcircò Collegium Romæ condiderat, in quo vtràque imbuerentur complures illius nationis iuuenes bonæ indolis, qui poſtmodò in patriam regreſſi, & curandis Eccleſiis, habendiſque concionibus admoti, quaſi oſſa neruique præualidi Catholici illius corporis euaderent. Huius Collegij, quod ſuo ſumptu alebatur, curam demandauit S. Ignatio Loiolæ, tunc viuenti, Fundatori Societatis Ieſu, ab eodem Pontifice per amplum Diploma confirmatæ: cuius inſtitutio, quippe ad erudiendos adoleſcentes directa, ad habendas miſſiones inter infideles, & generatim ad animarum ſalutem iuuandam, viſa ipſi eſt illius Seminarij culturæ mirificè accommodata. Et quamquam primordia tunc fuerint modica, iuxtà atque prima quamuis ingentium plantarum virgulta eſſe ſolent, illud poſteà opus in eam amplitudinem, quam videmus, excreuit Regiâ, & Apoſtolicâ liberalitate Gregorij XIII. qui fortaſſe his togatis militibus Religionem in Germania non minùs propugnauit, quàm religioſa Auſtriacorum potentia ſagatis; quemadmodum arces, pro quibus certatur hoc in bello, non aliis penetrabiles armis ſunt, niſi rationibus & exemplis. Hæc tulit mandata Delfinus Nuntius in Germaniam.

CAPVT

CAPVT IX. 1554.

Poli reditus ad Cæſarem, parum acceptus ob ea quæ ab Henrico propoſita refert. Eius propenſio vt ipſe reuocaretur, Pontifici ſignificata, ſed ab eo reiecta. Mariæ Reginæ pia ſtudia. Obiecta Polo obſtacula, & adhibita ab eo curæ vt in Angliam admitteretur. Miſſus à Philippo ad Polum Nuntius: & quæ agitata ſunt de modo accedendi, & facultatibus. Inuitatur tandem, & excipitur perhonorificè.

1 IAm verò vt noſtram narrationem à Germania in Belgium & Angliam reuocemus, rediit Polus ab Aula Gallicana ad Cæſaream cum immodicis Henrici Regis poſtulatis, quæ Cæſari viſa ſunt æquis auribus abſque nota dedecoris haud toleranda. Quare Legato reſpondit: Quandoquidem non aliud ſecum afferebat, fuiſſe ſatius ſi procul abiiſſet. [a] Hæc verba interpretatus eſt Polus, quaſi Cæſari eius commoratio diſpliceret; & in ſuſpicionem incidit, ne per tabellarium à Carolo Romam miſſum ipſius reuocatio poſceretur: idcircò litteras dedit, quibus à ſe optari indicabat, vt illinc reuocaretur. Sed longè alia Pontifici mens fuit, & cum Ioanne Franciſco Stella, quem Polus Romam legarat, pluribus accenſiſque verbis locutus, [b] oſtendit, hero ſuo deperdendam non eſſe in tam egregia opportunitate eam conſtantiæ laudem, quam integro vitæ curriculo ſibi comparauerat, ac potiſſimè cum initio amiſsâ patriâ, patrimonio, & conſanguineis, Religionis gratiâ, tum poſteà non amiſsâ tranquillitate animi, tametſi delabentem à ſe vidiſſet Vaticanam Tiaram, iam quaſi poſſeſſam potiùs quàm ſperatam. Gloriam quâ è Comitiis Purpuratorum Polus abſque Vaticanis Infulis egreſſus fuerat, centies eiuſmodi Infularum decus fuiſſe ſupergreſſam. Eam proinde ne offuſcaret, deterritus nutibus hominis ſemiuiui (Carolum ſignificabat morbis attritum) ſed viriliter perſeueraret in conquirendo triumphorum glorioſiſſimo, quos poſſet Senator Apoſtolicus reportare, dum Eccleſiam patrio regno, patriumque regnum Eccleſiæ reſtitueret. Se quidem credere, Diuinâ prouidentiâ effectum, vt Pontificale diadema à Poli fronte remoueretur, quò illam ſeruaret optabiliori illuſtriorique coronæ, quam ipſe conſequi nequiiſſet, ſi aliæ, quas adeptus non eſt, eum quaſi in carcerem incluſiſſent, quemadmodum Pontificem ſua in regia includebant. Ne calumniarum argumentum præberet obtrectantibus,

[a] Litteræ Poli ad Pontificem, Bruxellis, 14. Aprilis 1554.

[b] Litteræ Stellæ ad Polum, 28. Maij 1554.

1554. bus, ipſum permoueri à ſuis, quibus ſpes futuri in eo Pontificatus adhuc viuebat: vt ita cautè ſe gereret, ne abalienaret à ſe Cæſaris animum, à quo vt ipſe anteà promotus fuerat, ita ſperabatur in poſterum euectum iri.

Huiuſcemodi aculei plus ad vlcerandum quàm ad ſtimulandum 2
Poli animum valuere, qui, quantum conijcio, deſiderio magis rei conficiendæ quàm difficultate mouebatur. Sed vndique indicia obuerſabantur, quòd Cæſar cuperet ab eo negotio illum arcere: ipſe verò minùs indecorum fore Sedi Apoſtolicæ rebatur, ſi ab ea reuocaretur, quàm ſi ab aliis repelleretur; maiuſque operæpretium, ſi res alij cum fructu, quàm ſibi per titulum infecundum committeretur. Ferebatur, [c] inualuiſſe apud Cæſarem ſuſpiciones in Polum, quòd eius ſororis filius iuuenili libertate improbaſſet Dilingæ Reginæ conſilium, ſe ac patriam externo viro ſubiiciendi; qui iuuenis tamen cum laude ſuam operam Mariæ impenderat aduerſus ſeditioſos eam ob cauſam tumultuantes. Alter ipſius ſororis filius ſeceſſerat ab Anglia, hoc nomine quòd eas nuptias auerſaretur; & in Galliam venerat ad auunculum, à quo proptereà procul à ſe depulſus fuerat.

[c] Omnia conſtant ex plurimis litteris memorati libelli, ac præſertim ex litteris Aloyſij, Priuli ſocij Poli, ad Moronum, 3. Iunij 1554. & ex epiſtola Poli ad Montanum, 4. Aprilis 1554.

Quin ipſi Polo imputabatur, eum Dilingæ in publica menſa in 3
illud coniugium oblocutum; quod verum (vt ipſe ſcripſit) non erat: ſed verum erat, eum abſtinuiſſe, ne promeret quod ſentiebat, idque duplici de cauſa: Primò, quia nondum apud ſe ſtatuere poterat, conduceretne an officeret affinitas illa; & fortaſſis exiſtimabatur magis officere Cæſari, id ſibi oneris ſuſcipienti, quàm Reginæ, ſubditis minùs obſecundanti. Deinde quia minimè conſentaneum videbatur muneri ſuo (cui omnium beneuolentia conquirenda erat, quò omnium animas lucraretur) ſi profeſſus eſſet, id ſibi conſilium probari, quod multos offenſurum in comperto erat. Sed Pontifex, qui nuptias iam ſancitas videbat, cupiebatque ne quid Polo ad opus conficiendum obſtaret, illum cohortatus eſt, vt nollet in rem ineuitabilem conari; quin potiùs alacrem animum præ ſe gereret in eo, quod Diuino conſilio tribuendum erat, & ex quo emolumentum elici poterat ſi probaretur, detrimentum ſi improbaretur. Sed in id ante acceptas huiuſmodi cohortationes iam ſe flexerat Polus, [d] ſcriptis ſtudioſiſſimis gratulationis litteris ad nouum Regem & Reginam, atque exhibito vtrique animi ſui vſquequaque obſequio. Viciſſim Regina continua reuerentiæ in Apoſtolicam Sedem argumenta præſtabat: præcipuè verò cùm in Anglia multæ vacaſſent Eccleſiæ, dignos viros illis præficiendos nominauit, dariſque ad Pontificem [e] litteris, ab eo confirmationem petiit, quam

[d] Cuncta extant in dicto litterarum libello.

[e] 25. Aprilis 1554.

quam reipſâ obtinuit, Polo [f] ad id ſequeſtro vſa. Etenim, quamquam Polus pro accepta iam facultate eos ratos habuiſſet, idemque erga vnum ex iis quos inſtituerant ſchiſmatici Reges, egiſſet; non deerat tamen, qui reuocaret in dubium, an legitimè id fieret, eò fortaſſe, quòd nondum legationis poſſeſſionem iniiſſet. 1554.

[f] In Actis Conſiſtorialibus, 6. Iulij 1554.

4 Nec ad eam ineundam adhuc aditus Polo patebat, tametſi omnem ipſe conatum impenderet & ſcriptis ad Reginam litteris, & admotâ operâ Bartholomæi Carranzæ è Dominicana Familia, qui multo apud Philippum Regem in honore erat, quique Archiepiſcopus poſteà Toletanæ Eccleſiæ præfuit; de quo pluribus in locis mentio habenda erit. Quamobrem ad ipſum Regem prolixam tandem epiſtolam ſcripſit, [g] mixtam ſubmiſsâ reuerentiâ & Apoſtolicâ libertate, adeò eloquentem ac ſucci plenam, vt ancipiti fuerim animo, an integram in hoc opus referrem. Eodem tempore apud Cæſarem impenſiùs inſtitit, intellexitque, difficultatem in eo verſari, vt ij qui bonis Eccleſiaſticis potiti fuerant, certi forent ſe ab illo moleſtiam haud paſſuros. De quo Legatus Pontificem docuit [h]. Paulò pòſt reſponſum accepit ad ea quæ Philippo Regi ſcripſerat, delatum à Simone Renardo, qui munus obibat Aimontij, Oratoris Cæſarij apud Philippum ac Reginam eius coniugem. Allatæ litteræ fidem nuntio conciliabant: addebant præterea, voluiſſe Polum prolixis & inflammatis litteris adhibere ſtimulos ſponte currenti, Regemque cohortari ad ea, ad quæ potuiſſet ac voluiſſet Rex alios cohortari. Summa rerum, quæ linguæ nuntij commiſſæ fuerat, tria complectebatur.

[g] Ex Cœnobio Dilingæ, 21. Septemb. 1554.

[h] Litteræ Poli ad Pontificem, 13. & 14. Octobris 1554.

5 Vt primò exploraretur, An Polus [i] ſatis haberet, ſi per eos dies, abſque inſignibus, tituloque obſtrepente ac multis moleſto Apoſtolici Legati, Angliam ingrederetur; cùm alioquin ipſe acceptus eſſet regno, offerretque illi tamquam Cardinali Rex honorificum in omni genere occurſum, reſeruatâ tamen ſibi facultate aſſumendi poſteà nomen munuſque Legati tempore opportuniore.

[i] Litteræ Poli ad Pontificem, 23. Octobris, & ad Peningum ac Moronum, 28. Octobr. 1554.

Secundò, An ille animo propoſuiſſet, per ſeipſum ſuas facultates exercere, an priùs rem omnem communicare cum ipſis Regibus.

Tertiò, Opus fore, vt earumdem facultatum amplificationem à Pontifice obtineret. Cùm enim per eas poteſtas illi fieret [k], dandi veniam lapſis, relaxandi legem Sacerdotibus reipſâ coniugatis, ita tamen, ne ampliùs ad aras operarentur, nec Sacerdotiorum titulos retinerent; & cum aliis conditionibus, remittendi ob legitimam cauſam prohibitionem robuſtiorum eſcarum diebus abſtinentiæ deſtinatis, & alia etiam indulgendi, facultas ſimiliter impertiebatur

[k] Fuerunt ſignatæ 8. Martij, & luculentiùs 29. Iunij 1554. & extant in dicto epiſtolarum libello.

 tranſi-

1554. tranſigendi & componendi ſuper bonis ablatis; quæ loquendi forma ſuſpicionem mouebat eorum poſſeſſoribus, ne illic tribunal aſſurgeret, quo omnes in ius vocarentur. Quapropter exiſtimabat Rex, publicæ quietis gratiâ oportere vt à Pontifice poteſtas Legato tribueretur etiam liberaliter donandi. Quod ſi Legatus cenſeret, eam facultatem ſibi abſque dubio conceſſum iri, liceret ipſi profectione illam præuertere; ſin autem dubitaret, ſatius eſſe eam opperiri.

Reſpondit Polus ad primum: Tametſi diuturna mora poſtulaſſet ſaltem, vt eius exiſtimatio reſarciretur ampliſſimâ quâuis honoris ſignificatione in primo ipſius acceſſu: tamen, quò ſe cum pia Pontificis voluntate conformaret, optantis vt illius regni ſaluti quàm facillimâ poſſet ratione conſuleretur, ſatis ſibi futurum ingreſſum aliquanto minùs ſplendidum quàm deberetur. Tres à ſe perſonas geri; ſui ipſius priuatam, Pontificij Oratoris, & maximè ſpectabilem Apoſtolici Legati. Proinde haud ſe recuſaturum ingredi ſecundâ perſonâ contentum, omiſsâ tertiâ. Ad alterum: Semper ſe in animo habuiſſe, nihil agere Rege ac Reginâ inconſultis; & hanc eſſe pariter Pontificis mentem, ſe compertum habere. Ad poſtremum: Præter eas peculiares facultates, eſſe apud ſe Pontificium Diploma, quo ipſi concedebatur generatim, vt ageret quidquid earum animarum ſaluti conducturum putaſſet, cùm vellet Pontifex, vt in eo Diplomate contineri intelligeretur id etiam, quod ſuâpte naturâ peculiarem ſui mentionem poſtularet: idque ſe ratum habiturum Pontificio nomine Iulius pollicebatur. Quo Diplomate gauiſus admodum eſt regius Nuntius, eiuſque exemplum Philippo communicandum petit; affirmans, id ſi priùs innotuiſſet Regi, leuiores breuioreſque difficultates obſtituras fuiſſe. 6

Adiecit Polus, curaturum ſe, vt diſertè ſibi ea facultas à Pontifice conferretur, ſibique certum eſſe, non aliud ab Anglia optare Pontificem, niſi Angliæ ſalutem, & nullam prætereà temporariam vtilitatem. Conteſtatus tamen ipſe Legatus, numquam ſe aſſenſurum pactione contrahendi cum iis quos ad Eccleſiæ ſinum eſſet adducturus; cùm id nec eorum ſaluti, qui adducerentur, conducibile foret, nec eius dignitati, qui illum exciperet, decorum; ſed poſt liberam conuerſionem exhibiturum ſe omnibus amantiſſimam maximeque paternam largitatem. Pontificius Nuntius, qui huic colloquio interfuit, vltra Legati dicta progreſſus, quamcumque ex parte Pontificis liberalitatem ſpopondit, adeò vt regius Orator ſe plenè contentum oſtenderit. 7

Qui

8 Qui porrò addidit, Poſtremam mandatorum partem ſibi explendam ſupereſſe; nimirum, ſuorum Regum nomine offerre Polo Cantuatienſem Archiepiſcopatum, primariam in Anglia Sedem, quæ ob cauſam alibi memorandam vacare debebat. Ad id, actis vt par erat gratiis, Legatus reſpondit: Cùm ipſe Pontificis miniſtrum ageret, ſe ſui iuris non eſſe in re vlla excipienda ſibi profutura; præterquam quod ſe minimè decuiſſet, de priuato quopiam commodo ſuo agere, antequam publicum legationis ſuæ negotium eſſet confectum. 1554.

9 Statim ac Romæ compertum eſt Cæſaris votum, vt Poli facultates amplificarentur, non expectatâ Regis filij ſignificatione, ampliſſimæ conceſſæ ſunt, [l] vniuerſi Senatus Vaticani conſenſu. Comprobatum pariter in eodem Senatu [m] fuerat à Pontifice, quippe ſupremo domino regni Neapolitani, vt Carolus illud in Philippum transmitteret; quod ſponſi dignitati decorum viſum eſt, ne minorem quàm ſponſa honoris titulum obtineret.

[l] Ex litteris Montani ad Polum, 5. Octobris 1554.

[m] 23. Octobris 1554.

10 Verùm antequam de facultatum incremento reſponſa Pontificis peruenirent, cunctæ legationis difficultates ita ſubmotæ fuerant in Anglia, vt tandem Regina ad Polum remiſerit [n] Sacerdotem, qui à ſacello ipſi erat, cum efficacibus fidei litteris, quibus breuiter exponebat, à Rege in Conſilio confectum fuiſſe negotium de ipſius diu expetito aduentu, & de reconciliatione illius regni cum Eccleſia Catholica. Iam verò cùm litterarum volumen à me ſæpius adductum hîc finem habeat, res, quæ ſuperſunt, non adeò plane mihi liquent; ſed, quantum colligitur ex vita Poli, ſcripta à Ludouico Beccatello, illius tunc familiari, ac poſteà Raguſino Archiepiſcopo, non meri Oratoris, ſed Legati perſonam gerens ille perrexit: ac primò quidem ſuperioribus in eum edictis reuocatis, inde duobus primariis Dynaſtis obuiàm miſſis, denique in primo Londinum ingreſſu ad Thamiſis ripam exceptus eſt ab ipſo Rege; qui cuidam ex Angliæ Proceribus, admirabundis quòd Rex homini ſibi ſubdito obuiàm iret, reſpondit, Se Legato Pontificio obuiàm ire. Poſteà oportuit multa componere, vt Angliæ reditus ad obſequium Eccleſiæ ſtabiliretur. Poſtremò confectis omnibus, & conuocatis Ordinibus die S. Andreæ dicato [o] in Aulam Reginæ, aſſiſtente Legato, longam orationem habuit magni regni Cancellarius, dixitque Polum eſſe Angelum Angliæ; cuncti verò qui aderant, hæreſim ſolenniter execrati, ſummo Pontifici obedientiam ſpoponderunt, cui Rex obſequentiſſimam epiſtolam ſtatim ſuâ manu ſcripſit, quæ in Pontificio Senatu foribus patentibus eſt perlecta; atque ob eam

rem.

[n] 3. Nouembris 1554.

[o] Anno 1554.

1554.

p 14 Decembris 1554. in Actis Conſiſtor. & Iulius in epiſtola Montani, poſtridie ſcripta ad Archintum Nuntium Venetiis.

rem p Romæ ſolemnes Deo perſolutæ ſunt grates per Pontificium cum toto Senatu ſacrificium, per publicas ſupplicationes, per vniuerſalia ieiunia, per pleniſſimum Iubileum. Legatus, tametſi fremente in ipſum inuidiâ ob Religionis reique Politicæ cauſam, in magna ſemper auctoritate perſtitit, & ipſius conſilio, ampliſſimâque facultate, quam illi dederat auxeratque Pontifex, pro eo ac Reges coniuges poſtularant, contaminati Paſtores ab Eccleſiis eiecti ſunt, eorumque loco Catholici, Religioniſque ſtudioſi ſuffecti; qui Orthodoxæ Fidei causâ exilia ſpoliationeſque paſſi conſtanter inſectationis tempore, ſe Tiaris dignos oſtenderant. Fortunæ vices, quæ opplent admiratione mortales! ſed immeritò in eiuſmodi orbe, in quo rerum variationes adeò crebræ ſunt, & inconſtantia adeò naturalis, vt nihil planè admirabilius eſſe deberet, quàm ſtabilitas.

CAPVT X.

Noui tumultus Senenſes. Legatio Moroni ad Auguſtana Comitia. Miſſio in Angliam Antonij Auguſtini Nuntij. Pontificis mors.

1555.

MInùs proſperè res aliis in regionibus euenerant, quod An- 1
glicæ felicitatis dulcedinem Pontifici eripuit. Nec procul, ſed in Italia, & ad ſuæ ditionis oſtia tumultus ac paratam ſtragem ſpectabat. Senenſium æſtus, ſpe quietis abiectâ, in dies feruefcebant. Iulius aſſiduo ſtudio pactionem inter Cæſarianos Galloſque iam firmarat, quâ a vtrique ſua ipſorum arma retraherent, ciuiliſque adminiſtratio illius principatus eſſet penes Ceruinum Cardinalem, probitate ac prudentiâ ſatis ſpectatum, illiſque ciuibus acceptum; quippe virum nobilem ex Monte Politiano, vrbe ſitu proximâ, & ditioni Senenſi aliàs adnexâ. Sed Ferrarienſis Cardinalis variis artibus tamdiu partium ſubſcriptionem protraxerat, vt Hiſpanorum exercitus iuſſu Cæſaris coactus fuerit inde diſcedere, oram maritimam regni Neapolitani defenſurus aduerſus formidatam aggreſſionem Turcicæ claſſis. Quocircà Pontifex decreuerat Ceruini virtutem impendere alteri negotio, hominis propenſioni magis accommodo; ſcriptiſque ſuo chirographo litteris eum Romam acciuit b. Nec ipſe ab re putauerim, aliquot illarum periodos hîc apponere, in quibus, velut in cryſtallo, ſincera cuiuſuis acies ſinceram Iulij mentem de reformandis Eccleſiaſticis animaduertet. *Hîc*, inquit, *Epiſcoporum infinitus eſt numerus, & quæ ad morum reparationem ſpectant, magis quàm in præſentia profligata eſſe non poſſent. Noſtrum foret*

a Vide Adrianum lib. 11. & 12.

b 22. Auguſti 1555.

foret votum, vt ſaltem quinque aut ſex capitibus admodum neceſſariis, magniq́; momenti, conſuleretur; ac poſteà per dies ſingulos ea paulatim admouerentur remedia, quæ Dei afflatus ſuggereret. Cogimur proinde te hortari, rogare, atque obſtringere, vt huc quàm citiſſimè poteris, quod tuo fiat commodo, conuoles; nec tempus aduentus tui citra Kalendas Octobris coarctamus, nec vltra Kalendas Nouembris producimus. Noſtræ conſcientiæ teſtimonio certus omnino ſis, non minùs te promeriturum in nauanda nobis opera ad hanc rem aliaſq́; grauiſſimas, quæ in horas ſingulas occurrunt, quàm in Eccleſia tua curanda; quam ſcimus tuâ præſentiâ ſatis reſpiraſſe, & quæ poterit, etiam te abſente, relictis à te mandatis idoneis perfrui. Sed ob varias difficultates Diploma, ad conſulendum illis capitibus deſtinatum, confici non potuit, [c] niſi propè Iulij mortem: in quo Diplomate Comitiorum Pontificalium, Clerique emendatio continebatur; ita vt ne illo quidem ſolemni ritu illud firmare per tempus licuerit, quo ad ipſi parendum obſtringerentur Cardinales, aliique Eccleſiaſtici, ſeu in interiori ſeu in exteriori foro, quemadmodum vacante Sede pronuntiauit [d] ſelectus cœtus illuſtrium Iuriſperitorum, quem Collegij mandato percontatus fuerat Caraffa, Purpuratorum antiquiſſimus. 1555.

2 Sed reuertente ad Senenſium turbas ſtylo; Hiſpanorum diſceſſus, nondum confirmatis pactionibus propoſitis, qui Gallorum commodis peropportunus viſus eſt, ipſis in ea ditione cladem attulit. Potentiâ ſiquidem ſuperbientes, Florentiæ Ducem, Cæſarianarum partium, in inſula Iluæ ipſorum armis laceſſitum, ad implorandam Cæſaris opem compulere: quare validas adducens copias Marchio Melenianus, ad confligendum coëgit Petrum Strozzium Gallorum ducem, eumque prælio vicit. Deinde cinctas obſidione Senas fame coarctauit. Contigit interim, vt Aſcanius Corneus, ſororis Pontificis filius, & Cæſaris miles, [e] illectus ſimulatæ proditionis technâ ad Cluſium occupandum, eò malè cautus acceſſerit; ſed cùm fucata fraus fraudem tegeret, captus eſt, & in Galliam miſſus; vnde poſtmodum à Rege Pontifici redditus, ſed adiectâ obligatione, vt tamquam Regis captiuus apud eum detineretur. Hæc erant ad id vſque temporis armorum euenta.

3 Quamquam autem eo finitimo bello Pontifex valdè agitaretur; tamen multò acriùs à remoto Germaniæ, quàm à propinquo Etruriæ incendio adurebatur, cùm ipſi obuerſarentur animo & ſuperiora infortunia, & noua pericula Religionis, ob imminentia Comitia Auguſtæ celebranda, vt ibi decerneretur, quiſnam ex quatuor modis in Paſſauienſi concordia numeratis opportunior eſſet ad con-

[c] In mandatis traditis Antonio Auguſtino, Auditori Rotæ, miſſo ad Regem Angliæ Nuntio, 30. Ianuarij 1555 infra adductis.

[d] Acta Conſiſt. 25. Martij, & 3. Aprilis 1555.

[e] Litteræ Montani ad Delfinum, vltimo Martij, & 23. Aug. 1554.

1555. trouerſias Fidei componendas. Quamobrem quò in tam arduo grauique negotio poſſent Nuntio Delfino mandata ſuppeditari magis & aſſidua & idonea, Ceruinum, qui ad breue tempus Eccleſiam ſuam repetierat, [f] eo animo ipſe reuocauerat, vt illi curam præcipuè demandaret proſpiciendi rebus Religionis, iniungendique variis longinquis adminiſtris quæ ab ipſis eſſent agenda.

f Litteræ Montani ad Delfinum, 25. Auguſti 1554.

g In variis litteris Montani ad Delfinum, & in mandatis traditis à Iulio, Antonio Auguſtino, infrà adducendis.

Cumque poſtulatum eſſet à Cæſare [g] vt ad Comitia aliquis deſi- 4
gnaretur Legatus, Pontifex primò renuit, ob cauſas quas infrà recenſebimus; ſed vrgente Romanorum Rege, propterea quòd in eo conuentu de grauiſſimis Religionis rebus deliberandum erat, quæ tanti Miniſtri Pontificij præſentiam poſtulabant; pollicitoque, ſe abſque illius Legati conſenſu nihil confecturum (quòd aut ignorauit, aut celauit Suauis) Legatum mittere induxit animum; delegitque Moronum Cardinalem, virum exercitâ prudentiâ, expertum Germaniæ, eidemque perſpectum, quippe qui diu Nuntium egerat apud ipſum Ferdinandum, & ſimili conuentui Ratiſponæ interfuerat, cùm ibi Contarenus adeſſet Legatus.

Simulatq; Pontifex hanc electionem, petentibus Carolo ac Ferdi- 5
nando, habuit, ire iuſſit Antonium Auguſtinum Hiſpanienſem, Romanæ Rotæ Duodecimuirum, ad Philippum Regem & vxorem Mariam Nuntium, qui grates ipſis ageret [h] ob reditum regni Britannici ad Eccleſiæ Catholicæ ſinum, ſimulq; proponeret, rationem vnicam illius in Fide retinendi fore, ſi aberrantibus quodcumq; apud exteros perfugium occluderetur, quod compoſitâ cum Gallis pace obtineri potuiſſet: illud eò ſtudioſiùs à ſe inculcari tum Cæſari tum ipſis, quòd in præſentia vir maximæ auctoritatis pollicebatur, in eo euentu Henricum Regem votis Pontificis, ipſorumque Principum, conſenſurum in eo quod ad Turcam reprimendum, opprimendoſque hæreticos in Religionis vtilitatem pertineret. Ac vir ille de ſe obtulerat, vt in arcem Æliam ipſe conijceretur, capitiſque pœnam lueret, vbi quod pollicebatur non ſuccederet. His addere iubebatur Nuntius, numquam omiſiſſe Pontificem adiicere animum ad morum emendationem, cunctis exemplo futuram; ſed rem duplici de cauſa diutiùs protractam, & propter Eccleſiaſticorum repugnantiam ne corrigerentur, & propter vim & iniquam poteſtatis vſurpationem, quam laici Magiſtratus aduerſus Eccleſiæ ius exercebant. Priori parti conſuluiſſe tandem Pontificem in pluribus præcipuis capitibus per Diploma iam digeſtum, breuî promulgandum; poſteriori opus eſſe, vt Principum pietas auctoritaſque proſpiceret. In eo Diplomate viros Eccleſiaſticos reformari, ducto initio à Romani

h Extant in eius mandatis, 30. Ianuarij 1555.

mani Pontificis creatione, vſque ad infimum ipſorum gradum. Et quamuis oportuiſſet eas ſanctiones conficere, quæ poſſent in quacumque regione ad opus deduci; tamen multis rebus fuiſſe conſultum, quæ præſertim in Eccleſiis Hiſpanicis ad bonum regimen, rectamque viuendi rationem ſpectabant. Vbi verò illud Diploma ſatis non eſſet, præſtò eſſe Pontificem ad ea omnia adiicienda, de quibus commoneretur, dummodò viciſſim abuſus laicæ poteſtatis abolerentur. Ac potiſſimùm querebatur, quòd illius poteſtatis operâ compluribus Hiſpaniæ Epiſcopis ſubiicerentur Canonicorum Collegia, ſeu, vt vocant, Capitula, quæ per titulum quo fuerant condita erectáve, ſeu per poſſeſſionem omni memoriâ antiquiorem, eximebantur: non mediocri illarum Eccleſiarum perturbatione; quandoquidem ſuauior adhiberi poterat medela corruptelis ab ea immunitate profectis, per ſanctiones in Concilio ſtatutas, & per alias quæ opportunæ cenſerentur. 1555.

6 Deſtinatum pariter fuiſſe à Pontifice in gratiam Cæſaris Moronum ad Auguſtana Comitia Legatum; tametſi Pontificis animo non parum renitente, quòd de rebus Religionis agendum eſſet in conuentu ex Eccleſiaſticis ac laicis, ex Catholicis & hæreticis conflato, cui tam monſtroſo ſpectaculo indecorum videbatur adeſſe Pontificium Legatum: tamen indulſiſſe Pontificem ipſorum poſtulationibus, duo pro certis aſſumentem. Alterum, complures ex præcipuis Principibus per ſeipſos Comitiis interuenturos ad grauia Decreta conficienda, non autem per procuratores, tenui cum auctoritate ad modica ſancienda, inter quos pro dignitate Legatus Apoſtolicus minimè interfuiſſet. Alterum, nihil omnino ibi ſtatuendum aduerſus auctoritatem Eccleſiæ, Patrum, Conciliorum, præſertim verò aduerſus Tridentinas ſanctiones, quod in Religionis vniuerſæ perniciem redundaſſet. Hæc iniuncta Auguſtino mandata in Angliam proficiſcenti eodem tempore, quo Moronus in Germaniam[i].

7 Sed vix peruenerat Moronus, cùm Romam Iulij obitu reuocatus eſt. Deceſſit Iulius 23. Martij, Pontificatus anno ſexto, & ætatis ſeptuageſimo, ex cibi defectu; [k] quemadmodum ſæpè accidit, vt bona fortunæ, eis qui affluentiùs illa poſſident, plurimùm poſteà in vſu deficiant, deficiente ipſis arte iis bonis vtendi, & creſcente inconſideratâ appetentiâ morbum inſanabilem vſquequaque ſanandi: cuius rei exemplum aliquod ſimile ætate noſtrâ conſpeximus. Euenit igitur, vt dum Iulius acutis obſtinatiſque podagræ doloribus torquebatur, ſperauerit illam fame enectum iri: cumque

i Tradita illi Crux, 13. Februar. 1555. vt in Actis Conſiſtor.

k In Vita iam memorata Proſperi Cardin. Sanctacrucij.

1555. ingens Iulij corpus, ac prævalidus ſtomachus cibatu plurimo indigerent, eoque vſa fuiſſent, ille in vtroque genere ſubinde ipſum adeò attenuauit, vt attenuauerit ſimul, ac demum poſt menſem tam importunæ dietæ vitalem calorem extinxerit. Ita luctus argumentum euaſit Iulius, cùm in ſumma eſſet expectatione, & ſuæ & priuatæ publicæque lætitiæ, ob ſolemnem legationem, quam Rex Angliæ ad eum miſerat ad obedientiam ipſi exhibendam; quæ legatio tribus Oratoribus conſtabat, nomine ſcilicet Eccleſiaſticorum, Dynaſtarum, & Popularium. Altero ante poſtremum vitæ diem [1] Collegium aduocauit, eique ditionis Eccleſiaſticæ procurationem commiſit.

1 22. Martij 1555. vt in Actis Conſiſtorialibus.

Mediocri natus genere fuit Iulius, ſed ingenio pluſquam mediocri ad excogitandum præſtantiora, quàm ad inſiſtendum excogitatis. Per multos gradus ad ſupremum eniſus eſt; & præter minora munia interfuit Lateranenſi Concilio, & in eo ſolemniter perorauit. Fuit Archiepiſcopus Sipontinus, & bis Romæ gubernator, & etiam Apoſtolicæ Cameræ Auditor. Quo tempore Roma direpta eſt, ipſe cum aliis obſes victoribus datus, graue diſcrimen ſubiit ignominioſæ necis inter barbaram militum auaritiam. Iam Cardinalis, præcipuis ditionis Eccleſiaſticæ prouinciis præfuit, ſuamque ſapientiam animique conſtantiam illuſtrauit diuturnâ turbidâque Concilij præfecturâ. Tener in amore, celer ad iram, ſed non minùs celer ad eam deponendam quàm concipiendam: ſuopte ingenio patens, ſed latens quantum vellet, ex arte: pronus ad laxamenta, ſed æquè etiam ad negotia. Documenta miniſtris ad alios Principes legatis in eius Pontificatu tradita, quæ plerumque ab eo dictata ſunt, perinde ac omnes penè magni moliminis litteræ, ingenij ſubtilitatem præ ſe ferunt, prudentiæque de politicis rebus præſtantiam, nec minùs boni publici Religioniſque ſtudium; ſed quædam formulæ in illis plus efficacitatis quàm maieſtatis præferunt, quæ abſolutæ grauitatis ac moderationis defectum arguunt. Benefico fuit animo, ſed interdum abſque delectu; dignioribus quidem ſine præmio nequaquam præteritis, ſed ſimul etiam minùs dignis beneficio affectis. Suum ſanguinem deamauit, variis Purpuris inter conſanguineos diſtributis, quorum aliqui honorem meruiſſe poſteà cenſeri poſſunt, quem cùm obtinerent haud merebantur: præſertim verò in Nobilio Cardinali tenera ætas admirationem addens ſanctimoniæ, viſa eſt decus addere, non minuere dignitati. Sed præ ceteris vnum extra conſanguinitatem ſuam amauit, euexitque, nec anteà nec poſteà dignum, qui fuit Innocentius de 8

Monte.

Monte. Abſtinuit à transferendis in ſuos Apoſtolicæ Sedis bona: 1555. vnde Aſcanio Corneo ſolùm quoad viueret donauit pagum prope Peruſiam; & germano fratri Balduino, itidem quoad viueret, Camerini Principatum conceſſit, qui poſteà à Iulij ſucceſſore, compenſatis aliunde prouentibus, ablatus illi fuit. Fama eſt, ab hoc germano fratre [m] ad extremum vſque extimulatum fuiſſe, vt cunctis ſuis poſteris iure beneficiario Principatum illum concederet; ſed Pontificem à liberis Ceruini conſiliis fuiſſe retentum. Multò magis abhorruit ab ineundis nexibus cum ſummis Principibus, quibus conſanguineos extolleret. Tantummodò à Duce Florentiæ, patriæ ſuæ domino, Montis ſancti Sauini beneficiarium ius accepit in fratre, impotens ſibi temperandi ab ea voluptate, quâ ſuos adſpiceret in illis dominantes, inter quos educati fuerant æquales. Par quædam illecebra illum poſtremo ætatis anno traxit ad ſtabiliendum coniugium [n] inter Fabianum filium nothum, ſed vnicum fratris, demortuo Ioanne Baptiſtâ, & filiam Coſmi ducis, quæ poſtmodum Alfonſo Ferrariæ Duci nupſit; quod in Senatum retulit, [o] conteſtatus, nihil inde detrimenti paſſuram Rempublicam Chriſtianam. Eius Pontificatus parum gloriæ in memoria poſterorum obtinuit ob infelicem expeditionem Parmenſem, ob diſſolutionem Concilij, & ob Paſſauienſem concordiam. Hæc omnia repenſa videbantur Angliæ recuperatione, ſi quid tamen aut præter flores ille collegiſſet, aut ſi ex ea fructus diuturnior Eccleſiæ proueniſſet. Æſtimatione tenui, nec maiore beneuolentiâ mortuus eſt. Etenim quædam illius libertas ac familiaritas, quæ ipſi priuatam gerenti perſonam amorem inter æquales conciliauerant, in excelſo poſteà Principis gradu venerationem minuere; ſine qua dote cùm Princeps minùs in ſeipſo bonus cenſeatur, minùs pariter amari ſolet. Nihilominùs, vt mea fert opinio, hæc de illo exiſtimatio fuit iniqua: ipſius quippe vitia maiora quidem ad ſpeciem erant quàm virtutes, ſed non fortaſſe ad pondus. Nempe honor quoque, perinde atque cetera mortalium bona, præter verum bonum vnicum, quod eſt probitas, in arbitrio fortunæ ſitum eſt.

[m] Bzouius anno 1555. & alij ſcriptores illius temporis.

[n] Litteræ Montani ad Delfinum Nuntium, 23. Aprilis 1554.

[o] 6. Aprilis 1554.

1555.

CAPVT XI.

Electio Marcelli Secundi. Senarum deditio. Res à nouo Pontifice geſtæ. Citus eius obitus. Mira Pauli Quarti creatio.

IN Pontificio interregno à Purpuratorum Collegio Leoninæ ci- 1
uitatis Legatus confirmatus, [a] adeoque Comitiorum cuſtos
conſtitutus eſt Aſcanius Corneus; idque non ſine aliqua Proce-
rum aduerſantium contentione, quòd is eſſet Regis Galliæ capti-
uus, & Cæſaris miles, ac proinde minimè capax illius curæ, vti
perquàm honorificæ, ita perquàm ſuſpectæ. Quare Collegium ad
huiuſmodi obſtacula diſſoluenda declarauit, ipſum, quod ſpectaret
ad hoc miniſterium per quod ſecurè Chriſti Vicarius eligeretur,
à cunctis memoratis nexibus liberum eſſe.

In Comitiis vires Gallorum ſpem fecerant aſcendendi Ferra- 2
rienſi Cardinali, ipſorum anteſignano, cui & ob familiæ poten-
tiam, & ob animi dotes alij fautores non deerant. Quapropter Cæ-
ſariani, ſtudentes ab hoc diſcrimine ſe ſubducere, ad eiuſmodi Pur-
puratum oculos conuerterunt, cui plauſus communis faueret, adeo-
que facilis eſſet aſcenſus. Talis Ceruinus erat, à quo nec eos retra-
hebant ſuperiora Comitia, quibus illum excluſerant, neque acerbæ
in ipſum denuntiationes, horrendæque minæ vel à Cæſare profe-
ctæ, vel Cæſaris nomine delatæ, quas variis in locis memorauimus.
Etenim exiſtimabant, in animo ſapienti ac moderato, à ſummis be-
neficiis, bonique communis rationibus hebetari appetitum vltionis
ob acceptas offenſas. Sed quia virtus egregia, niſi in otio iacuerit,
neceſſe eſt vt ſemper aliquam in ſe maleuolentiam, ſeu per offenſio-
nem, ſeu per diſſenſionem, ſeu per æmulationem exciuerit, multi
Cardinalium Ceruino obſtitere, ac præcipuè (quod mirabile vi-
ſum eſt) ex Gallis, vel vt ſpem ſuſtinerent Ferrarienſis Ceruino po-
tiſſimùm aduerſantis, [b] vel certè ob conſuetam quamdam morta-
lium animis propenſionem ad abhorrendum ab eo quod æmulus
appetit. Verumtamen cùm ſuffragiorum numerus ei repellendo ſa-
tis non eſſet, paulatim ipſi quoque cum reliquis conuenere de Cer-
uini electione, quæ concorditer habita eſt nono Aprilis. Noluit is
ſuum Marcelli nomen mutare: in quo Suauis, tamquam in re vel
maximè inuſitata, ridiculus eſt, dum arcanas rationes commini-
ſcitur; cùm tamen paulò anteà Adrianus Sextus idem egiſſet Cæ-
ſarei Oratoris hortatu, ob excellentiam Pontificum, quibus idem
nomen fuerat, ſicut expoſuimus. Id verò Marcellus Secundus ex
ſimili

[a] In Actis Conſiſtor. 23. 24. & 26 Martij 1555.

[b] In epiſtola Farneſij ad Tiburtium eius miniſtrum in Gallia, 14. Maij 1555.

ſimili pietate erga memoriam inclyti Pontificis ac Martyris eiuſdem nominis imitari voluit. Riſu pariter excipienda ſunt Suauis commenta de Pontificum ſuperbia, quam illis proptet huiuſmodi conſuetudinem appingit. Cuinam experientiâ magis quàm ipſi compertum erat, plurimis Cœnobitarum, ſummam animi demiſſionem profitentium, idem eſſe conſuetum? Et ſanè ab animi demiſſione, non à ſuperbia videri poteſt hæc conſuetudo originem duxiſſe; quod obſeruat Baronius [c], & colligitur ex Epitaphio Sergij Quarti in Baſilica Lateranenſi: hic enim Pontifex, qui dicitur in conditionis mutatione primus omnium nomen quoque commutaſſe, anteà Petrus appellabatur; vt proinde veriſimile ſit, id ab illo factum, quòd auſus non fuiſſet in ea Cathedra nomen gerere tanti Apoſtoli, qui ab ipſo Christo, tamquam illius fundator & ſui Vicarius, electus fuerat. 1555.

c Anno 1009. & 1012.

3 Dein multa refert à Marcello tum geſta tum cogitata, quà vera, quà falſis immixta, quà commentitia; ſed per eiuſmodi artem, vt ſi non hominem improbum depingat, quod ex concordi oppoſita fama ſe perſuaſurum deſperabat, deſcribat certè magis aucupantem oprima quæ fieri non poſſunt, quàm bona conſectantem quæ fieri poſſent; & quaſi minus ſolertes pictores imitantem, qui rerum imagines non à naturalibus, ſed ab imaginariis formis mutuantur. Mihi ſatis foret ſimplex inficiatio, vbi nulla probatio producitur, & vbi viri grauitas nullum ſuſpicioni leuitatis aditum relinquit.

4 Verùm ſilentio præterire non placet, quàm citò eius moderatio ac circumſpectio patuerit in danda repulſa cuidam poſtulationi, alioqui nimis flexanimæ ac ſpecioſæ, quæ ſuis finitimis, ac penè ciuibus profuiſſet. Cùm eâ tempeſtate Senenſes ad extrema eſſent redacti, ſperarentque ſe opem impetraturos à futuro Pontifice, pro eo ac noui Principes conſueuerunt ſplendida quædam amplecti molimina ad miſeris opitulandum; idcircò deditionem protraxerant, non ſine Coſmi Ducis ſollicitudine. Quapropter ſtatim ac Marcellus Pontifex creatus eſt, [d] propinquæ & quaſi eidem patriæ confiſi, eius opem implorarunt; ipſe verò ſatis gnarus, ſi vellet vt ciuem patriæ ſuæ ſe gerere, non poſſe Chriſtianæ Gentis parentem agere, eos cohortatus eſt, vt ſeruirent rempori, minuſque duras conditiones à victoribus ſibi conquirerent. Quare, compoſitâ ſtatim concordiâ, Monlucius Senis egreſſus eſt, eoque Cæſariani cum Florentinis ingreſſi.

d Vide Adrianum lib. 12. in fine.

5 Pergit Suauis deſcribere in Marcello magnam quamdam genethliacæ artis fiduciam, quâ ſibi ſummum Pontificatum, de eo palam

1555. làm locutus, & in ipſo poſteà diuturnitatem, rerumque, quas apud ſe digeſſerat, ſucceſſum ſpopondiſſet; in quibus ab inopinato vitæ exitu illicò ſe deluſum agnouerit. Sed in hoc pariter mendacij reuincitur à teſte luculentiſſimo, hoc eſt, ab vniuerſa Marcelli vita anteacta, quæ impenſa ſummis ſummarum rerum negotiis, ipſius ætate in Chriſtiana Republica agitatis, in quolibet curriculi ſui veſtigio nonniſi prudentiam, maturitatem, animique ſoliditatem oſtendit: atque in narrationibus, de breui ipſius Pontificatu editis, ne vna quidem vocula deprehenditur, quæ hanc in eo laudem offuſcet. Præterea ad oppoſitum comprobandum mihi plurimum conferet epiſtola viri egregij, & Marcello in primis familiaris, hoc eſt Seripandi, ad Archiepiſcopatum Salernitanum anteà promoti, ab eo ad Camaianum Fæſularum Epiſcopum ſcripta, complorante tam chari Principis mortem, quæ paulò antè contigerat. In ea epiſtola [e] is narrat: Cùm ſæpiùs intento animo res à Ceruino Cardinali geſtas recoluiſſet, hanc ſecum ratiocinationem habuiſſe: Si Ceruinus ad Pontificatum adſpirabat, & ſimul ita ſe gerebat, omnium mortalium hebetiſſimus erat: ſi apicem illum aſcendere hic curabat ſtudio virtutis, non tam homo erat, quàm Angelus humanâ ſpecie indutus. Illi nimirum eâ ætate quadrabat, quod olim de Catone dicebatur: *O te felicem Marce Porci, à quo nemo audet quidquam inhoneſtum petere.* Atqui poſt longiſſimam cum Ceruino familiaritatem quo pacto potuiſſet ita ratiocinari Seripandus, ſi palàm ille, vt pro certo Suauis aſſumit, per aſtrologicas obſeruationes Pontificatum ſibi prædixiſſet? Sed quando in hoc argumento verſamur, haud reticuero aliud præſagium, quod certè, ſi reuerà contigit, omnino verax euaſit, nec aſpectum cæleſtium corporum auctorem habere potuit; cùm illi arti ne ipſius quidem celeberrimi profeſſores tantum arrogent, ſed ſpirituum cæleſtium vocem.

e 9. Maij 1555. impreſſa in tertio volumine litterarum Principum.

Ludouicus Firmanus, Cærimoniarum Magiſter, in [f] ephemeride 6 ſua narrat, die nono Aprilis mane cùm Patres in Comitio ſimul eſſent coacti ad conſuetam ſuffragationem habendam, ipſe verò ad ianuam perſiſteret pro ſuo munere, quò accerſeretur ad electionem legitimis tabulis excipiendam ſi opus foret, affirmatum ſibi à collega fuiſſe, hanc à ſe prædictionem auditam; nimirum, quarto poſt incepta Comitia die Pontificem creatum iri, eumque nominatim Ceruinum; ſed paucos dies ſuperſtitem fore: quod vbi verum eſſet, electionem eo planè die, qui erat quartus, euenturam. Poſteà verò cùm è ſacello Patres egrederentur nullo electo, ſe collegæ dixiſſe, vanum fuiſſe præſagium: ſed ad eiuſdem diei veſperam, cùm Cerui-

f 9. Aprilis 1555.

Ceruinus fuiſſet electus, eiuſque mors breuî ſubſecuta, verax à ſe 1555.
fuiſſe agnitum vaticinium. Porrò compertum mihi eſt, quàm facileconſuetumque ſit, ſuo cuique arbitratu præſagia de rebus præteritis comminiſci; tamen prætererire non libuit hanc narrationem, quæ ob appoſitas conditiones, figmenti ſpeciem haud mihi præ ſe fert.

7 Duo verè Suauis memorat: Alterum, prima Pontificis conſilia fuiſſe de proſequendo emendationis negotio: nam ad id ſtatim Purpuratos aliquot Patres deſtinauit, quibus à ſucceſſore poſteà idem munus confirmatum. [g] Alterum, à Marcello, propter aſſiduos ſanctioris Hebdomadæ labores, ſupra ſui corporis ſed non animi vires, morbum fuiſſe contractum, qui apoplexiæ ictu illum perculit, extinxitque poſtremo die Aprilis, eiuſque Pontificatus vigeſimoſecundo.

g Acta Conſiſt. 29. Maij 1555.

Peculiare de ipſo elogium hîc non attexam; quoniam cùm vlrrà mihi non ſuppetat memoriâ dignum, quàm quod ſparſim & prolixè de illo ſcripſerim, magis id oſtentationi meæ, quàm legentium vtilitati conduceret. Solum hîc adnotauero, eum certè felicem appellari poſſe, quod ſpectat ad famam, ex hoc ipſo quod infelicitas viſum eſt; quandoquidem ægrè potuiſſet æquare operâ ſublimem opinionem à ſe relictam eorum, quæ, ſi vixiſſet, reipſâ perfeciſſet.

8 Electioni Marcelli haud interfuerat Farneſius Cardinalis, vt qui poſt bellum Parmenſe numquam voluerat Romæ commorari, & in ſua legatione Auenionenſi degebat, tametſi [h] à Iulio inuitatus, & pingui oblato prouentu, & honorificâ adminiſtratione. Sed auditâ Pontificis morte, & ad Comitia profectus, nouum Pontificem natus eſt, operâ potiſſimùm Cardinalis S. Angeli, fratris ſui, & Cardinalis Sanctæ Floræ ſobrini creatum, à quo ſingulari beneuolentiâ, largiſque promiſſionibus exceptus eſt. Referebat Farneſius ex Gallia Regis Henrici litteras ad Gallicarum partium Purpuratos, Polo Cardinali propitias, qui ob conſuetudinem in memorata legatione cum Rege, eius beneuolentiam ſibi compararat, præter id, quod ab ipſo Farneſio ſuis apud Regem officiis pro eodem Polo peractum erat: vnde Marcello demortuo ſperauit, ſe huiuſmodi litteris rem promoturum. Sed in reliquis illarum partium Cardinalibus offendit animos [i] non mediocriter alienos, præcipuè verò in Bellaio Gallicæ nationis antiquiſſimo, & in Ferrarienſi factionis principe, affirmantibus, ſibi graues ex aduerſo ſuppetere rationes Regi ſignificandas; adeoque opus eſſe, vt reſponſum opperirentur, & interim electionem protraherent, donec reliqui Galli Purpurati

h Extat in dicta epiſtola Iulij III. ad Ceruinum.

i Extat in epiſtola Farneſij Card. ad Tiburtium miniſtrum ſuum, Pariſiis 11. & 14. Maij 1555.

1555. peruenirent, ipſorum partem corroboraturi. Eâ re Farneſius incredibiliter commotus eſt; tum quòd præpediretur Poli creatio, cuius deſiderio ſupra modum flagrabat, tum quòd intelligeret, ea omnia dirigi ad eumdem Ferrarienſem promouendum, pro quo in ipſo Comitiorum ingreſſu commendationes efficaciſſimæ ab Henrico Rege ſuperuenêre. Ipſe verò ſuum apud animum maximè ab eo abhorrebat, propter eas rationes, quibus quilibet Cardinalium remoueri poſſet, ne in Petri Sede Italicum principem tam potentis familiæ collocaret: quæ plus etiam virium apud Farneſium habebant ex conſueta inter ſimiles æmulatione, & inter finitimos diſcrepantia. Idcircò per ſuum in Gallia miniſtrum ſtuduit Henrico demonſtrare, fieri non poſſe, vt Eſtenſis eligeretur: prænoſcere ſe, in tres tantummodò Purpuratos Collegium propenſurum. Vnum ex his eſſe Polum, eumque communi iudicio dignum agnoſci, ac præſenti rerum ſtatui accommodatum, ſibique optimum videri; nec eſſe repellendum à Gallis quòd à Cæſarianis prouehebatur, cùm in comperto eſſet, neminem renuntiatum iri Pontificem, cui altera ſolùm pars ſuffragaretur. Alterum eſſe Caraffam, Senatus Principem, in quem inclinare Bellaium, quia (interpretabatur ille) in Principatus prærogatiua ipſi ſuccederet; alij verò, quia decrepita illius ætas ſpem ipſis ſucceſſionis in Pontificatu faceret. Verùm tametſi Caraffa beneuolum erga ſe animum præ ſe gereret, ſibique eſſet conſanguinitate coniunctus; à ſe tamen haud cenſeri Apoſtolicæ Sedi per ea tempora idoneum, neque pariter Regis commodis, ob conſanguineorum multitudinem, qui ſubiecti erant Cæſari, qui per eos beneficiis à ſe affectos noui Pontificis amicitiam conſequi potuiſſet: de illo nihilominùs rationem habendam. Tertio loco Moronum nominabat; cui tamen obiectabatur animus Cæſari prorſus addictus. Hactenus certas adduxi notitias, erutas è volumine litterarum Alexandri Cardinalis Farneſij, quod mihi Hieronymus Cardinalis Farneſius nunc viuens communicauit, poſtquam hæc mea Hiſtoria primò in lucem prodiit. Ingreſſi dein in Comitia Purpurati, quò adductus fuit à Farneſio [k] Ioannes Antonius Facchinettus, ipſi percharus, de quo ſæpiùs habenda nobis erit mentio in rebus Concilij; quique poſt annum trigeſimum ſextum in aliis Comitiis electus Pontifex, Innocentij Noni nomen accepit. Porrò quæ poſteà in Comitiis euenerint, per tabulas adeò authenticas mihi comperta non ſunt. Legi tamen in quibuſdam narrationibus, nec auctoritatis expertibus, nec veritati diſſimilibus, detectam ibi fuiſſe à Farneſio, præter obſtacula iam indicata, Collegij difficul-

[k] Conſtat ex ſchedula Farneſij ad Pontificem, 8 Octobris 1555. aliiſque plurimis eius litteris.

catem

tatem in eligendo tunc Pontifice tam longinquo; Cæſarianos quoque haud ita promptos videri, ob recentem de Polo ſuſpicionem, quam Cæſar præ ſe tulerat, eius itinere retardato: & quia Philippus, nouus, externus, & nondum ſatis firmus Angliæ Rex, haud ſibi tutum fore putabat, ſi homini Anglo ſumma in Eccleſia poteſtas traderetur. Quapropter Cardinalis Sanctæ Floræ, Cæſarianorum anteſignanus, adiecit animum Puteo promouendo, qui honoribus plurimis ac præmiis à Paulo, & amplioribus à Iulio affectus fuerat, & erat Cæſari acceptus, adeoque libenter ab eo admiſſus (tametſi natus in Gallia Narbonenſi) ad Barienſem Archiepiſcopatum in regno Neapolitano, nec priuatim Gallis omnibus non charus, quippe Gallus, quamuis publicè ab illorum partibus alienus quaſi Cæſarianus. Ceteroquin in Iuris prudentia eminebat, ætate maturus, moribus commendabilis; & ipſa conditionis demiſſio gradus aptabat ad ſolium, cùm originis humilitas ſuſpicionem arceret, eum ad conſanguineos extollendos ardua moliturum. 1555.

9 Itaque Cardinalis Sanctæ Floræ eò rem deduxit, vt ſuffragatorum numerus qui ſatis eſſet, & Farneſius inter reliquos, quamuis tepidiùs, conueniret: adeoque tamquam de re peracta potiùs quàm peragenda ſermo inter illos habebatur. Sed amici cuiuſdam feruor Puteum à Solio depulit. Patres qui à Iulio creati fuerant, certo duce carebant: Montanus enim, qui primas partes egerat, quippe extra illius cognationem, & æſtimationis expers, neque illos grati animi titulo obſtringere, nec prudentiæ ductu ipſis præire potis erat. Ex altera parte, cùm conducat multitudini, quò validiores euadant, in vnum aliquo pacto coaleſcere, adeoque ab vno capite pendere, hanc prærogatiuam concedebant Corneo Cardinali, Iulij ſororis filio, plurimiſque dotibus exornato. Is itaque ardore iuuenili præferuidus, vt decus conſequeretur in eo ad coronam euehendo, quem ipſius patruus ad Purpuram euexerat, dumque per illum æſtum negotioſus Purpuratorum cubicula circumit, contigit vt in Farneſium offenderet. Hic diuturno aſſuetus imperio, conſciuſque, in ſua eſſe poteſtate maiorem vrnæ partem, tam vehementi ſeu indignatione ſeu æmulatione ſuccenſus eſt, vt extemplò ad obturbandum ſucceſſum exarſerit.

10 Cùm igitur huiuſmodi molimini alterum vellet opponere, potiùs vt id peruerteret, quàm vt hoc perficeret, incidit illi in mentem Caraffa Purpuratorum antiquiſſimus, Cæſaris ſubditus, tam Gallis gratus, quàm eiſdem ſuſpectus Puteus in Gallia natus, quamque ſuſpectus erat Caraffa Cæſari, qui à poſſeſſione Archiepiſco-

 patus

1555. patus Neapolitani diutiùs illum prohibuerat, donec tandem ea in re Iulio morem geſſerat, quo tempore idem Iulius de Carolo plurimum merebatur ob incommoda belli ab ipſo illius cauſâ ſuſcepti; & poſtquam Pontifex declarauerat, ſe minimè ad id petendum moueri, quòd ſibi probarentur in Caraffa rationes agendi (de quibus aut ex arte negotij, aut ex oppoſitione ingenij, litteras plurimæ reprehenſionis plenas ſcribebat[l]) ſed quà illius Eccleſiæ ſtudio, quæ diu Rectore caruerat; & vbi à Cæſare id impetraretur, poſſet eò mitti qui & ſacram & profanam ipſius rem aptè curaret, quà Apoſtolicæ Cameræ commodo, quæ hoc pacto prouentibus ad ſuſtentandum Caraffam ſuppeditatis leuaretur. Per eam tamen occaſionem, adhibitis beneuolentiæ formulis in ſuo quodam Diplomate, illum purgauit criminationis ad Carolum allatæ, quòd ipſi regnum Neapolitanum adimere, & ſub Pauli Tertij dominatum pertrahere ſtuduiſſet; affirmans, id incredibile videri de viro rebus ſacris adeò defixo tum lectione tum contemplatione tum etiam actione. Verùm præter alienum Cæſaris animum ab electione Caraffæ, aliis quoque de cauſis eius electio longè aberat à veriſimili; cùm in eo formidaretur ab omnibus quædam virtutis ſeueritas, nec ab experientia ciuilium negotiorum (ob vitæ ſolitudinem[m] ab ipſo retentam, quantum ſibi licuerat inter magnarum Aularum frequentiam, interque magnarum rerum negotia) nec à flexili ad alienum conſilium ingenio ob proprij fiduciam temperata. Verumtamen intelligebat Farneſius, ab iis rebus à quibus valdè abhorretur, vbi propiùs tentati cernuntur, tametſi abſque ſucceſſus veriſimilitudine, deterreri homines, ac moueri ad paciſcendum, quò ſollicitudine liberentur. Eapropter vt Cardinales, qui de euehendo Puteo conuenerant, ab incepto retraheret, ſtatuit in ſacellum à Paulo II. extructum Caraffam adducere, vbi noui Pontifices adorari ſolent. Et quamquam eum promotum iri minimè crediddiſſet; prompto tamen erat animo ad ipſum promouendum, vbi res pronior manui quàm cogitationi ſuccederet. Quandoquidem neque Reipublicæ Chriſtianæ, neque ſuæ dignitatis ratio ipſum remordere poterat, quòd ad eum gradum euexiſſet Collegij maximè veteranum, illuſtrem natalibus, ſacris litteris ſatis inſtructum, & venerabilem virtutis exemplo. Neque vtilitatis politicæ rationes eumdem quaſi minùs prudentem damnare poterant, quòd ſceptrum addidiſſet Purpuræ, à Paulo Tertio collatæ illi viro, cuius gratum erga ſe animum expertus fuerat ætate

Iulij

[l] Litteræ Dandini ad Nuntium Pighinum, 30. Octobris 1550. & Nuntium Bertanum, 27. Maij 1551.

[m] De his quæ ſpectant ad propenſionem, ac vitam ſolitariam Petri Caraffæ, remotam à profanis negotiis, videri poteſt epiſtola impreſſa Io. Matthæi Giberti, Datarij; qui refert, à Caraffa duas Eccleſias, Brunduſinam & Teatinam, fuiſſe cum Religioſis clauſtris cōmutatas contemplationis deſiderio: & narratio illorum Comitiorum, à ſapienti calamo conſcripto, in qua de eo dicitur: *Cùm ob vitam ſemotam, quam ſemper duxerat, cognoſcere non potuiſſet id quod publico regimini neceſſarium videtur.*

Iulij per certum ærumnoſæ fortunæ experimentum. Iam verò quò ſagacitas humana magis in dies deluſa conſpiceretur in tam ponderoſo negotio, vbi cùm Vicarius deſtinetur Chriſto, ipſe vult eius verus auctor & eſſe & videri, multi Purpuratorum adhæſere Farneſio; partim alienis cohortationibus impulſi, partim propriæ conſcientiæ ſenſu erga viri probitatem, partim collegarum concurſione, cùm plurimi confluerent, & ſatis ad rem conficiendam ſuffragiorum crederetur. Quare ex quadraginta octo, qui erant in Comitiis, cuncti ad Caraffam acceſſere præter ſeptemdecim, qui in Aula, in qua Senatus à Pontificibus cogi ſolet, vnà conceſſerant, vt illi obſiſterent; hi verò ſuperabant tribus ſuffragiis (cùm electus ſeipſum adorare non poſſet) portionem, quæ ad impediendum ſatis; erantque & conditione præcelſi, & auctoritate prævalidi. Quare tum ea de cauſa, tum quia facilius eſt excludere quàm eligere, vbi multorum ſpes viget, ſucceſſus adhuc ab omni probabili iudicio longè aberat. 1555.

11 Sed contigit, vt Otho Truxeſius Cardinalis Auguſtanus, [n] ſummâ exiſtimatione Præſul ob egregias dotes, & maximè inter Cæſarianos, tametſi manè indicaſſet cærimoniarum Magiſtro, Puteum eo die Pontificem renuntiatum iri; ac poſteà cùm reſciſſet quid noui pro Caraffa tentaretur, in hæc apud eumdem verba prorupiſſet: *Quid agit Teatinus ille ambitioſus?* ſerò aliam ſibi mentem iniectam ſenſerit. Vnde expiatis per homologeſim conſcientiæ labeculis, poſtridie ſummo manè Sacris operatus longè maiori pietatis ſenſu quàm conſueuerat, ſtatim per eumdem cærimoniarum Magiſtrum Caraffæ ſignificauit, ſe illi ſuffragaturum. Exemplum tanti viri reliquos qui Caraffam excluſerant adeò commouit, vt alij mente mutati, alij animo conſternati, eòdem ſe flexerint. Contrà verò, qui ad Caraffam adorandum in ſacellum conuenerant, quamquam plerique (ſeu potiùs omnes, vt idem [o] poſteà narrabat) eum minimè cuperent, conſtantes perſtitere. Fuit itaque electus & renuntiatus Pontifex die 23. Maij, eo planè die deſtinatum Chriſti Vicario in terra ſolium aſcendens, quo die [p] Aſcenſio Chriſti ad paratum in cælo ſolium celebrabatur. Poſtquam autem nouus Pontifex, Patres non ſemel rogauit, vt aſſumendum ſibi nomen proponerent, de quo numquam perinde ac numquam de occaſione illius aſſumendi cogitarat; [q] tacentibus illis per modeſtiam, tandem vt oſtenderet quàm memorem animum gereret in Paulum Tertium, à quo Purpuram acceperat, & in Farneſium Cardinalem, qui coronam ipſi compararat, Paulus Quartus appellari voluit.

[n] Omnia exſtant in Diario Magiſtri cærimoniarum, 22. & 23. Maij 1555.

[o] Eſt in narratione Oratoris Nauageri ad Senatum Venetũ, an. 1557. apud Burgheſios.

[p] In Actis Conſiſtorialibus.

[q] In Diario iam laudato.

1555. Hîc multa de Caraffa congerit Suauis, vera falſis de more per- 12
miſcens. Nos, ne moleſtiam lectoribus inferamus, ſingulis ab eius dictis ad exactam trutinam reuocatis, id affirmare poſſumus, Paulum Quartum generatim euaſiſſe talem Pontificem, qualis agnitus fuit Cardinalis; hoc eſt, ſummo Religionis ſtudio, ſed non abſolutâ prudentiâ prædictus. Solùm fefellit plurimos, quòd nimio in conſanguineos amore quaſi faſcino correptus fuerit, quorum conditio ea fuit, vt illius labes fouerit, virtutes eneruarit, atque eiuſdem Pontificatum infauſtum inglorioſumque reddiderit, prout in Operis noſtri progreſſu patebit. Verùm, quemadmodum accidit iis Principibus, qui multa & ardua conficienda ſuſcepere, vnde hinc ſibi aduerſas, hinc propitias amplas illuſtreſque familias, Reſpublicas & regna habuere; ita tum laudibus, tum vituperationibus in ipſum Paulum abundarunt ſcriptores. Nos qui ſuſtinemus cauſam Dei, cui falſitas, tametſi in bono & boni gratiâ, diſplicet, iam tum etiam cùm primò hoc Opus edidimus, medium tenuimus; hoc eſt (vti medium non veritatis minùs quàm virtutis plerumque domicilium eſt) verum, quod tamen medium homini, in altero extremorum ob animi affectionem hærenti, non medium videtur, ſed oppoſito extremo propinquum: adeoque nec admirationis nec querelæ materia poſteà nobis fuit, quòd quiſpiam narrationem noſtram ægrè tulerit. Hinc verò non modò nulla in nobis commotio excitata eſt, ſed ne oculis quidem auribúſve vſurpare voluimus minimam quamcumque particulam aduerſæ cuiuſdam obtrectationis. Si quà verò in hoc affirmando fictio ineſt, reos nos ſiſtimus enormis mendacij; maculæ nimirum, quam ſupra mortem exhorremus, vti perſpectum eſt cuicumque nos ipſi perſpecti ſumus. Multò etiam longiùs noſtro abeſt ab animo, vt venerandæ memoriæ Pauli IV. luenda ſit pœna alienæ feruidioris beneuolentiæ, vel vt noſtrum hoc Opus in id vitij proruat, quod iniuriâ ipſi appoſitum eſt; quaſi ſtudioſè colligat illius Pontificis vituperationes, quarum ingens ſilua eſt apud tam multos ſcriptores, ſeu publicos ſeu priuatos, qui acriter in eum inuehuntur; atque omnino, vt ad caſtigandum nimis ſtudioſum Pauli defenſorem, cum Suaui impio calumniatore fœdus ineamus. Tantummodò quò fidem noſtram apud lectores inuidiâ liberemus, cùm velimus res præcipuas repetere, quæ in facto oppugnabantur, hîc, ſiue in contextu ſiue ad marginem hiſtoriæ, crebriores aliquas validioreſque probationes addemus. De conditionibus, rebuſque geſtis Pauli IV. præter peculiaria monumenta, quæ ſubinde proferemus, plurimum lucis exhauſimus præſertim

è duo-

è duobus Commentariis. Alter eſt pleniſſima narratio Bernardi Nauageri, Oratoris Veneti apud eumdem Paulum, qui poſtmodum à ſucceſſore in Purpuratorum Senatum adſcitus eſt, & vnus Præſidum, qui finem Concilio impoſuerunt, conſtitutus. Hæc narratio exactam exhibet notitiam totius ferè illius vitæ vſque ad pacem cum Hiſpaniæ Rege compoſitam. Alter eſt accuratiſſima hiſtoria, calamo ſcripta, de bellis ab eo geſtis, & de iis quæ ipſius conſanguineis contigere, & ab amico nobis apprimè charo, doctibuſque ingenuis inſtructo, dictata. Fuit hic filius celebris illius Iaſonis Norenſis, Petrus appellatus, qui in epiſtolis arcanis Clementi VIII. operam nauauit, & poſt eius obitum duobus Purpuratis, eius fratris ac ſororis filiis, à ſecretis fuit. Is itaque, cùm ex quo primùm ad Aulam Romanam acceſſit, habuiſſet in animo huiuſmodi Opus contexere, quippe de argumento maximè recente inter ea quæ digna memoratu euenere in Eccleſiaſtica ditione, ab ipſa conditione ſuorum munerum, ſuæque induſtriæ aſſiduitate adiutus, exquiſita monumenta collegit, & cum aliis tabulis contulit: quibus benè inſtructus hiſtoriam conſcripſit, pari narrationum ſinceritate, animaduerſionumque prudentiâ. Nos itaque quod ad noſtrum negotium attinet, ſæpiùs eâ vtemur in ea parte, vbi res ille per ſe teſtatur, non item in ea, vbi ducitur coniecturâ; cùm referre non liceat ceu peractum quod homo ſapiens coniectauit, ſed id quod homo verax enarrauit. Præterquam quòd eius teſtificatio, quâ parte illam ſequimur, plerumque nobis comprobatur iiſdem etiam tabulis, quibus ipſe niſus eſt, quarum magna pars in noſtras manus deuenit: cùm in hoc ſimiles ſint Phyſica in ſuis poſitionibus, & Hiſtoria in ſuis narrationibus formandis, quòd alteræ plurium effectorum, alteræ plurium dictorum collatione firmentur.

1555.

Eſt apud Burgheſios.

CAPVT XII.

Anglicani Oratores excepti. Regni titulus Hiberniæ inditus; & Suauis ſuper eo mendacia. Carolus Caraffa euectus ad Purpuram; eiuſque conditiones.

1 SEd antequam progrediar, ad aliquam me cogit moram Suauis narratio. Dicit is, cùm Romam perueniſſent Anglicani Oratores primo die quo Paulus Quartus Pontificatum iniit, ab eo fuiſſe humaniter exceptos in Senatu publicè tunc primùm coacto; atque ad eorum Principum decus augendum, Hiberniam regni titulo nuncupatam, declaratâ poteſtate ſibi à Deo factâ ædificandi

&

1555. & euellendi regna: cordatis hominibus, veram tunc rei cauſam ignorantibus, viſum id fuiſſe ſpeciem quamdam inanem; cùm planè non perciperetur quid eidem Regi dignitatis ex eo accederet, quòd plurium regnorum titulos per plures ditionis ſuæ partes obtineret, quandoquidem ipſe Rex Galliæ ex eo ſolùm titulo cohoneſtatur magis, quàm ſi eius principatus in tot regios titulos in quot prouincias partiretur: prætereà illi tempori haud conſentanea viſa fuiſſe ea verba Pontificis, *Traditam ſibi à Deo auctoritatem regna ædificandi & euellendi:* ſed homines cauſæ conſcios nequaquam id vanitati tribuiſſe, ſed cuidam arcano Romanæ Aulæ conſueto. Etenim cùm Henricus Octauus, poſtquam ab Apoſtolica Sede ſeceſſit, Hiberniam regnum conſtituiſſet, is verò titulus ab Eduardo, ac poſtmodum à Maria fuiſſet retentus; negabat Pontifex, ad vllum mortalium ſpectare, præterquam ad ſe, poteſtatem regij tituli concedendi: & ex altera parte durum videbatur, Mariam ad eum deponendum adigere, poſtquam ipſum nihil vltrà cogitatione progreſſa continuarat. *Quapropter* (pergit Suauis) *id temperamenti excogitauit, diſſimulatâ rei ab Henrico geſtæ notitiâ, quò poſſint homines credere, adhiberi titulum à Regina tamquam à Pontifice donatum, non tamquam à parente decretum.* Dein adiicit: *Ita ſæpè Romani Pontifices id donarunt, quod auferre non poſſent à poſſeſſoribus. Hi verò ad contentiones euitandas, partim res proprias dono acceperunt, partim notitiam doni, iuriſq; à donante ſibi accepti, diſſimularunt.*

Opplet admiratione mihi animum iſtius hominis impudentia, & affirmantis id, cuius veritatem nec in re ipſa, nec in eius conditionibus cognoſcebat, & adſtruentis id, quod falſum eſſe non ignorabat. Vt à conditionibus exordiar: Oratores à Paulo excepti non ſunt in primo Senatu ab eo publicè habito, qui conuenit trigeſimo Maij[a], vbi obedientiam profeſſus eſt Hercules Ferrariæ Dux; ſed in altero 21. Iunij, in quo ipſi Oratores Anglici Regni nomine ſuperiorum erratorum veniam petierunt, eamque impetrarunt, in Eccleſiæ ſinum recepti. Neque tunc ad regiam dignitatem Hibernia euecta eſt, ſed peractum id fuerat in Senatu ſecreto 7. Iunij: quod ita fieri opus fuit, quò liceret Oratoribus ſuos Principes tamquam Angliæ & Hiberniæ Reges nominare. Et ſanè adſcribi vanitati non poterat nouus ille titulus, quemadmodum nec vanitatis eâ de cauſa notatus fuit Henricus Octauus. Nam eatenus Galliæ Rex vnico regio titulo contentus erat, quatenus vnicus ille ampliſſimum regnum complectitur: ſed idem minimè contentus eſſet, exempli causâ, ſi vnius Aquitaniæ; neque Rex Catholicus, ſi vnius Caſtellæ 2

[a] Acta Conſiſtorialia.

ſtellæ Rex nuncuparetur. Id enim ſignificaret, alias ipſorum ditiones, ab Aquitania Caſtellâve diſtinctas, regnorum prærogatiuâ haud potiri, vnde dominantium dignitas minueretur. Ita planè Angliæ contingebat, quæ alia eſt ab Hibernia, nec minus maiúſve regnum euadit, quòd hæc regnum ſit aut non ſit. 1555.

3 Sed quò progrediamur ad errores in re, & ad mendacia enormia ſuperiecta; vſque adeò falſum eſt, diſſimulatam à Pontifice fuiſſe notitiam regiæ nominationis, quam Henricus Hiberniæ fecerat, idque fuiſſe ignotum quoddam Aulæ arcanum, ex cuius ignoratione ea differerentur quæ Suauis comminiſcitur; vt Pontifex in Senatu per verba quæ coram Patribus pronuntiauit, & in Acta Vicecancellarius retulit, illius rei mentionem diſertè fecerit, dicens, Hiberniam inſulam, poſtquam Angliæ Reges operâ Sedis Apoſtolicæ eâ potiti fuerant, poſſeſſam ab ipſis fuiſſe mero nomine *Dominorum:* ſed poſtremùm ab Henrico Rege, qui ab Eccleſiæ Catholicæ vnitate, Romanique Pontificis obedientia iam deſciuerat, regium eius titulum ſibi arrogatum fuiſſe ſub ſpecie cuiuſdam legis, latæ à Conuentu illius inſulæ; & tum illum, tum eius filium Eduardum, qui ſe tamquam Angliæ Reges geſſere, Hiberniæ quoque Reges ſeſe appellaſſe. Nunc verò ab ipſo Pontifice eam Reginam conſtitui, ſaluo tamen quocumque iure, quod in illam aut Sedes Apoſtolica aut quiuis alius obtineret.

4 Sed fortaſſe reſpondebit quiſpiam Suauem defenſurus: Id totum confici potuiſſe occultè inter Pontificem & Cardinales, Mariâ conceſſionem minimè petente, nec rei conditionibus in Aulam vulgatis. Sed quid porrò, ſi adducta verba in publico Diplomate, eâdem die ſignato, fuiſſent exarata, & non motu proprio, ſed Philippo ac Maria poſtulantibus? Cui libuerit, illud videre licet impreſſum in Annalibus Bzouij[b]. Quînam igitur veritati conſonant quæ Suauis affirmat? Quo pacto Romæ tot ſermocinationes habebantur à cordatis viris, ſed veram cauſam ignorantibus? quo pacto id arcanum quoddam erat? quo pacto Pontifex diſſimulauit notitiam nominationis regiæ, quam Hiberniæ Henricus Octauus indiderat? &, quod pluris intereſt, quâ ratione poteſt excuſari turpe mendacium, quod ſcilicet id noui Paulus egiſſet, vt crederetur Maria huiuſmodi titulum gerere *tamquam à Pontifice donatum*, *non tamquam à parente decretum*, cùm id feciſſet eâdem ipsâ petente, quæ Pontificiæ conceſſionis vi illo potiri volebat? Quâ demum fide narrat Suauis, ea verba, *traditam à Deo fuiſſe Pontifici poteſtatem ædificandi & euellendi regna*, viſa fuiſſe tempori diſſentanea, ſi ne vſurpata

b Anno 1555. num. 20.

1555. pata quidem fuere, adeoque nec in actis Senatus, nec in toto Diplomate vel ea vel illis ſimilia leguntur?

Concuſſo tot rationibus huiuſmodi fundamento, nolo citra opportunitatem moram trahere in effato vniuerſali, quod ille deſuper extruxit, *Id fuiſſe conſuetum Romanis Pontificibus*; cum reliquis, quæ ab illo dicta recitauimus. Si peculiaria protuliſſet exempla, tam valida forſitan euaſiſſent, quàm id quod ſermocinationibus argumentum præbuit. Enimuerò poſſeſſio donandi regij nominis penes Romanos Pontifices tam ſæpè in Hiſtoriis apparet, vt eam referre, ob occaſiones ex accidente profectas, vetemur à vulgata Philoſophi doctrina, Ex accidente non eſſe quod frequenter eſt. Nec videmus apud ceteros Principes, eam eſſe ſupremæ ſuæ poteſtatis negligentiam, vt velint facile ab aliena poteſtate conceſſum agnoſcere id quod ad propriam ipſorum pertinet.

c Acta Conſiſtorialia.

d Memorata Nauageri narratio.

In eodem Senatu Pontifex in Collegium cooptauit [c] Carolum Caraffam fratris filium (qui parum illi acceptus, dum eſſet in Purpuratorum ordine, videbatur; [d] quippe ingenio penitus militari, oppoſitoque patrui animo, penitus Eccleſiaſtico) ſimul etiam Bononienſem legationem tunc ipſi commiſit, ac ſupremum in rerum adminiſtratione locum. Ea res adeò illi infelix accidit, vt planè dici poſſit, in Senatu, quem diximus, habitam à Paulo fuiſſe alieni creationem regni, euerſionem ſui. Erat Carolus poſtremus filius Alfonſi Comitis Montorij, Pontificis fratris: quare tenui addictus fortunæ ab ordine natalium, ad eius incrementa per laborum induſtriam aſpirauerat. Educatus à prima iuuenta in Aula Pompeij Cardinalis Columnæ, militiæ poſtea S. Ioannis, Aulæque Petri Aloyſii Farneſij nomen dederat. Tum ſub Vaſtio & Octauio Farneſio Cæſari militauerat prioribus in Proteſtantes bellis, ſed virtute maiori quàm fortunâ. Vnde digreſſus, Octauio Duci ſtipendia fecerat; ac tandem Regi Galliæ in bello Senenſi, Petro Strozzio ductore, quod eò ampliùs ab ipſo, eiuſque patruo Cæſarem abalienarat. Cùm Paulus Petri Sedem aſcendit, Carolus trigeſimum octauum annum attigerat, iiſque florebat dotibus, quæ cùm indifferentes ad optimum peſſimúmve ſint, prout cum virtute aut cum vitio copulantur, populariter virtutes dicuntur, & quæ patrui oculis, nimiâ beneuolentiâ infectis, Carolum dignum Purpurâ reddebant, acumen ingenij, linguæ dexteritas, animi vigor, manuum robur, gloriæ ſtudium: ita tamen vt in hæc omnia magis appetentia quàm ratio dominaretur; ea præſertim appetentia, quæ cùm maximè pernicioſa ſit, nobiliſſima videtur, inſatiabilis videlicet.

licet ambitio dominandi, à maiorum imaginibus ſtimulata, & a noua fortuna ſollicitata; perinde quaſi hæc non tam ingens illi donum, quàm ingens promiſſum elargita eſſet. 1555

CAPVT XIII.

Thomæ Crammeri, Archiepiſcopi Cantuarienſis, damnatio, eiuſque Eccleſia Polo tradita. Reſtitutio Prouentuum Eccleſiaſticorum in Anglia. Auguſtana Comitia, eiuſque Decreta de Religionis articulis.

1 POſtquam Anglia cum Eccleſia vnitatem iniit, animum adiecit Pontifex ad medelam adhibendam morbis è ſchiſmate ibi contractis. Maximus inter Epiſcopos illius regni, ſuperiori peſtilentiâ infectos, inuentus eſt peſſimus: is fuit Thomas Crammerus Archiepiſcopus Cantuarienſis, ac regni Primas, qui non hæreticus modò, ſed hæreſiarcha fuerat, ac poſteà errores peruicaciter defenderat coram Pontificio Prolegato. Quare relatâ ſæpiùs eius causâ in Senatum, [a] à Puteo damnatus ibi fuit, non tiaræ ſolùm, ſed capitis priuatione, per formam Eccleſiaſticis tribunalibus conſuetam; traditus nimirum profanæ Poteſtati, à qua flammis addictus eſt. Perpetuus illius Eccleſiæ adminiſtrator Reginæ nominatione Polus deſtinatus; [b] de quo habita eſt à Pontifice ornatiſſima commendatio, idemque in claſſe Cardinalium Sacerdotum conſtitutus, vnde Sacerdotis Ordinem tunc ipſe ſuſcepit. Qua in re, ſi Poli Vitæ credimus, à Beccatello eius familiari conſcriptæ, errat Suauis, dum narrat, eum Sacerdotio initiatum quarto menſe antequam Archiepiſcopus crearetur. Quoniam autem Anglia ſchiſmatis tempore, ſicut indicauimus, grauiſſimas bonorum Eccleſiaſticorum direptiones paſſa fuerat, alias à priuatis, alias à Regibus patratas; hæ quidem largiùs à Regina reparatæ ſunt; de illis ſatius viſum eſt indulgentiùs agi, ne cuncti eorum direptores, ſignis nondum ſatis abactæ hæreſis tam amplæ vtilitatis ſtipendio adſcriberentur.

[a] 29. Nouembris, & 4. Septemb. 1555. vt in Actis Conſiſtorial.

[b] 11. Septembris 1555. vt in Actis Conſiſt. & in Vita Poli.

2 Dum Eccleſia creſcebat in Anglia, augebantur in Germania eius iacturæ. Celebrata ſunt Auguſtæ Comitia poſt memoratum Moroni Legati diſceſſum [c]. Delfinus nuntius auditâ Pauli electione, ſucceſſorem petiit, pro eo ac fieri ſolet, non impetrandi deſiderio, ſed modeſtiæ causâ, ſimulque vitandi periculi minùs honorificæ reuocationis. Reſponſum ei, vt Romam veniret ad edocendum Pontificem de iis quæ ibi agebantur; interim verò rem committeret Aloyſio Lippomano Antiſtiti Veronenſi illac tranſituro,

[c] Extant cuncta in dicta narratione Delfini ad Caraffam.

 cùm

1555. cùm legaretur à Pontifice Nuntius in Poloniam, vt in Fide regnum illud contineret, in quod nimiùm iam vicinæ Germaniæ contagio prorepſerat. Lippomanus igitur, vt Auguſtam peruenit, ſimulque Delfinus, iunctis officiis pro virili apud Regem inſtitere, ne cui Religionis Orthodoxæ detrimento conſentiret. Inde Romam profecto Delfino, Lippomanus obtulit Ferdinando prævalidum libellum, in quo demonſtrabat, quæſtiones Fidei non ad aliud, præter Apoſtolicam Sedem, Tribunal ſpectare: ſed ominibus exitus improſperi animaduerſis, ſatius duxit ſuum iter in Poloniam proſequi, quàm illic Pontificij adminiſtri perſonam agere, ſpectatorem earum Religionis iniuriarum, quibus efficaciter obſiſtere nequaquam poſſet. Ferdinandus oratione plurimâ cohortatus eſt Ordines ad vnitatem Fidei atque concordiam. Poſteà cùm conſpicaretur animos in eam parum procliues, nec auctoritate & conſilio alicuius adminiſtri Apoſtolici quidquam conari poſſet, optimum duxit, repoſitum articulum, Quonam ex quatuor propoſitis modis res confici poſſet, in deliberationem haud vocare, ſed in alia futura Comitia illum differre.

Intereà tamen grauiſſimis Religionis Catholicæ detrimentis aſſenſus eſt, ſicut exponemus; non quidem perpetuò, ſed vſque dum iniretur concordia. Rem is excuſabat, cauſatus, diſerta mandata ſe à Cæſare poſtulaſſe, eidemque ſuaſiſſe pacem cum Gallo, quæ pariter à Maria Regina promouebatur, Poli adhortationibus ſtimulata: ſe quoque Cæſari oſtendiſſe, hanc pacem telum vnicum fore ad perfringendam Proteſtantium peruicaciam; ſed à Cæſare, loco mandatorum quæ ab illo expetebantur, ieiunè ſibi fuiſſe reſponſum, Se & corpore infirmum, & bellis diſtractum, non poſſe Germaniæ rebus animum adiicere, adeoque in Ferdinandi arbitrio illas reponere. Eâ tempeſtate cunctas ferè Ciuitates, Principeſque Germaniæ, per diſſidia atque inimicitias inter ſe rixari ob controuerſias ſeu Religionis ſeu rerum ciuilium, quod prouinciæ perniciem inferebat. Dum ipſe Ferdinandus in Auguſtano conuentu morabatur, Principes Proteſtantes ex familiis potentiſſimis, ceu Saxoniæ, Brandeburgi, atque Haſſiæ, Nauburgum conueniſſe, quaſi in oppoſitum conuentum; ſibique ſignificaſſe per litteras, velle ſe certum quoddam fœdus, quod hereditarium appellabant, inter ſe confirmare, vt quotieſcumque opus foret, in vnum coaleſcerent, ac pace fruerentur: quod ſonabat, vt diffiderent à Cæſare, eumque bello laceſſerent, vbi in ſuæ ſectæ licentia ab illo ipſis moleſtia infligeretur. Poſtremò ad ſe purgandum ſubdebat Rex, nihil à ſe actum

actum fuiſſe, præter comprobationem eorum, de quibus ſimul Catholici atque hæretici, Eccleſiaſtici atque laici conuenerant. Summa Decretorum in Comitiis fuit: 1555.

4 *Ne Cæſari, néve cuilibet Principi Catholico liceret inferre moleſtiam iis, qui Auguſtanam Confeſsionem amplectebantur, propter ſanctiones eouſque ſtatutas, aut in poſterum ſtatuendas; neque hi viciſsim Catholicis, ſeu Eccleſiaſticis, ſeu laicis.*

Quicumque in Religione neutri ex nominatis partibus adhæſiſſet, à concordia excluderetur.

Nemini inter Imperij Ordines fas eſſet, vllum Principem, eiúſve ſubditum, ad ſuam propriam Religionem allicere, aut ſubditis contra dominum patrocinari; id verò illæſo iure earum ditionum, quibus ex antiquo iure liceret ſibi patronum eligere.

Si vtrorumuis ſubditi vellent vnà cum familiis aliò migrare, ac bona diuendere, ne vllis interdiceretur; ſaluo tamen iure dominorum in homines ſeruiles. cùm abundet Germania ſeruis glebæ addictis, vt loquuntur Iuriſconſulti.

Quod ſpectabat ad bona Eccleſiaſtica iam direpta, res in Paſſauienſi concordia reponebatur, per quam huiuſmodi cauſæ de præterito vſque ad futura Comitia ſuſpendebantur.

Ne iuriſdictio Eccleſiaſtica exerceretur in iis quæ ad præſentem concordiam pertinebant, ſed in reliquis, relictâ viris Eccleſiaſticis facultate exigendi quæ ipſis de more deberentur, dummodò ſiue per ſe, ſiue per Parochos eorum miniſteriis proſpiceretur, & conſuetæ ſuſtentationi noſocomiorum & ſcholarum: quod ſi oriretur hac in re controuerſia, præſcribebatur illius componendæ ratio per amicos conciliatores. In quo Eccleſiaſtici illi ſolùm iuri ceſſere, cuius vſus à Proteſtantium vi iam illis impediebatur; nimirum facultas exigendi quæ ipſis iure debebantur, & alia etiam exequendi in locis, in quæ ipſi iuriſdictionem ſacram, Proteſtantes verò ius profanum obtinebant.

Vt memorata concordia perduraret vſque ad eam, quæ vno ex quatuor modis conficeretur: quod ſi confici non poſſet, hæc firma perſiſteret & inuiolabilis.

Vt hæc concordia ſeruaretur & inter nobiles, Cæſari nullo alio domino intermedio ſubiectos, & inter Ciuitates Imperij, vbi vſque ad id temporis vtraque Religio viguiſſet, adeò vt vtriuſque ſectatores pacificè inter ſe degerent.

Vt in tribunali Cæſareo ius omnibus diceretur, haud habitâ ratione vtrius Religionis eſſent.

Vt iuſiurandum in poſterum poſſet concipi ex Paſſauienſi concordia, per

1555. *Deum & per Euangelium; cùm ea fuiſſet excogitata ratio, vt haberetur iuſiurandum per res æquè venerandas Catholicis & hæreticis; hi verò non adigerentur ad iuſiurandum cum inuocatione Sanctorum, quibus ipſi cultum negant.*

Declarauit quoque Ferdinandus, ne, qui iuriſdictioni ciuili Eccleſiaſticorum Principum ſuberant, illi ſubiacerent, perinde ac ſubditi laicorum, obligationi ſeruandæ Religionis quam Princeps coleret, ſeu regionis mutandæ.

Effecta huiuſce concordiæ eo pernicioſiora in perpetuum euaſere, quo tunc conducibiliora viſa ſunt. Etenim Germani defatigati attritique diſcordiis, hoc veluti opio per diuturnam quietem ſopiti ſunt; quod effecit, vt ea Decreta quaſi miſeriarum leuamentum duxerint, vtque ob horrorem nouorum certaminum per pigram ignauiam permitteretur Proteſtantibus longè maior licentia in exequendis rebus, quàm intenta fuiſſet in paciſcendis, & in propria verborum ſententia. Verùm quemadmodum accidit, vt falſa quædam medicamenta humorum fluxiones ſanare videantur; dum eas ad tempus retardant, ſed eaſdem poſteà violentiores reddunt, magiſque lethales; ita quies illa Germaniæ conſtitit populis aliâ tempeſtate diuturni laboris pretio, cum tanta mortalium ſtrage & pernicie, vt vel ipſa cogitatio perhorreſcat. 5

Qui Ferdinando, Bauariſque Principibus ſubdebantur, finitimorum licentiâ illecti, ſuis à Dominis petierunt, ne duriore quàm alij conditione premerentur, ſed vt ipſi quoque vitam agerent Eccleſiaſticarum legum obſeruatione ſoluti. Quibus reſponſum: Communem conditionem ex Decretorum tenore non eſſe libertatem, ſed obligationem ſubditorum adhærendi dominorum Religioni, aut abeundi. Rex autem anno ſuperiore per ſuas ditiones Catholicum [d] Catechiſmum vulgarat, cuius auctor fuerat Petrus Caniſius Neomagenſis, primus inter Germanos è Societate Ieſu, interdictis reliquis Catechiſmis, hæreticorum operâ corruptis ac diſſeminatis. Quæ opella, ſimulque breuis methodus ad Confeſſarios dirigendos, ſcripta à Ioanne Polanco eiuſdem Societatis, duo illic ſaluberrima quaſi alexipharmaca Religionis fuere; ſed ad arcendam ab integris membris cancrænam, non ad vlcerata reſtituenda, quibus nihil prodeſſe poteſt, niſi vigor potentiæ vitalis, & omnipotentis efficaciæ robur.

[d] Vide Spondanum, anno 1555. num. 3.

CAPVT

1555.

CAPVT. XIV.

Commotio Pontificis ob Comitiorum Decreta. Inter eum ac Cæſarem ſuſpiciones. Studia Caraffæ Cardinalis ad coniungendum cum Gallo Pontificem. Perturbationes Romæ coortæ, Sfortianorum & Columnenſium cauſâ; vnde offenſiones inter Paulum & Auſtriacos auctæ.

1 PRodierant Comitiorum Decreta exeunte Septembri: de quibus factus certior Pontifex, acerbiſſimè conqueſtus eſt cum Ferdinando Rege per Delfinum Nuntium, qui Româ ineunte anno 1556. ad ſuum munus priſtinum exercendum reuerſus erat. Rex verò cùm ſibi videretur & in iis concedendis, quæ Catholicis officerent, ab aperta neceſſitate omnis à ſe nota procul arceri [a]; & in rebus ſibi arbitrariis vel maximum Religionis ſtudium à ſe fuiſſe præſtitum, reſpondit per commotioris animi ſenſum quam moderatum eius ingenium ferre conſueuerat. Id etiam fortaſſis accidit, quòd iam apparerent in Paulo argumenta animi malè affecti in Auſtriacam familiam. Quod in cauſa erat, vt eius querimoniæ potiùs acciperentur quaſi maleuolentis exprobrationes, quàm parentis correctiones. Quoniam autem Suauis aut Romanarum rerum parum conſcius, aut prætermiſſis de induſtria iis quæ poſſent excuſare Pontificem, bella inter Paulum & Philippum Regem recenſet, omiſſis veris illorum principiis, & quaſi profecta à Pontificis auiditate amplificandæ temporariæ dominationis; nos lectores noſtros de iis compendio docebimus, ac per eam ſinceritatem, quâ ſatis liqueat, mentis noſtræ non eſſe verum obtegere aut fucare, ſed in lucem proferre.

a Narratio Delfini ad Caraffam.

2 Interfuerat Paulus, iam tum virili ætate, Aulæ Ferdinandi Regis Catholici, magno illic & probitate & doctrinâ in pretio habitus. Scribitur, ægrotantem Regem propoſuiſſe piorum doctorumque hominum cœtui, Liceretne ſibi Neapolitanum regnum, conſanguineis Aragonenſibus ereptum, retinere: atque in eum cœtum Caraffam accitum, liberè quid ſentiret protuliſſe, Regem ſcilicet ad reſtituendum obſtringi; ſed contrariam ſententiam, reliquis comprobantibus, Regem ſecutum. Quamobrem à politicis (quippe aſſuetis in quocumque mortalium latentem ſub ſtudij velamine vtilitatis appetentiam credere) opinionem Caraffæ notatam fuiſſe quaſi non à conſcientia dictatam, ſed ab odio externi in ſua patria domi-

natus;

1555. natus; vnde effectum, vt poſt obitum Ferdinandi à Conſilio remoueretur. Vtut hæc ſe res habuerit, cuius probationes auctoreſque mihi non ſuppetunt, nec adeo propinqui tempore, nec tam certâ instructi notitiâ, vt eam fidenter affirmare auſim: in comperto eſt, Carolum Cæſarem, Ferdinandi nepotem, & in regnis ſucceſſorem, tametſi Caraffam nominaſſet ad Brundiſinum Archiepiſcopatum, ſemper tamen præ ſe tuliſſe plus in eum æſtimationis quàm fiduciæ. Is itaque quo tempore Roma direptionem paſſa eſt, rerum fluxarum pertæſus inde diſceſſit, relictis Eccleſiis Brunduſinâ ac Teatinâ, quas poſſidebat, ſeceſſitque cum aliquot ſociis, pietatis ſtudioſis, in Venetam ditionem, poſtquam cum iiſdem Romæ fundamenta iecerat Ordini, ipſius causâ Teatinorum nuncupato, ſicut alibi à nobis indicatum. Verùm inde reuocatus à Paulo Tertio, in Senatum adlectus eſt, grauiſſimiſque curis Eccleſiaſticis admotus; in quibus tenuem ſemper animi propenſionem patefecit ad Caroli vel opera comprobanda vel poſtulata perficienda. Hinc enutritâ animorum alienatione eas difficultates expertus eſt, quas ſuprà narrauimus, ad ineundam Neapolitanæ Sedis poſſeſſionem.

Et ſanè illius ad Pontificatum electio tam parum grata Cæſari accidit, vt Cardinali Sanctæ Floræ opus fuerit Ioannem Franciſcum Lottinum, qui ſibi erat à ſecretis, Bruxellas legare ad ſe apud Cæſarem purgandum, oſtenſo Cardinalis conſenſu, ægrè tandem expreſſo, poſt omnem impenſam ab eo induſtriam ad rem perturbandam. Quòd ſi Cæſar non exiſtimaſſet, maioris eſſe prudentiæ, magiſque decorum palàm diſſimulare præconceptam à ſe auerſionem, ſubſecutamque moleſtiam, ob rem tanti ponderis peractam, quæ infecta fieri non poterat, fortaſſe grauiter ſuccenſuiſſet addictis ſibi Cardinalibus, qui illum extulerant. Hic alienus Cæſaris animus, qui Pontifici compertus erat etiam ex ipſis mandatis, à Cardinali Sanctæ Floræ Lottino traditis, & ad eum fortè delapſis, animum Pauli, prout natura fert, vlcerabat aduerſus Carolum, & ad eumdem exaſperandum accedebant noui Cardinalis fratris filij irritamenta. 3

Rebatur is, malè ſe habitum à Cæſare, cùm in Germania non modò nihil conſecutus fuiſſet ob impenſos militiæ labores; ſed etiam captus ab ipſo vir vnus ex primariæ notæ Proceribus, [b] à quo ingens redemptionis pretium ſperabat, à quodam Hiſpano per vim ipſi fuiſſet ereptus: qua in re nullum nactus in Aula Cæſaris ſui iuris præſi- 4

[b] Vnum dicit Hiſtoria Noreſij; multos relatio Nauageri. Sed prior concordat cum Caraffæ Cardinalis narratione in libello in Galliam miſſo, vbi enumerat omnes iniurias ſibi illatas ab Hiſpanis, à me lecto, poſtquam hoc Opus ſcripſi, in tabulis quæſtionis de illo habitæ ſub Pio Quarto.

præſidium, damnatuſque in litigio ab Albano, ſupremo Duce exercitus Cæſariani, Hiſpanum ad ſingulare certamen in regreſſu in Italiam prouocarat: ſed ea de cauſa Tridenti iuſſu Cæſaris detentus fuerat; nec priùs libertati redditus, quàm prouocationi & cuicumque iuri ſuo ceſſiſſet. Poſteà vero donatus à Paulo III. prioratu, vt vocant, Neapolitano, eius poſſeſſionem obtinere nequiuerat.[c] Vnde ad Gallorum partes tranſgreſſus, vt narrauimus, exilium tamquam perduellis ſuſtinuerat. Hauſit interim à Strozzio, ſub quo Duce militabat, non minus animi Hiſpanis infenſi affectiones, quàm militaris diſciplinæ documenta. Ad hæc congerebat ille, per tragicum quaſi modum, inſidias, vt idem comminiſcebatur, ab Hiſpanis paratas ad cædem tum patrui,[d] in gradu Purpurati, tum ſuam in vtraque conditione. Addebat his quoque Farneſium Cardinalem, cum ipſis id temporis ſupra reliquos omnes coniunctum auctoritate, amicitiâ & votis: ſiue id eſſet, quòd ſuſpicio mixta odio credat etiam incredibilia; ſiue quòd mos ſit molientis grauiter lædere, ſe grauiter læſum vulgare: ſed vehementius quàm ira ex iniuriis, inflammabat Caraffam cupiditas ſublimioris fortunæ. 1555.

[c] Adrianus lib. 13.

[d] Horum vtrum iacit mentionem Farneſius Card. in epiſtola, 30. Septemb. 1555. ad equitem Tiburtium, miniſtrum ſuum Pariſiis; & in altera eodem die ad Cardinalem Ferrariæ.

5 Deſperabat ille, patruum ſuum, rerum Eccleſiaſticarum ſtudioſum, quamuis ſui ſanguinis amantem, auulſurum amplum aliquem Principatum ab Eccleſiaſtica ditione in conſanguineorum vtilitatem; nec aliunde optatam amplitudinem expectabat, quàm ab hoſtibus Hiſpanorum: quippe intelligens, pinguiores pactiones obtineri ab eo, qui quod non poſſidet pollicetur, donatque omnis iacturæ ſecurus, & cum ſpe ingentis lucri. Gnarus itaque quàm impatienti ſiti regni Neapolitani flagrarent Galli, non minùs vt illud ſibi acquirerent, quam vt Hiſpanis adimerent, curas omnes Caraffa conieceratad fœdus in Hiſpanos ineundum: quod vbi pro voto ſuccederet, maxima quæque conſecuturus erat, eò ſibi chariora, tum ex propenſione tum ex ambitione, quòd in patria. Verùm Pontifex, tametſi magis ſibi placeret Henricus Rex, qui ſeueris edictis iteratis Religionem in Gallia ſuſtinebat, quàm Cæſar, qui per illa inopportuna Comitia eam in Germania debilitare ipſi videbatur, & in illum magis quàm in hunc procliuis eſſet & ingenio & grati animi impulſu; tamen ad arma capienda nondum ſatis inclinabat, haud neſcius, Chriſti Vicarium, vbi profanis armis Chriſtianos Principes inſectetur, illicò à profanis armis illatis deiici ab auctoritate Patris ad æqualitatem partis, & ſacrorum armorum, quibus diuinitus inſtructus eſt, aciem obtundi. Verumtamen ſibi minimè temperabat, ne in minas prorumperet, quæ eum in quem intorquentur

1555. non tam feriunt quàm obarmant, veluti clypeus, quaſi admoni-
tum vt ſe muniat, ſeu veluti telum, quaſi ſtimulatum vt præueniat.
Sed quemadmodum ſæpè ingentes motus à leuibus caſibus excitan-
tur; ita duo priuatis familiis euenere, quæ & Italiæ ſtatum & Eu-
ropæ Principes haud mediocriter perturbarunt.

* Vide Adrianum lib. 13.

Alterum ex his fuit, quòd * Carolus Sfortia, Inſubriæ, vt dicunt, 6
Prior, Cardinalis Sanctæ Floræ Camerarij frater, cùm Henrico Re-
gi tribus ſuis triremibus operam nauaſſet, tranſitum ad clientelam
Cæſaris moliebatur, quò reliquis ſe fratribus conformaret, præſer-
tim poſt captas Senas, cuius agro finitima erant præcipua oppida
familiæ Sfortianæ: atque ea de cauſa receſſerat à Gallia. Sed facilis
ipſi ratio non ſuppetebat ad triremes ſuas recuperandas, ob ſuſpicio-
nem iam de illo conceptam. Studuit igitur Sfortia perſuadere, &
reipſa perſuaſit Nicolao Alamanno, qui Regis nomine duobus na-
uigiis præerat, vt ea Centumcellas adduceret, vnde poſteà melius
refectæ Galliam repeterent. Iamque vt in eum portum triremes
peruenerunt, clàm ad eas recuperandas intenti cum pluribus ar-
matis illuc venere Marius Sfortia, & Alexander, Apoſtolicæ Ca-
meræ Clericus, Caroli fratres, qui ad ſuſpicionem amouendam ibi
non adfuit. Hi amicè ab Alamanno admiſſi, triremes per vim ade-
merunt, tentaruntque eas aliò traducere; ſed obſtitit arcis Præfe-
ctus, ſui muneris eſſe ratus, in portu Pontificio huiuſmodi violen-
tiam haud permittere. Ea de re admonitus Camerarius, celeriter
Lottini operâ impetrauit, vt Ioannes Montorij Comes, maior na-
tu frater Caraffæ Cardinalis, & cui Præfectus illius arcis parebat, il-
lum per litteras iuberet duabus triremibus diſceſſum concedere; ſiue
ignorans, ſiue diſſimulans vim Alamanno ductori Gallico illatam;
eratque Ioannes animo vt mitiore, ita proniore in Hiſpanos quàm
Cardinalis, quem ob ætatis prærogatiuam auctoritate pariter tunc
ſuperabat. Expletis ab arcis Præfecto mandatis, triremes illicò
Neapolim adductæ ſunt, traditæque Bernardino Mendozæ, qui
pro Albano, Cæſaris copiis in Inſubria tunc imperante, illic regi-
men exercebat. Confeſtim miniſtri Gallici acerbiſſimè conqueſti
ſunt cum Pontifice ob iniuriam quam in Pontificio portu paſſi fue-
rant: is verò eâ auditâ, extra omnem modum commotus eſt, quip-
pe qui de auctoritate ſollicitus ſuopte ingenio, aures prætereà op-
pletas habebat aſſiduis quærimoniis, quæ viginti annos iactitatæ per
Aulam fuerant, ſeu ex vero ſeu ex inuidia, in Sfortianos fratres;
cùm oblatraretur, eos numero complures, confiſoſque conſangui-
nitati Pauli Tertij, ac poſteà ipſorum operæ, quâ Iulius indiguerat

in diſſidiis cum Farneſiis, & lenitati indulgentis illius Pontificatus, numquam alij legi, niſi propriæ cupidini obtemperaſſe. 1555.

7 Quamobrem Paulus Quartus imperij habenas acceperat, certus frænandæ Procerum inuiſæ licentiæ generatim, nominatim verò Sfortianorum, à quibus eò magis auerſum ſenſim gerebat animum, quòd nouerat quæ ſibi Camerarius oppoſuerat. Montorij Comes cognitâ patrui commotione, rem ipſam palàm facere auſus non eſt; atque interim ad auertendum à ſe nimbum, facti ſpeciem mutare ſtuduit, vti mox dicemus. Quare Pontifex, grauiſſimis indictis pœnis, Alexandro ac Mario Sfortiæ præcepit, vt extemplò triremes reuocarent; idemque denuntiari iuſſit verbis vehementioribus Camerario, quaſi rei participi, fratrumque moderatori, eius excuſationibus repudiatis, cauſantis rem non à ſe, ſed à fratribus geſtam, naueſque non ampliùs Sfortianorum, ſed Mendozæ poteſtati ſubeſſe. Camerarius, ratus præferuidam Pontificis iram extinctum iri iniecto terroris frigore, eàdem nocte cœtum Procerum Cæſari ſtudentium domi ſuæ coëgit; in quo interfuit Sarienſis Marchio, Cæſaris Orator, & Comes Cincionius, Orator Philippi Regis ad obedientiam Pontifici exhibendam, Columnenſes, Cæſarini, aliique complures, opplentibus cubicula, ſcalas, & atria minoris notæ clientibus, famuliſque. Scribunt, illic fuiſſe qui per indignum contemptum Pontificem carperet, quique aliorum Pontificum, Proceribus infeſtorum, [f] calamitates minitaretur. Nec defuit, qui eius electionem tamquam non legitimam in dubium adduxerit. De his omnibus non confuſus modò rumor obſtrepuit Pontifici ex fama, verbiſque inſolenter iactis, multò magis à temeraria turba inter nocturna illa colloquia, quàm ab heris; ſed ferunt, eumdem fuiſſe diſtinctè edoctum à Burgenſi Cardinali, rato id ſui gradus partes eſſe; atque idcircò illum fuiſſe in Hiſpaniam reuocatum, & illic gratiâ excidiſſe.

f In epiſt. Farneſij Cardin. 24. Auguſti 1555. ad equitem Tiburtium, recenſentur hæ minæ à Marco Antonio Columna prolatæ.

8 Intereà Comes Montorij epiſtolam à ſe ſcriptam ad arcis Præfectum recuperauit, eique alteram ſubſtituit ambigui tenoris, & ad ſe purgandum accommodatam, iniecto in Lottinum crimine, quòd & ſe & arcis Præfectum decepiſſet. Quæ fraus, ſi eâ tempeſtate Lottino diuturni ærumnoſique carceris cauſa fuit, alio tempore detecta auctori ſuo ſupplicium extremum attulit. Sed Pontifex habitâ Montorio fide, ſtatim in cuſtodiam coniici Lottinum iuſſit, eiuſque domino grauem ac proximam vltionem minatus eſt. Quare Sarienſis, vt Pontificem mitigaret, admiſſionem ad colloquium poſtulauit; eâque non impetratâ, Pontificias in ædes ſe contulit,

1555. affirmans, ſe de rebus grauiſſimis ſui Principis acturum: ſed aditu fruſtrà tentato, excluſus eſt. Is tametſi per æſtum iniuriæ miſſo curſore de re Cæſarem monuerit, quaſi in Oratore ſuo deſpectum: tamen ſedatiore poſtmodum animo Mendozam cohortatus eſt, ne ſuum Principem laborioſis certaminibus implicaret, adeoque triremes remitteret. Sed Sfortiani, prævisâ etiam irreparabili illarum iacturâ ſi redderentur, obſtiterunt, poſtulantes ſaltem pro conditione Lottini libertatem, ceſſationemque omnis in ipſos moleſtiæ. Hinc nouâ indignatione correptus Pontifex, perinde quaſi cum æquali ſecum ageretur petitis pactionibus, non autem cum ſupremo Principe per exhibitam ſibi obedientiam, Camerarium in cuſtodia retinendum curauit; idque à Caraffa Cardinali parum honorificè peractum eſt, vt qui cùm Camerarium inuiſeret, eumque ad relaxandum extra domum animum inuitaſſet, ad Æliam arcem deduxit, locum Caraffæ fatalem, ad dedecus longè illi grauius atque infelicius. Duo Sfortiani fratres inquiſiti fugâ ſibi conſuluere. Incidit Cardinalis captiuitas ad exitum Augusti anno 1555. ac per eam opportunitatem arbitratus eſt Pontifex, cautum pariter ſibi eſſe à Paulo Iordane Vrſino, illius familiæ Principe, & ſub Hiſpani clientela educato. Cùm enim hic pupillus tunc eſſet, & ſub Cardinalis Sanctæ Floræ auunculi tutela, is inter anguſtias carceris coactus eſt claues & arcanas teſſeras arcium tradere, ab Vrſino poſſeſſas, in quas Pontifex cuſtodes ſibi fidos induxit.

Solertiorem cenſuit Pontifex adhibendam cuſtodiam Colum- 9
nenſibus, in quos non ſolùm maiore ſuſpicione, ſed grauiori ferebatur iracundiâ. Etenim Camillo Columnio, qui memorato cœtui,[g] à Cardinali Sanctæ Floræ habito, interuenerat, imputabantur acerbiſſima verba in Paulum Romanoſque Pontifices iacta, eratque is in armis ſtrenuus, & ex animo Cæſarianus; quapropter ipſe quoque in carcerem coniectus. Idem in Marco Antonio, ſed fruſtrà, tentatum, vt qui ſpreto antiquo interdicto diſcedendi, iam ſeceſſerat. Huiuſmodi autem interdicti hæc fuerat origo. Aſcanius eius parens, poſt impetratam ſibi redintegrationem à Iulio Tertio, in noua crimina inciderat; quippe qui in ius vocatus à quibuſdam ſuis creditoribus, non modò vocationis executorem malè habuerat, ſed funditus ſolo æquauerat quaſdam ædes, quas actores Antij in eius oppido poſſidebant, certoſque ſatellites ad illos interficiendos Romam miſerat: quamobrem cùm accerſitus à Fiſci Procuratore ad cauſam dicendam ſe nequaquam ſiſteret, ad eius oppidorum priuationem deuentum eſt: ſed in ipſa rei confectione Marcus Antonius eius

[g] Aliqua ex his à Pontifice in Columnenſes geſtis continentur in epiſtola Farneſij Card. ad Momotanſium Comeſtabilem, vltimo Aug. 1555.

eius filius, cui cum parente veteres & numquam ſatis compoſitæ controuerſiæ intercedebant, vim interpoſuit, eodemque tempore patrem oppidis ſpoliauit, ab eiſque Fiſci miniſtros procul habuit. Quod facinus, poſtremis Iulij menſibus toleratum, ne tot inter flammas Italiæ nouum excitaretur incendium, nec in iudicium adductum perbreui Marcelli Pontificatu, viſum non eſt ſeuero Pauli animo perferendum. Quare primò per memoratam interdictionem Marco Antonio Romæ obſtricto, ac poſteà eâ violatâ inde profecto, monitoriæ tabulæ in parentem ac filium vulgatæ ſunt. Prior abſentiam excuſauit, quòd Neapoli detineretur tumultus causâ in Samnitibus tentati: alter reſpondit, oppida fuiſſe à ſe depoſita penes Didacum Mendozam, qui per Cæſareum Oratorem negauit licere ſibi iniuſſu Cæſaris ea reſtituere: [b] interim verò Aſcanius Paliano muniendo operam dabat. Itaque ij tamquam contumaces hereditariis ditionibus ſpoliati.

1555.

[b] Ex epiſtola Farneſij Cardinalis ad Equitem Tiburtium, 21. Septemb. 1555.

10 Aſcanius etiam Corneus, & Iulianus Cæſarinus, Româ egredi vetiti. Neque ſuſpiciones cautioneſque hîc ſtetere: ſed Pontifex ſex cubicularios à ſe dimiſit, ferè omnes ex primaria Neapolitana nobilitate, quos ipſe ſibi delegerat ſpecioſo nomine, vt famulatu nobilium vteretur; quin etiam Mutium Tuttauillam, qui Præfecti ſuæ cuſtodiæ locum tenebat: imò, quod mirabilius viſum, Comiti Populi, ſuæ ſororis filio, generalem gubernationem armorum Eccleſiaſticorum ademit, nec alia de cauſâ, niſi quia eorum ſinguli ſeu familiis ſeu bonorum poſſeſſione Hiſpano eſſent ſubiecti, & animi affectione eidem addicti crederentur.

11 Jam verò dum in arce Camerarius detinebatur, & dum Pontifex tam feruidis ſuſpicionibus iriſque in Cæſarianos æſtuabat, recenti adhuc obſtrepente rumore moliminum, quæ nocturno illo ac ſeditioſo conuentu aduerſus Paulum fuerant agitata, permiſit Caraffa Cardinalis è manibus opportunitatem elabi fœderis cum Gallo ſanciendi. Itaque ſeu non ſatis habens cum Gallicis adminiſtris Romæ rem tranſigere, aut ipſis non confiſus, virum nobilem è ſuis familiaribus occultè Pariſios miſit; qui expoſitis amplificatiſque offenſionibus illatis, multoque magis imminentibus, ob oculos Henrico poneret neceſſitatem ineuitabilem, quâ Pontifex compulſus erat (etiamſi controuerſia de triremibus, in quo vtriuſque Principis decus inuoluebatur, honorificè componeretur) vt vim vi repelleret: & cùm vis propria ſatis non eſſet, ad implorandam opem à Gallia, cui regno gloria defendendi Chriſti Vicarios, reprimendique Hiſpanorum violentiam, deſtinabatur. Vir ab eo le-

1555. gatus Hannibal Ruccellaius, fuit filius ſororis Ioannis Caſæ Archiepiſcopi Beneuentani, quem apud Venetos Nuntium reuocauerat Pontifex ad præfecturam arcanarum epiſtolarum; quippe virum in humanis litteris præſtantiſſimum, & non mediocriter eruditum etiam diuinis. Ferunt autem, cùm huic ſummam dignitatem in Senatu die poſterâ declarandam Paulus deſtinaſſet, eumdem à propoſito reſiliiſſe ex lectione carminum laſciuorum, quæ fuerant alio tempore à Caſa latine conſcripta, rigidoque Pontifici ad auctoris perniciem ſub veſperam ſunt oſtenſa. Porrò tum Caſa, tum Ruccellaius, cùm Florentiâ egreſſi fuiſſent, auidiſſimi recuperandi ſibi patriam, & ipſi patriæ libertatem, idonei cenſebantur, vt alter calamo, alter voce eos motus in Italia cierent, qui in huiuſmodi centrum concuterent. Conſultò Caraffa iniunxit, ſicuti diximus, Ruccellaio, vt quæ is Regi proponeret, à perſeuerant de tritemibus diſcordia minimè penderent; cùm rem breuî componendam prænoſceret, prout contigit. Sfortia Comes Sanctæ Floræ, Camerarij frater, & familiæ Princeps, ob operam diu præſtitam Cæſari, de illo benemeritus, ſtatim atque conſtrictum in arce fratrem ſenſit, Albanum feſtinanter conuenit, propoſitâque impendente familiæ ſuæ ruinâ, obtinuit ab eo mandata ad Mendozam, vt nauigia Centumcellas reducerentur, vbi Alamanno ſunt reddita. Eâ re delinitus Pontifex, deprecante Collegio Cardinalem liberauit poſt vigeſimum à captiuitate diem, accepto priùs vadimonio trecentorum ſcutorum millium; iniunctâque ipſi mulctâ iacturæ redituum ac dignitatis, ſi Româ diſcederet, eodem poſteà in primo Senatu voce Pontificis ſeueriſſimè caſtigato. Tantum animi decrepito illi corpori ſuppetebat ad Principatus maieſtatem ſuſtinendam, ſi tanto animi robori par brachij robur reſpondiſſet.

CAPVT XV.

Graues Pontificis ſuſpiciones in Cæſarem & Hiſpanos; & fœdus idcircò ab eo cum Galliæ Rege compoſitum.

DVm animus Pontificis hoc præſtito ſibi obſequio ex parte leniebatur, ob nouam offenſionem acerbiùs exulceratus eſt, cùm ipſi fuiſſet perſuaſum, venenum iuſſu Cæſaris parari Caraffæ Cardinali à quodam Nannio Abbate, miſſumque Romam fuiſſe Cæſarem Spinam, Calabrum hominem, ad eumdem necandum. Nannius coniectus in vincula, & ad quæſtionem vocatus, dixit, 1

dixit, ſe Neapoli miſſum ad Abbatem Berſegnum, res Albani curantem. Iam verò per opportunitatem, quâ Berſegnus ad Albanum in Inſubriam pecuniam attulerat, atque inde regreſſus Bononiâ iter habebat, captus ibi, ac Romam deductus eſt, litteris omnibus, aliiſque arcanis ſcripturis interceptis; quæ cùm pleræque occultis notis eſſent exaratæ, curatum eſt, vt in apertam formam conuerterentur. Et quoniam inter vmbras conflantur ſpectra, & notæ quò ſunt obſcuriores, eò magis ſubiacent cuiuis abſurdæ interpretationi; data eſt opera, vt varia ibi apparerent agitata à Cæſarianis miniſtris in Cardinalem, & ipſum Pontificem: multa ſuper his ſummo occultoque ſtudio acta formata, vnumque iudicium, vulgo *proceſſum* vocant, nominatim fertur in Cæſarem fuiſſe confectum. Quæ poſteà cuncta ſuppreſſa, tametſi Nannius & Spina, tamquam rei crimen confeſſi, fuerint morte multati. Quod proximo libro diſtinctius enarrabimus, vbi Caraffenſium tragœdiam exponemus. 1555.

2 Hoſtiles hæ fraudes credibiliores euenere Pontifici, ex eo quod eius apud Carolum Nuntius ſcripſerat. Auctoritatem priſtinam obtinebat in Aula Cæſaris Antonius Perenottus, Epiſcopus Atrebatenſis, Granuellani magni Cancellarij demortui filius. Inerat in eo mentis excelſitas, ſed non minor animi elatio: & quàm illa cuicumque vaſto rerum molimini parem ipſum reddebat, tam hæc magis idoneum ad regimen deſpoticum quàm ciuile. Hic itaque vbi reſciuit Cardinalem Sanctæ Floræ, & Camillum Vrſinum fuiſſe carcere incluſos, negatumque Oratori aditum ad Pontificem, conqueſtus apud Nuntium fuerat aduerſus Paulum, eiuſque fratris filios, loquendi formulis contemptum minaſque ſpirantibus, vſus potius iurgio quaſi in ſubditum, quàm querimoniâ tamquam cum æquali. Id litteræ Nuntij deferebant: ſed Aula per conſuetas amplificationes adiiciebat, ex priuatis litteris Bruxellenſibus innoteſcere, à Granuellano fuiſſe ſtimulatum Cæſarem ad arma inferenda Pontifici, eumque vniuerſo profano dominio ſpoliandum; quaſi numquam ſibi tutum futurum eſſet regnum Neapolitanum, in cuius confinio tam auerſi ac turbulenti animi Princeps imperaret.

3 Fidem tamen habuit Pontifex, pro ſenum ingenio, timidam ac ſuſpicioſam tam atrocibus iniuriis, quæ ſibi obtendebantur ſeu per fraudem ſeu per arma paratæ ab infenſo Cæſarianorum animo. Quamquam, ſi res extra mentis perturbationem ſpectetur, cuinam venire in cogitationem poteſt, Carolum, qui tunc apud ſe ſtatuerat

iam-

1555. iamiam dominationi nuntium remittere, quod Octobri proxime ſubſecuto præſtitit, ſeque piæ ſolitudini mancipare, conſcientiam ac famam ſuam deturpare voluiſſe poſtremo facinore, tam in ſe deteſtabili, tam arduo ad perficiendum, tam facili ad detegendum? Vnde complurium poſteà fuit opinio, ea omnia à Caraffa Cardinali fuiſſe inuenta, qui per falſas narrationes, & innumera ſcripta, Pontificis mentem horrendis laruis oppleuerit, quò ipſum terroris impetu in perditiſſimæ deſperationis conſilia præcipitem ageret. Verumtamen rerum peritiores negant, Caraffam id temporis eo auctoritatis apud patruum, eòque potentiæ apud miniſtros fuiſſe progreſſum, vt poſſet arbitratu ſuo quibuſuis fucatam pigmentis Pontificis oculis ſcenam obiicere. Quare ſimillimum vero eſt, deflexà ab eo diſtortum in vſum ſuſpicioſà Pauli naturà & ætate, quæſitiſque vndique vmbris atque conſtipatis, falſi potiùs commentatoris quàm impoſtoris illum partes egiſſe; miniſtros verò Pontificios eidem obſecundaſſe, ſeu ipſos quoque deceptos (quippe non conſcios totius texturæ, quæ non plenè atque vndecumque perſpecta, rectè diiudicari non poteſt) ſeu veritos, ne ſi ipſi eas ſuſpiciones negligerent, negligentes Pontificiæ incolumitatis crederentur.

[a] Litteræ Farneſij Cardin. ad equitem Tiburtium, 9 Octobr. 1555.

Pontifex igitur animo agitatus, [a] acceſſiuit ad ſe complures ex 4
Purpuratis & Oratoribus, quos à partium affectione remotiores exiſtimabat, & inter eos Anglicanum, Luſitanum, & Venetum. Coram ipſis conqueſtus, iniurias ſibi à Cæſarianis illatas; purgatiſque iis, quæ à ſe geſta fuerant, ſuſcipiendæ à ſe vindictæ neceſſitatem oſtendit. Mox, ſicut aliqui rerum illarum ſcriptores tradunt, ad arcanum colloquium adduxit Auanzonum Gallicum Oratorem, cui plurimum fidebat, & Farneſium Cardinalem, ſummâ tunc apud ipſum & apud Gallos auctoritate; & cum iis quoſdam ex ſibi maximè intimis acciuit, præſertim verò Syluestrum Aldobrandinum, celebrem Iuriſconſultum, & Clementis VIII. parentem, qui erat ex Florentinis exulibus, adeoque cupidiſſimus earum turbarum, quæ ſe ſuamque patriam liberari reſtituere poſſent; & præter eos Paulum Conſiliarium, vnum ex tribus, qui ſimul cum Pauſo Ordinem Clericorum Regularium inſtituerat, & quem poſteà idem Paulus Pontificio cubiculo præfecerat. Illic denarrauit ſæuiſſimas machinas in ſe ac fratris filios extructas; produxit litteras Nuntij, & quaſdam partes ex iudiciariis actis: ſuam conditionem doluit, quòd cùm à Deo Chriſtianorum parens fuiſſet conſtitutus, cerneret ſua viſcera aduerſum ſe conſpirantia, cogereturque aduerſus ſua viſcera ſe ferro munire, non tam ad incolumitatem vitæ ſuæ,

quam

quam communi tranquillitati libenter immolaſſet, quàm ad cuſtodiam illius dignitatis, cuius non dominus, ſed cuſtos erat: oſtenditque, ſuam ſpem in Chriſtianiſſimi Regis potentia ac ſtudio maximè niti. Dicunt, ab Oratore, prout in eiuſmodi euentibus fieri ſolet, oblata Paulo fuiſſe regnum, Regem, cunctoſque regios liberos, ad ſanctiſſimum ipſius caput, Apoſtolicumque principatum tuendum; dein verò indicaſſe Pontificem, ſperare ſe viſurum breui alterum è regiis liberis in regno Neapolitano, alterum in Mediolanenſi principatu dominantem; tum eos, qui accerſiti fuerant, dimiſſos. 1555.

5 Addunt, à Caraffa Cardinali, moræ omnis impatiente, eoſdem in propinqua cubicula Magiſtri Cærimoniarum adductos fuiſſe; digeſtiſque ibi ruditer conditionibus, iniunctum Caſæ, vt aſſiduus eſſet Auanzono, cui iam regia mens erat magna ex parte comperta, ad concinnanda ſcripturarum capita; quibus 13. Octobris confectis, ſubſcripſit Pontifex, ac viciſſim Orator Regis nomine, cui ad ea rata habenda quinquaginta dierum ſpatium conceſſum eſt; & ob Caraffæ Cardinalis feſtinationem miſſa in Galliam fuiſſe, antequam à Ruccellaio reſponſa ſibi redderentur. Hæc rerum capita aliqua poſtmodum ex parte mutata, cùm denuò diſertis Henrici mandatis rata ſunt habita. Quare nos, vt narrationem perſtringamus, quæ Operi noſtro neceſſaria quidem eſt, ſed incidens, minimeque ex præcipuis, rei ſummam in pauca colligemus, eâ formâ quæ poſtremò firmata eſt.

6 Vt Rex obligaretur ad Pontificem pro virili defendendum à quocumque vim inferente; nec eidem liceret copias, quas ad id miſiſſet, reuocare, niſi Galliæ regnum hoſtis inuaderet: atque ad hoc ſe obſtringebat ex ſua bonitate ac pietate, per promiſſionem à quauis mutua conuentione minimè pendentem.

Vt inter Pontificem ac Regem fœdus intercederet, tam ad vim propulſandam quàm inferendam in Italia vniuerſa, præterquam in ditione Subalpina (ne ſocietatem iniret Pontifex aduerſus Sabaudum) magnâ pecuniæ vi Venetiis depoſitâ, ſtatutâque in iiſdem capitibus collatione tum pecuniæ tum militiæ vtrique parti impoſitâ.

Vt acquiſito regno Neapolitano, Pontifex in eius poſſeſſionem iure beneficiario immitteret vnum ex regiis filiis, qui Delphinus non eſſet, ibique perpetuò degeret; idque cum ingenti cenſus annui acceſſione, cum amplo confinium laxamento, neque cum minori amplificatione ſacræ iuriſdictionis pro Sede Apoſtolica, & cum attributis etiam Caraffenſium familiæ principatibus.

1555. Vt occupatus pariter Mediolanenſis Principatus, vni ex minoribus Regis filiis traderetur, ad ibi ſimiliter degendum obſtricto.

Vt dum adhuc Regis filij minores eſſent, Pontifex acquiſitis ditionibus moderatores deſtinaret.

Vt Octauio ductore, Florentiæ Duci arma inferrentur ad vrbes Etruriæ in libertatem vindicandas.

Vt eſſet in arbitratu Pontificis, aut illic aut in regno Neapolitano bellum inchoare; ſed nullâ ratione in Inſubria, ne adigerentur fœderati alias militum copias conſcribere ad Romam tuendam.

Vt vtrique partium vetitum eſſet ſancire cum aduerſariis concordiam, abſque alterius conſenſu.

Vt Venetis locus daretur ad accedendum fœderi: quidquid in Sicilia acquireretur ipſis attributo, & etiam Ferrariæ Duci, cum auctoritate Ducis ſupremi, aliiſque oppidorum ac prouentuum emolumentis.

Dum hæc tractabantur Romæ, Rucccllaius in Gallia rem agebat; vbi ſententiis variatum. Momoranſius Comeſtabilis, & Turnonius Cardinalis Henricum dehortabantur, ne fabricam extrueret ſupra labentem minimeque ſuffultum parietem, cuiuſmodi erat Pontifex octogenarius, cui nullus ex magnis Italis Principibus adhærebat. Satius fore ad regni quietem, ſi ſtabilirentur induciæ cum Cæſare, quas tunc Regina vehementer vrgebat. Sed præpotuit contraria Guiſij Ducis ſententia, quippe conformis Regis animo, æmulatione inflammato erga victorias Caroli, Hiſpaniæque amplitudinem. Quocircà Romam miſit Lotharingum Cardinalem, memorati Ducis fratrem, ſimulque Turnonenſem coëgit eò ſeſe conferre, vtpote antiquiſſimum, maximeque de recentioribus Italiæ rebus edoctum. Vterque verò pactiones Regis nomine ſignarunt 15. Decembris anno 1555. quibus pariter Pontifex ſubſcripſit. Sed quò rei nucleus Aulam lateret, quando eius obtutibus aſſiduæ tractationis cortex ſubtrahi nequiuerat, curatum eſt, vt Lotharingus diſcederet, quaſi pertæſus quòd nihil conficeretur, nauaturus in reditu operam ad inducendum Ferrariæ Ducem ac Senatum Venetum in idem fœdus. In quo falſus eſt Suauis, dum exiſtimat Lotharingum ante pactionem Româ profectum: ſed eius falſitatem excuſo, cùm ea pactio adeò fuerit occultata, vt ne Farneſio quidem ſuboluerit, tametſi [b] extra modum ſagaci, penituſque intento ad ea negotia inueſtiganda, & vt clientibus, perinde notitiis locupleti. 7

[b] Colligitur ex duabus litteris à Farneſio Card. ſcriptis ad Octauium Ducem, alteris 14. Decembris 1555. adeoque pridie quàm fœdus firmaretur; alteris Roſulo poſtridie diſceſſus Lotharingi; & ex aliis ſcriptis ad equitem Tiburtium, 28. Nouemb. 1555. paulò poſt acceſſum Lotharingi.

Verum-

8 Verumtamen, [c] quamquam ille tantum amicitiæ atque auctoritatis obtineret priùs in animo Pauli, vt ipſo nominante Caſa ſcribendis ſecretioribus Pontificis litteris admotus fuerit, Saulius ad ærarij præfecturam, ambo per Pontificias litteras accerſiti, aliique complures ad præcipua munera ſelecti, oblataque pariter eidem eſſet ſuprema rerum adminiſtratio; hæc tamen fauoris aura (pro eo ac vſuuenit apud Pontifices erga Purpuratos extraneos ac præpotentes) quò plenior, eò breuior fuit; difflata partim ab Aulæ inuidentia, in fertili ſolo ſenilis animi Pontificis ſuſpiciones criminationeſque proſeminantis; partim ab æmulatione Caraffæ Cardinalis, qui cenſebat ſubtractum iuri quod ſibi conſanguinitas ac ſolertia vindicarent, quidquid poteſtatis concederetur alteri, qui ſibi & munere & gradu minimè ſubiiceretur; partim etiam à Gallorum ſuſpicione, quibus exploratum erat, [d] agitari aſſiduè à Cæſarianis reconciliationem cum Farneſiis per aliquam de Placentia pactionem; adeoque videbatur ipſis intutum, plantas ſerere in eo fundo, cuius recuperandi facultas penes aduerſarios foret; præſertim cùm animaduerteretur, Farneſios haud ex animo, ſed quaſi neceſſitate compulſos conſenſiſſe expeditioni, quæ per eas pactiones inter Pontificem Regemq; Octauio Duci committebatur; quæque reipsâ erat, vt hic [e] Gallico ſuoque milite inſtructus, ſuppeditatoque clàm ſubſidio à propinquis oppidis Eccleſiaſticis, per Caſtrenſem ditionem in Senenſem impreſſionem faceret, ad illius intermortuas Reipublicæ reliquias reuocandas in vitam, & Hiſpanos Florentinoſque inde depellendos, dum Pontifex, antequam in apertam inimicitiam prodiret (priùs enim volebat apud miniſtros Principum rem neceſſitate cohoneſtare, intentis in ſe conſpirationibus patefactis) ſed ſolo nomine ſuſpicionis ac ſecuritatis, armatas copias ſub Ducis Vrbinatium imperio deſtinabat in ſuo confinio, Neapolitanum regnum ſpectante, quibus Proregis ſuppetias Senenſibus impediret. Qua in re videbatur fortaſſe Farneſiis in prima ſibi acie dimicandum, exponentibus ſeipſos ſuaſque ditiones finitimorum irritatorumque hoſtium aggreſſionibus, & abſque iis armorum neruis, qui ſatis eſſent ad inuadendam proſperè tam validam monarchiam, quâ parte & poſſeſſione & munitione pollebat. Quare Octauius & Cardinalis ſæpiùs hanc ægrimoniam Pontifici ſignificarant, ipſum ab expeditione dehortati; adeoque cùm ſe parum procliues oſtenderent, parum etiam beneuolentiæ fideique ſunt aſſecuti. Huc acceſſit, quòd ij Pontificis adminiſtri, qui in Farneſij Cardinalis gratiam munera obtinuerant, ac potiſſimùm Caſa, quò fortunâ tunc ſibi fa-

1555.

c Epiſtola Farneſij Cardin. ad equitem Tiburtium, 17. Iunij an. 1555.

d Ex variis epiſtolis Farneſi Card. ad Octauium Ducem, præſertim ex quadam 14. Decemb. 1555. & ex altera ad equitem Tiburtium, initio Ianuar. 1556.

e Litteræ Farneſij Cardin. ad Tiburtium, 30 Septemb. 1555. & initio Ianuarij 1556.

uente

1556. uente omnem noxiam clientelæ erga alios vmbram diſpellerent, & verbis & operâ apud Paulum & Caraffam Cardinalem ſtudioſam quamdam oſtentationem Farneſiis contrariam præ ſe ferebant. Hinc factum eſt, [f] vt non modò celaretur Farneſio de Ruccellaij miſſione, ſed eidem aperta remiſſæ beneuolentiæ indicia exhiberentur; & quamquam ipſi poſteà, vtcumque paſſo primam perſonam in ea ſcena non agere, honorificus locus concedêretur, adeòque grati ac beneuolentis animi reuerentia redderetur à Caſa; tamen in extimo colore perſtitit, negotiorum intima nequaquam ſubiit: quorum penetralia à Principibus aperiri non ſolent, niſi vel cui neceſſitas cogit, vel in ea conditione iacenti, vt poſſit quamcumque miſeriam ab illorum ira timere, vel quamcumque proſperitatem ab illorum gratia ſperare.

[f] Litteræ Farneſij Cardinalis ad Tiburtium, initio anni 1556.

CAPVT XVI.

Cuſtodiæ militum à Pontifice ſtatutæ. Purpuratorum creatio. Cuncta regna à Carolo Quinto tranſmiſſa filio. Induciæ à Cæſare ac Philippo Rege cum Galliæ Rege compoſitæ. Pontificis ob eam rem querimoniæ. Legationes Caraffæ Cardinalis in Galliam, & Rebibæ in Belgium, & quibus cum mandatis.

POſtremam abeundi veniam Lotharingus petierat à Pontifice; 1
qui voluit, vt ibi [a] adeſſent Caraffa Cardinalis, & Dux Montorij, dicens, Eos à ſe tamquam in Regis famulatum ipſi tradi, digeſto inter illos denuò magno moliminum apparatu, quibus vere nouo & in Etruria & in regno Neapolitano Hiſpanos aggrederentur; cùm litteræ à Rege ſuperuenerunt, hæc nuntiantes: Cùm ageretur inter Regios Cæſareoſq; adminiſtros de commutandis captiuis, Cæſareos à Regiis petiiſſe, an in ipſis eſſet facultas ad inducias ſanciendas; qua de re edoctum Regem reſpondiſſe, Eas poſſe ab illis confici, ſed cum pactionibus priùs à ſe propoſitis, & à nobis recenſitis: has verò eſſe, Ne de conditionibus ſermo fieret, ſed vtraque pars in præſenti rerum ſtatu perſiſteret. Non licuiſſe Regi id negare quod aliàs obtulerat, quodque ſibi adeò profuturum eſſet, quippe tranquillitati publicæ minimè aduerſanti: ſed ex altera parte ſe haud exiſtimare, ab aduerſariis exceptum iri id quod tunc recuſauerant, & tam graui ſibi incommodo futurum eſſet. Lotharingus variè locutus eſt quid ipſe de rei euentu ſentiret: profectione tamen haud retardatâ, litteras Turnonio reliquit, communicandas Pontifici; qui, auditâ earum ſententiâ, rem haud magni faciens reſpondit,

[a] Litteræ Farneſij Cardin. ad Octauium Ducem Roſulo, vbi exceperat hoſpitio Lotharingum, 11. Ianuarij 1556.

dit, Placere ſibi quod ageretur, magiſque placiturum, ſi armorum 1556.
ceſſatio ſtabiliretur; videri tamen id ſibi optandum potiùs quàm ſperandum, dum altera partium iterum proponebat quod altera iam recuſauerat. Sed euentus eos docuit, quantæ ſit imprudentiæ in maximis negotiis, minus probabile cum minimè futuro confundere.

2 Lotharingo parum difficile fuit in itinere, Ferrarienſem Ducem, gloriæ & incrementi cupidum, & alienum ab Hiſpanis, in fœdus trahere. At Senatus Venetus per ſenſus moderatiores ſimul ac prudentiores repugnauit, Italicæ pacis, propriæque ſalutis amantior, nec ratus ſimilem vero expeditionis ſucceſſum. Intereà Pontifex, vt rubiginem è ſuis armis eraderet, ac ſecurior degeret, imperauit duodecim Romæ regionibus deſcriptionem & armiluſtrium generale ciuium ad militiam idoneorum, qui ad ſancti Petri forum numero octo millia conuenere tertio Nouembris. Octauo Decembris, poſt rem Diuinam in ſacello Pontificio ſolemniter habitam (quippe die Dominico Aduentus) centum nobiles Romanos in equeſtri ordine conſtituit ad ſui cuſtodiam, quorum ſingulis in Vaticano domicilia diſtribuit: ſed gnarus, haud minùs validæ cuſtodiæ Principi Senatores eſſe quàm milites, poſt alteram pactionum confirmationem ſeptem Purpuratos[b], pleroſque ſibi fidos, creauit. Hi fuerunt, vnus è ſuis regularibus Ioannes Bernardinus Scotus[c], deſtinatus priùs à Pontifice in eiuſdem diei Senatu Archiepiſcopus Tranenſis; vnus è ſuis familiaribus, Scipio Rebiba, Epiſcopus Mutulanus, & Romæ gubernator; vnus è ſuis conſanguineis, Diomedes Caraffa, Epiſcopus Arianenſis. Duo priores confeſtim virtutis luce detrimentum ex obſcuritate natalium, & penè nominum, in Aulæ plauſu ſuperarunt. Tertius eodem virtutis adiumento à ſe longè habuit odium, Romæ commune, in Caraffenſes Paulo viuente, immuniſque fuit à contumeliis communibus reliquorum Caraffenſium, Paulo demortuo. Cum his ſociauit egregium Iuriſperitum Romanum, Ioannem Antonium Capiſuccium, Rotæ Duodecemuirum, eiuſque collegam Gallum Ioannem Suauium Reomanum, priùs in eodem Senatu ad Prirapicenſem Sedem euectum, quæ obitu Claudij à Guiſca, ſæpiùs à nobis in actionibus Synodi laudati, vacauerat; & Hiſpanum, hoc eſt, Ioannem Siliceum, qui ex humillimo genere, virtute animi ac probitate ad munus Philippi Regis erudiendi, & ad Toletanum Archiepiſcopatum ſe ſuſtulerat. Germanicam denique nationem cohoneſtauit in Ioanne Groppero Colonienſi Decano, de quo mentionem habuimus in Comitiis

b 18 Decembris, vt in Actis Conſiſtor. non autem 20. vt alij ſcribunt.

c Sic vocabatur, vt conſtat ex eius ſepulchro in Baſilica S. Petri, & ex libro eiuſdem profeſſionis.

 tiis

1556. tiis Ratiſponenſibus; firmum ſanè Fidei propugnaculum, tametſi valdè concuſſum, non minùs ab incuſationibus domeſticorum, quàm ab aggreſſionibus inimicorum; qui eâ Purpurâ ſe dupliciter illuſtrauit, & anteà, quia eius meritis à Pontifice deſtinata, & poſteà, quia ab ipſo ob modeſtiam recuſata: ſed poſterior laus celebriorem quàm prior ipſum reddidit, quia inter homines ſingularior, quamuis fortaſſe reuerà non maior, quia non conducibilior hominibus. Nihil memoriæ proditum reperio de antegreſſis contentionibus inter Pontificem & Vaticanos Patres ſuper hac Purpuratorum electione, quæ deſcribuntur à Suaui; qui tamen electorum Patrum merita inficiari non eſt auſus. Quin potiùs dum in Senatus Actis conſpicor eam electionem vnanimi Collegij conſenſu habitam, quod aliis Pontificibus, maiori & potentiâ & aliorum erga ſe beneuolentiâ quàm Paulus pollentibus, non ſucceſſerat, magna mihi ſuppetit ratio, vt eas putem fabellas, à quibuſdam nugiuendis compactas, qui arcanarum inuentione turbarum ſibi victum quæritant, ſtipendia cauponantes exterorum curioſitati ſeu credulæ ſeu malignæ. Enimuerò Pontifex tam rectâ proceſſit in ea Cardinalium electione, vt præferuidæ preces Henrici Regis, vnici tunc præſidij & ſibi & ſuis, qui omnem pariter adhibuere conatum, ipſum adducere non valuerint ad S. Populi Epiſcopum vnà promouendum.

Vera ſunt tamen quæ Suauis enarrare pergit [d] de perturbatione 3
Pontificis ob inopinatos Galliæ nuntios. Adiecerat ille animum penitus ad parandam militiam; & Kalendis Ianuariis anno 1556. in ſacello per ſolemnes cærimonias [e] ſummum Eccleſiaſticæ militiæ imperatorem creauerat Montorij Comitem; à quo ad eam vſque diem abſtinuerat, quia propenſo in Hiſpanos animo is ſibi videbatur, adeò vt neceſſe fuerit Cardinali fratri ſe animi fideique vadem patruo dare. Paulò etiam pòſt, duce Antonio Caraffâ, ipſius pariter fratris filio, ſed collatâ operâ Aſcanij Cornei, occupatum fuit oppidum Montis belli, cum aliis pagis, vetus dominium Comitum Guidiorum, in Flaminia, quibus ob delictum exutus à Pontifice fuerat Ioannes Franciſcus eorum Dominus; & in eodem Purpuratorum cœtu ea familia perpetuò priuata, atque idem Antonius [f] iure beneficiario donatus. Rediere quoque per eos dies è Gallia fœderis capita ab ipſo Rege ſubſcripta 18. Ianuarij. Cùm autem ad eam Aulam miſſus à Pontifice fuiſſet Antonius Sanſeuerinus Summanus Dux, vir vt Hiſpanis infenſiſſimus, itidem in deſtinatam expe-

d Quæ euenere in diſſidiis inter Paulum & Hiſpanos, vbi non affertur à nobis peculiare teſtimonium, habentur aut ex Adriano lib. 13. & ſequentibus, ex narratione Naugeri, aut diſtinctiùs ex hiſtoria manuſcripta Noreſij.

e Deſcribuntur in Diario Magiſtri Cærimoniarum, eodem die.

f 27. Iunij anno 1556. in Actis Conſiſtorialibus.

expeditionem acriter inflammatus, Ferrarienſi Principi diploma ſupremæ armorum præfecturæ detulerat. 1556.

4 Et iam vndique Pontificia familia martialem ardorem ſpirabat, cùm epiſtola Sebaſtiani Gualteri, Nuntij in Gallia, Sanctacrucio ſuffecti, frigidæ planè vim habuit, quæ ardorem illum vniuerſum in vanum triſtemque fumum diſſoluit. Tametſi Cæſar recuſauerat anno ſuperiore quæ propoſuerat Henricus; tamen rerum variatio ad varianda tunc conſilia ipſum impulit. Hinc enim poſſeſſionis ſuæ conditiones ille meliores fecerat Senatum deditione, ac depulſione Gallorum ex magna Corſicæ parte: hinc ingens, & nondum benè confirmata Britanniæ adeptio, veluti fructus quidam erat, quem educari oportebat placidâ quietis aurâ, & abſque ventis è confinio perflantibus. Proſpiciebantur auerſa Pontificis conſilia, quæ non aliunde niſi è Galliæ neruis vim trahere ad rem perficiendam poterant. Carolus & bonis mortalis vitæ ſatur, & de immortali ſollicitus, tranſtulerat in filium, idcircò accitum ab Anglia, die 25. Octobris Belgicam ditionem, & die 17. Ianuarij cuncta reliqua regna, ditioneſque hereditarias: & iam illic præſtò erat, vt Imperium ſimiliter fratri traderet in futuris Comitiis, in religioſum Hiſpaniæ angulum ſe recepturus: quod & proximo Auguſto re præſtitit, vt relictâ in homines dominatione, Diuinæ ſeruituti ſe vnicè manciparet. Quare conducibile filio exiſtimabat, ſi iſtam vaſti oneris nouitatem viribus integris iuuenilium humerorum ſuffulcire poſſet, tam potentis aduerſarij bello minimè diſtractis. Quapropter re ante ſpeciem, & ſalute ante rumorem poſitâ, pactis à Gallo propoſitis aſſenſus eſt. Et ipſe tamquam Cæſar, Philippus tamquam ditionum hereditariarum Princeps, tertio Februarij conuenere cum Rege Galliæ de quinquennali armorum ceſſatione, ne commemorato quidem Pontifice (aduerſus id [f] quod Lotharingus, vbi ea fortè ſtabiliretur, anteà prædixerat) quippe qui nec alterius amicus, neque dum cum altero palàm fœderatus.

[f] Conſtat ex dictis litteris Cardinalis ad Octauium Ducem, Roſulo.

5 Primas de his confectis induciis litteras Romam ſcripſit Nuntius, nullâ ab ipſo Rege eiúſve miniſtris factâ illarum mentione Pontifici. Is & conſanguinei, à præcelſo ſuorum conſiliorum faſtigio ſe deturbatos intelligentes, relictoſque inermem prædam tam valido, tamque irritato aduerſario, attonitis ægriſque animis hæſere. Primum ipſis conſilium fuit, ad Summanum Ducem illicò ſcribere, vt ſi fœdus nondum eſſet irreuocabile, pro virili illud obturbandum curaret. Epiſtola Caraffæ Cardinalis nomine à Caſa dictata eſt, per eloquentiam & heri anxietudini, & ſcriptoris præſtantiæ,

1556. ſtantiæ, imò & affectui parem, quam Regi recitaret Summanus: ſicuti ille præſtitit, conſpicatus eius faciem rubore identidem ſuffuſam. Tantus eſt rationis nauiter expreſſæ vel in ſupremos Principes dominatus. Ibi quaſi deſperantis, adeoque liberiori modo exprobrabatur Henrico fides violata, quæ cunctos Italos edoctura eſſet, quantum valerent promiſſa Gallorum, & ipſam Italiam abſoluto Hiſpanorum arbitratui relictura. Dixiſſe non ſemel Pontificem Cardinali, ipſum ad fœdus concitanti: *Vbi ſtatuero in offenſionem Cæſarianorum incurrere, quid iſti tui Galli acturi erunt? Caue ne me poſteà deſerant, cùm eorum ope indiguero.* A Cardinali fuiſſe patruum deceptum, ac præcipitem actum, quòd ille fallaci ſpe minimè crediderit, pactiones, quibus Rex Galliæ ſubſcripſiſſet, quoddam arundineum fulcrum futurum, ſubitò confringendum. Regem ſatis excuſari non poſſe, quòd ſemper dixiſſet Pontifex, à ſe pacem optari; cùm omnino in comperto eſſet, non aliam ex eius ore vocem egredi potuiſſe; neque pariter, quòd conditiones iam vſque ab anno ſuperiori à Rege fuiſſent oblatæ: iis ſiquidem à Cæſare tunc reiectis, nouiſque cum Pontifice initis à Rege pactionibus, alius rerum ſtatus euaſerat. Cùm autem cognoſceretur, rationum vim tunc fortiùs imprimi, cùm ad vtilitatis cutem exacuuntur, fuit in epiſtola propoſitum, etiam ſpectatâ vtilitatis menſurâ, conſtare, illas inducias eò minus Regi conuenientes, quò magis ipſi in rem ſuam facere videbantur: ſatis eſſe perſpecta Cæſari ea ſpecioſa Regis commoda; & tamen iis conditionibus conſenſiſſe cum tam graui exiſtimationis ſuæ detrimento, proculdubiò non aliunde motum, quàm ab agnita ſuarum virium tenuitate, & alienarum magnitudine, vnde grauiores proſpiciebat in bello iacturas. Quo pacto igitur obſtiturum illum fuiſſe aggreſſionibus non Regis modò, ſed Pontificis, multorumque Italicorum Principum, qui ad tutamen gloriamque vindicandæ in libertatem communis patriæ conſpiraſſent? Per eam quinque annorum quietem Hiſpanos afflictas vires reparaturos, ſeque in Angliæ poſſeſſione confirmaturos: ab ipſis iugum impoſitum iri vniuerſæ Italiæ, vbi intereà oppreſſos Principes vita, potentia & virtus animi deficeret: tandem ferociores erupturos ad vlciſcenda illata à Gallis vulnera, eorumque ſanguine acceptam ignominiam detergendam.

Sed hebetes euaſerunt aculei, poſtquam induciæ confectæ fuerant; de quibus poſteà Romam perſcripſerunt, quamuis ſerò, Regis miniſtri, adiectis excuſationibus, quas Pontificij iam præuiderant, & per memoratam epiſtolam reiecerant. Auditum prætereà 6

eſt,

eſt, impenſam ad id operam à Legato Polo, qui priſtina ſecutus mandata, ſibi à Iulio tradita, nec vmquam reuocata, exiſtimarat ſe rem acturum non ſolum in Chriſtianæ Reipublicæ emolumentum, ſed ſuo Principi gratam, Mariâ Reginâ ad id promouendum impulsâ, ſuæque operæ efficaciâ collatâ. Paulus itaque in eam ſententiam venit, vt duos Legatos mitteret[b], Rebibam Cardinalem, & ſibi ex diuturno famulatu fidum, & Carolo ac Philippo patriâ ſubiectum, ad hos duos Principes; Caraffam verò, quo magis ardui intimique negotij moles niti opus erat, ad Henricum. Prima ac publica demandata ipſis cura erat, vt temporarias inducias in pacem perpetuam conuerterent; quod vbi eueniſſet, Pontifex & meritum & beneuolentiam apud vtrumque ſibi comparaſſet, & ab vtroque, vt mos eſt, vel ſaltem ab altero abſque dubio in ea pacificatione tamquam amicus comprehenſus fuiſſet, gloriam ſimul ac ſecuritatem conſecutus. Vbi autem id minus contingeret, altera Caraffæ occultiſſima iniuncta mandata, vt ipſe vocis præſentiæque vigore, iiſque adiumentis, quæ ſibi potuiſſet in Aula comparare, ſtuderet Regem ad obſeruandum initum cum Pontifice fœdus, induciaſque abrumpendas protrahere; cùm videretur Paulo id ob rationes iam adductas ab æquitate poſtulari. Quocircà duo Romæ habiti ſunt commentarij litterarum, qui Pontificis iuſſu ad Legatum à fratre dabantur; alter ordinarius, & in Tabulario Pontificio ſeruandus, litteras continebat de primis publiciſque mandatis; alter arcanus, & memoriæ minime prodendus, vbi ſecundi generis occulta iuſſa claudebantur. Quod poſteà in cauſa fuit, vt opponeretur Caraffæ, quòd is iniuſſu Pontificis Regem ad bellum incitaſſet. Id verò vnum eſt inter onera miniſterij, ingentia atque abdita molientis, quòd interdum, vt quis ſuo Principi fideliſſimus ſit, oportet adire periculum, vnde aliâ ætate infidelis fuiſſe credatur.

1556.

b Declarati ſunt 10. Aprilis anno 1556. & crucem accepere diſceſſuri 11. Maij, vt in Actis Conſiſtorialibus.

1556.

CAPVT XVII.

Mandata Rebibæ Legato tradita de Concilio, ac de pace. Palianum à Pontifice munitum; quod Albano diſplicet. Litteræ Hiſpanorum interceptæ. Suſpiciones in Aſcanium Colneum. Eius fuga, eiuſdemque fratris Cardinalis captiuitas. Denuntiatio habita in Senatu à Fiſci Procuratore in Cæſarem ac Philippum Regem. Diſceſſus Oratoris Cæſarei. Alia inter Pontificem & Albanum agitata.

MAndata Rebibæ tradita ingens Religionis ſtudium præ ſe gerebant, ſed imperioſius quàm mite, adeoque tempori minus accommodatum, minuſque conueniens conditioni Pontificis, in quo non admodum emicabat is animus, rebus mortalibus omnino liber, qui neceſſarius eſt ad ſummos Principes deterrendos collatâ diuinitus poteſtate. Verùm vt in hoc Pauli Quarti cauſam haud ſuſtineo, ita nequeo Suauis calumnias ſine ſtomacho legere; perinde quaſi Pontifex ageret de reformanda diſciplina, habendaque Synodo, per fictionem & technas, ſed cum animo ab opere prorſus alieno: quo nihil magis repugnans dici poſſet ingenio Pauli, eiuſque perpetuæ agendi rationi, quæ huiuſmodi deſideria ac propoſita omninò ſpirabat. Significabatur itaque in iuſſionibus Rebibæ traditis[a]: Cùm cerneret Paulus grauiſſima Religionis Chriſtianæ detrimenta, exiſtimare, non aliâ ope ea poſſe reparari, niſi Oecumenicâ Synodo, cui Pontifex intereſſet. Et quoniam ætas decrepita ipſum longius progredi non ſinebat, eam à ſe deſtinari in Lateranenſi Eccleſia, quam vniuerſus Chriſtianus Orbis plurimum venerabatur, & tot celeberrima Concilia nobilitarant. Romam, vrbis amplitudine, cæli clementiâ, annonæ copiâ, hoſpitalitate ciuium gratum cunctis eò confluentibus domicilium futuram. In hac Synodo Eccleſiaſticos ſimul ac laicos eſſe primo loco reformandos; correctâ in illis morum corruptelâ, his verò vetitis, ne aduerſus Diuina præcepta ſacris ſe rebus immiſceant. Quandoque viros in ſumma dignitate conſtitutos, & qui ſe Chriſtianos appellabant, petiiſſe à Pontifice per immoderatum ardorem, homineſque ad id legatos, res adeò deformes, vt ne audire quidem eas poſſet, nedum concedere. 1

[a] Hæc mandata, ſunt apud Burghesios.

2 Huic inter alia incommoda proſpiciendum à Concilio, debitis Eccleſiæ & honoribus & iuribus reſtitutis. Pontificem in eo propoſito

ſito adeò defixum hærere, vt nihil inde eum remouere potuiſſet; atque ea præſertim de cauſa legationem illam eſſe inſtitutam, quâ Rebiba cohortaretur duos maximos Principes, parentem ac filium, ad tam pium opus promouendum. Sed quia Concilium indigebat viris animo ſincero, & ab affectionibus immuni, & affectio Principum in ſubditorum etiam animos ſolet permanare, propterea opus eſſe, vt inter Reges perpetua ſinceraque pax firmaretur; aliter enim, perſiſtente in ipſis vtilitatum finiumque diſſidio, fruſtrà ſeu proponerentur ſeu decernerentur in Synodo ea quæ & conducibilia & accepta alteri partium, ab altera, tamquam ſibi & noxia & moleſta, recuſarentur. Par igitur eſſe, vt Principes inter ſe reconciliarentur, ſempiternas rationes temporariis anteferentes; animoque aduertentes, ſi grauis ſupplicij reus eſt qui vnum hominem interficit, quanto maius ſupplicium erunt ſubituri, qui tot ſtragibus cladibuſque regnorum cauſam præbuiſſent. Nec ſatis eſſe Principi, ſi dicat, Pro ſe cauſæ rationem ſtare. In primis hanc rationem in Principum litibus implicatis ſemper dubiam videri: prætereà, proprij iuris aliquid humani generis bono ac Dei obſequio concedendum; neque committendum, vt in virtute vincamur ab iis Ethnicis, qui ob tenuem ſolùm honeſtatis naturalis lucem cum capitalibus ipſorum inimicis pacem inierunt, & in apertum exitium pro incolumitate Reipublicæ ſe coniecerunt. Deberi Deo perſolui hoc grati animi obſequium ab iis, quibus honorum dignitatumque opulentiam ipſe profudit; Pontificem verò eò in maiorem ſpem erigi, quòd oblatum ſibi fuerat publicè à Chriſtianiſſimo Rege per Lotharingum Cardinalem in Senatu, ſe controuerſias omnes in ipſo Pontifice tamquam in ſupremo Iudice repoſiturum. Quapropter à ſe ad Henricum mitti Cardinalem, ſui fratris filium, bonum illud promoturum, quicum à Rebiba aſſidua rerum communicatio habenda eſſet. Barbarorum potentiam, periculumque imponendi ipſorum iugo cunctorum fidelium ceruices, eo vſque fuiſſe progreſſa, vt animo non ſolùm Chriſtiano, ſed etiam humano indignum eſſet, nec à Pontifice pro ſuo munere tolerandum, quòd fideles inter ſe bellum gererent. Proinde in eum, qui paci conficiendæ reſiſteret, ſuas à ſe, nullius potentiam formidante, pœnas inflictum iri & quæ ad ſacram & quæ ad profanam poteſtatem ſpectarent, vt qui paratus erat tam honeſta de cauſa alacriter mortem adire. Præferuido huiuſce rei ſtudio ſe moueri ad auellendum à ſe Rebibam, iamdiu ſibi familiarem, & ſupra reliquos ſuæ mentis participem, ſatis gnaro, negotium ab illo eximiâ charitate ac prudentia tranſigendum. 1556.

1556. gendum. Sperare Pontificem, exceptum iri Legatum omni cultu & obſeruantiâ ab iis, qui tametſi ſupremi Principes eſſent, erant tamen eius filij cuius ille perſonam gerebat. Vteretur is eâ, quam nos Chriſtus docuit, ſalutatione, *Pax huic domui.* Cui voci, amorem ſpiranti, ſi animaduerteret minùs fauſtè reſponderi, nec eos, quibus ſalus nuntiabatur, illâ ſe dignos oſtendere, nec ipſius verba auſcultare, extemplò diſcederet, & ad Pontificem rediret, excuſſo in teſtimonium è pedibus puluere. Etenim qualeſcumque alij futuri eſſent (bonos certè à Pontifice ſperari) ipſum quidem apud ſe ſtatuiſſe ita ſe gerere, vt eumdem poſteà neutiquam pœniteret.

Eadem ferè publica mandata proportione Caraffæ tradita. Sed 3
is non tam celeriter, vt optabat, ſe in viam dedit; quoniam voluit ſecum adducere Petrum Strozzium, ſub quo, ſicuti diximus, militauerat, Reginæ ſobrinum, & quàm in Aula Gallica pollentem gratiâ, tam Hiſpano nomini infenſum, adeoque præualidum ad id quod intendebatur. Hic autem Strozzius hebdomadas aliquot inſumpſerat muniendis, quoad per ſubitas molitiones potuit, locis maritimis, Centumcellis & Antio: præſertim verò in formanda Paliani arce; quod oppidum, Columnenſibus priùs vi ereptum, poſteà perculſis anathemate, eiuſque dominio, [b] habitis priùs ſolemnibus Iudicij ritibus in Senatu, perpetuùm priuatis, in alio Purpuratorum conuentu [c] iure beneficiario traditum eſt Comiti Montorij, eiuſque poſteris maribus, fucatâ huius actionis ſpecie, fœdâ in eiuſmodi Pontifice, neceſſitatis colore; vt videlicet Eccleſiæ bona ab eo conſeruarentur, qui poſſet & viribus & fide in Eccleſiæ obſequio ea retinere. Iuſſit itaque Pontifex firmam arcem Paliani extrui, ſpecie quidem vt tutus eſſet ab aggreſſionibus Columnenſium, ſed reuerà, vt aduerſus regnum Neapolitanum confinij frontem armaret. Hinc anxius Albanus, ad ſuam adminiſtrationem reuerſus poſt inducias cum Gallo, in arma fortaſſe prorupiſſet ad opus impediendum, ni ſe veteranâ militiâ atque pecuniâ eneruem ſenſiſſet. Non tamen prætermiſit omni ſtudio ac celeritate, & militem per externas ſuppetias, & pecuniam per impoſita intus vectigalia comparare. Vnde conſtitit, niſi fortuna, ſemper Caroli cuſtos, in his rerum conditionibus retinuiſſet per inducias contrarium impetum coaliti in Italia fœderis, veriſimiliter ſubuerſum iri quidquid ab ipſo & deinde à Philippo filio ibi poſſidebatur.

[b] 4 Maij anno 1555. vt in Actis Conſiſtorialibus.
[c] 10. Maij.

Sed ex altera parte Pontifex nihilo melius Albano in reliquis in- 4
ſtructior erat, maiorique quàm ille ductorum penuriâ laborabat, cùm Cardinalis ac Strozzius abeſſent. Vndique tamen, quantum pote-

poterat, confinia muniebat, adhibitâ eorum ducum operâ, quibus aut ipſe fideret, aut minus diffideret; & inter ceteros Velitrarum, multorumque circà locorum cuſtodiam demandarat Aſcanio Corneo, tamquam ſupremo equitum Magiſtro: qui tametſi ab initio ſuſpectus illi fuerat ob præſtitam diutius operam Cæſari, & ob incautas expoſtulationes, quibus ille publicè querebatur, moleſtias à Fiſco Apoſtolico illatas bonis ſibi à Pontifice auunculo conceſſis; tamen ob poſtremas in Æmilia expeditiones in gratiam amicitiamque Pauli redierat. Dum ſe Pontifex ad bellum parabat, pacis deſiderium præ ſe gerebat; quod forſan re ipſi inerat, cùm frigefactus ſenectute ſanguis præſentibus inquieti Cardinalis ardoribus neutiquam inflammabatur. Quare vndecimo Iulij, conqueſtus in Senatu [d] de iam paratis ab Albano moleſtiis per arma palàm mota ad patrocinium Columnenſium, quibus anathema inflictum fuerat, ex conſilio precibuſque Collegij induxit Oratores Principum, eiſque affirmauit, prompto ſe animo eſſe ad Cardinales deſignandos, qui agerent de ineunda ratione pacificè viuendi. 1556.

[d] In Actis Conſiſtorialibus.

5 Sed fortuita offenſio in corpore iam malè affecto, iis quæ parabantur lenimentis vim ademit. Mos erat Oratori Cæſareo ad Neapolitanum Proregem mittere tabellarium, qui Terracinâ iter faceret. Contigit, vt quodam die hunc tabellarium oppidi rector conſpicatus fuerit peditem, carentemque iis inſignibus, quæ ſui muneris teſſera ſunt: & quemadmodum nihil grauius nocet ad arcana detegenda, quàm nimis affectata ſimulatio; ita hæc exquiſitior cautio à tabellario adhibita effecit, vt in malum quod euitare nitebatur incurreret. Etenim rector, cum Præfecto Pontificij cubiculi coniunctus ſanguine, adeoque rerum, quæ in Aula tunc agitabantur, haud omninò ignarus, arbitratus eſt, id quod erat, eam diſſimulationem quamdam eſſe technam ad arcanum aliquod obtegendum, quod tabellarius deferret. Quapropter hominem comprehenſum, eo liberiùs quòd is deſtitutus erat publicis inſignibus, quibus iure Gentium inuiolabilis redderetur, celeriter Romam miſit: ita tamen, vt intempeſtæ noctis tenebris ac ſilentio vrbem ingrederetur. Statim ac eò peruenit, à Præfecto Pontificij cubiculi confeſtim ad Paliani Ducem adductus eſt. Epiſtolam hic ſecum ferebat, implicatiſſimis notis arcanis ſcriptam ad Albanum à Garzia Laſſo de Vega, Romæ negotia Philippi Regis procurante. Hinc auctâ ob epiſtolæ obſcuritatem curioſitate ac ſuſpicione, cumque litteræ crederentur miſſæ à Ioanne Antonio Taſſio, tabellariis Cæſareis præfecto, Taſſius etiam in vincula coniectus eſt, vt ab eo lux

1556. aliqua eliceretur. Manè Orator Cæſareus de Taſſij captiuitate factus certior, neſciuſque quid euenïſſet tabellario, feſtinanter Pontificem adiit ad impetrandam Cæſarei adminiſtri libertatem. Sed infortunio accidit, vt Garzia Laſſus in Oratoris comitatu ædes Pontificias ingrederetur; de quo Paulus admonitus, dum cum Oratore colloquebatur, iuſſit Garziam in arcem conïici. Nec rem anteà reſciuit Orator, quàm digreſſus à Pontifice; ad quem poſteà confeſtim acceſſum non impetrauit. Denique compertum eſt, arcanis illis notis cohortationem contineri, quâ impellebatur Albanus ditionem Pontificiam inuadere, dum tam infirmis præſidiis muniebatur.

Pontifex, animaduertens in Hiſpanis exteriorem ſpeciem interioribus conſiliis ipſius opprimendi reſpondere, metu ſimul irâque commotus voluit offenſionem animi patefacere per ſolemnes minarum denuntiationes, ſeu quò deterreret, ſeu ne ſe deterritum oſtenderet; iuſſitque adeſſe in Senatu 27. Iulij [e] Alexandrum Pallanterium, Fiſci Procuratorem, Sylueſtrum Aldobrandinum, eiuſdem Fiſci Aduocatum, Ioannem Franciſcum Binum Florentinum, vnum ex iis qui ſibi erant à ſecretis, & Ioannem Sauum Gallum, ambos verò Collegij Clericos, & Sauum Cameræ inſuper Scribam, qui omnes ſimul actum legitimum ſolemnemque confecere, Pontifici aſſiſtentibus Paulo Conſiliario, cubiculi Præfecto, & Angelo Maſſarello, priùs Concilio, & tunc Collegio a ſecretis, qui ambo tamquam teſtes tabulis ſubſcripſerunt. 6

[e] Non 23. vt ſcribit Suauis. Extant omnia in Actis Senatus, & cum minutioribus conditionibus, in monumentis Burgheſiorum.

Rem priùs præuiſam credendum eſt: nam inter Purpuratos qui Romæ degebant, nullum ex Hiſpanienſibus adfuiſſe comperio. Rogauit Aldobrandinus Pontificem, ne grauaretur audire petitionem ſibi ſcripto exhibitam à Pallanterio. In ea continebatur, Cæſaris ac Philippi Regis miniſtros, ac præſertim Albanum Philippi Proregem & locum Cæſaris tenentem, quædam apertè moliri aduerſus ditionem Eccleſiaſticam, ipſamque vrbem Romam; non ſolùm excipientes fouenteſque patrocinio Columnenſes, anathemate perculſos, ac læſæ Maieſtatis damnatos, ſuppeditatâ ipſis pecuniâ, datiſque ad bellum Ducibus, ac præcipue quodam Aldano; ſed paratis aggreſſionibus aduerſus Pontificis oppida, & nouâ ſuæ Regiæ direptione. Non poſſe id contingere neſciis eorum Principibus: hoc verò ex legum præſcripto probari coniecturis, quæ in eo euentu validiſſimæ erant; nimirum, tempus diuturnum, facta paſſim nota, graues ſumptus, præter alia argumenta, quibus iidem Principes rei conſcij comprobabantur, ex variis arcanis notitiis, quibus recenſendis 7

ſendis aptus locus tempuſque non erat: ea omnia non opponi ſolùm diplomati Pontificio, in Columnenſes eorumque fautores vulgato, ſed etiam miſſioni in poſſeſſionem regni Neapolitani (Inueſtituram vocant) illis iure beneficiario conceſſæ, & ab ipſis iureiurando firmatæ, cuius regni ſupremum dominium ad Eccleſiam ſpectat. Proinde Fiſci patronum à Pontifice petere, vt Cardinales ipſe deſtinaret ad eam cauſam cognoſcendam; & vbi Fiſci Procurator res adductas comprobaret, declararet Pontifex, ab ea vſque hora memoratos miniſtros ac Principes incurriſſe in pœnas omnes maioris anathematis, deperditæque regni beneficiarij poſſeſſionis, & honoribus ac ditionibus eſſe priuatos; abſoluerentur à iureiurando ſubditi, eorumque dominia exponerentur tamquam legitimè acquirenda iis qui ipſa occupaſſent. Pontifex ſuâ voce petitionem admiſit per conſuetam formulam, *Si & in quantum*; dixitque, Quod ſpectabat ad Cardinales iudices deſtinandos, & quæ poſtulabantur exequenda, ſe Patres conſulturum, eorumque auditâ ſententiâ maturè reſponſurum. 1556.

8 Neque inter hæc, ſtrepentiora quàm viuida, prætermittebat alia validiora. In epiſtola, quam diximus, Garziæ Laſſi, varij nominabantur tamquam Cæſari addicti, & inter eos Aſcanius Corneus. Vnde Pontifex nouis de eo ſuſpicionibus correptus, hominem ad ſe accerſiuit, vt eius excuſationes audiret. Sed ille Pontificis impetum pertimeſcens, acceſſum ſuum, varia cauſatus, protrahebat; vnde aucta ſuſpicio. Paulus itaque demandauit Papirio Capiſucco, vt cum equitum turma Velitras peteret, & Aſcanium cuſtodiret. Id Corneus Cardinalis odoratus, celerrimè curauit, vt rei nuntius ad fratrem præcurreret; planeque is ad eum peruenit, cùm pariter Papirius ad Velitrarum portam aderat: quare eodem temporis momento hic per alteram ingreſſus eſt, ille per alteram erupit, quem Papiriani equites laxatis habenis inſecuti ſunt. Aſcanius ad maritimam oram declinans, Antium contendit; ibique vti tamquam Pontificius ductor eſt agnitus, ita facile illi fuit perſuadere, inſequentes eſſe milites ſeditioſos, qui à ſe deſciuerant: quocircà præſidiarij Antij milites in eos obuiàm egreſſi ſunt; neque prius detectæ res eſt, quàm Aſcanius cum vno ſolo comite cymbulæ ope in tuto fuit, quâ Neapolim vectus perhonorificè exceptus eſt ab Albano; qui per eum cognitâ ditionis Eccleſiaſticæ imbecillitate, animo ad rem peragendam eſt auctus, eo acrius Aſcanio ad id ſtimulante, quòd Pontifex irâ ſuccenſus Corneum Cardinalem in Ælia arce concluſerat, & vtrumque fratrem cunctis ipſorum bonis exuerat.

Sed

1556. Sed Albanus nondum viribus ſatis inſtructus, nec re ſuum apud animum omnino ſtatutâ, partim ad obtinendam liberationem Garziæ Laſſi, cui à Pontificis ferocia necem timebat, partim ad ſuam cauſam purgandam, Romam legauit Iulium à Tolſa, Comitem S. Valentini, cum variis ad Pontificem querelis: Omnes Cæſaris ac Philippi Regis ſtudioſos ab eo malè habitos, miniſtros in carcerem coniectos, Oratorem deſpectum; in admonitoriis litteris ad Aſcanium haberi, ipſum ad Sedis Apoſtolicæ hoſtes confugiſſe, adeoque Proregem, eiuſque Principes huiuſmodi hoſtes declarari. De poſtulato per Fiſci Patronum habito, iniunctum non erat Comiti vt quereretur, tamquam de re ſeu non peracta, ſeu nondum comperta Proregi. 9

10 Eodem tempore Marchio Sarienſis, Cæſaris ac Philippi filij Orator, cùm vtrumque acerbiſſimis litteris edocuiſſet iniurias, quas ſibi & illorum vtrique illatas à Pontifice in variis functionibus arbitrabatur, reſponſa rebus propoſitis paria ab illis accepit. Quamobrem ſignificauit, velle ſe à Pontifice poſcere veniam aliò abeundi, ob negotia iuſſionemque ſuorum Principum; quo videbatur omne filum nouæ coniunctionis abſciſſum iri. Ea de cauſa Pontifex [f] poſtridie Kalendas Auguſti conuiuas inuitauit duodecim Cardinales, factione ac natione varios, & cum ipſis Oratorem, nouumque Paliani Ducem, ſui fratris filium. Poſt menſam dixit: Cùm inaudiſſet, Oratorem abeundi veniam petiturum, gratum ſibi fore, ſi hic illi cœtui quæ cupiebat exponeret. Affirmauit Orator, Se ad id compelli à negotiis mandatiſque ſuorum Principum. Et præter ea, quæ in Acta Senatus relata ſunt, comperio in peculiaribus monumentis, cauſas ab Oratore fuiſſe patefactas, commemoratis per amaras faſtoſaſque formulas iniuriis, quas in eos ſummos Principes Paulus intulerat. Singuli qui conuenerant, dixere, profectionem prohiberi non poſſe, ſed rogandum eum eſſe, vt in iis rerum conditionibus aliquantulùm ſuperſederet, ſi citra ſuorum Principum incommodum læſionemque obſequij id ei licuiſſet: quod negauit Orator ex mandatorum ſententia ſibi fas eſſe. Pontifex illum ac Ducem egredi iuſſit, quò liberiores ſententias Patres proferrent: quæ denuò conſenſere, iure Gentium diſceſſum negari non poſſe, ſed ſolùm moræ petitionem iterandam. Eo itaque reuocato, per inopinatam humanitatem Pontifex veniam illi conceſſit quocumque vellet abeundi, ſimulque vota communia ſignificauit. Tum Orator, actis pro venia gratiis, dixit, Se accepta mandata iterùm expenſurum. Quod compertum eſt, fuiſſe ad ſpeciem dictum, ne inur-

f Extat in Actis Conſiſtorialibus.

inurbanè per apertam repulſam humanitati Pontificis ille reſpon- 1556.
deret; non autem (quemadmodum alij obiecerunt) quòd manda-
ta non priùs benè perpendiſſet: nam die poſtero Româ diſceſſit.
Iuſſit Pontifex totius colloquij ſeriem in tabulas referri à Puteo,
qui tunc loco Farneſij abſentis, quòd infra meritum ſecum agi pu-
taret, vt narrabitur, Procancellarij munere fungebatur, ne poſſet
vmquam Orator opponere, ſe violenter fuiſſe detentum. Vſque
adeò per offenſiones ac querelas excreuerat neceſſitas cautionum;
quæ mutuarum ſuſpicionum accuſationumque tempore, minores
eſſe non debent aduerſum ſtrepitus blaterantium hominum, quàm
bellorum obſidionumque tempore, aduerſum ſtrepitus fulminan-
tium tormentorum.

CAPVT XVIII.

Inutilia ſtudia Comitis ſancti Valentini Romæ, & Dominici Nerij Neapoli. Edictum à Prorege vulgatum. Pyrrus Loffredus ab eo ad Pontificem & Cardinales miſſus.

1 VT miſſioni Comitis ſancti Valentini Pontifex reſponderet,
ſimulque vt ex rei, actoris perſonam ſumeret, viciſſim miſe-
rat ad Proregem Dominicum Nerium Romanum, qui que-
rimonias recitaret, de iniuriis conquereretur, & temperamenta pro-
poneret. Retulit[a] etiam ad Collegium tum mandata ſibi à Comi-
te communicata, quæ memoratas querelas complectebantur, tum
ſcriptam à ſe reſponſionem, vt eam Patres attentè diſpicerent. Eius
ſententia erat: Regios nihil à Pontifice læſos, dum ſuos ſubditos
ob grauiſſima ac patentia delicta puniebat; ſed Pontificem vtique
à regiis, dum ſubditis ab ipſo damnatis ac perduellibus patrocina-
bantur. In Abbates Berſegnum & Nannum agi & inquiri, tam-
quam in Clericos, Pontificiæ iuriſdictioni ſubiectos, ob læſæ Maie-
ſtatis crimina; præterquam quòd cùm Berſegnus captus fuerat,
non amplius erat Albani miniſter. Similiter Garziam Laſſum re-
tineri ob ea quæ in ditionem Eccleſiaſticam moliebatur; vnde ius
Gentium læſerat, quod ſeuerè id interdicit miniſtris vnius Princi-
pis apud alterum degentibus, vt ij liberè poſſint admitti: nec ſu-
ſpicione commercia impediuntur; quapropter opponere non lice-
bat Garziæ Laſſo, violari in ſe ius illud, cuius ipſe violator fuerat.
Cum Sarienſi benignè actum ſatis ſuperque: hinc enim negatus
aliquoties acceſſus ad Pontificem, deſpectus appellari non poterat;
cùm apud nullius Principis Aulam ſit in more poſitum, vt Orato-

[a] 7. Auguſti, vt in Actis Conſiſtoria-libus.

1556. ribus oſtium ad Principem quacumque velint horâ pateſcat: hinc patienter diſſimulatum cum eo fuerat, quòd leui de cauſa vnam ex vrbis portis imperioſè fregiſſet, dum ante lucem exortam clauſa propter ſuſpiciones cuſtodiebatur. Expoſtulabat è conuerſo Pontifex, quòd Prorex per declarationem inimicitiæ, edicto pœnas rigidiſſimas intentante, prohibuiſſet ſuis populis omne commercium cum hominibus Eccleſiaſticæ ditionis. Præter hæc ſcripto reddita, ferunt Pontificem in colloquiis cum Comite verbis incompoſitis iracundius ſe geſſiſſe, non ſeruato illius moderationis emolumento, quam pacato priùs animo cum laude retinuerat in concedenda Oratori venia diſcedendi.

Poſtremum quaſi belli ſignum Proregi viſus eſt ingreſſus in Senatum Fiſci Procurator, ſatis gnaro, huiuſmodi moleſtias non exhiberi Principibus in foro, non priùs deſtinatas in acie. Verùm animo recolens turpem ſpeciem, quam præ ſe fert apud Chriſtianorum oculos is qui Chriſti Vicarium inuadit, nouâ vſus eſt diligentiâ, tum ad maiorem æquitatem ſuæ cauſæ, quaſi ad eam defendendam coactus, tum ad regerendum in Pontificem odium belli apud ſubditos & Cardinales. Propterea Pyrrum Loffredum nobilem Neapolitanum Romam miſit, qui Pontifici exponeret; Per iniquiſſimam ignominioſiſſimamque petitionem à Fiſci Aduocato habitam, admiſſamque à Pontifice in Senatu aduerſus Cæſarem ac Regem Catholicum, eorumque ditiones, ſatis patefieri, quem ille animum gereret, & cuiuſmodi clades illis Principibus moliretur. Proinde nihil ipſis aliud agendum ſupereſſe, niſi id quod à quolibet obſequenti filio præſtaretur erga parentem, qui ſtricto telo ipſum peteret; hoc eſt, vt conetur è manibus illi ferrum eripere: ad id Cæſarem ac Regem per ſummam triſtitiam, & vrgente adductos vi, deuenturos. Sed priùs Albanum, ob immenſum deſiderium, quo ipſe eiuſque Principes flagrabant ſe ab huiuſcemodi motibus abſtinendi, voluiſſe hanc poſtremi officij reuerentiam ſupra debitum perſoluere, ab eiuſque Sanctitate per infimas preces flagitare, vt inimici perſonam deponeret, & parentis reſumeret; ac reuocatis offenſionibus pacem in Chriſtiana Republica foueret. Id vbi fieret, ſe polliceri, Cæſarem Regemque Catholicum, præteritas iniurias oblitos, perſonam obſequentium & amantium filiorum ſeruaturos. Dignaretur ipſe ea quæ ſibi ſignificabantur, cum ſacro Collegio communicare, conceſsâ Patribus facultate, quid apud ſe quiſque ſentiret liberè proferendi; à quibus verendum non erat, ne fidelia, pacifica & ſalutaria conſilia eſſet accepturus. Alteram ad Collegium 2

epiſto-

epiſtolam deferebat Pyrrus, eiuſdem ferè ſententiæ, quâ inſuper 1556.
rogabantur Patres, vt Pontificem ad ſenſus æquitatis charitatiſque paſtoralis plenos inflectendum curarent.

3 Iubebatur Loffredus ad Pontificem & Cardinales litteras deferre, eoſque ex Albani mandatis alloqui; ita tamen ne vltra quatriduum Romæ commoraretur, quocumque aut etiam nullo accepto reſponſo. Sed Pontifex, quem iuuabat cunctatio, donec è Gallia rediret Caraffa, & cum eo aliquæ Gallorum ſuppetiæ, ſicut dicemus, ob oculos illi poſuit, fieri non poſſe, vt tam breui temporis ſpatio quidquam certi ſtatueretur; cùm opus eſſet, vt Loffredus poſt colloquium ſecum habitum, Collegium inuiſeret, & inde Pontifex ſententias Patres rogaret, atque hoc pacto reſponſum eiuſmodi redderet, quo iniretur aliquod vtrique acceptum temperamentum, cuius ſpem plurimam in eo excitauit: aliter illius aduentum habiturum fuiſſe ſpeciem non pacificatoris, ſed deluſoris. Loffredus rationibus Pontificis illectus, & Proregis arcanum ignorans, morâ ſe inuerti permiſit; quod non modicum attulit detrimentum tum Proregi, ob notam inde contractam, tum ipſi, ob ærumnam inde toleratam: relicto miniſtris documento, ne vmquam ſuo vtantur arbitrio contra ea quæ ſibi diſertis coarctatiſque mandatis iniunguntur, multoque minus, vbi nulla ipſis innotuit ratio; quam quia tunc animo metiri non poſſunt, oportet vt non exiguam credant, & fortaſſe maximam.

CAPVT XIX.

Bellum à Prorege illatum. Pontificis in Loffredum animaduerſio. Quæ in Gallia Caraffa Cardinalis egerit. Eius reditus cum auxiliis, & Rebiba Legato.

1 QVarto Septembris coactis Cardinalibus coram Pontifice, recitatæ ſunt[a] litteræ, quas ad Collegium Albanus dederat. Tum de negotio agitatum, ac varia de pacificatione ſunt propoſita. Sed poſtridie noctu nuntiatum eſt, Albanum, cum iuſtis copiis egreſſum Neapoli Kalendis illius menſis, inuaſiſſe poſteà in ditionem Eccleſiaſticam, ac die quinto Pontem Coruum occupaſſe, minutum ſcilicet veſtigium veterum Fregellarum, vbi Hannibalis impetus fuerat olim retardatus ac fractus; deinde verò Froſinonem, multâ pecudum abactâ prædâ. Pontifex vehementer inflammatus, confeſtim Patres coëgit, [b] fecitque de aggreſſione certiores. Dein coram ipſis accitum Loffredum percontatus eſt, quidnam

[a] In Actis Conſiſtorialibus.

[b] 6. Septembris anno 1556. in Actis Conſiſtorialibus.

1556. nam acturus ille aduenisset. Reſpondit, Duas à ſe litteras Proregis allatas, alteras ad Pontificem, ad ſacrum Collegium alteras, quò exortis diſſidiis concordia inueniretur. Tunc Pontifex Loffredo patefecit iniurias ſibi hoſtiliter illatas à Prorege, cui proditionem violarumque ius Gentium exprobrauit, quando armorum vi adoriebatur, quem idem ipſe pacis tractatione ſopiebat; ſed Deum æquitati patrocinaturum, fraudemque punirurum: atque ita dimiſſum iuſſit in arcem adduci, vlturus in miniſtro Principis infidelitatem; ibique illum detinuit, donec poſteà pacificatio inita eſt.

Interim Paulus magnis anguſtiis premebatur ob apparatus penuriam, nec minus ob abſentiam Caraffæ, cuius bellicoſa indoles quàm parum apta ad pacificum regimen, tam neceſſaria erat ad armorum tractationem. Et ideò frequentibus tabellariis eius reditum ſollicitarat; ſed is, ne fructu vacaret, maturare non poterat. Hîc verò quò rerum geſtarum ſumma eluceat, præſtat paucis exponam lectorum oculis variam negotij ſcenam in Gallia à Caraffa tranſacti. Sunt qui ſcribunt, illum ſub primum acceſſum fuiſſe nactum in Rege nimiam animi auerſionem à pace, propenſionemque ad bellum, vt qui cohortationibus tum Guiſij Ducis, tunc in Aula in primis potentis, tum fratris Cardinalis, eò ab Italia reuerſi, acriter ſtimularetur ad capeſſenda rurſus belli molimina, ab altero ſanciti, & alteri commiſſi. Quapropter Caraffam, omiſſis priorum mandatorum curis, detentoque Rebibâ, cuius legationem hoc poſito prænoſcebat nec conducibilem nec honorificam fore, inſtitiſſe tantummodò ad ea conficienda, quæ per poſteriora mandata imponebantur. Verùm, quantum colligo ex variis litteris arcanis, ad Paliani Ducem ab eo ſcriptis, res aliter euenit, & qualem ipſam comperio, talem paucis narrabo. 2

Secundaria hæc Pontificis mandata Caraffæ tradita nequierant tam occulta deliteſcere, quin ea vſque ab initio Cæſar aut reſciuerit, aut coniectauerit: ſed, perinde ac vſuuenit in eo quod in tenebris acie vacillante conſpicitur, non ſine aliquo errore, ac præſertim, quòd illa mandata tamquam primaria atque vnica exiſtimauerit. Quare accerſito Oratori Veneto apud ſe degenti [e] dixit, Caraffam in Galliam pergere, ſpecie vt pacem promoueret, animo vt ad reſiliendum ab induciis Regem impelleret, fœdus cum eodem iungeret, cuius filio regnum Neapolitanum deſtinaretur, & vni ex Italicis Principibus Mediolanenſis Principatus: concederentur Caraffæ Cardinali à Regina, Laurentij Medicei iam Ducis Vrbinatium filia, iura in illius ditionem, iiſque ſpoliaretur qui tunc Vrbinatibus domi- 3

[e] Epiſtola Caraffæ Cardinalis ad Ducem Paliani è Fontebello, 13. Iunij 1556. apud Burghelios.

dominabatur: denique offerretur Venetis pars Siciliæ. Adiecit Cæſar, Hactenus eam Rempublicam ſe abſtinuiſſe quò minùs ſecum coniungeretur, veritam, ne vniuerſæ Italiæ dominatui Cæſar aſpiraret. Id vt cautum foret, ſe illi offerre initurum cum ea fœdus ad meram defenſionem, aliquot oppidis eidem traditis. Ea de re admonitus Caraffa, & cum Oratore Veneto in Gallia collocutus, negauit id quod falſum erat, & ad Vrbinatem ſpectabat; ac de reliquo dixit, An ea forent opportuna, in iudicio illius Senatus à ſe reponi; ſed eiuſmodi res armis confici belli tempore, non verbis inter inducias; nihil autem tentatum iri, niſi in Reipublicæ commodum, quacum ipſe cum ſuis connectebantur, ob collatum ipſis ab eo Senatu Venetæ nobilitatis decus. Paulò pòſt iactitari ſenſit, ex diſcrepantia ſuper captiuorum redemptione, periculum eſſe ne diſſoluerentur induciæ: de quo periculo, quod ſpei, non periculi locum penes eum obtinebat, curioſè ſtuduit certiorem ſe fieri. Sed eam ſpem euanidam comperit: etenim Cæſar quà deſiderio quietis, quà generoſi animi oſtentatione, largitate plurimâ vſus fuerat. 1556.

4 Pacis itaque Conciliique negotium Regi propoſuit Caraffa, & ampliſſima quæque ab eo retulit[d], remiſsâ pacificatione abſolutæ Pontificis poteſtati, penes quem eſſet in Regis etiam detrimentum iudicare atque arbitrari: quippe quòd ſatis erat compertum Henrico, neque quod proponebatur acceptum iri à Cæſare, nec, ſi acciperetur, niſi in rem ſuam Pontificis iudicium proceſſurum. Quod attinebat ad Concilium, placuit Regi conſilium illius in Laterano celebrandi, Galloſque ibi Epiſcopos conuenturos vltrò pollicitus eſt. Caraffa tumidus his pollicitationibus, honoribuſque ſibi ſupra modum exhibitis, pro eo ac Principes ſolent in ſummis negotiis, profuſi huiuſcemodi monetæ, cuius in ſumptum non exhauritur ærarium, perſuadere ſibi cœpit vim quamdam omnipotentem, agebatque dominantis in modum cum Oratore Cæſareo de pace: Debere Principes rationes ſuas Pontificem edocere, vt is ferret de iure ſententiam, atque in hoc non modò illius ſuſcipere conſilia, ſed obtemperare mandatis. Non tamen his tumidis vocibus commotus Orator, ſed gnarus cupiditatis, quâ in pacem Carolus ferebatur, reſpondit, Cæſarem præſtò eſſe; & quoniam potiſſima belli cauſa cenſebatur fuiſſe Mediolanenſis Principatus, Cæſarem ſe ſuoſque eo priuaturum, dummodò Rex viciſſim occupatas terras aliis reſtitueret. Hæc omnia Caraffa Rebibæ Legato ſignificauit, putans, quantum coniicio, illum Bruxellas perueniſſe. Sed Rebiba ſecundùm accepta mandata lento greſſu procedebat, præſtolaturus priùs

[d] Duæ litteræ Caraffæ ad Paliani Ducem, altera è Fontebello 20. Iunij, altera ex Oſſea 17. Iulij, apud Burgheſios.

1556. lucem aliquam à Caraffa de negotij ſpe, ne pacem Cæſari proponeret, dum fortaſſe de inferendo illi bello ageretur in Gallia.

Priores Caraffæ Legati litteras ad eius fratrem, de parato Regis animo ad pacificationem & Concilium in Laterano, recitari iuſſit 5 Pontifex in Senatu[e] à Bino, qui à ſecretis erat, eo planè die, quo ablata Guidiis in Æmilia oppida, Antonio Caraffæ beneficiario iure ibi conceſſerat: flagranſque deſiderio tam glorioſa cœpta perficiendi, ad Cardinalem reſcripſit, vt pro virili rem ad exitum perducendam curaret[f]: ſed vnà ſignificauit ſuſpiciones[g] moleſtiarum quæ ſibi parabantur ab Hiſpanis, qui eius deſpectum oſtentabant, fractâ Oratoris iuſſu vrbis portâ, fouebant apertè Columnenſes ad recuperanda ſibi per vim oppida iam proſcripta, & edicto ſeuero Neapolitani regni incolis commercia cum Pontificis ſubditis interdixerant. Quamobrem ipſe Venetias miſerat Antonium Sanſeuerinum, de quo diximus, ad tentandam denuò cum eo Senatu ſocietatem, adminiſtrum, quemadmodum reſpondit Cardinalis, nimis dein ſpecie conſpicuum, & parum reipsâ idoneum; qui demum à Senatu Veneto non alia retulit ad Pontificem conſilia, niſi vt quietem aleret, & communis parentis partes expleret. De rebus hiſce nouis ac ſuſpicionibus edocuit Regem Legatus, gradu facto ad poſteriora mandata, quæ in ſinu erant ſibi priora. Quare illi ſignificauit: Niſi Rex opem ferret Pontifici, hunc facilè deſertum iri quaſi prædam Hiſpanorum furori, ſuccenſo ex beneuolentia, quâ ſemper ſanctus ille ſenex Regem proſecutus fuerat. Paratum autem in Henrico animum animaduertit ad tuendum Pontificem, diſſoluendaſque tam æquâ opportunitate inducias, rato, nullâ generali pactione obſtrictum cenſeri membrum, ne ſubueniat capiti: porrò ipſos Hiſpanos induciarum eſſe violatores, dum ex Regis odio Pontificem diuexabant. Impulſus iam in hos ſenſus fuerat Henricus auctoritate atque eloquentiâ Cardinalis Lotharingi, qui magno ſibi dedecori ducebat, diſiectum in Gallia fuiſſe, fortaſſe ſuorum æmulorum operâ, quidquid ipſe in Italia confeciſſet. Itaque Rex vehementer cum Oratore Cæſareo conqueſtus eſt ob incuſſas Pontifici moleſtias, ſimileſque per ſuum apud Cæſarem Oratorem querimonias ad eum deferendas curauit, atque animos Caraffæ Legato addidit, oſtenſâ tenuitate virium, quæ à Cæſarianis timeri poterant, ſuarumque ingentium fiduciâ, quas ipſe ſuppeditaſſet.

Superuenere eiuſmodi nuntij, quibus ſimul Caraffæ Cardinalis 6 priuatum odium exulceratum eſt, publicique ad renouandum fœdus

e Acta Conſiſtorialia, 27.Iunij.

f Colligitur ex prædictis litteris Caraffæ ad Paliani Ducem, 27.Iulij.

g De his fusè in epiſtola Aldobrandini ad Caraffam, 21.Iunij 1556 apud Burgheſior.

dus tituli adiecti ſunt. Priuatæ offenſiones erant: Quoniam illum Rex nominauerat Eccleſiæ Conuenſi præficiendum; quod cùm in Senatum Pontifex retuliſſet, Paceccus & Ioannes Aluarus Toletanus, ex Ordine Dominicano, Proregis patruus, qui à Sede Compoſtellana Cardinalis S. Iacobi appellabatur, multa de conditionibus Caraffæ in medium protulerant, ex quibus paſtoralis lituus eius dexteram minus deceret: de quo factus ille certior, litteras ad fratrem miſit in eos Purpuratos eorumque nationem, mero felle [h] conſcriptas. Quod ſpectabat ad publica negotia, nuntiatum illi eſt, Neapoli à Cæſarianis tranſactum fuiſſe cum mercatoribus, vt ab his trecenta ſcutorum millia Columnenſibus exhiberentur, cuius pecuniæ fundus erant terræ ab illis in eo regno poſſeſſæ: permitti Marco Antonio, vt is publicè militem conſcriberet: breuiter, quidquid impulit Pontificem ad imperandum Fiſci Procuratoribus acceſſum in Senatum. Ex quibus Legatus Regi ſuaſit [i], non ex iure ſolùm, ſed ex neceſſitate inducias eſſe perfringendas; quin fuiſſe iam perfractas ab Hiſpano, tot illatis paratiſque iniuriis in Pontificem, qui cum Gallo amicitiam exerceret. Atque adiecto prorſus animo poſterioribus mandatis, denuò cum Rege ratas habuit pactiones, parum à prioribus variantes, eum ad pactum depoſitum ſtimulauit, atque ad præſentis pecuniæ tranſmiſſionem, militumque ſuppetias.

7 Interim Rebibæ Legato, [k] iam vſque Traiectum ad Moſam progreſſo, biduo prope Bruxellas, denuntiatum eſt vt rediret. Ad hanc reuocationem colorandam vulgatum à Pontifice fuit, audiiſſe ſe, tradita à Philippo Rege mandata, vt Legatus retineretur; fortaſſe quò par eſſet compenſatio ſuis clientibus, à Paulo carcere detentis atque vexatis. Suſpicati ſunt alij, cùm enitendum eſſet, vt & in Gallia frangerentur induciæ, & in Italia Philippo arma inferrentur, reuocatum fuiſſe Rebibam, quòd legationis materia illi defeciſſet. Fieri non potuit vt Caraffa ita celeriter remigraret, ſicuti Pontifex hæſitans ac trepidus poſtulabat. Patruo ſiquidem defendendo non minus opus erat illius præſentia in Gallia, quàm Romæ, vt ingentia promiſſa in facta deduceret: quod difficillimum factu eſt in Principum Aulis. Profectus ille tandem eſt Auguſto exeunte, non ignarus, id executioni aliquid obfuturum; tamen pecuniam afferens, ſimulque mandata, vt Vaſconum copiæ, quæ in Corſica morabantur, ad Romæ cuſtodiam traiicerent, quod re factum eſt. Romam peruenere Legati circa Idus Septembris, excepti à Pontifice abſque vllo ſolemni ritu, quippe infauſtos miniſtros, & infauſta tempora haud condecente.

CAPVT

1556.

h 24 Iulij 1556. eſt apud Burgheſios.

i Litteræ Caraffæ Card. ad Ducem Paliani, vltimo Iulij 1556. Pariſiis, apud Burgheſios.

k Narratio Naugerii.

1556.

CAPVT XX.

Varia oppida ab Albano occupata. Concordia agitata, ſed fruſtrà. Acceſſus Romam Monlucij. Prorex inſuper Tybure, Antio & Hoſtiâ potitus. Octauij Farneſij ad Hiſpanos tranſitus, & Placentia ipſi reſtituta. Armorum ſuſpenſio inter Pontificem ac Proregem ad decem, ac poſteà ad quadraginta dies; ſed abſque pacis confectione, ad quam agitandam mittitur ad Philippum Regem Nuntius.

CAraffæ Cardinalis aduentus protrahi amplius non poterat, vt incommodis proſpiceret, terrorem leniret, rebuſque quodammodo ſpiritum ſuppeditaret; cùm & grauis ætas Pontificis, & leuis experientia non bellicis modò, ſed ne politicis quidem negotiis eſſet accommodata. Mediocris numero exercitus Albano erat, cùm duodecim militum millia parum excederet; ſed virtute ac diſciplinâ præſtans, formidabiliſque ob inflammatos ductorum animos, quorum plerique bellum pro ſe gerebant, ſeu quò erepta ſibi bona recuperarent, ſeu vt illatas à Pontifice iniurias vlciſcerentur. Cataphracti itaque Marco Antonio parebant, equites leuis armaturæ Comitem Populi ſummum Præfectum ſequebantur, in quo arcta affinitas cum Paulo indignationem acuebat ob dedecus, muneris abrogatione, & excluſione ab ædibus Pontificiis ſibi inflictum. Supremus caſtrorum Præfectus erat Aſcanius Corneus. Tormentis bellicis præerat Bernardinus ille Aldanus, de quo à Fiſci Procuratore mentio facta eſt. Arduum nequaquam fuit huiuſmodi exercitui multa loca ſtatim armis occupare, & omnia terrore concutere. Columnenſium ſubditi, pro eo quod euenit ditionibus diu amanterque poſſeſſis ab aliqua familia, plerique ſponte ſe antiquis dominis dedidere. Mox etiam ex bellici apparatus penuria coacta eſt hoſti ſe tradere Anagnia, vrbs quæ ſitus præſtantiâ, & collecti commeatus copiâ in pretio habebatur. Prorex ad eleuandam armorum ſuorum inuidiam, ſuſpicionemque inter Pontificem & Cardinales ſerendam, deditiones ſacri Collegij nomine accipiebat, profeſſus, paratum ſe eſſe ad ea loca vel ipſi Collegio, vel futuro Pontifici reſtituenda. 1

2 Pontifex eâ Proregis arte ſtatim animaduerſâ commotus, rem in Purpuratorum generalem conuentum retulit: qui ea de cauſa indignationem præ ſe gerentes, Bellaium Gallum, Collegij Principem,

cipem, rogarunt, vt per litteras id grauiter conquereretur communi nomine cum Albano, quaſi is ſchiſmaticos aut rebelles ipſos putaret, qui vellent acceptare quod ipſorum ſummo Principi ereptum erat. Hanc agendi rationem probari non poſſe illius Regi: ac præ ceteris de ea conqueri eius patruum, Cardinalem S. Iacobi; per cuius familiarem hæ litteræ miſſæ ſunt Idibus Septembris, ac Albano redditæ dum Anagniam obſidebat. Illicò reſpondit Prorex Cardinalibus, agens grates, quòd ſe admonuiſſent vt ab iis abſtineret quæ ſui Principis pietati accepta eſſe non poſſent; bellum à ſe inuito illatum fuiſſe, ob rationes quas per Loffredum ſacro Collegio ſignificarat: proinde donec Paulus viueret, ſibi opus eſſe, vt ſub Regis patrocinio terras occupatas retineret. Sed quoniam ſibi Rex conſtanter iniunxerat, vt eas reſtitueret quandocumque Pontifex deceſſiſſet, & in eo euentu regimen ditionis Eccleſiaſticæ penes Collegium erat; idcircò voluiſſe memoratâ declaratione ſe obſtringere ad eas ne paucos quidem dies illos retinendas, qui interceſſiſſent vel vſque ad electionem noui Pontificis, vel vſque ad aduentum nouæ iuſſionis à Rege. Poſtremò preces iterabat apud Collegium, Collegiique principem, vt Pontificem ad æquiora magiſque paterna conſilia cohortarentur. 1556.

3 Hæc litterarum clauſula, ac trepidatio quæ Romam inceſſerat ob captam poſtmodum Anagniam, quoſdam è Vaticanis Patribus permouit, vt cum Pontifice eâ vterentur libertate, quæ adhiberi ſolet inter magna diſcrimina (quo tempore exulat adulatio) atque ob oculos illi ponerent neceſſitatem agitandæ concordiæ. His Paulus aſſenſus, legauit decimoſexto Septembris ad Proregem cum litteris Cardinalis S. Iacobi Thomam Manriquium Dominicanum, qui ſuſpenſionem armorum proponeret, quâ durante de pace tranſigeretur. Cùm autem Prorex ſuſpenſionem recuſaſſet, ſed propenſionem oſtendiſſet ad pacis negotium, vbi Pontifex conſtitueret Cardinales affectionibus vacuos, quibuſcum homines à ſe ad id miſſi poſſent de re ipſa agere; Pontifex die poſtero illos deſignauit, accitis inter alios Paceco, Toletano, Caraſſa & Rebiba, iam reuerſis. Ad hunc cœtum miſit Albanus vnà cum Manriquio Franciſcum Pacecum, qui ſibi à ſecretis erat, & quietem ſemper ſuaſerat, adeoque idoneus ad eam ſtabiliendam videbatur, atque die vigeſimo Septembris coactis Patribus apud Cardinalem S. Iacobi optatas conditiones expoſuit.

4 Hæ erant: Vt Pontifex in amicitiam rediret cum Rege; cautionem illi daret, ſe numquam ipſi moleſtiam illaturum, nec fœdus in

1556. cum initurum; Regis ſubditos ac miniſtros, qui erant in cuſtodia, liberaret; & Marcum Antonium Columnam, & Aſcanium Corneum redintegraret.

Poſtridie illius diei reſponſum eſt: Cetera quæ proponebantur, deſperanda non eſſe; ſed abſolutionem Marci Antonij & Aſcanij, qui Pontificis erant ſubditi, ab eoque damnati ob alia ſummi ponderis crimina, & nihil ad Regem ſpectantia, adeò duram conditionem videri, vt nemo eam auderet deferre ad Pontificem; nec par eſſe, vt ea de cauſa communis tranquillitas ab Albano retardaretur.

Sed Prorex in poſtulato perſtitit. Et quamquam poſteà inter 5 ipſum & Caraffam Cardinalem de congreſſu habendo in Crypta ferrata vigeſimoquarto Septembris, conuentum eſſet, Caraffa tamen non adfuit, non ſine admiratione atque indignatione Proregis. Species impedimento prætenta hæc fuit [a]. Cùm ſtatutum fuiſſet vt vnà cum Caraffa conuenirent Cardinalis S. Floræ, & Vitellius; prior ex his facultatem ſcripto ſibi dandam a Pontifice petiit, ne huiuſmodi ab vrbe digreſſio ſibi vmquam obiici poſſet in iudicio quaſi tranſgreſſio vetiti ſeueriſſimi, & violatio ingentis vadimonij præſtiti, quo à Pontifice obſtrictus fuerat ne Romà diſcederet, ſicuti narrauimus. Sed Paulus cautionem hanc recuſauit, & itineris negotium diſſolutum eſt: cuius rei cauſam afferebat Pontifex, quòd ea trium Purpuratorum miſſio ad Prorègem nec honorifica gradui, nec à fraudibus tuta videretur. Sed fortaſſe Caraffæ operâ id effectum, qui deſperans, aut non cupiens Albanum reflectere ab iis poſtulatis, ad quæ inexorabilis erat Pontifex, timuit ne hoc infructuoſo colloquio Gallus tepeſceret in ſuppeditandis auxiliis, ob ſuſpicionem animi in Pontifice vacillantis.

[a] Hiſtoria Noreſij, & narratio Naugerii.

Caraffa itaque per Cæſarem Brancaccium, qui his planè diebus 6 nouus Nuntius in Galliam miſſus fuerat [b], Regi honorem ſuum in vadimonium obtulit, vt ſecuro eſſet animo, Pontificem numquam Hiſpano ſiſurum, nec fœderi defuturum, niſi prius Rex ipſe defuiſſet. Quin verebatur, ne ipſa Thomæ Manriquij miſſio, quam impedire nequiuerat, noxias ſuſpiciones in Gallis excitaret, cum tenuis quæque cauſa ſufficiat ad mortales retinendos, ne vehementius feſtinare laborent. Sed Siluanus, qui tunc aduenerat è Gallia, Caraffam eâ ſollicitudine liberauit, eum Regis nomine cohortatus, ad Hiſpanos verborum [c] lenocinio lactandos, donec parata iam auxilia peruenirent. Etenim huius accepti nuntij beneficio, integrum fuit Caraffæ Cardinali & adſcribere huic eidem conſilio ea quæ prius acta fuerant per Manriquium, & alias poſteà pacis tractationes

[b] Variæ litteræ Caraffæ Card. ad Brancaccium, Octob. ac Nouemb. anno 1556. apud Burgheſios.

[c] Colligitur ex litteris Caraffæ ad Brancaccium, 23. Octobris.

nes inducere, ſecuro haud excitandi in Gallis aut obturbationem aut teporem per agitatam concordiam, vbi ea non conficeretur: vbi verò conficeretur, non amplius inſtabat neceſſitas Gallicarum ſuppetiarum; poteratque pax honeſtari harum cunctatione vltra Regis promiſſionem, & Pontificis indigentiam. Nihil interim ceſſabat Caraffa Gallos extimulare, victoriâ in procliui oſtentatâ, hoſtibus emunctis, regni Neapolitani & Etruriæ populis malè habitis, adeoque rerum nouarum percupidis, ſed ob anguſtias Romam prementes celeritate opus eſſe. 1556.

7 Et ſanè graues erant anguſtiæ; ſed grauiſſimæ appingebantur à ciuium perſuaſione. Quæ perſuaſio ſæpè in bello, tametſi falſa, vim obtinet veritatis; atque in vrbis populo, magna ex parte ſeu togatis ſeu plebeis conflato, & ex quiete imbecillo, arduitatem bellandi colorat parem abominationi bellandi. Aliquantulùm leuauit terrorem Monlucij aduentus cum aliquot cohortibus è Senenſi ditione: is quippe Dux erat, qui in obſidione, quam diu fortiterque ſuſtinuerat, nomen ſibi periti ſtrenuique defenſoris comparauerat; vnde populus, & fiduciâ huiuſmodi præſentis cuſtodis, & ſpe per hoc pignus adfuturi Gallorum auxilij, animum erexit.

8 Sed quis vellicari ſe ad pietatem non ſentiet à religioſo ſtudio quod præ ſe fert Suauis in carpendo Pontifice, quòd inter huiuſcemodi anguſtias ad cuſtodiendam vrbem, Religionis regiam, & ærarium theſauri, in vniuerſo terrarum Orbe ſanctiſſimi, Eccleſiaſtici etiam Ordinis operâ vteretur, iuberetque templum quoddam dirui, quò reliqua omnia tueretur? Perinde quaſi Canonum doctrinæ non conſonet, quòd vbi eiuſmodi neceſſitas ferat, [d] ſacrorum & hominum & ædificiorum priuilegio derogetur.

[d] Vide præſertim cap. 2. *De Immunitate Eccleſiarum*, ibique Doctores.

9 Nec ita multò poſt quædam propinquæ iacturæ, & remotæ rerum vices, grauius populum deterruere, ac Pontificem perculere. Prorex Tybure potitus eſt, validâ vrbe prope Romam, & ad vires cum regno Neapolitano coniungendas opportunâ. Oppidum inter veteris Antij ruinas ad mare conſtructum, Neptunus à recentioribus appellatum, à Pontifice deſciuit, eiecto eius præſidio, & Columnenſibus antiquis dominis admiſſis: &, quod grauius inflixit vulnus, ſub regiorum poteſtatem concidit, tametſi multi ſanguinis pretio, arx Hoſtienſis, magni momenti locus, cùm in ea & Romæ propinquitas, & maris commoditas copulentur.

10 Sed plaga præ ceteris noxia, quamuis longinqua, fuit Parmenſis Ducis reconciliatio cum Hiſpano. Ex iis quæ ſuprà narrauimus, noſtris lectoribus inexpectatum non adueniet, in dies deueniſſe

1556. magis magiſque minorem in Paulo teneram illam beneficij memoriam & reuerentiam ex accepta Purpura, quas Farneſio Cardinali Pontificatus initio præ ſe tulerat, cùm didiciſſet, quod breuî diſcitur ſcholâ, cum eo non amplius tamquam cum ductore, ſed tamquam cum ſubdito ſe gerere. Quapropter Farneſius hanc ſcenæ conuerſionem ægerrimè ferebat. Sed acrius pungebatur Caraffenſium faſtu, qui iam imperioſius cum omnibus agebant: nec ſaltem opimorum fructuum vtilitas decidentium foliorum ſplendorem compenſabat; cùm Farneſius, quod pariter inſinuauimus, cerneret in fœdere nec magni decoris munus, nec magni emolumenti conditionem Octauio fratri deſtinata. Hinc ſimul ægro erat in Gallos animo, à quibus vt ipſe rebatur, diuturnâ ſpe lactatus fuerat,[e] & in poſtremis cum Hiſpano pactionibus nec ipſe neque Cardinalis frater nominatim incluſus, quò Eccleſiaſtici prouentus, ab Hiſpanis detenti, ipſis redderentur; in quo ieiunius ſecum Galli, quàm cum Saluiano Gaddio, & Rudolfo Cardinalibus, ætate ſuperiore ſe geſſerant. Cùm itaque huiuſmodi quaſi ſtomachi malaciâ erga Gallos ac Pontificios Farneſius Cardinalis laboraret, cumque multò anteà iam præteriiſſet biennium, ad quod Octauij in Henricum Regem clientela pacta fuerat, ac præcipuum illius flabellum Horatius obiiſſet; incepete Farneſij animo reuoluere, tum Placentiam, tum reditus Eccleſiaſticos ac profanos in vtriuſque Siciliæ regno reſtitui ſibi non poſſe, niſi ab illis qui ea obtinebant. Ex altera parte, quemadmodum contingit, vt in ſummorum Principum diſſidiis mediocres auctiorem ſibi conditionem nanciſcantur, dum illorum ſinguli magnum ſibi momentum exiſtimant, ad vincendum in virium æquilibrio, quamcumque acceſſionem ab his ſibi factam; Hiſpani & pronum ad rem tranſigendam animum, & largam ad paciſcendum manum prætulere.

e Litteræ Farneſij ad equitem Tiburtium, 13. Maij 1556.

Negotio dederat initium Moronus, Farneſianus Purpuratus, qui 11
in ſupremis Comitiis Pontificiis Farneſium ſecutus, eius beneuolentiam redintegrarat,[f] ſimulque intimus, ſicut dictum eſt, Cæſarianis. Is igitur poſteà rem vrgere ſtuduit miſſione[g] minùs ſpecioſâ, adeoque magis operoſâ, Gherij, qui ſibi à ſecretis erat, ad Albanum, dum eodem tempore abſque alterius in altero notitia idem agitabat Romæ cum Farneſio Garzias Laſſus,[h] qui poſtmodum ſe Neapolim ad idem peragendum contulerat. Sed rei confectio, nominantibus Farneſiis, & Albano comprobante, ſequeſtrem habuit [i] Hiero-

f Litteræ Farneſij ad Tiburtium, 23. Maij 1556.

g Litteræ Farneſij Cardin. ad Octauium, die non ſignato, cum parte epiſtolæ Gherij ad ipſum Cardinalem. h Litteræ eiuſdem ad eumdem, iam citatæ, & aliæ, 8. & 15. Aprilis 1556.

[i] Hieronymum Corregium, ſæpiùs à nobis laudatum, Cæſaris ſubditum, & Octauij adminiſtrum [k]. 1556.

Quod ſpectabat ad pactiones [l]: Primò Hiſpani obtulerunt ſe Placentiam reddituros, ad tempus eius arce ſibi retentâ, eamdemque vrbem recepturos per compenſationem; aliquid ſpei porrigentes, eam compenſationem fore amplam Senarum poſſeſſionem, quam nuper acquiſiuerant, coniunctam Caſtrenſi ditioni; ſimul etiam ſuſpicionem Octauio inicientes, ſi ſecùs foret, Placentiam fortaſſe per eas concordiæ pactiones Sabaudo conceſſum iri. Verùm recuſantibus Farneſiis eam commodatæ potiùs quàm reſtitutæ vrbis conditionem, præſtolaturis poſteà compenſationem pro potentioris arbitratu, agitata formataque ſunt huiuſmodi pacta: Vbi Octauius in clientelam Philippi Regis veniret, ſuumque filium Alexandrum primo loco genitum in Aulam mitteret, ibi educandum, recuperarent Farneſij non modò quidquid Eccleſiaſtici ac profani in Regis ditionibus poſſidebant, ſed inſuper Placentiam, retentâ ſibi tamen ab Hiſpanis arce. Eapropter tradita vrbs eſt Octauio à Madruccio, in quo ſimul cum Peſcario nitebatur eâ tempeſtate ſuprema cura negotiorum Cæſaris Regiſque Catholici in Inſubria. Ita per nec opinabilem fortuitarum conuerſionum varietatem, deluſâ politicæ ratiocinationis arrogantiâ, effectum eſt, vt adiumentum potiſſimum Farneſiis ad recuperandum Auſtriacorum patrocinium, ſimulque Placentiam, nec amor Cæſaris erga filiam foret, nec opera ſibi à genero impenſa, nec ſtudia ad vtilitatem Eccleſiæ ac nepotis præſtita à tanto Pontifice, quantus Paulus Tertius fuerat; ſed quòd à Farneſio Cardinali euectus ad ſolium fuerit Pontifex Auſtriacorum aduerſarius, qui eos in anguſtias redigeret; poſteà verò quòd ipſe Farneſius ſe ab eo Pontifice ſeiunxerit, ſuæque familiæ clientelam iis obtulerit, dum illâ vſque adeò indigebant, vt elegerint non ſolùm ipſam recipere, ſed pretio tam ingenti coëmere.

[i] Pars epiſtolæ Gherij.

[k] Farneſius Card. procuratorias litteras ad pactiones firmandas miſit 2 Iunij anno 1556. vt in litteris per arcanas notas ſcriptis anonymo habetur, contentis in litterarum volumine iam dicto.

[l] Pars epiſtolæ Gherij, & litteræ Farneſij Cardin. ad Octauium, 8 & 15. Aprilis 1556.

12 Erat Farneſiis in animo, re adhuc pendente, conditionibus nondum firmatis, hanc inire concordiam (quod in ipſis erat) bonâ Pontificis Regiſque Galliæ pace. Pontificis conſenſus pro neceſſario habebatur, vbi in pactiones veniret compenſatio vrbis Eccleſiaſticæ, qualis erant Placentia; adeoque propoſuerant, in pacificationis initio huiuſmodi conſenſum verbis obſequentiſſimis ſibi depoſcere: ſperabantque Paulum haud negaturum, quandoquidem apertè nondum inimicitiam cum Hiſpano ſuſceperat, & intermicabant ex interuallo propinquæ ſerenitatis radij; cùm alioquin ea redintegratio, in ſe ſpectata, tam in ſupremi quàm in beneficiarij Domini

1556. rem foret. Regi Galliæ ſe oſtenſuros arbitrabantur, emolumento
ipſi futurum, ſi ſuas vires à Parmæ defenſione liberaret, *haberetque
addictum ſibi obſtrictumque Principem Placentiæ poſſeſſorem :
cùm Farneſij nondum vellent id temporis, ſaltem palàm, partem Hi-
ſpanicam ſequi. Superſedebant porrò ſtatuere, tamquam in perar-
dua quæſtione, An vbi Rex Galliæ, eiuſque miniſtri inflexibiles re-
pugnaſſent, grata præteritorum beneficiorum, quæ à Gallo acce-
perant, memoria, metuſque de futura eiuſdem indignatione, eſſent
ab ipſis antehabendæ vtilitati legitimæ tam pretioſæ recuperationis.
Neque Galli admodum diſſenſere ; & Pontifex aliquâ ratione ac-
quieuerat [m] Farneſiis, deſpondentibus, nullam ſe moleſtiam ipſi al-
laturos ex parte ditionis Caſtrenſis, & Cardinalem S. Angeli Romæ
quaſi obſidem commoraturum [n]: ſed reuerà Octauius quantum po-
tuit conſilij auxiliique clàm Hiſpano ſubminiſtrauit ; ſimulque ob-
tulerat, ſe palàm eius clientelam profeſſurum, obiecto capite cui-
cumque diſcrimini, dummodò id ſibi Rex præciperet, non autem
ab Hiſpanis miniſtris, quaſi volens & in ſui commodi gratiam alli-
ceretur : quod tamen ipſe conabatur etiam per vxorem ſuam, Phi-
lippi ſororem, quæ iam in Belgium fratrem allocutura perrexerat,
Regi perſuadere, noxium æque ſibi ac Regi futurum. Verùm Far-
neſius Cardinalis conteſtatus fuerat, nolle ſe quidquam eſſe parti-
cipem in eo quod eſſet Pontifici nociturum. Octauius denique,
violentis Hiſpanorum poſtulationibus compulſus, tametſi ægerri-
me id ferente ac ſupra modum formidante Cardinali fratre, ſe Hi-
ſpanarum eſſe partium declarauit, armis proinde eo nomine illatis
in Ferrariæ Ducem, cum Gallo ac Pontifice fœderatum [o]. Sed ſor-
te propitiâ, cùm id contigit, confecta pax eſt inter Paulum ac Phi-
lippum; quod Farneſios liberauit à concepto periculo ob formida-
bilem irritati Pontificis iracundiam. Sed hæc vltima aliquanto pòſt
euenere.

Solus itaque Ferrariæ Dux tunc in fœdere perſiſtebat, idque pa- 13
làm profitebatur [p]. Apud Venetos poſtulata Pontifex iterauerat,
Nuntio illuc miſſo Commendono : ſed nequiit eos vltrà permoue-
re, quàm vt hominem, qui Senatui à ſecretis erat, ad Proregem le-
garent, eum cohortantes vt arma deponeret, ſimulque denuntian-
tes; Rempublicam denique haud paſſuram oppreſſionem abiectio-
nemque Pontificis : quæ legatio ita priuata atque inermis, ad ſtre-
pitum magis quàm ad ictum valuit. Quare eidem Venetorum in-
ternuntio, qui in reditu Pontificem inuiſit, hic dixit, Velle ſe ſacris
interdicere, regniſque priuare Cæſarem ac filium; ſeu quòd ingenij
tero-

[m] Totum apparet ex duabus litteris Farneſij Cardin. Parmâ ad Ardinghellum Bruxellas, 14. Auguſti 1557.

[n] Id colligitur ex litteris Octauij; quæ ſunt in volumine litterarum Farneſij Card. ſcriptis ad coniugem Bruxellas, 6 & 13. Februar. 1557. aliiſque, abſque die notato, & cum diſſertatione de bello.

[o] Litteræ Farneſij Cardin. Parmâ ad Ardinghellum, 28 Septembris 1557.

[p] Litteræ ſupracitatæ Caraffæ ad Brancacium, 23. Octobr. 1557.

ferocitas ea reuerà illi ſenſa ſuggereret, ſeu quòd gnarus, quanto ſtudio Senatus ille Italicam quietem curaret, ſtimulare illum moliretur ad efficaciùs obſiſtendum tanto incendio quod imminebat: non tamen Venetus moderatam ſuam agendi rationem eſt prætergreſſus. Cùm itaque premerent anguſtiæ, & amici deficerent, denuò de induciis agi cœptum, S. Floræ, & S. Iacobi Cardinalibus ſequeſtris. Et iam earum neceſſitas, non tam quidem aperta, ſed nihilo minor quàm Pontificem, vrgebat Albanum, tum diminuto militum numero quà cædibus, quà fugâ, quà in tot occupatis oppidis muniendis diſſipato, tum auctâ propter Autumnales pluuias diſcurrendi difficultate, & aliis accidentibus incommodis, quæ ſecum affert bellum, præſertim vbi hoſtili in agro geratur. Idcirco 19. Nouembris, poſt deditionem Hoſtiæ, in dies decem induciæ ſancitæ, quibus Caraffa Cardinalis & Prorex ſubſcripſere; & mox in colloquio, ab ipſis quinque horis habito in exercitus vtriuſque conſpectu, ad alios quadraginta dies prorogatæ, vulgatæque in Senatu 27. eiuſdem menſis. 1556.

14 Traditum fuerat Caraffæ Cardinali diploma, cum ampla facultate componendæ etiam pacis, pro cuius conditione Senæ poſtulabantur Paliano permutandæ; perinde quaſi facilius Hiſpanis non eſſet vrbem aliquam ex ditione Senenſi Columnæ tradere, ſimulque à petitione deſiſtere, vt huic ipſius oppida reſtituerentur, quàm Caraffenſibus concedere compenſationem, quæ tot partibus rem litigio ſubiectam excedebat. Reſpondit igitur Prorex, Auctoritatem ſibi à Rege non eſſe pacis conficiendæ: tametſi reipſa eam haberet[q], quemadmodum poſteà Ruigomius Bruxellis Nuntio affirmauit. Sed Albanus ſatius duxit poteſtatis defectum ſimulare, quàm voluntatis auerſationem patefacere. Et ſanè accipi non poterat ab Hiſpanis ea conditio, quin Florentini Principis animus acriter percelleretur, poſt tantum operæ ab eo impenſum expugnationi Senenſi; & quin eo exemplo homines diſcerent, validum promeritum ad Principatum beneficiarium obtinendum ab Hiſpanis, eſſe, quòd ampliores ab ipſis Principatus armis adimere quiſpiam ſtuduiſſet. Quapropter concordiæ negotium in Aula regia repoſitum; quò Pontificis nomine adiit Nuntius Federicus Fantuccius Bononienſis, Romæ Duodecemuir, & à Prorege Pacecus, qui ſibi à ſecretis erat, miſſus eſt.

[q] Conſtat ex litteris Fantuccij, Nuntij Bruxellis, ad Caraffam Cardin. 13. Februarij 1557. apud Borgheſios.

15 Sed cùm Fantuccius, antequam iter ſuſciperet, ad Proregis colloquium veniſſet, Pontifex ex illius narrationibus comperit, inanem eſſe ſpem concordiæ ob repugnantiam Hiſpanorum, quâ ipſius ficti ſi-

1556. firmiſſimis poſtulatis reluctabantur: ex altera verò parte illi animum erexerant nuntij copiarum, ventitantium è Gallia, Guiſio ductore. Idcircò animum conuertit ad opportunè impendendum induciarum ſpatium comparandis vndique & militibus & pecuniis & amicis. Ad id miſit Legati ſui Sediſque Apoſtolicæ titulo Caraffam Cardinalem Bononiam, Venetias, & quocumque pergeret intra Italiam; ac poſt eius profectionem die Dominico, quarto Aduentus id retulit in generalem Cardinalium conuentum [r], adiectis cauſis, & præcipuè per hæc verba: *Vt ille qui acturus eſt de auxiliis Apoſtolicæ Sedi ſuppeditandis, non priuato ſolùm Pontificis, ſed eiuſdem Sedis nomine rem agat.* Hanc verò agendi artem viſus eſt Paulus ab aduerſario didiciſſe; adeoque, vbi Prorex æſtimationem Pontificis eleuare ſtuduerat, illum ab Apoſtolica Sede ſeiungens, is Pontificis æſtimationem, cum diſerta Sedis Apoſtolicæ coniunctione, augendam curauit. Quandoquidem res quælibet, quamuis maxima, in æſtimatione decreſcit, cùm breui duratura cenſetur: quemadmodum è conuerſo res etiam mediocres grandeſcunt, cùm perpetuæ creduntur. Iis verò tantùm rebus in hoc mortalitatis domicilio datum eſt perpetuò viuere, quæ verè non viuunt, quippe non tam animâ informatæ, quàm animo conceptæ.

r 20. Decembris, vt in Actis Conſiſtorialibus.

HISTO-

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER DECIMVSQVARTVS.

ARGVMENTVM.

GALLORVM *aduentus duce Guiſio, ad opem Pontifici ferendam. Obſidio Ciuitellæ ad Truentum, eiuſque intra paucas hebdomadas remouendæ neceſſitas. Res geſtæ à Marco Antonio Columna prope Vrbem: periculum ibi improuiſæ occupationis. Gallorum clades ad S. Quintinum; ideoque Guiſij, eiuſque militum reuocatio in Galliam. Pax inter Pontificem & Philippum duplici conditionum genere ſancita; quarum altera publica, altera arcana. Polus à legatione reuocatus, & Fidei cauſâ in ius vocatus. Moronus Cardinalis ſimili cauſâ in carcerem coniectus. Guillelmus Petus Purpurâ cohoneſtatus, Legatuſque Angliæ deſignatus; ſed repugnante Reginâ nihil effectum. Legationes Triuultij ad Henricum, & Caraffæ ad Philippum; ſed hæc parum accepta. Carolus Imperio ſe abdicat. Diſſenſio Pontificis cum Ferdinando, negantis eum pro Cæſare admittere. Comitia Auguſtana, eorumque Decreta. Caroli V. obitus, & declaratio à Pontifice habita in illius exequiis. Mariæ Reginæ mors. Eliſabethæ ſororis ſucceſſio; & noua Britanniæ ſeiunctio ab Eccleſia. Pulſi à Pontifice fratris filij, & qua de cauſa. Noua Gallorum clades ad Grauelingam, & pax inter eos Hiſpanoſque compoſita. Infelix obitus Gallorum Regis. Mors Pontificis. Populi Romani furor in eius monumenta & familiam. Diuturnitas, variaque euenta Comitiorum Romæ. Electio Me-*

dicet Cardinalis, qui Pium Quartum ſe nominat; & Ferdinandum agnoſcit tamquam Cæſarem. Eius cura reſtaurandi Concilij. Eccleſiaſtica iuriſdictio in Hiſpania reparata, & Nuntij Reuerteræ petitio pro Caraffenſibus. Hæreticorum conſpiratio in Galliæ Regem. Huius ac Cæſaris difficultates de manſione Tridenti, aliiſque conditionibus Concilij. Studia Regis Catholici ac Pontificis, ad impediendam propriam Gallicæ nationis Synodum, ibi deſtinatam à præcedente conuentu. Capitis ſupplicio Carraffenſes plexi à Pontifice. De ſtatione Concilij varijs in vrbibus conſilia habita; ac tandem Principum aſſenſu de ſede Tridentina. Diploma Pontificis, quo illic indicitur ad proximè futurum Paſcha.

CAPVT PRIMVM.

Sua oppida à Pontifice recuperata. Aduentus Romam Gallicarum copiarum, Guiſio duce. Quæ Ferrariæ Princeps agitauerit. Tribunal ſolemnis publicæ audientiæ à Pontifice inſtitutum. Cardinalium creatio. Iudices in Cæſarem ac Philippum Regem deſignati.

1557. ELAPSIS vnà cum anno 1556. induciis inter Ponti- 1
ficem & Hiſpanum, & in irritum delapsâ Fantuccij operâ, ſtudio Pacceci ab Albano miſſi, non ad auxilium ſed ad obſtaculum, fortunæ facies commutari viſa eſt. Etenim diſtento Prorege in muniendis Neapolitani regni oppidis, adeoque deficiente regij militis violento illapſu in loca circa Romam occupata, breuî ad naturalem ipſorum ſtatum rediere, tum ob populorum in Eccleſiam beneuolentiam, tum ob illius virium propinquitatem. Quare Strozzius non minores ſolùm pagos illicò recuperauit, ſed Tybur, & Hoſtiam, tam malè defenſam, vt eius cuſtos capite Bruxellis mulctatus fuerit. Detinebatur Albanus ad ſua curanda ob aduentum proximum Gallicorum armorum; quæ inducias in Belgiò violauerant, prætentis variis Hiſpanorum molitionibus aduerſus pactiones, iiſque connumeratis in libello per typos impreſſo à Carolo Marigliacio, Archiepiſcopo Viennenſi in Gallia. Qua de re ſcripſit Fantuccius Nuntius, tantam admirationem indignationemque à Philippo Rege patefactam fuiſſe, vt iureiurando affirmarit, enſem à ſe haud reconditum iri,

donec

donec pœnituiſſet Gallos, cum violatis pactionibus fuiſſe ab ipſis eductum. Et propitiæ ſortis fauor effecit, vt iuſiurandum Rex impleuerit. Ineunte anno deſcendit valido cum exercitu in Italiam Guiſius, peragratoque Pedemontio, à Gallis poſſeſſo, obſtaculum non offendit, niſi audax magis quàm firmum Valentiæ; eâque confeſtim expugnatâ, iter habuit per ditionem Octauij Farneſij, qui nec reſiſtere potis erat, nec quamuis cum Hiſpano reconciliatus, ſe illius aſſeclam hactenus declarauerat; quod ab illo per eam occaſionem petierat Peſcarius[a] Mediolani moderator. Sed ille oſtensâ Madruccio aliiſque Regis adminiſtris ſuarum virium, etiamſi cum Hiſpanicis hæ coniungerentur, imbecillitate ad ibi Gallicis copiis obſiſtendum, illis ob oculos poſuerat, magis in rem Philippi Regis futurum, ſi daretur opera, vt exercitus tam validus longè recederet ab Inſubria, tamquam ab inualido Hiſpanicæ ditionis membro; confirmato iterum clientelæ ſuæ declarandæ promiſſo, vbi ea declaratio ſibi præſcriberetur ab ipſo Rege; qui poſteà cautionem Octauij comprobauit, ſeu quia rationi conſentaneam duxiſſet, ſeu quò eum contineret in fide ad futuras opportunitates, cui nihil magis conducit, quàm ſi animus contentus præteriti operis præ ſe feratur. Et iam Octauius[b] remiſerat Henrico Regi torquem, Gallici Ordinis teſſeram, tamquam nexum repugnantem obligationi, quâ obſtringebatur ex poſſeſſione Nouariæ, aliorumque oppidorum in ditione Philippi Regis, dum inter vtrumque Regem bellum agebatur. Guiſius itaque nemine obluctante 16. Februarij Rhegium Lepidi peruenit, obuiàm eunte cum ſuis copiis Ferrariæ Duce, cui Guiſius, ex equo deſiliens, imperatoriam totius exercitus virgam reuerenter detulit. 1557.

[a] Litteræ Octauij ad vxorem Bruxellis, ſuprà citatæ.

[b] Litteræ Octauij ad Cardinalem S. Angeli, 1. Ianuarij; & ad Regem Galliæ, 27. Ianuarij anno 1557.

2 Aderat illic Caraffa Legatus, qui Venetos dimouere nequiuerat à ſtatu neutri Regum obſtricto, quem cautè ſeruabant. Habito inter memoratos duces conſilio de inchoando bello, fuit Gallorum ſententia, Inſubriam eſſe inuadendam, quæ tunc minùs armis inſtructa, quàm reliquæ Hiſpanorū ditiones, ſuſtinere haud valuiſſet impetum illius exercitus, aſſiduis vicinæ Galliæ ſuppetiis recreati, & à tergo communiti finitimo Pedemontio, proximiſque terris Ducis Ferrarienſis: qui conſilio parum diuerſo auctor erat, vt præuenirentur[c] aggreſſiones, quas ipſe ſibi inferendas prænoſcebat ab Octauio; cuius inita cum Hiſpano ſocietas, tametſi nondum faciem detexerat, eiuſmodi tamen laruæ genere tegebatur, quæ notitiam intuentibus non adimit, velando ſcilicet, ſed non celando. Caraffa toto animo intentus Vrbis Romanæ ſecuritati, ſuam omnem operam ardoremque

[c] Litteræ Octauij ad vxorem Bruxellas, die minimè notato.

1557. contulit, vt regnum Neapolitanum bello peteretur, ad auertendum illius intumentis amnis curſum, cuius proximis vndis Pontificalis regia pœnè merſa periclitabatur: Gallis verò neceſſe fuit illi ſatisfacere, ob diſerta Regis mandata, vt ad defenſionem Pontificis vires impenderent, eiuſque voluntati parerent. Tunc Ferrarienſis, conſpicatus exercitum è ſuis ditionibus abeuntem, eas præſenſit quaſi prædam relinqui armis proximi Principatus Mediolanenſis, Parmenſis, & Etruſci, quibus aduerſæ factionis Principes imperitabant. Eapropter expoſitâ Caraffæ & Guiſio neceſſitate, quâ ipſe cum ſuæ militiæ neruis ibi ad ſui Principatus cuſtodiam figebatur, exhibitiſque ampliſſimis pollicitationibus commeatus, tormentorum, eorumque omnium, quæ poſſent expeditioni à ſe ſuppeditari; in reliqua demandauit Aloyſio filio ſuas vices, qui poſteà inter Purpuratos egregiè inclaruit. Cumque intueri cœpiſſet in ipſa re id quod anteà in abſtracta quaſi ſpecie non ſatis exciderat, intellexit quàm arduum eſſet ſummum Principem ſternere, adeò potentem, adeò cum Italis arctè connexum, & cui multò potior aderat conditio; bellandi videlicet domi ſuæ, quæ ab hoſtium fœderatorum validiſſimis regionibus tam longè aberat; & quantum propria ſui ipſius diſcrimina, vbi res improſperè cederet, ſpem lucro ſuperarent, ſi fortè victoriâ potiretur. Quare videbatur ſibi leuitatis nota inuri poſſe, qui ſe commiſiſſet nauigio tam malè inſtructo in pelago tam intuto. Statuit igitur Venetias adire, vt ibi perſuaderet præteriti conſilij ſui rationes illi Senatui, cuius comprobatione ſe ſatis defenſum fore putabat apud quoſcumque iudices minimè temerarios. Nec multi negotij res fuit, honorifica reſponſa reportare ab eo ſapienti Senatu, quippe facili ad excuſandum iam factum, adeoque irreuocabile.

Guiſius interim Romam venit, ibique tutelare quaſi numen exceptus eſt. Trepidationem omnino diſpulit à populo, qui ob res proſperè geſtas in recuperandis circumcircà locis iam liberiori animo erat. Pontifex haud ignarus, à ſubditis ob duo potiſſimùm bona Principis curam efflagitari, quorum gratiâ dominanti colla ſubmittunt, Pacem & Iuſtitiam, alterius defectum hoſtium iniquitati tribuens, ſtuduerat egregiis alterius operibus ſibi beneuolentiam comparare. Quamobrem in Senatu [d] 23. Ianuarij promulgarat, velle ſe ad publicum affatum ſingulis menſibus cunctos admittere, deducto ad cuiuſuis homunculi aditum oſtij velo; ita vt eadem in Aula Cardinales, Magiſtratuum Principes, ceterique Iudices ac miniſtri cuiuſcumque tribunalis adeſſent, quò poſſet ipſe ſimul de rebus actis 3

[d] Acta Conſiſtorialia, 23 Ianuarij 1557.

edo-

edoceri, ſimul illatis iniuriis conſulere; indictis ad id inchoandum die 17. & hora 19. quemadmodum effectum eſt, quadraginta quinque hominibus à Pontifice auditis. Verùm huiuſmodi inſtitutio, quippe laborioſa Principi, ab eòdem inducta ob rationes extraneas, conſanguineis moleſta, & miniſtris formidoloſa extitit, formoſus ad ſpeciem modulus, non firmum ad diuturnitatem ædificium. 1557.

4 Firmiùs in eodem Senatu præſcripta eſt à Pontifice anniuerſaria ſolemnitas, per vniuerſam Chriſtianam Rempublicam celebranda, Cathedræ S. Petri Romæ 18. Ianuarij, quo die primùm in Eccleſia Romana Princeps Apoſtolorum conſedit; profeſſo id à ſe fieri ad coarguendos hæreticos, inficiantes Petrum Apoſtolum in ea vnquam vrbe fuiſſe[e]. Idque anno proximè ſequenti confirmauit per Diploma in Senatu pariter decretum[f], eò priùs inducto Guillelmo Sirleto, tunc Protonotario Apoſtolico, qui diſſertationem ibi recitauit, per quam magnæ auctoritatis teſtimoniis comprobabatur, S. Petrum fuiſſe Romæ commoratum, ibique martyrium perpeſſum. Nec diu fuit, quòd Pontifex nouum hoſpitem Aulamque hilarare voluit nouorum Cardinalium inauguratione.

e 15. Martij 1557. in Actis Conſiſtor.

f 14. Ianuarij 1558. in Actis Conſiſtor.

5 De qua falsò Suauis autumat, excuſationem fuiſſe à Pontifice adductam, quòd ea non ex voto Regis plena haberetur, quia veterum Purpuratorum ingens numerus magnæ acceſſioni recentium obſtaret; factamque etiam illi ſpem nouæ creationis, vbi quos in arce detinebat capite puniuiſſet. Cur ita, ſi ea Purpuræ largitio decem complexa eſt? ſi id temporis nonniſi vnus ex Cardinalibus detinebatur in cuſtodia Fuluius Corneus, de cuius capitali ſupplicio numquam eſt cogitatum? Fuerunt Purpurâ inſigniti eximiæ virtutis viri, Thaddæus Gaddius Florentinus, Coſentiæ Archiepiſcopus, quo Pontifex in præcipuis adminiſtrationibus tunc vſus fuerat; Antonius Triuultius Mediolanenſis, Tolonæ Præſul, & apud Venetos Nuntius; Virgilius Roſarius Spoletinus, Iſcienſis Antiſtes, Romæque Vicarius, qui ob integritatem ac prudentiam curis maximi momenti admotus eſt, cùm Pontifex fratris filios exegit; Laurentius Strozzius, Epiſcopus Bliterenſis, cui præter animi virtutem, ſanguiniſque coniunctionem cum Galliæ Regina, ſuffragati ſunt Petrus frater, & Guiſius amicus intimus, tunc duo veluti Pontificis brachia; Michaël Giſlerius Dominicanus, patriâ Alexandrinus, in Inſubria Epiſcopus Nepetinus, & ſanctæ Quæſitionis Commiſſarius generalis, qui poſteà Pij V. nomine eluxit inclytus in Romana Sede, gratiſſimumque in Pauli memoriam animum geſſit; Ioannes Bertrandus, electus iam ad Sedem Conuenſem, & Regij ſigilli

Qqq 3 cuſtos

1557. cuſtos in Gallia, doctrinâ & moribus ſpectabilis, atque ob Eccleſiaſticæ iuriſdictionis ſtudium benemeritus, qui eodem anno Archiepiſcopus Senonenſis renuntiatus eſt; Clemens Dolera, ex Monilia, apud Ligures Franciſcanorum ſupremus moderator, clarusque Theologus; Alfonſus Caraffa Neapolitanus, filius Marchionis Montibelli, adeoque Pontificij fratris nepos; Vitellotius Vitellus Tifernas, electus ſuæ patriæ Antiſtes, Clericus Apoſtolicæ Cameræ, qui poſtmodum munia præſtantiſſima, & Apoſtolicæ Sedis ſumma negotia obiuit; Ioannes Baptiſta Conſiliarius, Apoſtolicæ Cameræ Præſes, frater Pauli, qui Pontificio cubiculo præerat.

Non defuit qui Paulum Quartum notaret, quòd dum tantam 6
ſeueritatem Eccleſiaſticam profitebatur, dumque vt cùm maximè oportebat ſe veneratione munire, ad eam erga familiam ſuam animi teneritudinem prolaberetur, vt tam citò tertium Cardinalem Caraffenſem crearet, qui annum ætatis duodeuigeſimum nondum explebat, eique paucos intra dies[g] adminiſtrationem id temporis traderet Neapolitani Archiepiſcopatus, eiuſdemque titulum, vbi iam ad annum vigeſimumſeptimum perueniſſet, & ſacris fuiſſet initiatus: quamquam beneficium illud in optimæ indolis iuuenem incidiſſet, qui, cùm reliqui Pontificij fratris filij expellerentur, meruit apud Pontificem in adminiſtrationis cura remanere; quique in ſuccedentis Pontificatus ſeueritate, cùm graui mulctâ damnatus eſſet, pecuniæ ſubſidium à Collegio, & commiſerationis à populo velut inſons obtinuit. Verùm vtcumque ſuper hoc ferre ſententiam liceat, profectò in reliquis ad Purpuram ſelectis ſuam Pontifex laudem meritus eſt, quòd eam dignitatem nonniſi iis diſtribuerit, qui dotibus præſtantibus claruiſſent, poſſentque cum Eccleſiæ emolumento prælucere: vſque adeò, vt efficaciſſimæ preces Henrici Regis, cuius opis indigentia, cuiuſque promerita per eos dies tantum excreuerant apud Paulum, nonniſi vnicam Purpuram impetrare potuerint, & hanc poſt exquiſitum examen de viri, qui commendabatur, præſtantia; vt proinde Venetus Orator Nauagerus, qui tunc Romæ degebat, Pontificis animum admiratus in pernegandâ quadam legis relaxatione Momoranſio Comeſtabili[h], quam complures Theologi tamquam licitam comprobabant; & dum ſtudia petitoris potentiſſimi apud Henricum erant, velut cùm maximè Paulo neceſſaria, nec minus in reſiſtendo eiuſdem Regis precibus Purpuras depoſcentis, ſcribere non dubitauit, ne vnam quidem à Pontifice impertitam fuiſſe eo poſtulante. Qua in re id inobſeruatum nolo: Suauis, lynceus ille Romanorum Pontificum Momus, ferè

g 9. Aprilis 1557. in Actis Conſiſtorialibus.

h In Actis Conſiſt. cœtus Theologorum habitus in conſeſſu Cardinalium, 22. Martij 1557 & epiſtola Caraffæ ad Nuntium Galliæ, apud Burgheſios.

ferè numquam auſus eſt hunc aliúmve Pontificem arguere de Cardinalium delectu, tamquam de re paſſim nota, falſiſque obtrectationibus haud facile obnoxia, exceptâ interdum conſanguineorum electione. Id verò patefacit, ne ab ipſis quidem aduerſariis denegari poſſe huic Eccleſiaſtico Principatui faſtigium quoddam præſtantiæ ſupra reliquos, & fortaſſe ad emolumentum Reipublicæ efficaciſſimum, quòd ſcilicet in ipſo ſupremæ dignitates exteriores, plerumque remuneratio ſint dignitatis interioris; ſed à ſanguinis faſcino ne Pauli quidem animus ſe illæſum præſtitit. 1557.

7 Porrò quod maximè conſpicuum reddidit nimium illum ſanguinis æſtum in admouendo iuniore fratris nepote tam inclytæ Eccleſiæ Neapolitanæ, illud fuit, quòd Paulus id egit in eodem Senatu, in quo alteri operi manus admouit; cui operi ea in illo maieſtas neceſſaria erat, quæ ipſum ſupra conditionem humanam, quaſi mortalitatis expertem, attolleret: ibi namque reuocauit Pontifex Polum Legatum, ceteroſque omnes Nuntios & adminiſtros Apoſtolicæ Sedis, qui degebant in Caroli Quinti ac Philippi Secundi tamquam in hoſtium ditionibus, edito per hæc indicio, velle ſe aduerſum duos illos tam eminentes Chriſtiani Orbis Principes ad cenſuras regnorumque priuationem progredi; ac proinde proximâ feriâ quintâ ſanctioris Hebdomadæ, in Diplomate conſueto, quod ab eo die ſuæ promulgationis dicitur *In Cœna Domini*, fuerunt à Pontifice peculiariter perculſi anathemate ij, qui ſuas terras Campaniæ oræque maritimæ occupaſſent, *quantumuis dignitate eminentes, etiam Imperatoriâ, & omnes Conſiliarij, fautores, & aſſeclæ*; atque in ſacrificio Pontificio feriæ ſextæ conſueta pro Imperatore precatio fuit omiſſa.

8 Iam Pontifex deſignauerat Iudices cauſæ in Carolum ac Philippum, in Senatu à Fiſci Procuratore inductæ,[i] è variis ſelectis claſſibus: inter Cardinales Rebibam; inter Archiepiſcopos Hannibalem Bozzurum Neapolitanum, Aueniōnenſem Archiepiſcopum, qui poſteà à ſucceſſore Pauli Purpurâ fuit ornatus[k]; inter meros Epiſcopos Ioannem Beroaldum, Epiſcopum Teleſiæ; inter Protonotarios Guillelmum Sirletum Calabrum, modò à nobis laudatum, & qui poſteà inter Purpuratos claruit: atque ij omnes Philippi Regis ſubditi fuere, vt cuique obſeruare licet. His adiecerat Conſultoris & Commiſſarij nomine Bartholomæum Cameratium Beneuentanum; & duos qui ſibi à ſecretis erant, Floribellum & Maſſarellum, ac denique Pallanterium, quippe Fiſci Procuratorem. Id tamen tunc credebatur non tam ad rem quàm ad ſpeciem peragi.

[i] 12. Februarij 1557.

[k] 12. Martij 1565.

1557. peragi, oſtentatâ nimirum Gallis certâ Pontificis voluntate aduerſus Hiſpanicam Monarchiam, quo ab illis fluctuantis animi ambages ſuſpicionemque diſſiparet, ne vererentur, vbi ſe in curſum dediſſent, in medio poſtmodum curriculo per improuiſam concordiam ſe à Pontifice deſertum iri: ſed ſubſecuta Pauli opera, quæ iam narrauimus, palàm fecere, Pontificem nequaquam ſimulare.

Profectò Hiſpani, obtendentes ſibi ferendum non eſſe, ſuarum ditionum pecuniam eò confluere, vbi eius vſus conuerteretur in ſoluenda ſtipendia militiæ aduerſus ditiones ſuas, nec fidendum ſibi eſſe in quouis cauſarum genere iudici, quamuis alioqui legitimo, tamen ipſis inimico; ad tam graues Eccleſiaſticæ iuriſdictionis plagas inferendas progreſſi erant, vt ſolùm poſt annos plurimos, etiam ætate Pontificis ſucceſſoris, quamuis ipſis beneuoli, plurimo labore curatæ fuerint: exhibito hinc documento, bella inter Pontificem ac fideles Principes, tametſi religioſiſſimos, quàm pernicioſa ſint Religioni, cuius fundamentum eſt, quòd Chriſtus in ſuo Vicario agnoſcatur; animus quippe hominis in materia ſenſibuſque penè immerſus, ægrè diſtinguit in vno eodemque capite perſonam quam gerit ab eo qui gerit; ita vt valeat ac velit eodem tempore alterum oppugnare, alteri ſubeſſe. 9

CAPVT II.

Studia Pontificis ad diſiungendum ab Hiſpanis Florentiæ Ducem. Conceſſæ illi Senæ à Philippo Rege. Ciuitellæ obſidio à Guiſio tentata, ſed fruſtrà. Inter hunc & Montibellum diſcordia. Illius ſuſpiciones ob agitatam pacem. Suſceptum redeundi in Galliam conſilium. Noui Romæ labores. Petus Purpurâ donatus, & Anglicana legatio illi deſtinata. Cauſæ inde remouendi Poli, & Reginæ Mariæ repugnantia.

GNarus Pontifex, quanti eſſet Italico cum Hiſpanis bello Coſmi Florentiæ Ducis amicitia, ſtuduit eam ſibi conquirere, ſeu re, ſeu, vbi id nequiret, opinione; quæ pretioſus quidam fundus eſt non bellatoribus minùs quàm mercatoribus. Eapropter cœpit agitare de nuptiis inter illum & Henrici Regis filiam, miſſo ad id in Galliam Franciſco Villa: vbi tam procliui Rex animo rem accepit, vt Archiepiſcopum Viennenſem legauerit, negotium cum Pontifice proſecuturum, quod eſſe iam confectum, Romæ ex arte vulgatum eſt. Sed Florentinus hanc artem in rem ſuam 1

arte

arte nouâ deducens, miſit Ioannem Baptiſtam Ricaſolum, Epiſcopum Cortonenſem, acturum Pontifici grates, ſimulque ſignificaturum, Quemadmodum ſummo ſibi fuiſſet honori adeptio ſoceri Regis tam præcelſi, ita conſilium ſeiungendi ſe à Rege Catholico eiuſmodi eſſe, cui maturando multis diebus, multiſque cogitationibus opus foret. Interim verò permiſit, vt rei fama deſerretur ad Philippum; qui perſpectâ neceſſitate retinendæ ſibi beneuolentiæ illius Principis, & Albani cohortationibus impulſus, ſtatuit eum ſibi deuincire, traditâ illi iure beneficiario ditione Senenſi; adeoque inimicitia Pauli aduerſus Hiſpanos, ipſis quidem Placentiam ac Senas abſtulit, non tamen in rem Pauli, ſed æmulorum. 1557.

2 Inter negotiorum tractationem arma pariter tractabantur. Quare circa Idus Aprilis Guiſius Româ diſceſſit; viſumque eſt faciliorem expeditionem in regnum Neapolitanum fore per eam Samnij partem, quæ Aſculo agroque Piceno eſt contermina: ſed Gallorum cunctatio Proregi permiſerat, tum vt ſua oppida communiret, præſertim Ciuitellam ſitu validam, & in ea fronte poſitam; tum vt exercitum colligeret, viginti quatuor militum millibus conflatum, quicum Neapoli diſceſſit, quo tempore Guiſius Româ profectus eſt. Hic infelici conſilio Ciuitellam obſedit. Sed vi fruſtra tentatâ, ob Comitis Sanctæ Floræ, & Caroli Loffredi virtutem, vrbem propugnantium; biduo poſt illatam impreſſionem, hoc eſt decimoquinto Maij, coactus eſt ab aduentante hoſtium exercitû pedem referre; quod accidit tertiâ poſtquam ibi caſtra poſuerat hebdomadâ. Cumque graues diſcordiæ (prout mos eſt inter duces in expeditionibus improſperis) ſubortæ fuiſſent inter Guiſium & Montebellum, [a] iracundiæ impotentem, & immodicè liberum, cùm in eo bello vituperando, tum in præ ſe gerendo animo, ſui natiui Principis, cui bellum inferebatur, ſtudioſo; denuntiauit Guiſius, reditum ſe in Gallias meditari, præcipuè quia Ferrariæ Dux minitantem ditioni ſuæ hoſtem veritus, non filium modò reuocarat, ſed opem à Guiſio poſtularat. Quibus rationibus, addebat ille, compertum eſſe, clàm à Pontifice agitari cum Hiſpano concordiam; quod illi detexerat [b] Dux Summanus, Hiſpanis infenſiſſimus, & conſcius, aliquid ea de re petente Philippo fuiſſe propoſitum Caraffæ Cardinali à Fantuccio Nuntio, ſtudente id illi perſuadere tamquam decorum, quòd tunc liceret ipſi honeſtam pacem conficere, dum eductum ſtringebat gladium, & aduerſarius eam poſtulabat: ex quo inter Summanum & Cardinalem ſimultas enata. Itaque vt inflammarentur tepeſcentes Galli, cautumque iis foret, miſ-

[a] Extat in narratione Nauageri.

[b] Litteræ Caraffæ Cardin. ad Nuntium Brancacciũ, 18. Martij 1557. apud Burghehos.

1557. ſus eſt ad Henricum vnà cum Petro Strozzio Ducis Paliani filius, vt ille ſuppetias impetraret, hic perſeuerantiæ obſes eſſet. Id verò [c] à Paulo minus durum minuſque periculoſum exiſtimatum eſt, quàm alia vincula à Gallis petita; cùm pueri ætatula validus tamquam clypeus videretur, quo eum honeſtas aduerſus omnem iniuriam communiret. Quod ſi id recuſatum eſſet, petebant illi in vadimonium ſibi tradi Peruſiam, Anconam, & Centumcellas, præter nouam Cardinalium creationem pro ipſorum arbitratu. Adeò graue onus eſt potentioris auxilium.

c Litteræ Farneſij Cardin. ad Ardinghellum Bruxellas, Parmâ, Iulio menſe, anno 1557.

Vulgatis Romæ & ſolutâ Ciuitellæ obſidione, & deſtinato Gal- 3
lorum diſceſſu ab Eccleſiaſtica ditione, intermiſſa trepidatio rurſus exorta; quodque medicina videbatur, ipſo morbo grauius euadebat. Etenim cùm ad cuſtodiam accerſirentur tria Heluetiorum millia, Pontifex quò ſtipendia ſolueret, vectigal impoſuit die 18. Maij cunctis populis ſibi ſubiectis, vt centeſimam pretij partem bonorum ſtabilium ſinguli penderent; onus propemodum intolerabile, tum re facultatibus, tum denuntiatione animis ſubditorum. Quoniam autem diſſenſio inter Guiſium & Montebellum Pontificem coëgerat vt hunc Romam reuocaret, eoque mitteret Paliani Ducem, tam frigidè adminiſtrabantur arma Eccleſiaſtica circa Vrbem, vt effluxerit per eam moram opportunitas, oblata ab inimici remotiore exercitu, amiſſas terras integrè recuperandi. Pontificij ſiquidem milites ſerius operi admoti pauca ſunt adepti, & multa paſſi operâ Marci Antonij Columnæ, intenti per incredibilem virtutem ac ſolertiam nunc defendendis, nunc recuperandis ſuis oppidis. Guiſius partim in agro Aſculano, partim in Maceratenſi commoratus, auxiliares copias Ferrarienſi ſubminiſtrabat, & mandata regia præſtolabatur. Paulus populum conſpicatus defeſſum, trepidum, tumultuantem, & pertæſum inquietis ſuæ, vt quæ tot ipſis ærumnas pepererat, & grauiores parturiebat, voluit nouum pacis deſiderium oſtendere; ad quod fortaſſe infortunia vrgentiaque diſcrimina eius animum inclinabant. Itaque in Senatu die 14. Iunij [d] ſuam hanc pacificam voluntatem viuide ſignificauit, rogauitque Patres, vt eam conſilio & operâ promouerent. Nec à Philippo Rege contraria vota nutriebantur, [e] optimè gnaro, non minùs potentiori quàm imbecilliori pacem expedire: quippe ſi is iacturæ magis ſubiacet, ille maiori ſubiacet; ſimulque inuidia ac ſuſpicio ad ineundam cum potentioris aduerſario fœdus eos impellunt, qui alioqui medium tenent. Idcircò curauerat ſignificandum Farneſiis, ſibi iam reconciliatis, ſed nondum alteri parti inimicis, gratum ſibi fore, ſi

d Extat in Actis Senatus, 14. Iunij 1557.

e Ex citata epiſtola Farneſij Card. ad Ardinghellum Bruxellas.

nego-

negotium illud capeſſerent. Quod præſtitere Octauius, & Farneſius Cardinalis, tunc Parmæ degentes, per Cardinalem Sancti Angeli, ipſorum fratrem Romæ commorantem. Nacti ſunt in Caraffenſibus procliues ad id animos, excuſantibus militares apparatus quos tunc habebant, miſſionemque pueri ad Henricum Regem, ne inermes ac deſerti iacerent, quamdiu Albanus nudatum in ipſos gladium intentaret. Quare reſponſum Regi redditum eſt, idoneam ad id facultatem cuicumque vellet impertiret. Verumtamen animoſa Cardinalis ſpes parum adhuc deflorata viſa eſt ab aduerſis Galli turbinibus, cùm cerneretur aſpirare per eam concordiam Senarum adoptioni, nuptiiſque inter ſuæ familiæ ſponſam & Alexandrum Farneſium. 1557.

4 In Senatu, quem diximus, aliud quoque ſtatuit Pontifex, quo putauit indemnitati Britanniæ ſe proſpecturum, facturumque ſatis illius Reginæ poſtulatis. Innotuerat Mariæ Poli reuocatio à legatione: quamobrem haud mediocriter commota fuerat, cùm Catholica Religio nondum adeò viuida effloruiſſet in iis regionibus; vt ſi tam ſolerti cultore deſtitueretur, periculum non eſſet, ne facile rurſum ſilueſceret: idcircò præpeditâ, ne ad Polum ſerperet, rei notitiâ, quò ipſum in bona fide contineret[f], Pontificem enixè rogauit, ne ob diſſidia inter ipſum ac maritum ſuum ille protraheretur in rem adeò pernicioſam tot populorum ſaluti, venerationique ſacrarum Clauium in illis Regnis. Peruenerunt ad Pontificem hæc Reginæ poſtulata, cùm planè illius impetus ab infelici rerum euentu aliquantulùm deſæuierat; adeoque facilius ad obſecundandum Reginæ ſe flexit, non tamen confirmatâ legatione Poli; cùm ſubortæ Paulo fuiſſent ſuſpiciones in Polum, tametſi falſæ, quaſi foueret hic in ſinu doctrinam aliquam minùs ſinceram: atque ob ſimiles criminationes ab illo in arce detinebatur Moronus Cardinalis, in quem accuſationes delatæ fuerant, quo tempore Paulus ante Pontificatum ſanctæ Inquiſitionis conuentibus intererat; quapropter, vtpote ardens ſtudio Religionis, & ſuſpicionibus credulus, iam tum acerbos in eum ſenſus præ ſe tulerat. Moronus verò, quamquam huiuſce rei conſcius, tamen ſiue hominis placandi gratiâ, ſiue fretus innocentiâ, electionem Pauli nauiter promouerat: atque id temporis à Lottino, qui Pontificalibus in Comitiis Cardinali Sanctæ Floræ famulabatur, prænuntiata ipſi fuerant hæc infortunia; quæ ſin minus ipſum combuſſerunt, eius tamen promeritorum flores adeò forſitan aduſſerunt, vt inde maximus fructuum erumpere numquam potuerit. Volebat itaque Paulus Morono Polum in communi

[f] Quæ hîc leguntur, extant in Vita Poli manuſcripta à Ludouico Beccatello eius familiari, ac poſteà Archiepiſcopo Epidaurio.

1557. muni æmulorum cauſa opponere, & in vtrumque eâdem operâ iu-
dicium exercere.

Quare vt ſimul id perficeret, ſimul Reginæ gratificaretur, eo die 5
inter Vaticanos Patres adſcripſit, vnaque Legatum Angliæ conſti-
tuit hominem Reginæ acceptum, ipſius quippe conſcientiæ mode-
ratorem. Fuit hic Guillelmus Petus, ex Minoribus Obſeruantibus;
qui cùm primùm Henricus Octauus inſanire cœpit, veritus non
fuerat è ſuggeſtu per Apoſtolicam libertatem pronuntiare, Cathari-
nam reuerà Regis coniugem eſſe. Hinc ob tam egregiam culpam
in exilium pulſus, diu in Italia cum Polo vixerat: dein rebus An-
gliæ commutatis eò reuerſus, à Regina ſuam ad homologeſim exci-
piendam electus eſt. Dum illum Pontifex vtrâque dignitate exor-
naret, dixit, tum ex iis quæ ipſe per ſe nouerat, tum ex aliorum nar-
rationibus, Eam in eo probitatem, eam prudentiam, eam doctri-
nam à ſe agnoſci, vt is & honore dignus, & oneri par eſſe videretur:
haud oportere Polum, iam palàm reuocatum, & grauiſſimis de cau-
ſis Romam accerſitum, iterùm confirmari. Sed cum Petus decrepi-
tâ eſſet ætate, & natalibus haud conſpicuis, Regina eam permuta-
tionem nimis Angliæ incommodam exiſtimauit; adeoque iterum
à Pontifice petiit, ne Polum amoueret: criminationes illi obiectas
niti non poſſe rebus ab eo geſtis antequam in Angliam acceſſiſſet;
quandoquidem ab ipſo Pontifice laudibus tam præclaris ad Can-
tuarienſem Eccleſiam promotus fuerat: rerum ab eo poſteà geſta-
rum poſſe melius cognitionem committi Eccleſiaſtico Conſilio Re-
ginæ, quæ quibuſuis aliis rationibus iuſtitiam fuiſſet prælatura:
ſed antequam de illius noxa liqueret, plectendum non eſſe regnum
vniuerſum, imò & Religionem ipſam, priuatione tam neceſſarij
cultoris ad eam fœcundandam.

Quamuis Regina diplomata Pontificia ad Polum & Petum miſ- 6
ſa detinuiſſet, ſtuderetque rem occulere, aliquid tamen rumoris
ad aures Poli concrepuit. Vnde depoſitis illicò legationis inſigni-
bus, ad Pontificem miſit Nicolaum Ormanettum, ſuum Datarium,
& aliâ tempeſtate Antiſtitem Patauinum, & in Hiſpania Nuntium,
quò illi obſequentis animi obedientiam exhiberet. Pontifex hac
Poli ſubmiſſione delinitus, conuerſuſque tunc ad Philippum ſibi
conciliandum, vt mox narrabimus, ſuperſedere ſtatuit tantiſper,
dum Caraffa Cardinalis, deſtinatus ab eo Legatus ad ipſum Regem,
ea de re coràm ageret. Polus itaque continuauit non quidem nomi-
ne, externàque ſpecie, ſed verâ exiſtimatione ac prouidentiâ lega-
tionem vſque ad mortem, quæ paulò pòſt exponetur. Interim præ-
ſtat

ſtat vt repetamus quæ contigere Romæ, & in bello: quod vt aſperum, ſed neceſſarium nonnumquam inſtrumentum eſt ad honeſtam pacem conſequendam; ita horridum, ſed interdum neceſſarium argumentum eſt ad hiſtoriam texendam, de pacificis operibus ex inſtituto ſcribenti. 1557.

CAPVT III.

Neapolitani regni vectigal à Pontifice recuſatum. Aduentus Romam Heluetiorum. Palianum à Marco Antonio Columna obſeſſum. Prælium Eccleſiaſticis improſperum. Regis mandata Guiſio tradita, vt Pontifici opitulaturus aſſiſteret. Eius profectio Tybur; & Proregis Soram. Reportata ad Sanctum Quintinum ab Hiſpanis de Gallis victoria. Conditiones pacis propoſitæ à Cardinali Sanctæ Floræ, & à Prorege reiectæ. Eius conſilium Romæ improuiſo occupandæ, ſed irritum. Miniſtri Senatus Veneti & Ducis Florentini ad concordiam miſſi. Eorum operâ inter Caraffam Cardinalem & Proregem colloquium.

1 APpropinquante Principum Apoſtolorum feſto die, quo regni Neapolitani vectigal Pontifici pendi debet, obtulit Prorex per Cardinalem Sancti Iacobi, patruum ſuum, ſe debito ſatisfacturum, vbi Pontifex tributum acciperet. Idcircò generalis Purpuratorum conuentus habitus [a]. Cumque aliqui auctores eſſent vt acciperetur, ſed cum conteſtatione, & ita vt fraudi non eſſet deuolutæ ad Pontificem beneficiariæ regni poſſeſſioni, ridiculum aliis viſum eſt, quòd beneficiarius vllo pacto agnoſceretur is, qui reipſa terras ſupremi Domini occupabat, & in quem idem ſupremus Dominus tamquam in perduellem bellum gerebat: nullum conſpici detrimentum in repudiando tributo; quin potiùs maiorem dignitatem & ſecuritatem. Atque ita effectum eſt: ſed poſteà compoſitâ pace, opportunis cautionibus vectigal acceptum [b].

2 Paulò pòſt tria Heluetiorum millia Romam peruenere 20. Iulij. Neque Pontifex à quauis ſiue honoris ſiue amoris ſignificatione ſe abſtinuit, quò illos impelleret ad operam ſibi nauandam, amicorum ſollicitudine ſtrenuam, non mercenariorum incuriâ languidam. Quoniam autem Marcus Antonius Columna, poſt alia illata damna, meſſem circa Palianum prædatus fuerat, oppido ad extremas anguſtias penuriamque redacto, eius recuperandi ardenter cupidus,

a Acta Conſiſtor. 19. Iunij 1557.

b Acta Conſiſtor. 15. Octob. 1557.

1557. non ſolùm ad emolumentum ſuum, ſed ad occupantium detrimentum eò Heluetij miſſi, vt vnà cum reliquis copiis Pontificiis conarentur hoſtem exultantem coërcere, & obſeſſorum anguſtias relaxare. Sed res eò deuenit, vt die 27. illius menſis commiſſo prælio, quamquam Heluetiorum virtus emicuiſſet, victoria penes Columnam fuerit; qui validius quàm glorioſius enſem in Eccleſiam vibrans, cum Diuino conſilio acuebat ignorans, vt exerceret poſteà in ampliori theatro, celſiorique dignitate pro Eccleſia, renouatâ veterum triumphorum lætitiâ in ea vrbe, quæ tunc extimeſcebat ne ab eo recentium direptionum calamitas renouaretur.

Reſpirarunt à metu Romani aduentu Guiſij, qui Petri Strozzij 3
reditu acceperat à Rege mandata, vt aſſiſteret tutelæ Pontificis, cui nouæ & validæ ſuppetitiæ celeriter promittebantur. Quare Guiſius relicto Piceno Tybur acceſſit, vt quaſi aggerem Romæ prætenderet; & Albanus viciſſim cum ſuis copiis Soram ſe contulit, vt Columnæ auxilia ſuppeditaret.

In eo rerum ſtatu 23. Auguſti nuntij eiuſmodi Romam delati 4
ſunt, qui ſpem omnem deiecerunt; ſed animi celſitatem in Paulo, ſiue, vt aiebant alij, elationem deiicere non potuere. Nuntiatum enim eſt, collatis inter Hiſpanos & Gallos ſignis apud S. Quintinum, Veromanduorum olim, nunc Picardiæ oppidum, à Gallis immanem cladem acceptam. Hinc Rex neceſſitate compulſus Guiſium cum exercitu reuocabat ad ſe tuendum; permittebatque Pontificis arbitrio, vt cum hoſtibus quâcumque vellet ratione concordaret. Hunc lætiſſimum nuntium ab ipſis aduerſariis Prorex accepit. Etenim permiſſu Pontificis rem illi nuntiauit Cardinalis Sanctæ Floræ per Alexandrum Placidum, qui ſibi à ſecretis erat, & quaſi ſtrenas ab eo pacem petiit, iiſdem conditionibus oblatis, quæ Septembri proxime ſuperiori fuerant propoſitæ, cùm ille pariter fortunâ ſatis proſperâ vtebatur. Sed Prorex elatus tam felici rerum euentu, eas per contemptum & iracundiam repudiauit, conqueſtus cum Cardinali, quòd amorem in Regem profeſſus id ſibi conſilij daret. Quin aſſeuerauit, nolle ſe pacificationi conſentire, niſi Paulus erratum ſuum fateretur in ſtatuendo fœdere cum hoſtibus Regis Catholici, ſuamque iniuſtitiam in diuexandis hominibus Regi addictis; & niſi iiſdem omnem libertatem, honorem atque pecuniam reſtituiſſet. Pontifex è contrario affirmabat, Se priùs ad ſubeundam mortem, quàm ad hoc dedecus Pontificiæ Maieſtatis eſſe paratum.

Decreuerat Prorex ſilentio Romam accedere, eamque, quippe 5
impa-

imparatam ac deterritam, per noctis tenebras & ſoporem inuadere, 1557.
ſperans improuiſo impetu ſe illâ potiturum; & hac de cauſa poſt reiectis conditiones ad vrbem cum copiis appropinquauit quingentis propè paſſibus præmiſſo Aſcanio Corneo, aliiſque militum præfectis, vt propiùs explorarent, quis eſſet vrbis ſtatus. Sed aliis alia nuntiantibus, & iis qui auctoritate pollebant affirmantibus, vrbem vigiliis paratoque milite cuſtodiri, noluit rem tantam aggredi.

6 Suauis, qui in hac vniuerſa narratione tantummodò extimam rerum notitiam præ ſe fert, multiſque in locis labitur, à me, quòd parum interſint, prætermiſſis, hîc affirmat, Albano rem proſperè ceſſuram fuiſſe, niſi defeciſſet illi animus; cuius defectui communiter adſcriptum fuiſſe, quod ab incepto deſtiterit. Perinde quaſi Momus iſte de aliquo Terſite loqueretur, non de belli Duce, clariſſimo inter eos qui ſæculo ſuperiori floruerunt, ſæculo videlicet & in hac & ferè in quauis alia nobilium artium gloriâ nulli ſæculorum ſecundo. Quînam auſus ille eſt narrare hanc opinionem tamquam communem, quando latere ipſum non poterat Commentarius Nauageri, qui tunc Romæ aderat Orator, quique, commemoratis variis ea de re ſententiis, nihil ſcripſit de hac credita animi penuria, duaſque prætereà ſententias refert, quas hîc apponemus? Id igitur quod reuerà Albanum ab incepto remouerit, dicunt aliqui fuiſſe pietatem; ne infamem Borbonij victoriam ipſe renouaret. Potiſſimè verò, quoniam cùm apud ſe ſtatuiſſet vrbem quidem occupare, quò Paulum ſuâ cuſtodiâ coërceret, ſed eamdem à direptione ſubtrahere, adeoque bina ſtipendia pollicitus militem aſtrinxiſſet, vt ab ea direptione ſe abſtineret; cognouit Germanos conſpiraſſe, ad prædæ vtilitatem datæ fidei iniunctoque vetito antehabendam: vnde pius imperator eo magis ab aggreſſione abhorruit. Nec equidem hanc illi laudem negauerim: ſed alteram etiam rei cauſam comperio, quòd is conſilium illud nimis obnoxium diſcrimini prudenter & ex vero exiſtimauit; ſuſpicatus fieri poſſe, vt fortis aliquis propugnatorum globus, quos propinquæ Strozzij & Guiſij copiæ fortaſſe ſuppeditaſſent, iniquo in ſitu ipſum adorirentur, ibique ſtragem ſuorum ederent, cum exiſtimationis conditioniſque potioris iactura. Dixi non ſolùm *prudenter*, ſed etiam *ex vero*; nam pro eo ac omnes Oratores ſunt ſimul exploratores, Placidus, è Proregis caſtris regreſſus, expoſuerat, obſeruata à ſe fuiſſe quædam indicia memorati conſilij: quapropter eâ nocte, quam rei tentandæ deſtinarat Albanus, & quâ ſuis à ducibus vrbis ſtatum ſpeculandum curauerat, verum fuit id quod Aſcanius Corneus, aliique cum eo renuntiarunt,

1557. tiarunt, conſpici ſuſpicionis & apparatus argumenta: perpetuò ſiquidem ſunt actæ vigiliæ, & in armis militari diligentiâ perſtitum; & Caraffa Cardinalis paratas ſemper ac ritè inſtructas cuſtodias habuit, per vrbem ad lucem vſque in equo diſcurrens.

Iterum nec leuiter Suauis labi videtur, quaſi deſerto ante initam 7
pacem Pontifice Guiſius diſceſſerit; cùm ex oppoſito is Romæ perſtiterit vſque ad 19. Septembris, quo die, ab inita concordia quinto, vrbem ingreſſus eſt Albanus Pontificem veneraturus; ea verò Guiſij mora haud modico fuit pactionibus emolumento, quemadmodum patebit.

Quare Pontifex intentus pacificationi, quæ ſibi citra iacturam 8
ac dedecus quietem ac ſecuritatem pareret, ad operam Venetæ Reipublicæ conuertit animum; optimè gnarus, quantum illa & communis & propriæ vtilitatis ſtudio pacem & ius Italiæ cuperet, ita vt nullius potentia Principis alteri aut eriperet ſuum, aut adimeret libertatem imperandi in ſuo. Ad id vſus eſt Pontifex Triuultio, quem paulò antè inter Purpuratos cooptarat, ſicuti dictum eſt, quique nondum Venetiis diſceſſerat. Ac planè Philippus Rex, veritus pariter, ne recens ad S. Quintinum victoria potuiſſet ob ſuſpicionem aduerſum ſe commouere Principes ſponte ſuâ neutrò propenſos, pluribus per eam ſibi auctis quàm occiſis hoſtibus, perinde ac in victoria Ticinenſi, aliiſque ſimilibus euenerat, ad eum Senatum legarat Franciſcum à Valentia, ex S. Ioannis equitibus, qui proſperum euentum prælij, ſimulque moderati animi ſui conſilium ſignificaret, nimirum, ſe ad amplificandam ditionem ſuam nequaquam aſpirare; quin tunc vel cùm maximè paratum ſeſe offerre ad reſtituendas Pontifici terras occupatas, vbi is per æquas pactiones ad quietem Italiæ conſpiraret. Idcircò ſtatuit Senatus Venetus ad id tranſigendum mittere Franciſcum Frumentum, vnum ex iis qui ſibi erant à ſecretis[e]. Nec minori ſollicitudine idem promoturus Auerardus Mediceus miſſus eſt à Florentiæ Duce, cuius nimirum intererat teneras adhuc ſui Principatus radices tepore pacis fouere. Vtriuſque adminiſtri cohortationibus inexpugnabilis obſurdeſcebat Albanus, cui nimis abſonum videbatur, ſibi, illud virium fortunæque faſtigium ſupergreſſo, concordandum eſſe per æqualitatem conditionum, nullo ex reportatis victoriis excerpto fructu. Sed à conciliatoribus oſtenſum illi eſt, tunc hoſtem maximè formidabilem euadere, cùm idem ex victoris potentia ſimul ac duritia in deſperationem præceps ruit: in comperto eſſe, Pauli ingenium vehemens, & frangi neſcium: quâ rerum peruerſione perturbaret ditio-

e Vita Commendoni Card. manuſcripta ab Antonio Maria Gratiano.

ditiones Regis & Italiam, ſi, quod muſſitabat, re conficeret, tutum 1557.
in locum ſe conferens, & relictis cuſtodiæ Gallorum, & præſentis adhuc Guiſij, Româ & reliquis vrbibus Eccleſiaſtici principatus. Non eſſe putandum, id ex eo non futurum, quòd Pontifici pernicioſum illud ipſum agnoſceretur. Non ſemper homines prudenter agere: ſæpè commotionem animi & iracundiam potiſſimè quoddam eſſe furoris genus, quod homini tamquam ingens bonum proponit ingens detrimentũ, modò id vehementer lædentem lædat. Hæ rationes, adiecto robore & auctoritate ſequeſtrorum (qui ſi repulſam tuliſſent, poterant per ſuſpiciones alienari, ac tandem in aduerſarios cõmmutari) Albanum pertraxerunt, vt ad colloquium cum Caraffa Cardinali veniret ad Cauas, oppidum Columnenſium, à Prorege occupatum. Eò igitur Caraffa ſe contulit octauo Septembris, Cardinalibus Sanctæ Floræ ac Vitellio comitantibus: cùm par eſſet, vt ille ſpiritus flammam extingueret, qui eam excitarat & aluerat.

CAPVT IV.

Duplex pactionum forma, altera publica, altera arcana, à Caraffa Cardinali ac Prorege confecta. Huius Romam aduentus, & quo pacto à Pontifice idem exceptus. Guiſij profectio. Legationes deſtinatæ, Caraffæ ad Philippum Regem, & Triuultij ad Henricum.

1 REi difficultas in cauſa Marci Antonij Columnæ vertebatur. Etenim Pontifex obfirmato erat animo, ne illum, alioſque ſubditos ſuos iam proſcriptos, pacificatio complecteretur. Albanus contrà ignominiæ ducebat Regi, ſi etiam poſt victoriam præcipuæ belli cauſæ omnino cederet. Poſt longam altercationem duæ pactionum formæ compoſitæ (quod ignorauit Suauis) altera publica, occulta altera, vtraque Pontifici nota; ſed occulta [a] vſque adeò ab illo diſſimulata, vt ne Vitellio quidem illius ſe conſcium indicare voluerit. Concordiam igitur inierunt Caraffa & Albanus, pro ampliſſimis facultatibus, quas Cardinali ſignarat Pontifex [b] eodem die octauo Septembris, & Albano Rex 26. Iulij eiuſdem anni 1557. Pacta verò eam ſibi præ ſe tulerunt indemnitatem tum rei tum exiſtimationis Pontificiæ, vt ex ipſorum tenore, ſicuti Suauis ipſe fateri cogitur, nihil ille minus quàm bello victus videri potuerit. Tam forte formidatumque tegumen Pontificibus ſupereſt, tametſi ceterà indefenſis, S. Petri paludamentum; & vſque adeò falſus

[a] Fuiſſe vtrumque notum Pontifici, colligitur præter alia ex litteris Ducis Paliani ad Caraffam Cardinalem per eos dies, apud Pamphilios.

[b] Extant in monumentis apud Burgheſios, vbi etiam pactiones publicæ & arcanæ inſunt.

1557. ſus eſt deſpectus ille, quem idem Suauis in Chriſtianis Principibus erga Pontifices depingit, dum peculiaria quædam ac mutabilia eorum facta confundit cum vniuerſalibus duraturiſque deliberationibus, quæ ſunt veracia quaſi ſpecula, certò ac luculenter animum exprомentia. Negari quippe non poteſt, præter ingentem officioſorum verborum demiſſionem, quâ cum Pontifice agunt potentiſſimi Principes, amplam iuriſdictionem, quæ ab ipſis ſuis in regionibus illi permittitur; ampliſſimam pecuniæ vim, quam inde ſinunt in eiuſdem Aulam confluere; ſummam reuerentiam, quâ ab eius oppidis occupandis abſtinent, & in quouis euentu ſummam facilitatem in iis reſtituendis, perſpicua eſſe argumenta cuiuſdam religionis, dignitatem in eo pluſquam humanam venerantis. Sed animaduertatur oportet, cum iniuria nonniſi debiti violatio ſit, hinc fieri, vt vbi debitum agnoſcitur maximum, occaſioneſque illius explendi ſæpiſſimè accidunt, ibi mirum non eſſe, ſi frequentiùs inferuntur iniuriæ, quæ tamen deſpectum non arguunt, cum longè frequentiora deprehendantur obſequia.

Patentium pactionum hæc fuit ſumma. Albanum exhibiturum Pontifici & Apoſtolicæ Sedi ea obſequia, ad ſubmiſſionem animi atque obedientiam ſignificandam, quæ veniam gratiamque à Pontifice meritò impetrarent: & à Rege certum hominem miſſum iri, idem officium præſtiturum. A Pontifice, vtpote parente clementiſſimo, exceptum iri Regem tamquam probum & ſuum & Sedis Apoſtolicæ filium, cui communia reliquis Chriſtianis Principibus beneficia tribueret. Remiſſurum ſe nuntium Regis Galliæ fœderi, atque ſponſurum, ſe communem & æquè cunctis beneuolum patrem fore. Ex parte Regis Catholici Pontifici reſtitutum iri, deiectis nouis munitionibus, cunctas terras Sedi Apoſtolicæ ſeu proximè per ſe ſeu per alios ſubiectas, & ad eam vſque diem occupatas; ac viciſſim vtrimque redditum iri tormenta bellica. Ambos Principes pœnas omnes, ſiue ad profanum ſiue ad ſacrum forum ſpectantes, condonaturos cunctis hominibus & communitatibus, ſiue laicis ſiue eccleſiaſticis, ob quodque facinus, ex occaſione huiuſce belli commiſſum: declarari tamen, hoc articulo non comprehendi Marcum Antonium Columnam, & Aſcanium Corneum; quin eos permanſuros ſubiectos pœnis, in quas incurrerant, pro Pontificis arbitratu. Palianum, ſicut in præſentia ſe habebat, traditum iri Ioanni Bernardino Carbonio, vtrique partium fido, qui vtrique ſuam fidem iureiurando obſtringeret, ſponderetque ſe eas pactiones ſeruaturum, de quibus inter Cardinalem & Albanum ad ſuorum Principum 2

pum commoda conueniſſet; quique præſidiarios milites, quantum 1557. ſatis eſſet, communi ſumptu illic retineret.

3 Hæc pactionum capita[e] delata priùs ſunt à Marco Antonio, Polæ Antiſtite, ad Pontificem (qui in gratiam Farneſij Cardinalis ſcribendis de re principali epiſtolis illum admouerat iam vſque à primis initi Pontificatus diebus)[d] & ab illo priùs comprobata, ac poſteà ſignata ſunt, tamquam à teſtibus, à Cardinali S. Floræ, & ab Epiſcopo Aquilano, ſimulque à Proregis Cancellario legitimè ſubſcripta. Sed præter hæc publica pacta, illa etiam arcana ſunt confirmata, quorum conſcium noluit Paulus ſe vlli detegere; quæque idcircò ſolâ præſentiâ, ſolâque ſubſcriptione Cardinalis ac Proregis, & etiam Sacchetti, qui Caraffæ Cardinali à ſecretis erat, ſtabilita. Hæc pariter tam aptè concepta ſunt, ad ſeruandam immunem ab omni detrimento ac dedecore Apoſtolicam Sedem, vt perinde ſit, velle illorum notitiam inficiari in Paulo quaſi ad ipſis conſentiendum inflexibili, ac ſimul & veritatem & Pontificem lædere, quaſi violatorem auctiſſimi illius debiti, quo ipſe obſtringitur per intentatam Diuinæ indignationis publicæque infamiæ pœnam, ad pacem cum ſuo grege ſub quauis tolerabili conditione complectendam. Eorum ſumma fuit.

Vt Palianum aut à viro teneretur, cui pars vtraque fideret, aut ab eiuſmodi Præfecto dirueretur, pro eo ac Regi placeret. Vt ſi dirueretur, numquam iterum munire ipſum liceret cuicumque poſſeſſori, donec præſenti Paliani Duci compenſationem, cui acquieſceret, Rex ipſe rependeret, idque vltra ſex menſes neutiquam protraheretur. Hoc autem non præſtito, Carbonius memorato Duci Palianum ita dirutum traderet: quod ſi de compenſatione diſcordia fuiſſet orta, res Republicæ Venetæ decidenda committeretur. Receptâ compenſatione, concedendum eſſet à Duce oppidum ei quem Rex voluiſſet, dummodò inimicus aut Pontifici aut Apoſtolicę Sedi non eſſet, niſi priùs veniam impetraſſet. Quibus verbis hinc excludebatur Marcus Antonius; hinc liberum erat Regi, aliis eiuſdem familiæ Palianum concedere.

4 Notat Suauis: *Hoc in bello armis Eccleſiaſticis tum propriis tum auxiliaribus Deum parum fauiſſe.* Omninò quò hic homo Diuinæ prouidentiæ conſilia in humanis euentis agnoſcat, neceſſe eſt, huiuſmodi euenta contingant Pontificibus infortunata; cùm ipſe alibi in admirabili illa Catholicorum Heluetiorum victoria aduerſus hæreticos, aliiſque euentibus Religioni propitiis, huiuſmodi ratiocinationes derideat quaſi diuinationes temerarias impenetrabilium arcanorum

[e] Innotuiſſe Pontifici pactiones arcanas, probatur non ſolùm ex monumentis poſteà citandis, præſertim cap. 5. num. 6. ſed ex ſumma Actorum pro defenſione Caraffenſium, quæ eſt apud auctorem; vbi hoc patet, & poſteà ſolemni ſententiâ Pij V. comprobatum eſt.

[d] Litteræ Farneſij Cardin. ad Equitem Tiburtium, 17. Iunij 1557.

1557. canorum. Atqui ſi libuiſſet illi agnoſcere in hiſce caſibus Diuinæ prouidentiæ regimen, oportebat, vt inſpiceret patrocinium erga Romanum Pontificatum, qui tot inter procelloſa certamina perſtitit ſemper illæſus: quandoquidem non modò in hoc Pauli bello, poſt tot infortunia conſecutus tandem is eſt id, quod erat controuerſiæ titulus, abſolutam poteſtatem dominij Pontificij; & ne præpedirentur Pontifici manus, quò minùs proſcriberet ac puniret beneficiatios ſuos, tametſi aliorum Principum obtectos tutelâ: ſed calamitates ipſius Clementis Septimi, quamuis adeò tragicæ ac lamentabiles, nihil tamen offecerunt Pontificatui, cuius & potentia & maieſtas ſtatim reuixere in eodem Pontifice, à maximis inter Principes vt cùm maximè in reuerentia habito; eius verò oppreſſores viſi ſunt quaſi Dei virga, quâ ſontes verberantur, ſed ipſa in ignem coniicitur, quando Franſpergius Ferrariæ viſcerum dolore confectus occubuit, antequam ad deſtinatum vrbis excidium perueniſſet; Borbonius in eius ingreſſu extinctus eſt; Moncada non diu fuit, quòd maris fluctibus abſorptus periit; & exercitus, prædator ille ſacroſanctæ Vrbis, præda fuit contagionis, à qua ſtragem & excidium accepit, longè funeſtiora quàm quæ militibus terriſque Eccleſiaſticis intulerat. Quare, quemadmodum Nauagerus ſæpè à nobis laudatus refert, Cardinalis S. Iacobi Albanum fratris filium alloquens de non intentata ab illo Romæ interceptione, dixit: *Rectè quidem egiſti fili, & ne id vmquam committas te hortor; ij enim, qui ex noſtra natione poſtremâ vrbis direptione manus inquinarunt, peſſum omnes abierunt.* Equidem, ſi huiuſmodi animaduerſiones legerem in Suaui, haud incuſarem tamquam malignum eius animum, quòd effectum ab omnipotenti Prouidentia credidiſſet, vt vel inquies Pauli, vel conſanguineorum ambitio optatam ſibi ditionis acceſſionem aduerſus Hiſpaniæ Sceptrum minimè obtineret.

Tres deinde vno hiatu Suauis mordet, Albanum, Regem, & Pontificem, dum ait: *Albano, quamuis victori, fuit indignitas toleranda, vt Romam adiret, ad abſolutionem Regis nomine & ſuo pariter accipiendam; cui non modico beneficio fuit, quòd humaniter acciperetur à Pontifice, tametſi per conſuetum Maieſtatis faſtum.* Adeóne ignotæ erant huic homini non inquam Chriſtianæ, ſed morales leges, & in animis cuiuſuis vel maximè barbaræ rudiſque nationis inſculptæ, vt neſciret, numquam filio probro verti, quòd ſe parenti ſubmittat; nèc parenti, quòd maieſtatem erga filios exerceat (præſertim cum eius demiſſio videtur eſſe deiectio auctoritatis) vitio ingenij faſtuoſi tribui, ſed potiùs virilis animi virtuti? Ceterùm hîc in vniuerſum non diſputo,

an

an agendi ratio in Paulo faſtum necne præ ſe tulerit; ſed in eo Proregis acceſſu, quæ humanitatis officia, quos honores omiſit Pontifex, quibus Albano reſponderet? Nónne in ædibus Pontificus illum hoſpitio ſplendide excipi à fratris filio iuſſit? Nónne in Pontificio ſacello locum Cardinalibus proximum illi dedit? Nónne illum vnà cum vniuerſo collegio conuiuam excepit, ſedentem è regione Purpuratorum Principis? Nónne ad Albani coniugem per Matthæum Aquauiuam, Apoſtolicum Protonotarium, honorifico Nuntij nomine miſit Roſam auream conſecratam, donum ſummis dumtaxat ac benemeritis Principibus mitti ſolitum? cui coniugi conſtat Albanum ſcripſiſſe, ſibi, tot præliorum diſcrimina experto, numquam animum vocemque defeciſſe, niſi cùm Pontificis conſpectum adiit. Non tamen id contigit ex faſtu maieſtatis, quæ nullam habuiſſet vim ad Albanum Ducem deterrendum, virum heroico animo, & aſſueto conſuetudini familiari potentiſſimi Cæſaris, ac maxime formidati: effectum id fuit ab occulta illius vi, quod eſt adoraturque in Pontifice tamquàm Diuinum, quod nulla humana maieſtas exæquat, nulla humana animoſitas non veretur. 1557.

5 Congreſſus hic inter Pontificem & Albanum, ſtatim ac is vrbem ingreſſus eſt contigit, hoc eſt die 19. ſecundâ noctis horâ, coram viginti Cardinalibus, poſtquam eodem die mane Guiſius diſceſſerat, qui per varias ſeparatim turmas exercitum præmiſerat. Prorex autem adhibuit erga Pontificem formulas quàm maxime potuit demiſſionem ſubiectionemque ſignificantes, ſuo ſuique Principis nomine. Poſtridie illius diei Senatus eſt habitus[e]; vbi Maſſarellus, qui à ſecretis erat, publica concordiæ capita recitauit, retulitque Albani verba ad Pontificem dicta. Ibidem ſtatutum eſt, vt in ſacello Pontificio die proximo, qui S. Matthæo Apoſtolo ſacer erat, res Diuina fieret ad agendas Deo grates, ſimul vniuerſale Iubilæum ad id promulgaretur; ac denique, vt duo mitterentur Legati ad pacem inter duos Reges curandam, Caraffa ad Philippum, quò ſimul tenacius redderet vinculum reconciliationis inter illum & Pontificem, atque ad Henricum Triuultius, qui Tolonenſem Eccleſiam in eo regno poſſidebat. Obtinuit Albanus à Paulo[f], per obſequioſas accommodataſque preces, multorum liberationem, qui in arce Ælia detinebantur, quinque ſolùm ibi relictis, tribus Eccleſiaſticis, nimirum Morono Cardinali, Epiſcopo Cauenſi, ob ſanctæ Inquiſitionis cauſas, & Otio[g], qui anteà Datarius plurimâ apud Pontificem auctoritate, in graues poſteà ſuſpiciones apud illum inciderat; & duobus primariis Proceribus, hoc eſt, Comite Peſiliani, & Iu-

[e] Acta Conſiſtorialia, 20. Septembris 1557.

[f] Litteræ Dandini Card ad Capitelerreum Card. 25. Septemb. 1557.

[g] Vita Pauli ſcripta à Panuino, & litteræ Farneſij Card. ad Equitem Tiburtium, 24. Auguſti 1557.

1557. & Iulio Roboreo. Vſque adeò vel inter anguſtias ac diſcrimina belli, à quo Princeps ſuorum ſubditorum ſubditus reddi ſolet, Pauli ſeueritas intrepida perſtiterat, nihil verita viros, gradu, virtute, amicitiis, affinitatibus præſtantes lædere.

CAPVT V.

Mandata Triuultio, & Caraffæ tradita: vtriuſque profectio, & res geſtæ.

a Inter Commentarios Burgheſiorum.

QVæ Triuultio mandabantur duo ſpectabant: [a] Vt Henrico 1
gratias ageret ob præſtita Pontifici beneficia, atque vt ad pacem ipſum cohortaretur. Ducebatur initium ab eo, quod ad vtrumque caput attinebat, Paulum videlicet memoriâ perpetuò retenturum promptam Regis voluntatem, Caraffæ Legato ſignificatam, componendæ pacis ex poſtulato arbitrioque Pontificis. Quoniám autem maleuolentium operâ Philippi Regis animus adeò fuerat abalienatus à Paulo, vt ipſum bello peteret; haud minus gratam à ſe memoriam ſeruatum iri ſubſidiorum, quæ à Rege Chriſtianiſſimo ipſe acceperat. Denique cùm Dei propitij ope tumultus hic ſubſediſſet, regredi Pontificem ad priora officia pacis inter vtrumque Principem ſtabiliendæ: ad quam vt Regem impelleret, in præſentia iiſdem ſtimulis vſus eſt, quos recenſuimus, data Rebibæ documenta narrantes. Nec Henricum ab eo remoueret vlla dubitatio, quò minùs ob caſus poſtremos pro ipſius dignitate pax conficeretur, cùm eius dignitas æquè ac propria Pontifici cordi foret. Hoc grati animi obſequium Deo redderet, à quo in tam præcelſo gradu fuerat collocatus, ac tam florenti prole circumſeptus: hoc exhiberet ſolatium Eccleſiæ, cuius Primogenitus erat; ac pro certo haberet, per nullam victoriam, nullumque triumphum, ſe tantum gloriæ tantamque bonorum, non cæleſtium modò ſed terreſtrium acceſſionem conſecuturum ab Omnipotente donorum largitore, qui Principatus diſpenſat, ac ſorti imperat.

Caraffæ quinque rerum capita præſcripta ſunt. Primum, Pax 2
communis, pro qua conficienda offerebat Paulus, ſuperato annorum pondere ſe Nicæam iturum, aut in alium locum, vtrique Regi opportunum, ibi de illa cum ipſis coràm acturum. Erat Paulus cupientiſſimus pacis, cùm ex ea ingens emolumentum ſperaret Chriſtianis populis, tum in re profana ob quietem, tum in ſacra ob Concilium; ſibi verò ſummam gloriam, ſummamque Philippi Regis beneuolentiam, quarum alteram obſcuratam cernebat, alteram exacer-

exacerbatam ob ea quæ contigerant. Secundum fuit, reuocatio earum ſanctionum, quæ in Hiſpania Eccleſiaſticam iuriſdictionem læſerant. Tertium, aduentus Poli Cardinalis, in quem acta iudiciaria conſcripta fuerant; quorum partem ſecum Caraffa detulit, Regi eiuſque miniſtris oſtenſurus, qui certi eſſent, in ea re iure agi, non ex animi commotione, pro eo ac maxima pars hominum exiſtimabat. Ac ſanè in hac ſiniſtra fama recenſenda verax eſt Suauis, quippe qui libenter adhæret opinioni, quempiam magnæ notæ Eccleſiaſticum tamquam inſontem defendenti, cùm ex ea crimen infertur in ſuperioris conditionis Eccleſiaſticum, oppoſitum omnino agens ac ipſe Polus egit[b]. Cùm enim hic viuidam apologiam ad ſui defenſionem dictaſſet, in qua multos aculeos interſeri opus fuerat in Pontificem ipſi moleſtiam inferentem, iuſſiſſetque eam graphicè exſcribi, delata illi eſt dum aſſideret ad ignem; quam tunc relegens pius Cardinalis, ardenti correptus ſtudio immolandæ exiſtimationis ſuæ in re tam acri, vt charitati ac reuerentiæ litaret, ſcriptum in flammas coniecit, illud fatus: ***Non deteges verenda patris tui.*** Neque ideò permiſit Deus, vt Poli nomen minùs candidum, minuſque glorioſum Eccleſiæ & poſteritati ſupeſſit. E contrario Suauis, perpetuo ſtudio infamandi ſummos Principes Eccleſiaſticos, eorum quidem famam apud multos ambiguam reddidit, ſed ſimul haud ambiguè ſeipſum infamauit.

1557.

b Vita Poli manuſcripta ſuprà citata.

3 Et ſanè tametſi tunc odium domi foriſque in Pontificem, communiſque in Polum beneuolentia, excitaſſet in hominibus ſuſpicionem quamdam de Paulo auerſi potiùs quàm pij ſtudioſique animi in ea cauſa; tamen qui vniuerſam eius vitam oculo ſincero perluſtrat, animum de illo adeò iniquum ſceleſtumque ſibi perſuadere non poteſt: cùm præſertim per eos annos ſacræ Inquiſitionis cauſæ tractarentur à Michaële Cardinali Ghiſlerio, qui poſteà Pius V. fuit, cuius ſanctiſſima integritas extra opinionum controuerſiam eſt; atque huic tam incorrupto viro eam breui auctoritatem in eo tribunali Paulus adiecit, quæ numquam alij conceſſa[c].

c Acta Conſiſtorialia, 8. Decembris 1558.

4 Neque acta conſcripta Polum tantummodò incuſabant; ſed, ſicut inſinuauimus, Moronum altiùs quàm ipſum petebant, & præter eos Ægidium Foſcararium Dominicanum, cui Mutinenſem Eccleſiam Moronus reſignauerat, & Thomam Sanfelicium, Epiſcopum Cauenſem, olim Pauli Tertij in Synodo Commiſſarium, quem narrauimus ob minus tuta opinamenta, in articulis Iuſtificationis ab eo prolata, paſſum fuiſſe contumelias, quaſi hæreticum ab alio Antiſtite habitum, quas impotenti iracundiâ vltus, tunc & munere

1557. munere priuatus eſt, & expulſus Concilio: hic per eos dies vnus erat ex quinque in arce detentis. Quare verum quidem eſt, Paulum IV. erga complures adeo ſpectabiles, religionis ſtudio parum moderato ſe geſſiſſe, formatis in eos publicis actis de crimine, in quo ad reum fœdandum titulus probationis expers ſatis eſt; non tamen animo hoſtili aut calumnioſo: cùm præſertim dictitatæ cauſæ Pontificij odij in Polum, ſi res geſtæ ritè expendantur, vim non habuerint pertrahendi ad vltionem adeò prauam ac peruerſam ne irreligioſi quidem hominis animum, nedum religioſiſſimi Pontificis.

Quarto loco iniungebatur Caraffæ, vt curaret aduentum Peti Romam, hoc nomine, quòd vellet Pontifex eius operâ vti in Concilio, morumque emendatione. Hîc autem obſeruatione dignum eſt, Petum in traditis à Pontifice documentis ſemper appellari ſimplici Patris nomine, non item Cardinalis. Vnde conficitur, Suauem deerraſſe, dum ſcribit, acceptam ab illo fuiſſe crucem & inſignia Legati, ſed ex animi demiſſione ab iis eumdem abſtinuiſſe, Polo remiſſis: at e conuerſo verum eſſe quod ab aliis ſcribitur [d], ne Cardinalis quidem dignitatem, nedum Legati fuiſſe ab illo ſuſceptam, propterea quòd Regina retinuerat diploma, quod vtramque illi ſimul deferebat: ſed optari à Pontifice, vt is Angliâ exiret, quò ſaltem perſonam Cardinalis aſſumeret. 5

[d] Hiſtoria Anglicana manuſcripta à Luca Wadingo, quæ refertur in Appendice Vghelli, in Vita Peti Card. apud Ciacconum.

His quatuor publicis negotiis haud ſibi temperauit Paulus, quin adderet quintum, priuatam vtilitatem promoturus; &, quod mihi ſtuporem incutit, poſtulatis tam amplis, tam fidentibus, perinde atque Caraffenſes regnum Philippo adepti fuiſſent, non adimere ſtuduiſſent. Idcircò non modò impoſuit Legato, vt nobilem aliquem principatum Duci Paliani à Rege poſceret, eumque libero dono concedendum, non ad rependendum Ducatum illum, vti pactiones ſonabant, quarum ſcientiam diſſimulabat: ſed cum deceſſiſſet è viuis Bona, Ioannis Galeatij Sfortiæ filia [e], & vidua Poloniæ Regina, adeoque deueniſſet in Regis poteſtatem Barienſis Ducatus, confeſtim miſit Pontifex ad Caraffam Leonardum Cardineum, cum mandatis ad eum, vt illum fratri donandum curaret per eamdem liberi doni conditionem, ſimulque inſignes ædes Neapoli Salernitano Principi iam proſcriptas. In quibus omnibus eum iuſſit ita ſe gerere, vt à petitionibus abſtineret; ſed ſimul daret operam, quò à Rege illa ſuâ ſponte ſibi offerrentur. Quod autem ad Palianum ſpectabat, niteretur Caraffa perſuadere Regi, opus eſſe, vt arce dirutâ (cui cuſtodiendæ grauis erat Paulo ſumptus medietas) oppidum penes Caraffam Ducem relinqueret, quo neque 6

[e] Totum conſtat ex mandatis, à Caraffa Card. traditis Epiſcopo Terracinæ, Romam miſſo, & ex reſponſo ad eumdem miſſo à Duce Paliani, & ex variis literis inter duos fratres, quæ ſunt in ſcripturis Burgheſiorum; de quibus infrà.

neque addictior neque obſequentior Regi poſſeſſor poſſet ibi collocari. 1557.

7 Cum huiuſmodi mandatis duo Legati profecti ſunt ad Idus Octobris [f]. Nec de Triuultij legatione multa ſuperſunt dicenda: Rex actis à Pontifice gratiis ſtudioſiſſimâ reuerentiâ reſpondens, veterem ſuam propenſionem ad concordiam confirmauit, modò Hiſpani ob recentem victoriam non ſuperbirent, nec ſe aut viribus aut animo abiectum putarent. Interim verò per ſeuera ſupplicia [g] plectebat Religionis nouatores, qui è Caluini ſemente cœperant in eo regno aliquantò vberius confidentiúſque pullulare.

8 Sed longè prolixior ſim oportet in iis exponendis quæ Caraffæ euenere. Is vt ad Aulam peruenit [h], prima vrbanitatis officia penè venerationem oſtentantia expertus eſt, quibus eo magis intumuit ventoſâ ſpe, quaſi hydropiſi, quâ ambitioſa eius ſitis ardebat. Percupiebat Rex ſiſtere turbidum illum humorem, & patruo dominantem; eaque propter vt hominem ſibi conciliaret, egreſſus obuiàm vſque ad Bruxellarum portam, latus illi dignius obtulit [i]. Et ſacro Epiphaniæ die cùm eumdem ad regium ſacellum inuitaſſet, Rex ipſe ad eius hoſpitium acceſſit, vt ſecum in templum adduceret, eoque manè ſecum habuit in menſa, per inuſitatum Hiſpanis Regibus honorificentiæ argumentum; & ſolemnibus ludis equeſtribus, aliiſque magnificis oblectamentis illi voluptatem ſimul ac decus exhibuit: nec deſiit per Atrebatenſem Epiſcopum eidem ſignificare immenſam animi ſui lætitiam, quòd fuiſſet cum Paulo reconciliatus, & tamquam paternæ beneuolentiæ pignus ipſius fratris filium ad ſe Legatum excepiſſet; quâ de re litteras quoque officioſiſſimas ad Paulum ſuâ manu ſcripſerat. Sed facta vt ad primam trutinam deuenere, eorum pondus colori haud reſpondit. Ad pacem quidem ſingulariter pronum animum Rex præ ſe tulit, commendauitque Pontificis ſtudium, quòd eâ ætate ad itineris incommoda ſe obtuliſſet. Quod ad ſe ſpectabat, nihil ſibi gratius proponi poſſe, quàm vt pergeret ſimul ad quietem Chriſtianæ gentis firmandam, ſimul ad inuiſendum venerandumque caput ac parentem Chriſtianæ Reipublicæ. Verùm id longi temporis negotium eſſe: nec poſſe ſibi ſatis perſuadere, quin Rex Galliæ, ſimulato pariter animo ad pacem procliui, eâ vtcretur morâ ad reficiendas ea recenti clade vires, & poſteà pacificationis loco bellum ſibi ferocius inferendum. De rebus nouis in Eccleſiaſticam iuriſdictionem per Hiſpaniam, ſcripturum ſe ad ſuos adminiſtros; & oportere nouum à Pontifice Nuntium eò mitti, quicum negotio proſpiceretur. De Polo

[f] Caraffa 14. Octobris, vt in Diario Magiſtri cærimoniarum.

[g] Spondanus anno 1557. num. 14.

[h] Solemniter eſt ingreſſus Bruxellas 13. Decembris, vt in Diario Magiſtri cærimoniarum.

[i] In eodem Diario, 13. Decembris 1558. & 6. Ianuarij 1559.

1558. lo cum Regina agendum; ad quam Legatus, probante Rege, fratrem miſit Marchionem Montiſbelli, qui ſuo nomine illam veneraretur, eique comitem addidit Hieronymum Nechiſolam Veronenſem, Teani Epiſcopum, è Dominicana familia[k], exercitum à Paulo in tribunali S. Inquiſitionis, qui Reginam de cauſa doceret. Quod ad Petum attinebat, pariter in Regina repoſuit; ſed adiecit, ob grauiſſimam illius ætatem in eius opera ſpem collocari non poſſe. Ac reipſa, tum quòd vmbræ in Pontifice contra ſinceram Poli fidem rareſcebant, tum quòd repugnantia in Regina offendebatur, ne auelleretur à ſe aut alter quo ad publica Religionis negotia, aut alter quo ad priuatæ conſcientiæ ſuæ regimen vtebatur, res lentè proceſſit, ac tandem ſopita eſt vſque ad obitum breuì ſubſecutum priùs Peti, deinde Poli. Quare in cunctis publicis negotiis ſteriles vniuerſaleſque reſponſiones Legatus retulit.

k De hoc Epiſcopo Magiſter cæremoniarum Legati, in Diario 1558. menſe Nouembri.

9 Supererat res priuata, in qua Caraffæ non licuit patrui mandata ſeruare. Etenim Cardineus Mediolano iter faciens, quò Albanus acceſſerat, ipſi cauſam itineris ſui patefecit, confiſus fore, vt is, quemadmodum poterat, ita vellet rei conficiendæ opem ferre. Quod non modò fuit in cauſa, vt re ab Albano ad regios miniſtros Bruxellas perſcriptà, & hoc ipſo ad Cardinalem perlato, exiſtimauerit hic ſe ad rem aperiendam cogi; ſed etiam vt idem Albanus, qui ſuis oculis nouerat, quàm malo de Rege meriti eſſent petitores, quantique pretij foret quod petebatur, miniſtros illos admonuerit, ne ſpem vllam facerent Caraffæ, niſi priùs ſe audirent, qui propediem Aulam aditurus erat. Quapropter prima ea de re reſponſa fuere, Albanum, vtpote de negotiis edoctum, eſſe expectandum.

10 De prioribus hiſce rerum tractationibus Caraffa certiorem diſtinctè reddidit Pontificem per Octauianum Reuertam, Epiſcopum Terracinæ, olim apud Heluetios Nuntium; qui ſtatim rediit, retulitque Legato[l], velle Paulum, vt is inſiſteret incepto ad Barium obtinendum, vnaq; retinendum Palianum. Intereà peruenit ad Aulam Albanus, & propoſito inter miniſtros Caraffæ poſtulato, cuncti omiſsâ deliberatione vehementer ſtomachati ſunt ob Caraffenſium temeritatem, dum tantum præmium non ob alia promerita, niſi ex tot illatis iniuriis, efflagitabant. Itaque quò pactionibus fieret ſatis per exhibitam iuſtam pro Paliano compenſationem intra ſex menſes, adeoque è manibus Carraffenſium oppidum extraheretur, pro eo ac firmiter in animo propoſuerant, obtulerunt Cardinali Principatum Roſſanenſem, adiectis annuis ſcutorum decem millibus. Is verò, qui diademata ſomniabat, indignabundo deſpe-

l Data ſunt mandata 5. Ian. 1558. & reſponſio Ducis Paliani eſt 18. eiuſdem menſis, apud Burghelios.

deſpectu quod oblatum fuerat reiecit: Regij viciſſim, quò legitimè comprobaretur, ſeruari à ſe initum contractum, cuius vi Palianum à Caraffenſibus omnino auferendum curabant, eumdem Principatum ſolemni ritu per ſcribam rurſus obtulere Legato, adſtantibus[m] Terracinæ ac Polæ Epiſcopis, & quibuſdam ex Regis adminiſtris. Reſpondit Cardinalis, Id non ad ſe, ſed ad fratrem ſpectare, proinde cum eo agendum. Quamobrem Hiſpani, quò ſibi ab omni detrimento cautum foret, effecere, vt ab Aſcanio Caracciolo, qui Romæ res Philippi curabat, idem exhiberetur Duci Paliani, qui tunc æger decumbebat, publico ſcribâ rem in tabulas referente, aſtantibuſque Rebiba & Vitellio Cardinalibus. Dux temporis ſpatium poſtulauit, vt Pontificis mentem intelligeret, ac poſteà reſponderet. Hæc porrò neceſſitas, quâ Paulus adductus eſt ad detegendam in ſe illius pactionis notitiam, per amariſſimum animi ſui ſenſum, argumentum præbuit Duci, vt affirmaret in ſua quadam epiſtola, eam pactionem ſuarum cladium originem fuiſſe. Quod perperàm intellectum à nonnullis, ſuaſit eiſdem, Pontificem ideò in fratris filios animaduertiſſe, quòd illi ſe nec aſſentiente nec conſcio ea pacta firmaſſent; ſed id tam abhorret à vero, quàm id perſpicuè oſtenſum eſt. 1558.

m Die poſtremo Februarij, inter Commentarios Burgheſiorum.

11 Acerbiſſimam intereà indignationem animi in Hiſpanos miniſtros oſtendebat Caraffa ob infauſtum ſuarum petitionum exitum; præſertim cùm adeſſent in Aula Marcus Antonius Columna, & Aſcanius Corneus, qui haud deſiſtebant omnem mouere lapidem aduerſus Legatum, quà ad iniurias vlciſcendas, quà ad illum adducendum, vt eos ſibi reconciliaret beneficio, adeòque obſtacula ſuis obiecta conſiliis amoueret. Caraffæ verò eò pungentiores accidebant repulſæ, quòd eas ſuorum æmulorum molimina exiſtimabat; de quorum abſolutione, patrui vetita & expreſſerat & iterauerat, cùm Terracinenſis Epiſcopi reditu[n], tum variis fratris litteris, ne quid ipſe fineret agitari: eos à Pontifice fuiſſe damnatos ob delicta nihil ad bellum ſpectantia: in communem Principum vtilitatem redundare illius conſuetudinis firmitatem, vt quilibet ſupremus Princeps ſuos in ſubditos liberum dominatum exerceat: præcipuè verò Marcum Antonium eſſe quaſi turbulentum ignem, à quo tutius caueri non poſſet quàm cùm procul arcetur, eique pabulum ſubtrahitur: conſideraret Rex, an ſibi placeret, ſi adigeretur à Pontifice impunitum ſuis in ditionibus dimittere ſubditum aliquem Columnæ parem, potentem ac ſeditioſum. Quare Legatus, cùm ipſius commoratio in ea Aula ſine vllo conceptæ ſpei fructu

n Inter monumenta Burgheſiorum.

1558. marceſceret, in Cœnobium procul ab ipſa ſeceſſit, animique amaritiem, profectionem adamantis, præ ſe tulit. Philippus non tam quid ille mereretur, quàm quid ſibi conduceret animo verſans, ad eum placandum maieſtatem aliquantulùm inclinauit; veritus, ne rediret ille nouum veluti flabellum, ad tumultus in ditiones ſuas Italicas excitandos. Quoſdam itaque ex præcipuis adminiſtris ad eum miſit, qui ſuauiſſimis verbis, amiciſque ſuaſionibus ipſum ad Aulam reuocarent. His ille aſſenſus, ad colloquium à Rege perbenignè admiſſus eſt, ſeipſum excuſante, ſi ea omnia non amplecteretur, in quæ animi ſui propenſione ferebatur; quoniam neceſſe habebat ſe accommodare ſententiis miniſtrorum, quos ſibi parens reliquerat, & ſine quorum ductu ac peritia nondum potuiſſet nouellâ adhuc manu habenas regere tam amplæ Monarchiæ: ſæpè illos inter ſe diſcrepare ob ſenſa contraria, & interdum ob animorum affectiones; ſibi verò damnum ex eorum æmulationibus tolerandum. Romam repeteret, vbi ſuis ipſe Oratoribus (qui vt locis propinquiores, ita rerum propoſitarum conditiones melius diſpiciebant) mandaturus erat, vt cum eo eiuſque fratre agerent, & ipſis gratificari ſtuderent. Eumdem ſupra reliqua cohortatus eſt, vt Marco Antonio Columnæ veniam impetraret: plurimas illi affinitates eſſe, plurimas clientelas; ineſſe plurimum & virtutis & animi; & quamdiu ſe ſpoliatum cerneret, nec ſibi nec aliis vnquam quieturum: tranquillitatis publicæ ratione quæcumque Principis opera cohoneſtari, adeoque cum dignitate peragi. Exemplum caperent ab ipſo Rege, qui ob eam cauſam, tametſi adeò viribus præpollens, pacem cum Pontifice inierat per conditiones adeò ſibi deteriores: prætereà reſpectum eiuſmodi Principis, qualis ipſe erat, qui conſenſerat, ne ad id ex obligatione Caraffenſes adigerentur, & nunc id ipſos rogabat, poteratque eiſdem hoc beneficium aliis ingentibus & priuatis & publicis remunerationibus rependere, ſatis fore, vt omnes hanc veniæ conceſſionem & tamquam magnanimam & tamquam prudentem collaudarent. Interim, vt oſtenderet Legato, quanti nominatim illum faceret inter reliquos Caraffenſis familiæ, duodecim ſcutorum millium penſionem ipſi largiebatur. Legatus partim dono delinitus, partim voluntatem potentiæ conformans, egit illi grates, & ad Pontificem rediit*.

* Diſceſſit 11 Martij per equos diſpoſitos, vt in Diario Magiſtri cærimoniarum.

Sed illi legatione ſuâ minimè ſatisfactum reperit; tum quia tranſgreſſus eſſet ipſius vetita, in rebus patrui nomine poſtulandis, adeoque ipſum expoſuiſſet dedecori inhoneſtæ repulſæ, quippe ſpectantem priuatam vtilitatem; tum quia rem eò redegerat, vt Regij per ſolem- 12

ſolemnes denuntiationes Pontificem extra diſſimulationem illam 1558.
traherent, quam ille retinendæ dignitatis gratiâ tam accuratè cuſtodierat, de pactionibus ad Palianum pertinentibus. Et quemadmodum diſſentiens Cardinalis ac fratris ingenium, & auctoritatis æmulatio, viſa fuerant multò plus quàm ſanguinis coniunctio valere; ita ſuſpicatus eſt Paulus, improſperum negotij euentum aut ab indiligentia, aut fortaſſe etiam à diligentia Legati fuiſſe profectum; cuius diuturnior abſentia, pro eo ac viris apud Principes gratioſis interdum accidit, effecerat, vt in animo patrui radices agerent huiuſmodi ſpinæ, quarum ſemen ibi nequaquam inoleuiſſet, ſi aſſiduâ illi præſentiâ ipſum excolere licuiſſet.

CAPVT VI.

Conuentus Ratiſponenſis. Colloquium inter catholicos & hæreticos. Auſtriæ populi Euchariſtiæ ſumptionem ſub vtraque ſpecie petentes. Nuntius Imperio remiſſus à Carolo V. in Comitiis Francofurti; & Pontificis difficultas in Ferdinando admittendo tamquam Cæſare.

1 DVm circa Romam bella pro ditione profana gerebantur, Germania pro rebus ſacris conflictabatur. [a] Habitis nouis Comitiis Ratiſponæ ad finem anni 1556. cùm vrgeri ſe cerneret Ferdinandus Rex ad decernendum pro Religionis concordia vnum ex quatuor modis iam memoratis, nec quempiam qui ſibi aſſiſteret ex adminiſtris Pontificiis haberet, vnà cum Principibus Eccleſiaſticis, vt minus ex malis, elegit colloquium; quandoquidem Oecumenica Synodus, ſicuti diximus, id temporis nec catholicis nec hæreticis probabatur, nec poterat abſque Pontifice ſtabiliri: & vbi Religionis articuli aut Concilio nationis, aut Comitiis committerentur, ſchiſmatis initium videbatur, cum iactura & diſcrimine grauiſſimo Religionis. Contrà verò animaduertebat Rex, poſſe in colloquio indicendo eas apponi conditiones, vt ſemper ſuſpenſa res, pendenſque à ſuperiore poteſtate perſiſteret. Itaque in receſſu habito 13. Martij anni 1557. decretum fuit huiuſmodi colloquium, Wormatiæ Auguſto proximo celebrandum, in quo duodeni vtrimque ſeligerentur. Rex verò in Decreto conditionem adiecit, à Suaui ſilentio prætermiſſam: *Vt hi conferrent haberentq́ conſilium de modo concordiæ, ac poſteà ad ſe referrent; qui decreturus erat quod opportunum foret de Religione.* Et quamquam hoc in Decreto

[a] Quod ſequitur in hoc capite, habetur ex narratione Dandini Nuntij ad Caraffam Card. de Germania, & ex Hiſtoria Norefij de Roma, iis exceptis, pro quibus alios citabimus.

 de

1558. de Pontifice mentio nulla fieret, prout par erat; tamen Regis Conſiliarij id excuſarunt apud hominem, qui à ſecretis erat Delfino Nuntio, ibi ab eo relictum, vt vtilem aliquam nauaret operam, tametſi nullam publicè perſonam gereret, aientes, id calamitati temporum condonandum, ſed rei ſanctionem Regi reſeruatam intelligi ſecundùm iuris formam, hoc eſt, ab auctoritate Pontificiâ dependentem.

Queſtus tamen eſt poſteà Delfinus de Eccleſiaſticis, quòd con- 2
ſenſiſſent: ſed ij reſponderunt, Ratos ſe Pontificem haud diſſentire; quippe qui permiſerat, vt Româ eò accederet Petrus Caniſius è Societate Ieſu, vnus ex electis pro parte Catholica. Quod permiſſum à Pontifice fuerat, non quia huiuſcemodi congreſſiones generatim non improbaret; ſed quia, poſito iam ineuitabili malo illius profani congreſſus, placebat Paulo, vt partem Catholicam docti fideleſque propugnatores tuerentur. Quin idem eò miſit Româ Doctorem, qui priuatim ibi degens, ſcientiam ſolertiamque impenderet ad Religionem immunem ab ictu ſeruandam; iniunctumque etiam illi fuit, vt eam rerum tractationem interdictam denuntiaret, [b] vtpote illicitam in negotio Fidei, niſi anteceſſerit voluntas Pontificis. Et ſanè feliciter res proceſſit: cùm enim deſtinatus à Rege congreſſui præſideret Iulius Flugius Nauburgenſis Antiſtes, & integerrimus Fidei Orthodoxæ cultor, primo loco propoſitum à Catholico fuit, eius fortaſſe conſilio [c], Vt cùm tot Cæſaris Comitiorum Edictis omnes ſectæ proſcriptæ fuiſſent, præter eas quæ veterem Religionem, & Confeſſionem Auguſtanam profiterentur, ante omnia vnanimes conuenirent in reliquis improbandis: cui rei quinque ex ſelectis ab hæreticis conſenſerunt, ſeptem repugnarunt, affirmantes, inauditas partes damnandas non eſſe.

[b] Tenor huius prohibitionis eſt in Archiuio Vaticano.

[c] Spondanus anno 1557. num.15. & 16.

Narrat Suauis, hanc datam à ſeptem illis reſponſionem, eo quòd 3
Catholicorum artem cognouerant, ſtudentium ipſos ab Heluetiis Zuinglianis ſeiungere. Ita planè. Sed expendamus, quænam ars eſſet laudabilis, quæ ſacrilega. Alteri augendæ factionis vtilitatem præferebant animi ſinceritati, in iis ſectis damnandis, quas ipſi Euangelio aduerſantes rebantur: alteri dabant operam ſeu debilitandis aduerſariorum viribus, fraude malâ accumulatis, ſeu detegendæ deceptis populis huic irreligioſæ nouatorum fictioni. Exitus fuit, quòd ortâ idcircò diſcordiâ inter ſelectos à Proteſtantibus, quinque illi ſeceſſere, poſteà ipſi Catholici: ac proinde congreſſus ſolutus eſt, idque minimum honoris plauſuſque peperit hæreticæ factioni; neque plus vtilitatis, quippe ſpe fruſtratâ illius ingentis incommodi,

modi, Religioni Catholicæ impendentis ex Decretis huiuſmodi conuentuum, quos legitima Eccleſiæ auctoritas neque cogeret neque regeret. Perſtitit tamen Proteſtantium ſectæ, etiam ex poſtremo Ratiſponenſi Decretò, facultas ipſi conceſſa in recentibus Comitiis vſque ad abſolutam concordiam. 1558.

4 Ex hac facultate, per auctoritatem nomenque Ferdinandi præſidentis firmata, in illum grauiter commotus fuerat Pontifex; nec ex eo minus, quòd idem in ſuis Auſtriæ ditionibus ſuperſederat Edictorum executione in laicos, qui ſub vtraque ſpecie Euchariſtiam ſumebant. Id excuſabat Ferdinandus; quòd ij populi, cùm eumdem vſum in Bohemia, aliiſque vicinis prouinciis cernerent, nouiſſentque, à Contareno Cardinali in Comitiis Ratiſponenſibus propenſionem animi patefactam, vt id à Pontifice concedendum curaret, atque à duobus Nuntiis, Bertano & Lippomano, delatam poſteà in Germaniam fuiſſe ad id auctoritatem, inflexibili planè voto in idem ferebantur, quippe in rem iure Diuino non prohibitam, & in qua vulgus inæſtimabilem cæleſtis opulentiæ theſaurum ineſſe cenſebat. Vnde conſpirauerant, ſe cuncta Ferdinando ſubſidia in Turcam negaturos, niſi is petitionibus indulſiſſet: à ſe tamen in tanta rerum indigentia nihil illis conceſſum, ſed ſolùm ſuorum Edictorum ſeueritatem fuiſſe ſuſpenſam. Hinc verò non abrogari pœnas, ſeu lege Eccleſiaſticâ ſeu Ciuili inflictas, in hominem ea opera agentem, ex quibus interior hæreſis argueretur; cuiuſmodi opus foret, adeò pertinaciter velle eum Calicis vſum aduerſus vetita Pontificia; quod indicabat Fidem vacillantem, aut de Chriſti præſentia ſub vtraque ſpecie, aut certè de Eccleſiæ poteſtate.

Ægrè quoque tulerat Pontifex, educatum à Ferdinando fuiſſe Maximilianum, eius maiorem natu filium, penè inter Lutheranos, à quibus ſepiebatur, & quorum Prædicantes liberè ſua in Aula permittebat; de quo Pontificem edocuerat Lippomanus Nuntius[d], dum per Germaniam, ſicuti dictum eſt, in Poloniam pergeret. Ad eam libertatem in educando filio, motus fuerat Ferdinandus ſtudio illi conciliandi non modò catholicos, ſed etiam hæreticos; quò Germani concorditer obſiſterent Caroli propoſito, de quo alibi locuti ſumus, vt Imperium poſt fratris obitum in Philippum Regem transferretur.

d Eſt in narratione Lippomani ad Paulum, 17. Aprilis 1556 inter ſcripturas Burgheſiorum.

5 Dùm itaque Pontifex tam ægrum ſuſpicionibuſque commotum animum gerebat in Ferdinandum ex cauſa Religionis, Carolus Cæſar abdicare ſe prorſus ab omni dominio voluit, & adhuc viuens fratri, quippe Romanorum Regi, Imperium reſignare; quod aliqui,

1558. qui, extruentes potiùs quàm agnoſcentes machinas in humanis operibus, quaſi technam interpretabantur, quâ ille ſtuderet per depoſitas iam reipsà Imperij curas, prænuntiatamque Cæſarei diadematis abdicationem, palàm facere Ferdinando ac Germanis, quàm neceſſaria foret ad Imperij conſeruationem, defenſionemque aduerſus Othomannum, in eadem dextera vtriuſque Sceptri coniunctio, quorum alterum, & potentiſſimum, ſibi hereditate obuenerat, alterum ex electione acceptum, maieſtate potiùs quàm robore validum deferebatur; adeoque ſperaret eâ ratione illos pertrahere ad eligendum Philippum. Sed in comperto fuit, id ſeriò, & non minandi gratiâ a Carolo prædictum. Etenim quamquam Ferdinandus, quò fratrem ab eo conſilio dimoueret, adhibuiſſet deprecationes priùs Ferdinandi Archiducis, ſui minoris filij, dein Maximiliani primigenæ, ipſi Carolo generi, perſtitit ille immobilis in propoſito: ad quod peragendum, multò anteà deſignauerat Guillelmum Naſſauium, Aurangium Principem, ad ſolemnem abdicationem Cæſarei tituli & inſignium habendam in Septemuirûm conuentu. Adeoque rei exitu haud expectato, ſeceſſit ad piè ſancteque viuendum, liber ab omni rerum fluxarum cura, in Cœnobium Hieronymianum in Hiſpania. Iam verò Ferdinandus Rex, prorogatis diu Comitiis ob ſpem fratris ſui precibus permouendi, inde eâ deſtitutus, adhibuit auctoritatem Septemuirorum, qui Francofurtum coacti Aurangij poſtulata vnanimes reiecerunt. Hic contrà, vt qui ad id ſolùm acceperat mandata, illis expoſuit, ſui non eſſe muneris quidquam referre Carolo, qui iam à rerum mortalium cura ſeceſſerat; ſed exequi abdicationem Imperij, eiuſque inſignia Septemuiris reddere, quæ reipſa detulerat. Hæc autem ſolemnis abdicatio peracta eſt die 24. Februarij, S. Mathiæ Apoſtolo ſacra, die & Carolo natalitiâ, & quâ fortunatiſſima quæque conſecutus fuerat, ac nominatim Coronam ipſam Imperatoriam manu Clementis Septimi Bonomæ acceperat. Tunc Septemuiri ſtatim Carolo ſuffecerunt Ferdinandum Regem, qui Imperatoris nomen aſſumpſit: & illicò ea de re certiorem fecit Pontificem per Martinum Guſmannum ad id legatum. Sed Paulus neque hunc excipiendum, neque Ferdinandum pro legitimo Cæſare agnoſcendum putauit, abſque detrimento Apoſtolicæ auctoritatis, Fideique Orthodoxæ periculo.

Pro detrimento adducebatur, Quòd cùm Imperatores Occidentis, eorumque Electores fuiſſent ab Apoſtolica Sede inſtituti, obtinuiſſentque Romani Pontifices antiquiſſimum ius, ne quis eâ poteretur Coronâ abſque ipſorum Pontificum confirmatione, videbatur 6

batur

batur neque Caroli abdicatio, adeoque neque Ferdinandi ſubrogatio, tamquam legitima eſſe comprobanda abſque interuentu Pontificiæ auctoritatis: fuiſſe quidem Ferdinandum aſſenſu Pontificio iam electum Romanorum Regem; ſed per huiuſmodi conditionem non effici, vt ille legitimus eſſet ſucceſſor, niſi quando Sedes Imperatoria morte Cæſaris vacaſſet: in quouis alio vacationis genere nouâ Pontificis comprobatione opus eſſe. 1558.

7 Periculum verò duplex conſiderabatur: Alterum, quòd conſentiretur, vt ex ſeptem Electoribus tres qui ab Eccleſia iam deſciuerant, ſuffragij ius retinerent ad creandum Cæſarem in Republica Chriſtiana: hi enim ſtuduiſſent in poſterum, vt is eligeretur, qui aut addictus foret, aut non infenſus illorum ſectæ. Alterum, quòd tunc Imperatoria poteſtas deueniret in Ferdinandum, qui ſuam auctoritatem impertierat tot Comitiorũ Decretis Religioni pernicioſis, maioremq; natu filium, à ſe Imperij ſucceſſioni deſtinatum, penè Lutheranorum lacte nutrierat. Itaque Guzmanno per viam ſignificandum curauit Pontifex, illum non poſſe per eos dies excipi à ſe tãquam Cæſareum Oratorem, cùm dediſſet negotiũ cœtui conflato ex ſeptem pręcipuis Cardinalibus, Auſtriaci nominis ſtudioſis, vt ea de re deliberarent.

8 Quare Guzmannus Romam haud ingreſſus, Tybur ſe contulit, quæ vrbs extra viam dimidio die inde diſtat. Illinc reuocatus eſt à Ferdinando, qui ſibi incomparabili ducebat dedecori eam Pontificis repulſam, niſi ab eodem quamprimùm Guzmannus exciperetur. Is itaque, ſeu verè ſeu ex arte laudabili procurandæ concordiæ, pietatem præ ſe tulit, cuius gratiâ Romam priuatus adiret ad ſacra loca veneranda, excipiendamque Pontificiam benedictionem; ſperans fortaſſe, pro eo ac ſuæ quiſque linguæ nimiùm confidit, ſuis perſuaſionibus Paulum conſenſurum. Sine vlla ſolemni pompa Romam acceſſit, exceptuſque eſt non tamquam Cæſaris Orator, neque publicè in Senatu Purpuratorum, ſed tamquam Ferdinandi Regis Nuntius, & priuato penè ritu in Aula, quæ *Aula Audientiæ* appellatur, coram aliquot Cardinalibus. Expoſuit Guzmannus ægrimoniam doloremque ſui Principis, quòd à Paulo vti Cæſar non agnoſceretur, æquitatemque cauſæ monſtrauit, quòd ille non comprobante ſolùm, ſed etiam adiuuante Pontifice Clemente Rex Romanorum renuntiatus fuiſſet. Proinde dixit, opus non eſſe Ferdinando aliâ electione, quò Imperio ſuccederet, quacumque formâ illud vacaret, nullâ vmquam ſuper eo habitâ diſtinctione de modo vacandi; atque vt vacaret, aliud non deſiderari, vbi ſponte à poſſeſſore abdicaretur. Indicauit præ-

1558. tereà, quàm gratum futurum foret ſpectaculum hoſtibus Catholicæ Religionis in Germania, ſi ſibi aduerſarentur inuicem duo illa poteſtatis faſtigia, quæ geminæ veluti columnæ erant omnium validiſſimæ ad Religionem ſuſtinendam, geminique ſcopuli, à quibus hæreſis naufragium ſibi maximè formidabat. Infatigabili Auſtriacorum ſtudio deberi, quòd quiſpiam in illis prouinciis ſupereſſet, qui Pontificem vt Eccleſiæ Principem veneraretur: quàm vehementer perturbatum iri animum Ferdinandi (cuius ingenio, pro more Principum, acerrima inerat honoris cura) ſi dignitatem Cæſaream impugnatam ſibi cerneret ab eo ſolùm, cuius Pontificiam dignitatem ipſe & Carolus frater tanto impendio, tantò diſcrimine, tanto multorum populorum magnorumque Dynaſtarum odio propugnauerant. Quale obuerſaretur exemplum reliquis Principibus, tum exteris tum Germanis, atque vniuerſo Chriſtianorum generi, ad ſuſtinendum Pontificem, à quo poſteà ipſi per obtentus adeò tenues non modò deſererentur, ſed oppugnarentur? Rationes haſce perpenderet Pontifex eximiæ pietatis ac prudentiæ ſuæ trutinâ; neque committeret, vt nimis religioſi ſtudij ſui fructus non alius colligeretur, niſi extremum Religionis exitium.

Contrà Pontifex ſe tueri, cauſatus ipſam rei grauitatem, quæ quò maiorem ad Principem, adeoque ad ſpectabiliorem pertinebat, eò maiorem conſilij maturitatem ex ipſa nouitate poſtulabat. Pro certo haberet, ſe, Patreſque ad id deſtinatos omni vſuros arbitrio vt Regi ſatisfieret; cui & honoris gratiâ, & quò rei ratio redderetur, Nuntium deſignauerat Boncompagnum, aliàs à nobis laudatum, qui fuit poſteà Gregorius XIII. eique per eam occaſionem [e] Eccleſiæ Veſtinæ Infulas dedit; quamquam deinde Paulus octauo poſt diſceſſum Guzmanni die, ad ampliorem honoris ſignificationem erga Ferdinandum, quæ ipſum deliniret, Legatum deſtinauit Rebibam [f], vſus opportunitate, quòd eumdem illum in Poloniam etiam mittebat, vt obſiſteret hæreſi in ea regione indies gliſcenti. 9

Niſus eſt Philippus Rex perſuadere Pontifici, vt Ferdinandi tamquam noui Cæſaris legationem exciperet, deſignato ad id Oratore Ioanne Figueroa, Mediolanum id temporis moderante, qui eâdem operâ obſequia verbis regis, ab Albano in pacificatione iam exhibita, confirmaret. Verùm Pontifex huiuſmodi Oratorem recuſauit; vtpote reum apud S. Inquiſitionis tribunal, quòd ignominioſè verberari iuſſiſſet eiuſdem gregarium miniſtrum, in odium ſui muneris ab eo exerciti. Quamobrem [g] commiſit in Senatu Alexandrino Cardinali, Inquiſitori ſupremo, vt cognitionem cauſæ aduerſus 10

[e] Litteræ Dandini Cardinalis ad Capiteferreum, 23. Iulij 1558.

[f] 20. Iulij, vt in Actis Conſiſtorialibus.

[g] Apparet ex litteris Dandini Card. ad Farneſium Cardin. 23. Nouembris 1558.

uerſus Figueroam formaret; & Paceco Cardinali, vt acceſſum ſuo nomine illi interdiceret, aliter ipſum in arce concluſum iri. Quocircà neceſſe fuit Figueroæ Caietam ſe recipere, perculſum huius repulſæ dolore, & paulò pòſt etiam extinctum[b]: quamuis enim Pontifex cuiuſdam Cardinalis deprecationibus mitigatus, illi tandem acceſſum indulſerit, rei nuntius haud tempori ad eum Oratorem peruenit. Rex verò Franciſcum Vergas illi ſuffecit, virum Pontifici acceptum, non tamen Oratoris titulo tunc illi impertito[i], quòd is honeſto quidem genere ex antiqua familia eſſet ortus, ſed non adeò conſpicua, quæ conditionem attingeret quæſitam ab Aula Hiſpanica ad Romanam legationem, quamuis Romæ tamquam Orator & honoraretur & vocaretur. 1558.

b Narratur à Pio V. in Diplomate ad Alburquerquum Mediolani Gubernatorem, 1. Octobris 1569.

i Litteræ Nuntij Hiſpaniæ ad Pium IV. 21. Maij 1560. apud Burgheſios.

11 In Ferdinandi cauſa reliqui omnes Pontificis Conſiliarij duriorem in ſententiam ibant, ſiue quòd in rebus ambiguis miniſtrorum ſententia ſolet Principis propenſionem ſubſequi, ſiue quòd Conſiliarij ſeligi ſolent à Principe, propenſionem gerentes ſibi concordem. Vnus Ioannes Gropperus diſcrepabat, qui poſt recuſatam magnanimà demiſſione animi Purpuram venerat Romam, accerſitus à Pontifice, vt eo in deſtinata morum emendatione vteretur, ibique in ſummâ doctrinæ prudentiæque exiſtimatione verſabatur, præſertim ſuper Germaniæ negotiis, in quibus nec eum quiſpiam experientiâ æquabat, nec poſt glorioſam repulſam humanæ vtilitatis ſuſpicio in eumdem cadebat. Auctor is erat, habitâ temporum ratione ſummam iuris ſeueritatem exquirendam non eſſe, cùm publicæ res non tam proſperè ſuccederent, vt liceret prudentiæ optimum ſeligere, ſed tolerabile. Sæpè non modò à patrefamilias, ſed etiam à cauto tutore portionem aliquam æris alieni remitti creditoribus; & ſæpè homini detrectanti parum quiddam pacificè largiri, multum violenter auferri. Erraſſe tum Carolum, tum Ferdinandum, debito aliquo ritu prætermiſſo: at nunc erratum ipſi faterentur, & Pontifex ob preces tantorum petitorum, quales erant Ferdinandus & Philippus, erratum benignè condonaret: ita fore, vt hinc nullam pateretur iacturam, quin confirmaretur Apoſtolicæ Sedis auctoritas; hinc error ipſe admiſſus prodeſſet, vt Pontifex eâ indulgentiâ haud parum promereretur apud eos Principes, quibus tam ingens inerat potentia gratiæ referendæ. Vt alius quàm Ferdinandus Cæſar crearetur, non ſolùm haud potis eſſe, ſed nec expetendum. Germanos Cæſarem Germanum omninò velle, idque vtilitatis gratiâ, tam propriæ ipſi Germaniæ, quàm communis Chriſtianæ Reipublicæ. Inter Germanos Principes alium non numerari, in

1558. in quo tanta Religionis firmitas coniungeretur cum tanta potentia & ob hereditarias ditiones, & ob conſanguinitatem cum Hiſpaniæ Rege. Quæ Ferdinandus hæreticis indulſerat, eſſe neceſſitati non voluntati imputanda; quod etiam Delfinus Nuntius affirmabat[k]. Iam verò vbi pro certo poneretur, Imperatoriam poteſtatem eſſe in eo Principe retinendam, velle Pontificem, vt Caroli abrogatio ac Ferdinandi ſuffectio tamquam irritæ diſertè pronuntiarentur, adeoque vt res integra recuderetur; idem eſſe, ac velle præteritæ negligentiæ mederi potione nimis amarâ, nimiamque nauſeam mouente palato delicatiſſimo Principum tam ſublimium. Poſſe iura Pontificis abſque huiuſmodi duorum Cæſarum dedecore illæſa perſiſtere. Ac prudentiæ quidem eſſe, in concordiæ negotio ita proprium honorem quærere, vt alterius partis dignitas non lædatur; aliter pacificationes aut non confici, aut ſi neceſſitas eas extorſerit, quàm ocyſſimè quaſi iniurias vindicari, adeoque in acerbiores diſcordias degenerare.

k In allatis documentis.

Neque tamen Gropperi conſilia, neque Philippi Regis ſuaſio 12 flectendæ Pauli ſeueritati ſatis fuere. Intereà diem obiit Carolus V. 21. Septembris anno & ætatis ſuæ & ſæculi 58. Poſtremus hic eius vitæ actus ſingularem profectò plauſum promeritus eſt in vniuerſo mortalium theatro. Ad ineundam mortis quaſi propinquæ viam ſe comparauit per biennij ſeceſſum, adeò ſemotus ab operibus, à colloquiis, ab affectionibus earum rerum, quæ tunc vniuerſam per Europam accidebant, perinde ac ſi natus educatuſque fuiſſet in oppoſita mundi plaga; ita vt vel ipſa nomina vrbium atque hominum noſtrarum regionum ignoraret, impendens cuncta horarum momenta, quæ neceſſaria corporis procuratio ſibi non exigebat, ad animum excolendum. Conſpicatus autem in poſtremo morbo mortem adſtantem, quàm generoſiſſimâ conſtantiâ, maximâque Chriſtianâ ſpe vitæ melioris eam excepit. Princeps, feliciſſimam gloriam aſſecutus; quippe qui Monarchiam conſtituit, Imperij amplitudine, Religionis cultu, Dynaſtarum manſuetudine, ſubditorum præſtantiâ nulli ſecundam, quæ vnquam in terris extiterit: eoque ſibi glorioſiorem, quòd nec populorum ſtragibus, nec oppreſſorum cladibus illam conſtruxit; ſed cùm ea pacificè ad ſe deueniſſet Diuino beneficio per legitimam ſucceſſionem, electionémve, non illam tamen otioſè poſſedit, quin potiùs gladium heroicâ ſemper virtute ad eam defendendam eduxit aduerſus ſummos Principes, eoſdemque præſtantiſſimos belli duces, quos longo ab hinc tempore humanum genus procreauerit. Quod ſi huiuſce felicitatis gloriæ nubem

nubem aliquam obduxit hæreſis, eo imperante excitata, hæc eadem 1558.
poſteà nubes tamquam Parelios effulſit; dum Caroli ſucceſſores
non modò ſuos & animos & ſubditos ab ea labe intactos ſeruarunt,
ſed in hoc ipſo opportunitatem nacti ſunt exercendæ virtutis bellicæ
citra ferociam, vario quidem fortunæ tenore, ſed ſemper laudabili
cauſæ pietate.

13 Delatis Romam eiuſce mortis nunciis, [l] actum eſt in Senatu de celebrandis in ſacello Pontificio iuſtis funebribus, quæ Cæſaribus perſolui ſolent. Pontifex verò huiuſmodi verbis Decretum edidit: *Nolens Pontifex, vt hoc Religionis officium prætermittatur ob rumorem aliquem, ſeu famam diffuſam de certa quadam abdicatione Imperij à Carolo habita, cuius tamen legitima notitia ad Pontificem non peruenit, ſtatuit, exequias ritu conſueto celebrandas eſſe; declarans tamen, nullum per eas afferri detrimentum Sanctitati ſuæ, Apoſtolicæ Sedi, ſuæq́ue auctoritati ac iuriſdictioni, nec ius vllum cuicumque alteri acquiri.* Quo autem die itum eſt in ſacellum ad rem peragendam, & ſolemne ſacrificium à Paceco Cardinali decantatum; Pontifex dum pergeret, in coactò Purpuratorum cœtu dixit: *Imperium Caroli morte, non eiuſdem abdicatione vacaſſe; cùm ea non in manu Pontificis, vti ius poſtulabat, ſed Septemuirûm fuiſſet peracta.*

[l] 12. Decembris, ex Actis Conſiſtorialibus.

14 Ex quibus verbis, præter vniuerſam illius negotij ſeriem, palàm fit, falsò dictum à Suaui, Paulum arrogaſſe ſibi poteſtatem creandi Cæſarem quemcumque voluiſſet; quandoquidem vacabat Imperium non ex obitu poſſeſſoris, in quo ſolo euentu Septemuiris tributa eſt ab Apoſtolica Sede poteſtas ſucceſſoris eligendi, ſed ex illius ceſſione, in quo vacationis genere nullum Septemuiris ius datum eſt. Etenim Pontifex omnino contrarium & intendit & enuntiauit in memorata declaratione, hoc eſt, abdicationem non fuiſſe legitimam, vtpote in manu Pontificis non peractam, adeoque Imperium nonniſi Carolo defuncto vacaſſe. Huic mendacio alterum, quamquam leuius, erratum adnectit Suauis; nimirum, dixiſſe Guzmanno Pontificem, velle ſe Nuntium ad Carolum mittere. Sed ipſa Delfini narratio ad Caraffam Cardinalem diſertè affirmat, Nuntium Ferdinando, non Carolo fuiſſe deſtinatum [m]. Et paucis poſt colloquium cum Guzmanno diebus, loco Nuntij, ad Ferdinandum Legatum Paulus deſignauit. Et verò id rerum ſtatus poſtulabat, cùm controuerſia cum Ferdinando agitaretur, non cum Carolo, qui ne admittebat quidem ampliùs huiuſmodi officia legationum, & in ciuilibus mortalium negotiis ſecum agi volebat, perinde ac ſi inter mortales non degeret. Præter hæc non tenue eiuſ-

[m] Apparet quoque ex memorata Dandini Card. epiſtola.

1558. dem ſcriptoris vitium eſt, in iis enarrandis exceptionem omittere, quam opponebat Pontifex ſucceſſioni Ferdinandi, quòd is Maximilianum educaſſet inter Lutheranos, adeoque in diſcrimen adduxiſſet Imperium decidendi in Cæſarem eâ labe contaminatum; tametſi ea res tanti momenti, hiſtorici ſilentio non eſſet ſupprimenda; & res adeò arcana non eſſet, vt ignorationem vel excuſabilem vel credibilem redderet; quin vnum ex capitibus fuit, quæ Pontifex memorato Cardinalium cœtui diſerre propoſuit. At forſitan ex ſententia Suauis id laudi, non culpæ Ferdinando vertendum erat.

CAPVT VII.

Pauli conſanguinei ab eo pulſi.

1559. AD id vſque temporis vim omnem in extraneos exercuerat 1
ſeueritas Pauli, tantumdem beneuolentiæ in ſuos impendentis. Verùm ineunte anno 1559. eodemque octogeſimoquarto, ac poſtremo ætatis ſuæ, patuit, nullum amoris aſtum poſſe continuatam licentiam à ſeuerioris animi Principe tutam reddere. Initium habuere Caraffenſium clades (vt plerumque omnium ſummè apud Principes gratioſorum) ab eorum accuſationibus, qui neque Principe, neque gratioſis apud Principem indigent; adeoque ſi quid moleſtiæ ab ipſis ferunt, in hunc ſimul & in illos iram euomunt, apud alterum alteros criminantes, ſecuri, ſin minus feriendi, ſaltem retorti in ſe teli neutiquam excipiendi. Qui prior hac vteretur libertate, Guiſius fuit; cuius ad aures appulerant parum honorifica Pauli dicta de iis quæ ipſe egiſſet erga Sedem Apoſtolicam, erga Regem, & erga ſui nominis exiſtimationem in obſidione Ciuitellæ. Hinc ille offenſionis impatiens, quò aut ipſum Pontificem ſine aperto reuerentiæ deſpectu vlciſceretur, & tamen vbi acerrimus ſenſus erat, illum configeret, aut iniuriam retorqueret in eos quos ſui calumniatores apud Pontificem credidit, cum ab eo digrederetur, nihil efficacitati linguæ pepercit, vt culpam omnem in Pauli conſanguineos regereret. Vnde domum reuerſus hæc Petro Strozzio dixit: *Adeat iam quicumque Pontificem: iam effeci vt rem planè cerneret ac palparet; nimirum, à fratris filiis proditam Sedem Apoſtolicam fuiſſe; aduerſus Regem ingratius actum, me quoque læſum; quorum cauſâ caput decuſq; periculis obiectaui.* Et Guiſius quidem paulò pòſt in Gallia virtute bellicâ comprobauit, rem in Italia infeliciter geſtam ſibi vitio haud tribuendam, potitus Caleſio, ad id vſque temporis à Britannis

tannis poſſeſſo, quorum Reges dicere conſueuerant, In illius arcis dominatu ſuſpenſas cingulo Galliæ claues à ſe geſtari. Atque huiuſce iacturæ triſtis nuntius ad Philippum Bruxellas peruenerat eo planè die, quo in Epiphaniæ Domini ſolemni lætitia feſtis ille ſpectaculis cum Caraffa indulgebat [a]. 1559.

[a] Diarium Magiſtri cæremoniarum, 6 Ianuarij 1559.

2 Sed Romam repetamus. Malignum illud ſemen, Guiſij iactum ſermonibus, ſi non tam citò germinauit, non tamen in animo Pontificis vmquam aruit, eique non auerſionem quidem erga fratris filios, ſed ſuſpicionem intulit. Subſecutæ ſunt Hiſpanorum querimoniæ. Cùm enim Philippus animaduerteret, nullum à ſe fructum colligi ex feruidis deprecationibus, quibus apud Caraffam Cardinalem inſtiterat, vt Marcus Antonius Columna abſolueretur, cuius patrocinio ipſe defuiſſe in pace cum Pontifice ineunda ſibi videbatur; Paulum verò in cauſa Ferdinandi, nullâ habitâ ratione ſuarum efficacium litterarum officiorumque, quæ per Oratorem ſuum adhibuerat, adeò obduruiſſe, in ſuſpicionem venit, à Caraffa Cardinali, quem patrui ſui arbitrum exiſtimabat, animum geri ipſius voto ſceptroque prorſus aduerſum. Quapropter per Oratorem ſuum, ac Pacecum, Caraffæ auctoritatem apud patruum eleuandam curauit. Contigit autem, vt die 5. Ianuarij anno 1559. cùm quereretur Paulus apud Cardinales S. Inquiſitionis, coram ſe coactos, quòd ipſorum nemo ad ſe retuliſſet neſcio quid improbi exempli, ante quatuor dies à Montano Cardinali commiſſum, quod vel abrogatione Purpuræ punire minabatur, eam noxam Pacecus leniter extenuauerit & excuſauerit, quippe non tantum ſupplicij commeritam. Sed Pontifex Religionis æſtu ſuccenſus, has in voces exclamans prorupit, pro eo ac interdum ſolebat: *Reformatio, reformatio.* Tunc Pacecus ſubiecit: *Sanctiſſime Pater, oportet reformationem à nobis inchoare.* Satis intellexit Pontifex, quid ſibi vellet ea vox, *à nobis*, haud oblitus eorum, quæ per liberam veritatem ipſi expoſuerat in Senatu, ſicuti narrauimus, idem Pacecus, & cum eo Cardinalis S. Iacobi, cùm actum fuit de promouendo ad Epiſcopatum Caraffa. Ex eo etiam plus fidei huic tacitæ admonitioni tribuit, quòd eumdem Caraffam haud multò priùs ægrotantem inuiſens Paulus, homines quoſdam apud illum reperit, quos omnis corruptelæ laſciuiæque inſtrumenta cenſebat.

3 Parieti iam vacillanti poſtremum impetum incuſſit Bongiannus Gianfigliacius, Coſmi Ducis Orator. Peſſimè hic excipiebatur à Caraffa Cardinali, imbuto Petri Strozzij ſenſibus, propenſoque planè animo in exules Florentinos, quorum multi eius aulici erant, præter

1559. præter Aldobrandinum, præcipuum Pauli adminiſtrum [b], quibus nihil aliud in ſinu & ore verſabatur, niſi priſtina libertas Etruriæ. Hæc porrò animi propenſio ex eo etiam aucta fuerat in Caraffa, quòd Florentinus in proximo bello Hiſpanis adhæſerat, quamuis Pontifex ipſum ad Gallos alliceret: quæ illicia Coſmo profuerant, vt à Philippo Rege obtinuerit, etiam competitoribus Caraffenſibus, Senenſem Principatum. Idcircò Caraffa Cardinalis, indocilis, aut dedignans hanc ſuam intimam offenſionem animi diſſimulare, importunâ quadam agendi ratione cum Ducis Oratore continenter vtebatur. Vnde accidit, vt cùm paucis antè diebus Bongiannus fuiſſet per contemptum excluſus, pudore atque irâ ferueſcens, deſtinato ſibi die Pontificem adierit: ibi in Cardinalem eiuſque fratres euomuit quidquid ipſi ſuggeſſit & diuturna Aulæ peritia, & acuta animi perciti eloquentia. Pontifex itaque, non ampliùs in dubitationem ea reuocans, quæ ſibi per tot grauiſſima argumenta, totque luculenta teſtimonia innotuerant, cœpit ſeueritatem diſtringere, acceſſu ad ſe Cardinalis prohibito. Hic verò, cùm vel maximè amicos ſibi conquirere opus erat, animi ſui perſuaſionem impotentiùs aperuit, quâ inflictum ſibi vulnus putabat à Vitellio Cardinali, aliiſque Pontificis familiaribus, adeoque illos adegit ad exercendam inimicitiam in eum, à quo ſe intelligebant pro inimicis haberi, & tamquam cum inimicis ab eodem, ſi reſurgeret, actum iri. Cùm ergo infenſorum numerus in Aula creſceret, auctâ in ipſis profligandi ſpe, adeoque diminuto corruendi metu, cœperunt eâ vti fiduciâ, quam initio nonniſi exteri, & nullo Caraffenſibus nexi vinculo exercebant. Cumque anteà ſibi quiſque caueret, tamquam à graui Pontificis offenſione, ne quid apud eum in fratris filios obloqueretur, tunc in idipſum, veluti in commotæ in eo bilis illecebra, conſpirabant. Atque ita fluctuatum eſt vſque ad diem 27. Ianuarij, dicatum S. Ioanni Chryſoſtomo, quem ſingulari pietate Paulus colebat.

[b] Narratio Nauageri.

Eo die Senatum habuit, ad quem accerſiuit Saluatorem Pacinum Epiſcopum Chiſinum, Romæ gubernatorem, Datarium, Boncompagnum Apoſtolicæ Cameræ vices gerentem, Petrum Ioannem Aleotum Foroliuienſem Antiſtitem, Aloyſium Lippomanum, ad Eccleſiam Bergomenſem anteà tranſlatum [c], & ſibi à ſecretis, cum duobus aliis, qui ſibi pariter à ſecretis erant, Floribello & Berengo, ac præter eos Pallanterum Fiſci Procuratorem, & Camillum Vrſinum à Nomento, ex Romanis Proceribus, qui eius fratris filiam vxorem duxerat, eique in bello præterito militauerat, & cui plurimum 4

[c] 20. Iulij 1558. ex Actis Conſiſtorialibus.

mum

mum fidebat. Coram his omnibus longâ oratione, lacrymis reſperſâ, male actam iuuenum vitam deteſtatus eſt, multas eorum noxas detexit, & huiuſmodi Decretum pronuntiauit, quod à tribus, qui ſibi erant à ſecretis, Lippomano, Floribello & Berengo, conſcribi, & à Gubernatore, Cameræque vicem gerente indici iuſſit, reliquis, quos nominauimus, pro teſtibus adhibitis. In Decreto, fratris filios iubebat Româ ſecedere cum ſuis cunctis familiis intra duodecim dies, Cardinale in Lauinium relegato, & Paliani Duce in Galleſium, oppidum prope Romam, tunc ab eodem poſſeſſum, & Marchione Montiſbelli in ſuam ditionem in Æmilia, ſingulis vetitis ne inde diſcederent, adſcriptâ perduellionis pœnâ. Prætereà cunctis magiſtratibus ac muneribus, ſeu militaribus ſeu ciuilibus, illos priuauit; conſtituto eâdem die ſummo armorum Eccleſiaſticorum Præfecto memorato Camillo Vrſino [d]: atque in Decreto cauſæ diſtinctè apponebantur. Cardinalibus quoque & cuiuis alij interdixit, ne vmquam ſecum agerent de indulgenda ipſis venia, pœnaque remittenda. Et quoniam Cardinalis S. Angeli, vir quàm alienus ab huiuſmodi criminibus per ſe patrandis, tam lenis ad ea in aliis commiſeranda, aggreſſus eſt aliquid proferre, Caraffam Cardinalem excuſaturus, Pontifex per inurbanam acerbitatem illum carpens, *Si Paulus III.* inquit, *hæc præbuiſſet exempla, tuus parens à Placentino populo haud fuiſſet raptatus.* 1559.

d Diarium Magiſtri cærimoniarum, 27 Ianuarij 1559. & proximis diebus.

5 Retinuit apud ſe Pontifex è ſuis Alfonſum Cardinalem Caraffam, qui Neapolitanus Cardinalis, ab illius Vrbis Eccleſia quam adminiſtrabat, appellabatur, filium Marchionis Montiſbelli, in exilium pulſi. Hic Alfonſus, vt alibi indicauimus, decimum octauum ætatis annum haud prætergreſſus, nihil tamen habebat iuuenile præter ætatem & vultum. Quare cùm illum paulò antè nouo titulo Regentem, vt aiunt, Cameræ creaſſet [e], non ampliſſimas modò ad id muneris exercendum facultates illi conceſſit, ſed in eo ſupremum honorem, fiduciamque regiminis collocauit; ita tamen, vt à viris doctrinâ peritiâque præſtantibus res publicæ adminiſtrarentur: cuius rei gratiâ tribunal conſtituit, à quo narrant originem traxiſſe tribunal, quod nunc Romæ *à Conſultatione* nuncupatur, vbi commune regimen vniuerſæ ditionis Eccleſiaſticæ exercetur.

e In Senatu 6. Martij, vt in Actis Conſiſtor.

6 Conflabatur hoc tribunal è Scoto Cardinali, ad Tranentem Sedem prouecto [f], ex Roſario, à quo, Pontificis Vicario conſtituto, cœpit munus illud in Purpuratos deferri, ex Conſiliario Cardinali, & Camillo Vrſino; quibus ampliſſima tributa poteſtas eſt in Ec-

f 18. Nouemb. 1558. in Actis Conſiſtor.

1559. cleſiæ ſubditos, tum in iis quæ ad ius pertinent, tum in iis quæ per beneficentiam indulgentur. In Diplomate quo eos delegauit Pontifex, adiecit, vt in cauſis, quas ipſi maioris indigentes conſilij arbitrarentur, ſententias rogarent Pacinum Romæ Gubernatorem, Boncompagnum Cameræ vices tenentem, & Lippomanum ſibi à ſecretis. Voluit vt Maſſarellus vniuerſo cœtui a ſecretis eſſet, paulò antè Teleſiæ Antiſtes renuntiatus; eiuſdem verò cœtus Auditorem nominauit Octauium Ferrum Maceratenſem. Hunc cœtum diebus ſingulis cogi iuſſit, litteraſque ſuo nomine datas, à Tranenſi Cardinali, quippe digniſſimo, ſubſcribi. Cùm autem paulò poſt Camillus Vrſinus & Roſarius Cardinalis obiiſſent [g], alteri ſuffectus eſt Ioannes Antonius Vrſinus à Grauina, alteri Reomanus Cardinalis Gallus. Per hæc ita conſtituta, ac per ſummum ſtudium integritatemque Alfonſi Cardinalis, qui cunctis proſpiciebat, cunctaque partiebatur negotia, ſed per ſe nihil peragebat, effectum eſt, vt nil diſſonum eruperit ex ea perturbatione trium ſuperiorum orbium ſub primo mobili tam viribus debilitato, cuiuſmodi erat Pontifex ſenectute prægrauatus.

[g] 3.& 23.Aprilis, ex Diario Magiſtri cærimoniarum.

Haſce res geſtas dum Suauis enarrat, ita differit: Paulum, vbi animaduertit, in anteacto bello iacturam à ſe factam illius exiſtimationis,quâ ſibi perſuaſerat, terrorem vniuerſis mortalibus à ſe incuſſum iri, credidiſſe, eam ſe recuperaturum per facinus fermè heroicum, fratris filiis eiectis. Mira ratiocinatio! perinde quaſi abiectio atque infamia trium illorum capitum (quibus nihil charius Pauli animo obuerſabatur, quæque eius tamquam brachia, columnæ, ſpes ac deliciæ planè erant) opificium quoddam fuiſſet lento igne artis politicæ elaborandum, non flammâ vehementi ſeu conſcientiæ ſeu iracundiæ conflandum. Sed alius huius ſcriptoris error, ſupra quem varia poſteà commenta conſtruit, tolerandus omnino non eſt. Affirmat, ſpoliatos fuiſſe muneribus à Paulo conſanguineos in Senatu 26. Ianuarij anni 1558. addens, Pontificem, conſtituto cœtu quem diximus, adeoque liberum adminiſtrationis curis, ad S. Inquiſitionem animum adieciſſe; ſed ex alia re, hoc eſt, ex data Oratori Ferdinandi repulſa, patuiſſe, elationem animi neutiquam ab eo depoſitam. Et tamen ex legitimis teſtimoniis, quæ produximus, palàm fit, conſanguineorum expulſionem non priùs quàm 27. Ianuarij anno 1559. contigiſſe, & memoratam repulſam legationis Ferdinandi, & poſteà mortem Caroli, & quidquid in hoc negotio narratum eſt, præceſſiſſe iam anno 1558. Enimuerò huiuſmodi ſcriptoris fabellæ, hiſtoriæ ſibi nomen arrogent? 7

Hæc

8 Hæc ingens rerum mutatio ſpem fecit melioris conditionis iis omnibus, qui aduerſo erant animo in conſanguineos Pauli; præſertim verò ad ipſum confugêre vrbium Eccleſiæ ſubiectarum Procuratores, nimia onera expoſtulantes. Paulus ex iis oneribus partim ſuſtulit, partim minuit, omnem inuidiam in fratris filios refundens; affirmanſque, fuiſſe illa impoſita ſe nec volente nec conſcio. In eamdem ſententiam locutus eſt ad Populi Romani Conſeruatores & Adminiſtros, qui pariter immenſam querelarum congeriem ei detulerunt. Pronuntiauit Pontifex, quidquid illi dolebant, accidiſſe ſceleſtorum illorum culpâ, qui ſe ita concluſerant, vt nihil niſi quod illi vellent ſibi innoteſceret; atque idcircò publicam audientiam, à ſe inſtitutam ſingulis menſibus, præpedierant. Sperare ſe, eos à ſucceſſore punitum iri, non ſolùm exilio non remiſſo, ſed in longinquiores regiones protracto. Quod præſagium adeò verum fuit, vt eos Pauli ſucceſſor extra omnes terras eiecerit. 1559.

CAPVT VIII.

Anglicæ Reginæ & Poli obitus. Eliſabethæ ſucceſſio, & Religionis in Anglia mutatio. Pax Cameracenſis inter duos Reges.

1 DVm Pontifex domeſticis tumultibus vexabatur, non minorum turbarum impetum excipiebat ab exteris, tum bono publico nocentioribus, tum ineptioribus ad capeſſenda remedia ab ipſius poteſtate. Lenta hydropiſis in Anglia Reginam conſumpſerat; & tumor ille, principio quaſi fœcunditatis, non ægrotationis indicium, gratulationis non curationis argumentum videbatur; nec priùs eſſe morbum, quàm eſſe inſanabilem, patuit. Deceſſit è viuis 15. Nouembris 1558. [a] (in quo more ſuo labitur Suauis) & poſt ſexdecim horas Polus Cardinalis pariter extinctus eſt; atque ita eodem die ſublati ſunt Angliæ duo illi cardines Catholicæ Religionis, quorum alter potentiâ, alter ſapientiâ, vterque pietatis ſtudio eam ſuſtentabant. Appulit Romam rei nuntius 22. Decembris[b], quo planè die funebres honores fuerant Carolo V. celebrati à Pontifice, quem non modica inceſſit ſollicitudo de illius regni ſalute, adhuc infirmis viribus, & valetudine non ſatis curatâ.

[a] Vita Poli, & Spondanus an. 1558.

[b] Diarium Magiſtri cæremoniarum.

2 Duæ feminæ ad regni ſucceſſionem aſpirabant; Eliſabetha, minor Mariæ ſoror, quæ à Regina ad id vſque temporis habita fuerat in cuſtodia, quæque ex humano metu Religionem Catholicam ſimulauerat, ſed tam tenui velamine, vt perſpicaciorum oculis obtecta hæreſis tranſluceret; & Maria Scotiæ Regina[c] paulò antè

[c] Spondanus anno 1558. num. 5. & 1559. num. 5. & Belcarius lib. 28.

1559. antè deſponſata Franciſco, Galliæ Delfino, cui, vt alibi oſtenſum eſt, auunculus magnus fuerat Henricus Octauus, eique proxima conſanguinea ex regia Britanniæ ſtirpe, exceptâ Eliſabethâ, cui natalium vitium opponebatur. Sed Angli permoti quà maiori propinquitate, quæ magis ſub ſenſum cadebat, quà Henrici teſtamento, ex Ordinum conceſſione confecto, quà etiam natiuo in Scotos & Gallos odio, confeſtim euexerunt ad Solium Eliſabetham; tametſi Maria pariter Anglicanæ Reginæ titulum ſibi aſſumpſiſſet, ſuumque ius perſequi conaretur. Eliſabetha ab Epiſcopo Catholico conſecrari voluit, & intenta amouendis vndique obſtaculis, ſcripſit ad Oratorem demortuæ ſororis Romam, vt de ſua ad regnum aſſumptione Pontificem edoceret, eique ſimul ſignificaret, nemini à ſe Religionis causâ violentiam illatum iri. Pontifex graui ſupercilio reſpondit, negauitque poſſe ſibi probari aſſumptionem Eliſabethæ, quippe nothæ, & quòd ipſa fuiſſet aſſumpta abſque Apoſtolicæ Sedis auctoritate: verumtamen vbi cauſam ſibi commiſiſſent, ſe illi indulturum quidquid ſibi per ius liceret.

Huic Pauli duritiæ imputant multi ſcriptores, quos ſequitur Suauis, quòd Eliſabetha diſſimulationem ſuam profitendæ hæreſis abiiceret, adeoque illius regni iacturam. Ex aduerſo ſapienter conſiderat Spondanus, dubitari quidem poſſe, rigidum imperioſumque Pauli modum auctoritate nimiâ, verborumque magnificentiâ peccaſſe; ſed in re ſtatuenda, vnde opus ipſum pendebat, Pontifici aliter ſe gerere haud licuiſſe. In primis id ab eo ius poſtulabat. Etenim Henricus Rex Paulum iam anteà pro iure Mariæ adminiſtrando compellauerat, quæ reuerà heres legitima fuerat, poſitâ Clementis VII. ſententiâ aduerſus Bolenæ nuptias, quas etiam irritas Anglorum Ordines Mariâ regnante declarauerant. Prætereà ſatis patebat, eam officiorum ſuauitatem ab Eliſabetha fuiſſe adhibitam quaſi ſoporiferam potionem, ad Pontificem tantiſper hebetandum, dum ipſa ſuam ſibi potentiam confirmaſſet; poſteà verò fidentius eâ ſe laruâ ſpoliatam iri, quâ ipſam conuelauerat metus imperantis ſororis, quamque in præſentia deponi vetabat ambitio inter incerta noui Principatus primordia; cùm ceteroqui conſtaret, in Eliſabetha fuiſſe deprehenſum ſub Eduardo Rege animum fauentem hæreſi; in quam etiam & ſuus & matris honor ipſam trahebat, cùm ex doctrina Catholica probrum exiſteret, alteri ceu nothæ, alteri ceu meretricis. Quapropter tum æquitas, tum dignitas, tum prudentia commonebant, vt feſtinanter obſiſteretur Eliſabethæ, nec foueretur anguis adhuc frigeſcens, ſuppeditatis illi viribus ad mordendum, 3

pari

pari poſteà manaturo ex ignauia damno atque dedecore. Iam verò 1559. de ſingulari nouæ Reginæ prudentia, quam Suauis concelebrat, collaudato conſilio modoque hæreſeos reſtituendæ; ſi hoc intelligit de tyrannica quadam prudentia, quæ in priuatam tantummodò dominantis vtilitatem intendit, nolo equidem diſputare, quamquam fortaſſe in eo etiam fortunæ magis ope quàm ſolertiæ vſa fuerit; ſin autem de prudentia politica loquitur, quæ populorum quietem felicitatemque huiuſce vitæ reſpiciat, in comperto nunc eſt, cuiuſmodi ea fuerit prudentia, ex præſenti illius regni ſtatu.

4 Hoc vulnus Chriſtianæ Reipublicæ aliquo modo compenſauit alterius vulneris conglutinatio, ex quo etiam tum plurimi ſanguinis eluuies exundauerat; cùm 3. Aprilis pax inter Philippum & Henricum Cameraci fuerit tandem compoſita. Philippi exercitus, duce Lamuralio Egmontio, nouâ ac memorabili clade Gallorum exercitum, cui Termeſius præerat, prope Grauelingam in Belgio profligarat: hinc verò breuî effectum, vt Anneus Momoranſius, regni Comeſtabilis, apud Hiſpanos captiuus cum vniuerſo Gallicæ nobilitatis flore, ſequeſtrum agens, propoſuerit confeceritque concordiam. In ea conuentum eſt, vt quæ aliquot antè annis fuerant ablata, viciſſim redderentur tum partibus, tum Principibus partes ſequentibus: vnde contigit, vt [d] cùm Hiſpani tria ſolùm oppida Gallis reſtituiſſent, hi partim in Belgio, partim in Sabaudia, in Pedemôntio, in Monteferrato, in Corſica, in Etruria, aliiſque locis, reddiderint Hiſpanis centum nonaginta octo munitas arces, præter minora oppida; quæ omnia, ſubductâ ratione, tertiam Galliæ partem æquabant: maxima tamen eorum pars non quidem in Hiſpanorum, ſed in Principum ipſis fœderatorum poteſtatem deuenit. Ad arctiorem nexum duo ibi matrimonia decreta; alterum inter Iſabellam, Henrici Regis filiam, & Philippum; alterum inter Margaritam, eiuſdem Henrici filiam, & Philibertum Emanuelem, Sabaudiæ Ducem. In pacis conditionibus poſitum quoque fuit, vt ambo Reges Oecumenicum Concilium celebrandum curarent [e] ad ſedanda Religionis diſſidia.

[d] Monumenta Monlucij lib. 4. Belcarius lib. 28. Spondanus anno 1559. num. 18.

[e] Belcarius lib. 28. n. 15.

5 Enumerans Suauis incrementa hæreſis per varias regiones, ea tribuit operæ *virorum, qui conſcientiæ ſtudebant*. Ego verò illud ipſum repetam, quod tametſi à me ſæpiùs iteratum, numquam in hoc argumento ſatis iterari poteſt: In Chriſtiana Republica, pars hæretica & Catholica, altera cum altera attentè conferatur, ſubducaturque ratio, vtra ipſarum pietate atque innocentiâ copioſius videatur

 affluere,

1559. affluere, expenſo in vtraque eorum numero, qui ſuam omnem operam impendunt in Dei cultum, in preces Deo fundendas, in alios adiuuandos, in obſeruanda non modò præcepta ſed conſilia Euangelica, in affligendos corporis ſenſus, in conculcandum quidquid eſt boni corporei ac temporarij, virtuti ſolum æternitatique viuentes: & hinc ſatis arguatur, vtri parti conſcientiæ iudicium faueat. Scribit prætereà, inter Lotharingum Cardinalem, Regis Gallici nomine, & Atrebatenſem Antiſtitem, nomine Philippi Regis, conueniſſe de hæreſi ſeueriter extirpanda. *Sed*, inquit ille, *communis opinio erat, veram huiuſce rei cauſam fuiſſe ambitionem, ſeu conſilium ditteſcendi ex ſpoliis proſcriptorum.* Quod ſpectat ad ambitionem, neſcirem plane id euidenter refellere: quoniam cùm omnis actio externa honeſta, ſimul ſit cauſa gloriæ, adeoque ambitionis illecebra, inde conficitur, amorem honeſtatis atque ambitionis, ſicut Auguſtinus obſeruat in libris de Ciuitate Dei, non differre inter ſe in opere, ſed in animo; hominis autem animus à reliquis hominibus introſpici nequit. Quare cui libuerit interpretari cuncta opera ſuopte ingenio honeſta, tamquam ambitionis effecta, is certè numquam erroris reuinci poterit, ſed ſolùm liuoris damnari. Quod attinet ad comparandas diuitias, calumnia in aperto liquet; non modò quia poſſent æquè vituperari cunctæ leges proſcriptionum in graſſatores, in perduelles, in alios facinoroſos, quibus & magis impij & nocentiores ſunt hæretici; ſed quia cùm Principes hæreſi fauentes Eccleſiarum rapinis pinguiores euaſerint, deuorantes breuî quidquid maiorum populorumque pietas per plura ſæcula Deo donauerat, è contrario ij qui hæreſim inſectantur, largâ perpetuâque pecuniâ alunt innumera ſeminaria ac gymnaſia hominum, qui nutriuntur & educantur, vt & linguas & ſtilos erudiant ad eam confutandam; magnifica quoque templa in dies extruunt, aliaque locupletiſſima Religionis edunt opera; quibus ſumptibus quidquid ex aliqua proſcriptione ob hæreſis crimen corraditur, perinde eſt ac riuulus pelago.

Animaduertendum quidem Suaui fuerat, eam ratiocinationem 6
in tacitam quamdam laudationem patrocinantium parti Catholicæ apud viros cordatos migrare, quippe quæ palàm facit, eiuſmodi patrocinium à veris maculis vſque adeò eſſe innoxium, vt liuor ad eas appingendas ne vno quidem ex iis coloribus vti poſſit, qui mendacium diſſimulant; atque huiuſce rei perſpicua comprobatio ex effectis apparet[f]. Exiſtimauit Philippus Rex, etiam ex documento magni parentis, nullâ re magis cautum eſſe populis à propinqua conta-

[f] Epiſtola manu Ducis Parmenſis Gubernatricis Belgij ſcripta, lib. 1. decad. 1. Famiani Stradæ.

contagione, quàm cuſtodum frequentiâ, ne adigeretur vna & eadem frons proſpicere, nec vna eademque manus defendere plura & longinqua loca. Quamobrem cùm eſſent tunc in Belgio quatuor dumtaxat Epiſcopatus, modicus quidem numerus tot ac tam frequentibus prouinciis, prudenti conſilio illos multiplicare ſtatuit, quando ad earum animarum perniciem finitimorum hæreticorum inſidiæ multiplicabantur. Itaque deliberatâ re cum Louanienſi Academia, eiuſque Theologo Franciſco Sonnio ad id Romam miſſo, qui vnus erat inter electos priùs à Ferdinando cum ſelectis Proteſtantium diſputaturos, eius operâ, & Oratoris Vargæ, multos poſt menſes obtinuit à Pontifice, vt denuò tres Archiepiſcopi, & vndecim prætereà Epiſcopi inſtituerentur. Ad hanc porrò inſtitutionem, habitam & à Paulo, & poſteà à ſucceſſore [g], præter aliorum Eccleſiaſticorum prouentuum attributionem, largiter ſe profudit Principis ærarium, à quo ſingulis ex nouis Epiſcopatibus annuum ſubſidium ſuppeditatum eſt mille & quingentorum aureorum, donec aliunde illis proſpectum foret. Quamquam populi, ab hæreſi illic obſeſſi, qui maiori præſidio muniri recuſabant, quòd hoſti cedere cupiebant, hoc ipſum beneficium poſteà inter ſeceſſionis titulos annumerarunt, perinde quaſi regionis priuilegia fuiſſent hoc pacto violata; quod ſimile erat, ac ſi quereretur pupillus, ſuâ libertate ſe ſpoliatum à tutore, quòd illum imperio medici ſubieciſſet. Sed hoc accidit ſubſecutis temporibus.

1559.

g Vide Stradam copiosè de hoc agentem lib. 2.

CAPVT IX.

Regis Galliæ mors. Pontificis curæ, & obitus. Populi Romani furor.

1 CONcordiæ tamdiu exoptatæ publica Romæ gaudia triduo [a] ſunt celebrata, ac pro ea Deo grates perſolutæ, diſpoſitis Ælia in arce feſtis ignibus, habitâque ſolemni ſupplicatione, cui ipſe Pontifex interfuit. Sed Rex Galliæ, cuius vitæ tam cruenta bella innoxia fluxerant, lethalem ſibi nouam pacem expertus eſt. Etenim cùm ex pactionibus nuptiæ inter Regis ſororem, ac Sabaudiæ Ducem celebrarentur; cumque [b] Rex ipſe in equeſtris prælij ludo mira edidiſſet agonalis virtutis exempla, accidit, vt poſt confractas ab eo feliciter & plaudente coronâ plurimas haſtas, cùm penè digrederetur è campo, infortunato quodam impetu actus, Gabrielem Comitem Mongomerium ad concurrendum ſecum laceſſiuerit:

a Diarium Magiſtri cærimoniarum, 5. & 7. Maij 1559.

b Vide Belcarium libro 28. n. 31.

1559. fuerit: neque licuit Comiti aleam declinare, incaſsùm diu precatus, ne Rex amplius defatigaretur. In hoc igitur nouo fatalique concurſu, ex Comitis lancea diuulſum fruſtulum in dexterum Regis oculum inſiliit, & ad cerebrum víque peruaſit; atque ita poſt vndecimum ægrotationis moleſtiſſimæ diem extinctus eſt Henricus 10. Iulij, anno ætatis ſuæ quadrageſimo. Comes non aliam hinc pœnam ſuſtinuit niſi illam (ineuitabilem cuicumque manifeſtæ innocentiæ, & tamen peracerbam) quòd nimirum interfector ſui Principis, quamuis non voluntarius, commonſtraretur. Sed poſt diuturnum temporis ſpatium veluti fato contigit, vt idem ob voluntarium læſæ Maieſtatis patratum crimen mortem ignominioſam carnificis manu ſubierit.

Henrico occumbente præualida in Gallia Catholicæ Fidei arx 2 concidit, & in Republica Chriſtiana clarum bellicæ virtutis lumen occubuit. Fidem ille tanto ſtudio ſuſtinuerat, vt inter hæreſis incendia, quæ vndique in Germania, in Heluetia, in Anglia flammas ſuſtulerant, vix aliquæ fauillæ in Galliam tranſuolauerint; eæ verò confeſtim, ſeu Catholicorum concionantium flatu, ſeu hæreticorum delinquentium ſanguine fuerint extinctæ. Is enimuerò militari virtute ille Hercules fuerat, qui ſuâ manu Caroli Quinti victoriis oppoſuerat, *Non plus vltrà.* Henrico Franciſcus Secundus ſucceſſit, ætate puer, valetudine imbecillus, ingenio mediocris, coniux Mariæ Scotorum Reginæ; cui, vt dictum eſt, Guiſius Dux, duoque Cardinales Ducis fratres auunculi erant, qui in breui Regis principatu omnem ferè auctoritatem occuparunt.

Hæc Henrici mors accidit Pontifici perluctuoſa, tum ob publicum religionis ſtudium in Galliam, tum ob priuatam inter ipſos beneuolentiam, tum quòd vndique deſertum ac periclitantem ſe cerneret. Erant Hiſpani tum læſi, tum præpotentes nouæ pacificationis emolumentis, tum etiam liberi à ſtrenuiſſimi bellatoris æmuli fræno. Nouellus Cæſar & iniuriâ exulceratus, & commercio Româ ſeiunctus: qui idcircò in poſtremis Auguſtanis Comitiis, menſe Martio habitis, poſt propoſitum illic ab ipſo Concilium, nec à Proteſtantibus niſi priſtinis eorum conditionibus iniquiſſimis acceptum, Paſſauienſem pacem confirmarat. Angliæ Regina, eiuſque regnum in Eccleſiam perduelles. Nec maior domi quàm foris ſeu tranquillitas ſeu ſecuritas; Proceres auerſi, quippe aut ſpoliati aut proculcati; populi ob onera frementes; fratris filij infamiâ ab ipſo, & in illis ipſe Paulus quoque, eiuſque iudicium eâdem infa- 3

miâ

miâ reſperſum: nec illi quidem dumtaxat infamiâ notati, ſed animo inſenſi, vſque adeò, vt iam Cardinalis ac Paliani Dux Bruxellas legauerint Paulum Filonardum[c], quò ſe apud Philippum purgarent, quòd adhuc ea illi obſequia, in quæ animo proni erant, non præſtitiſſent, quoniam neceſſe ipſis fuerat obſequi voluntati Pontificis, nunc verò eius famulatu ſolutos ſuam omnem operam addicere regiæ clientelæ; haud animaduertentes, ſtudere ſe tunc domum locare, cùm ea ruinam iam minabatur, ac proinde oportere potiùs quàm pretium exigere à conducturo, pretium perſoluere fulcienti. Palianum Regi Dux offerebat, excuſabatque non acceptâ à ſe Regis oblata ob Pontificis vetitum. Hortabatur Marcum Antonium Columnam, vt oppidi poſſeſſionem ſibi compararet, oſtensâ illius rei vtilitate, & propoſitâ ratione quâ id per iudicium conſequeretur. Adeò ſiue animi perturbationes ſiue infortunia mentem obcæcant, vt ſatiùs duxerint Caraffenſes, inania offerentes, reconciliationem tentare cum hoſtibus implacabiliter offenſis, idque per nouam iniuriam patrui, cuius poteſtati ipſorum capita fortunæque ſubiacebant, quàm ipſum patruum per obedientiam remiſſionemque mollire, cui vigebant in ſinu duo viuida amoris in eos ſemina, ſanguinis nexus, & beneficia collata. Et ſatis patuit ipſorum proponentium inſipientia ex ſapientia regiæ reſponſionis, quæ fuit: [d] Darent operam Pontificis gratiæ recuperandæ: in eo ſiquidem euentu ſe illorum ſolatio haud defuturum; ſed cùm ipſe tantum impendiſſet operæ vt cum Pontifice reconciliaretur, nolle nunc in diſſenſiones nouas incidere.

1559.

[c] Conſtat ex mandatis Filonardo datis à Cardinali, 28. Februarij; & ex epiſtola ad eumdem ſcripta à Duce Paliani, 1. Maij; & ex ſcriptura Ducis ad Marcum Antonium Columnam, quæ ſunt apud Burgheſios.

[d] Extat in ſumma criminum Caraffæ Card. facta à Fiſco, inter ſcripturas Guiſiorũ.

4 Pontifex igitur angoribus vndique obſeſſus, oppreſſuſque octoginta quatuor annorum onere, ceſſit naturæ die 18. Auguſti,[e] cùm tribus antè diebus obiiſſet Aloyſius Lippomanus[f], Bergomenſis Antiſtes, vir de Concilio & Eccleſia optimè meritus. Paulus morti propinquus Cardinales acciuit[g], & ſtudio ac voce moribundi, ſed facundiâ ſupra moribundi conditionem, eos ad concordiam hortatus eſt, ad habendam de Deo vnicè rationem in eligendo ſucceſſore; eiſdemque S. Inquiſitionis tribunal commendauit, quod ille potiſſimum aduerſus propinquas hæreſes propugnaculum cenſebat. Tum Queuæ Cardinali, qui propiùs ad ipſum acceſſerat, eoſdem ſenſus per miram animi præſentiam Hiſpanicè iterauit.

[e] Diarium Magiſtri cærimoniarum.

[f] Scripſit eruditam catenam Patrum, aliorumque interpretum Geneſis, & Græcorum & Latinorum.

[g] Conclaue, & Diarium Magiſtri cærimoniarum, 18. Auguſti 1559.

5 Princeps vtique fuit virtute Religionis eximius[h], addictus ad eam profitendam in ſacris clauſtris vel à puero: quare decimoquinto ætatis anno Cœnobium Prædicatorum ingreſſus eſt, eam inſtitutionem amplexurus; ſed à conſanguineis inde per vim abductus.

[h] Cuncta extant in narratione Nauageri.

1559. ctus. Verùm non euaneſcente propterea ex eius animo huiuſmodi voto, quaſi puerili quodam impetu, condidit ætate maturâ Regularium Ordinem, perutilis in Eccleſia exempli; cui Ordini non ab ipſius Pauli nomine, quod in illo retinebat, nomen eſt inditum, ſed ab adminiſtrata Teatina Eccleſia, quam illum complexus dimittebat. Tiarâ Epiſcopali ab eo depoſitâ, Purpura non quæſita ipſum quæſiuit. Quoad ille vixit, numquam viſus eſt aut animi candorem fœdare, aut in pietate tepeſcere, aut Apoſtolici ſtudij libertatem fluxarum rerum rationibus poſthabere. Excelluit eruditione, cùm Græcas litteras æquè ferè ac Latinas calleret, eſſetque Diuinarum Scripturarum perquàm peritus, Theologicis doctrinis imbutus, ac ſupra modum verſatus in libris, quos Theologiæ Princeps ipſius ciuis conſcripſerat. Miram à natura eloquentiam accepit, ſed cum appetentia nimia, vt eam omnes admirarentur; quæ frequenti pabulo in præcelſa fortuna ſemper irritata, numquam exaturata, ingentem adulationem excitauit præſenti, ſed non minorem irriſionem abſenti. Laxior æſtimator ſuæ, anguſtior alienæ tum potentiæ tum prudentiæ; ſed nihilominùs nauus virtutis cognitor ac remunerator. Studium pietatis non potuit in eo extinguere quoſdam ſpiritus vel à patria, vel à familia, vel à temperamento hauſtos. A patria retinuit immoderatam quamdam ſollicitudinem in veſtium concinnitate, ſplendoremque pompæ ſupra Eccleſiaſticam, in exteriori cultu: à familia nimium amorem ſanguinis, & in ſanguine nimiam exiſtimationem titulorum, amplitudiniſque mortalis: à temperamento, quamdam agendi rationem elatam, vehementem, iracundam, & quamdam ſeueritatem, quæ animi tumorem præferre videbatur. Plus habuit pectoris ad punienda crimina in quouis ſublimi capite, quàm prudentiæ ad eadem præpedienda. Amplitudinem omnem ſacroſanctæ ſuæ poteſtatis habuit pro menſura eam ſapienter exercendi, haud animaduertens, rebus naturalibus non ciuilibus effatum illud aptari, *Fruſtrà eſſe potentiam quæ non reducitur ad actum.* Nationem Hiſpanicam, & Auſtriacam familiam inſigniter auerſabatur, nec ſibi temperabat, quò minùs indecoris indigniſque vocibus in eam obloqueretur; cùm exiſtimaret libertatem ab illis ereptam fuiſſe populis in Italia per bella, Eccleſiæ in Hiſpania per ſanctiones: eamdem libertatem conceſſam hæreſi in Germania per conuentus, aut non auditis ab eo aut non probatis Auſtriacorum reſponſis; nimirum, In Italia fuiſſe certatum non vtrùm ſed cuinam ex exteris ſeruiendum foret: Eccleſiaſticam iuriſdictionem in quouis alio tranſmontano Principatu ampliorem

quàm

quàm in Hiſpania non vigere; hæreſim verò acriores hoſtes quàm Auſtriacos in Germania haud expertam fuiſſe. Plures leges emendationeſque promulgauit, quarum aliquæ vt à ſolo auctoris conſilio conceptæ fuerant, ita poſtmodum auctori ſuperſtites non fuere: inter eas æternâ laude dignum Paulum reddit S. Inquiſitionis tribunal, quod illius ſtudio & anteà per Conſiliarij auctoritatem, & poſteà per Principis poteſtatem exercenti acceptam refert Italia ſeruatam in ſe Fidei integritatem: & ob hoc opus ſaluberrimum eò benè merentior honorabiliorque ille nunc ſupereſt, quò tunc indigniùs & inhoneſtiùs habitus eſt. 1559.

6 Etenim ipſius morte[i], quæ horâ vigeſimaſecundâ accidit, non expectatâ, populus manè, vbi ſciuit extinctam in Pontifice vitæ ſpem, impatiens retinendi ampliùs odij in eum congeſti, tum ex anguſtiis, tum ex oneribus, efferatuſque potiſſimè in ſacroſanctum illud ſed formidabile tribunal, ad Capitolium confluxit: & quamquam Cardinales denuntiarent, vt ab omni ſe tumultu abſtineret, idemque pariter conſilium illi ferrent plerique prudentiorum ciuium; quidam tamen æſtuantes rabie, haud paſſi popularium furorem tepeſcere, qui aut citò aut nihil efficit, eos inflammarunt ad ſplendidam inſaniam, quâ ſe veros Romanos per animoſam audaciam oſtentarent. Quare nondum vacante Sede, magno impetu ad S. Inquiſitionis carcerem conuolarunt, tunc ſitum prope minorem Tyberis ripam, eoque vulnerato, qui è S. Dominici familia ibi Commiſſarij nomine præſidebat, fores perfregerunt, captiuoſque liberarunt, prætento colore, quòd ij aliis de cauſis ibi detinerentur, ſed priùs adductos, vt iureiurando affirmarent, ſe cunctos probos eſſe Catholicos; tum feneſtrarum oſtiorumque fores, ac libros illic aſſeruatos combuſſerunt. Inde conuerſo furore ad celebre S. Mariæ ſupra Mineruam Cœnobium Dominicanorum, qui in eo ſacro munere à Pontifice potiſſimùm adhibiti innocens quaſi ſcopus erant, in quem popularis maleuolentiæ tela collimabant, in eos contumeliis coniectis, tamquam in exploratores, ſacrarumque confeſſionum vulgatores, venerandi illius loci incendium parabant, niſi auctoritas præcipuè Iuliani Cæſarini petulantiam frænaſſet.

[i] Cuncta quæ ſequuntur, extant in Diario Magiſtri cerimoniarum, aut in Hiſtoria Noreſij, vel in Comitiis Pij V.

7 Sed aduerſus memoriam Pauli, eiuſque familiæ, nullam, quantumuis enormem, iniuriam prætermiſere. Etenim eodem die ad Capitolium regreſſi, Pontificis ſimulacro, illic per infauſtum honorem tres ante menſes erecto, naſum ac brachium abſcidere. Poſt biduum promulgarunt edictum, vt intra poſteri diei ſpatium vnuſquiſque deiiceret perfringeretque ſtemmata, quæ fortaſſe penes ſe

1559. eſſent, *tam inimica illi populo ac tyrannica familia Caraffenſis*, addictâ tranſgreſſori pœnâ, vt is tamquam proditor & infamis, eiuſdem concrematâ domo, haberetur. Quod effectum eſt in iis etiam ſtemmatibus veteris Oliuerij Cardinalis, qui eximio Romæ ornamento fuerat, & dum vixit virtutibus, & poſt mortem magnificentiâ, adeoque per ſua illic inſignia ſuperſtes erat in multarum ſacrarum magnificarumque ædium fronte. Dein rurſus in marmora ſæuientes, memorato demortui Pontificis ſimulacro caput amputarunt: permiſeruntque, vt Iudæus quidam, quaſi denuò Chriſtum in ſuo Vicario ludificatus, probroſo crocei coloris pileo ſuo diu illud contegeret, ad vlciſcendam Pauli ſanctionem, quâ iubebatur inhoneſta illa natio hac teſſerâ ſe à Chriſtianis diſcernere; ac ſubinde caput illud per vrbem volutarunt, & poſt plurima illata dedecora in Tyberim coniecerunt. Eò deuentum eſt, vt abominatio à domibus ac ſimulacris proceſſerit vſque ad vocabula. Quare Octauianus Reuerta Epiſcopus Tarracinæ, qui Conclauis, vt appellant, Legatus fuit, dum Sedes vacauit, ac ephemeridem tragicè iucundam de illa ſcripſit, ibi narrat, eos quoque minutos venditores, qui ſuas merces humeris geſtantes, ac per vrbem circumeuntes ſolent emptores inuitare, exclamando voce Italicâ, *Bicchieri, caraffe*, hoc eſt, *Calices, ampullæ*, auſos non fuiſſe vocabulum illud *caraffe* proferre, tamquam execrabile, adeoque aliud parum Romæ vſitatum ſubſtituiſſe, forſitan *ampolle*.

Vaticani Patres torrenti obſiſtere non audebant, cùm animaduerterent, tam inſuperabilem illum eſſe in ea furoris eluuie, quàm debilem poſt breuem inundationem; tametſi inter eos multi etiam ex minimè ſtudioſis in Caraffenſes, & Pacecus potiſſimùm, infremerent, & in Purpuratorum cœtibus tam vilem tolerantiam deteſtarentur. Verùm Romani ciues, reputantes paulatim, prout vſuuenit per noctis ſolitudinem, ſua facinora, à ſe parum agnita in turba diei, ex ſe quiſque cœpit ſibi timere; & in ſubſecutis conuentibus Capitolinis vniuſcuiuſque priuatus timor omnium communis euaſit. Quapropter quò ſe munirent, propoſuerunt Marco Antonio Columnæ, Romam reuerſo, aliiſque Proceribus à Paulo malè habitis, vt ſecum coniungerentur. Illi verò ſolidiori magiſque conducibili vindictæ intenti, quàm inanibus contumeliis aduerſus inanimatas imagines, recuſarunt in eius defenſionem ingredi, cuius participes conſiliorum non fuerant: obtulerunt quidem, ſi populus in poſterum ſecum ſociari vellet, ſe cum illis conuenturos & tunc in rebus deliberandis, & poſteà in ſuſtinendis inceptis. Intereà 8

Marcus

Marcus Antonius Palianum armis & incolarum ope recepit; de quo conqueſtus eſt cum Cardinalibus Orator Gallicus, dicens, Ducem Ioannem Caraffam ſub Regis eſſe patrocinio. Ex altera parte apud Collegium violentiam excuſauit Columna, quaſi illatam, quò Ducis miniſtri ſubducerentur iniuriis, quas in eos meditabantur incolæ diuexati ac tumultuantes. Ceterùm obedientiam exhibuit iuſſionibus ſiue tunc Cardinalium, ſiue poſteà futuri Pontificis, & inde interim egreſſus eſt. 1559.

9 Iam verò Procerum reſponſio, de qua diximus, ciues expoſitos ſupplicio deſerentium, timoris frigore furoris æſtum compreſſit, cœperuntque hi moderatione quâdam inſolentiam temperare. Duos fratres Caraffenſes laicos Româ in exilium exturbarunt, non tamen Cardinalem, habitâ gradus ratione; profeſſi in edicto, ſe mortui Pontificis voluntati obtemperare, qui viuens fratris filios in exilium expulerat. Poſteà Collegium adeuntes petiere Galleſij recuperationem, oppidi, ſicuti narratum eſt, poſſeſſi tunc à Duce Paliani. Sed Carpenſis Cardinalis, loco Bellaij Purpuratorum Principis, tunc ægrotantis, eos grauiſſimis verbis obiurgauit ob tot commiſſa ſcelera, pœnarum minis deterruit; & ſimul quò efficaciores minæ forent, eaſdem ſpe veniæ condiuit, ipſos cohortatus, vt ſacrum Collegium placarent per obſequia, quæ ad impetrandam ſibi clementiam valerent & ab ipſo Collegio & à nouo Pontifice. Quare populi Cuſtos (Conſeruatorem appellant) qui populi nomine loquebatur, res geſtas neque purgans neque damnans, quippe non ſuas, oranſque vt in aliis iuſtus dolor excuſaretur, dixit: Ciuium reuerentiam conſpici in hoc ipſo officio, quo per demiſſionem ſupplicum ad auctoritatem ſacri Senatus confugerant, ac integram illi obedientiam præſtarent. Atque ita Kalendis Septembribus, poſt duodecimum ab obitu Pontificis diem, vrbs quieti reſtituta; ad quam reſtituendam nihil timore validius, vbi quies ipſa valida prænoſcitur ad metum poſteà depellendum.

1559.

CAPVT X.

Caraffæ Cardinalis reuocatio. Data Morono libertas. Varij Comitiorum ſucceſſus: & electio Medicei Cardinalis, qui Pius IV. nuncupatur.

1 IN comperto tunc fuit, quantum valeat præſens eorum miſeria, qui anteà felices extitere, ad placandam inuidiam, furorem, & odium ex noxis præteritis, dum ſpirante adhuc Pontifice, Collegium ab exilio reuocauit Caraffam Cardinalem; tametſi non ſine quorumdam repugnantia, quibus, & iure quidem, videbatur interdictum Pauli, ſaltem quoad ipſe viueret, obſeruandum. Caraffa tamen publico tumultuantis populi conſpectui ſe ſubrraxit, & in ædibus Pontificiis degens, ęgre ſibi cautum credidit vel ipſâ domicilij maieſtate. Nec ſibi defuit in augenda per facundiam erga ſe commiſeratione, & in aduerſarios indignatione. Cardinales affatus eſt, Vbi è re Sedis Apoſtolicæ cenſerent, ſe libenter ad priſtinam exilij ſedem rediturum; at acerbo riſu dignos videri populares, dum in expellendis Caraffenſibus, iactitabant obſecundare ſe voluntati defuncti Pontificis, hoc eſt illius Pontificis, cuius monumenta deterrimis quibuſuis ignominiis deturparant, & in cuius ſimulacro peregerant non quæ adorati Principis, ſed quæ infamis perduellis ſimulacrum meruiſſet.

a 21. Augusti, ex citato Diario.

2 Plus controuerſiæ quàm in reuocando Caraffa, [a] fuit in admittendo ad Comitia Morono, qui, quemadmodum narratum eſt, in arce Ælia claudebatur ob inſimulationem in cauſa Fidei: tamen lis illi adiudicata eſt. Cùm enim in eum ſententia prolata non eſſet, ſuum ille ius ſuffragij retinebat in electione Pontificis; ſiquidem legitimè non poterat ab ea excludi Cardinalis præſens & indemnatus. Quamobrem tres ex Purpuraris miſſi, qui è cuſtodia illum extraherent, & in conuentum adducerent. Inchoata ſunt Comitia Nonis Septembris, & per inſuetam diuturnitatem vſque ad diem Chriſti Natalem producta. Obierunt ex Purpuratis, ante ingreſſum Conſiliarius, poſteà verò ante electionem Dandinus, & Capiteferreus.

3 In habitis illic conſiliis, Cardinales, quorum capita potiſſimùm Pontificali Tiarâ viſa ſunt apta, inter Italos fuere Rudolſus Pius Carpenſis, & Hercules Gonzaga Mantuanus; inter Transmontanos Pacecus & Reomanus: quamquam ſupra hos omnes quodam die proximus fuerit vt eam haberet, Bartholomæus à Queua, aſtu

Ferdi-

Ferdinandi Torres, ex eius ad Comitia comitibus. Cùm enim hic 1559.
triginta duos Cardinales, quatuor nimirum ſupra numerum electioni neceſſarium, eo die dum aliqui non adhuc conuenerant, ſeparatim rogaſſet vt in craſtina ſuffragatione herum ſuum honorario calculo ad ſpeciem donarent, cuius virtus eo exiſtimationis argumento ab aliquo collegarum exhibendo digna videbatur, eorum quiſque, de aliis prorſus inſcius, rem libenter ſpopondit, quam & viri merito conſentaneam, & extra omnem ſucceſſus probabilitatem exiſtimabat. Verumtamen cùm omnes pro more ſcriptas in ſacellum ſchedulas ſecum tuliſſent, ex illis quidam caſu, ſeu veriùs Diuinâ prouidentiâ, quæ non vult vt caſu Pontifex eligatur, propinquo ſibi Purpurato dixit, Numquam diuinares, cuinam ipſe ſim hodie ſuffragium collaturus; & paucula poſt verba hominem nominauit. Sed comperto, alterum quoque paratum eſſe ad ſimile ſuffragium, atque ita circumlato per multos murmure, quindecim illicò ſchedas mutarunt, adeoque ſuffragatores Queuæ ſolùm ſeptemdecim fuere.

4 Inter quatuor à nobis enumeratos, de quibus agebatur ſeriò, Carpenſi ob ætatem ac virtutem Hiſpani ſimul & Caraffa Cardinalis fauebant; ſed obſtabant Galli, & Cardinalis S. Floræ. Ita Carpenſis toto Comitiorum tempore viſus eſt omnium proximus metæ, quam numquam attigit. Reomanus animum adeò gratum Pauli memoriæ geſſit, etiam erga reiectum illius fratris filium, vt cùm à Gallis nomine Regis cogeretur à Caraffa ſecedere in quadam electione ab ipſis promota, adiectis minis, quòd aliter ſuis cunctis prouentibus ſpoliaretur, reſpondit, Se potiùs adactum iri ad herbarum radicibus victitandum, quàm ad ingrati animi notam ſubeundam; quod illi & amorem Caraffæ incredibiliter auxit, & Gallorum beneuolentiam non minuit. Caraffa itaque Gallique ſimul conſpirabant ad illum prouehendum ſufficienti fortaſſe ſuffragiorum numero, fruſtrà obſiſtentibus Hiſpanis. Sed ſubrepente è Comitiis in vrbem ſuſurro, populus tumultuatus eſt, ex ſuſpicione, ne Gallus Pontifex Sedem in Galliam reportaret; vnde effectum eſt, vt mutato quorumdam Patrum conſilio inceptum deferbuerit.

5 Multi pariter in Paceccum propendebant; adeoque in qualibet ſuffragiorum collatione ſæpiùs nominabatur [b]. Contigit verò, illum die decimo octauo Decembris tam ardenter ad Solium promoueri, vt peruenturus procul dubio crederetur; ac proinde ipſius cella, pro eo quod nouo Pontifici vſuuenit, à Cardinalium famulis inter Comitia direpta fuerit. Cùm itaque quamplurimi in prima ſuffraga-

[b] Diarium citatum.

1559. fragatione illi fauiſſent, Pius Cardinalis in acceſſu eidem publicè ſuffragium contulit, ad idem reliquos ſuaſionis exempliquе auctoritate cohortatus; atque ad throni ferè laciniam Pacecum deduxit per vigintiſeptem ſuffragia, quæ ad electionem ferè ſatis erant. Præclarum hoc facinus palàm fecit in Pio animum ab ea liberum ambitione, quam commune iudicium in ipſo conceperat, perinde quaſi vermis quidam illa ſit in merito tamquam in aureo pomo natiuus. Quin luculentius aliud teſtimonium de ſe protulit: etenim cùm diu fruſtrà deſudatum eſſet ad eum promouendum; denique vt non irritâ ſpe alium quempiam vrnæ exponerent, eius fautores illi ſignificandum cenſuerunt, deſtitutos ſe ab eius prouehendi ſtudio, quippe diu fruſtratos: quibus ille Chriſtianâ magnanimitate reſpondit, Præſtitam ſibi ad illum diem ab illis ſuffragationem percharam ipſi fuiſſe, quia minimè à ſe quæſitam; ſingulis verò diebus, dum ipſe ſacris operaretur, Deum rogaſſe, vt impediret ſucceſſum, quippe qui horrorem ſibi quà ex annorum pondere, quà ex iniquitate temporum incutiebat.

Nec minorem laudem in adiuuando palàm per acceſſum Paceco meritus eſt Reomanus, vnicus inter Gallos in eo prouehendo: qui à quibuſdam reprehenſus, quòd Pacecus ipſi ſuffragium in euentu ſimili denegaſſet, reſpondit, Iure quidem Pacecum egiſſe, ſibi verò fraudare tanti viri meritum non licere. 6

Compertum denique fuit, optari à Collegio Pontificem inter duas æmulas nationes medium, adeòque Italum. Inter hos Mantuanus, qui longum & illuſtre noſtræ Hiſtoriæ argumentum erit, tametſi promotus ab Hiſpanis, Galliſque idcircò coëuntibus cum aliis plurimis in quoddam ſacellum ad ipſum adorandum, ab aduerſantibus tamen Farneſio & Caraffa, eorumque cunctis aſſeclis excludebatur. Qua in re celſitudinem animi ſanguini ſuo parem ille præ ſe tulit. Dum enim vniuerſum Collegium eius gratiâ contentionibus æſtuabat, ille ſua in cellula ſummam quietem agebat; & poſt paucos dies amicos orauit, vt ab incepto deſiſterent, nolens ſui causâ Comitia cum Eccleſiæ detrimento protrahi. 7

Quapropter capto iam tum de his tum de aliis, quos enumerare moleſtum eſſet, experimento, par quoddam Purpuratorum ſupererat, eò remotius à brauio, quòd nondum è carceribus exierat. Alter ex his erat Federicus Cardinalis Cæſius[e], quem Paulus III. Purpurâ donarat, vehementer adiutus, adeoque vehementer præpeditus à Gallis; cùm videretur Hiſpanis, nimis ſibi detrahi & in te & in exiſtimatione, quæ ad res conficiendas plurimum valet, ſi 8

[e] Colligitur ex variis literis Farneſij Card. ad Ardinghellum Bruxellas, 30 Decembris 1559. & ad eius miniſtrum in Galliam, die non ſignatâ.

quartâ

quartâ continenter vice Pontifex crearetur extra Cardinales à ſe 1559. nominatos ab æmulis, tametſi adeò minùs in Italia pollentibus. Alter erat Ioannes Angelus Cardinalis Medicæus, Mediolanenſis, de quo pluribus in locis ſermo fuit, vir ætatis plurimæ [d], plurimæ prudentiæ, plurimiſque muneribus perfunctus, cui quantum profuit quòd viueret Ioannes Iacobus eius frater, Malniani Marchio, vt in Ordinem Pontificatui proximum acciretur, tantum nunc proderat quòd ille obiiſſet, vt Pontificatum adipiſceretur. Eius quippe ſtrenui ductoris vaſta & militaria conſilia formidinem attuliſſent: neque Galli, in bello Senenſi ab eo conciſi, eumdem Romæ rerum potiri toleraſſent. At verò illo iam vitâ functo, promerita ſuperfuere apud Hiſpanos, qui fratrem prouexere, Caraffam hortati, ne opportunitatem amitteret Philippi Regis ſibi conciliandi. Nec à Gallia reiectus eſt; quin Regina, quæ in Regis pueritia res ferè pro arbitratu moderabatur, ipſum, quòd ex Medicea eſſet familia, Gallicis Cardinalibus enixè commendauit. Cunctis itaque in illius electionem conſpirantibus, ſeptimâ horâ noctis diem Chriſti natalem ſubſecutæ adoratus eſt, [e] voluitque Pius IV. appellari. Caraffa flexis genibus ab eo petiit, vt condonaret [f] populo quidquid iniuriarum intulerat in familiam ſuam, & in S. Inquiſitionis tribunal: cui aliquamdiu Pontifex reſtitit; ſed Cardinali S. Angeli, aliiſque ſimul comprecantibus, tandem ſe in Caraffæ gratiam aſſentiri dixit, dummodò quoad fieri poterat damna repararentur tum locis tum hominibus iniuriam paſſis; & in hanc poſteà ſententiam diploma vulgauit. Nam ad ſedandum in poſterum communem multitudinis furorem nil conducibilius eſt, quàm communis præteritorum venia, modò non idem ſit qui parcit & qui læſus fuit; tunc enim venia quandoque diſſimulationi tribuitur, atque adeò perturbationem odiumque relinquit; quandoque imbecillitati, atque adeò pro beneuolentia deſpectum parit.

d Agebat annum ſeptuageſimum.

e Acta Comitiorum.

f Diarium, & Comitia.

CAPVT XI.

Orator Cæſareus Romæ exceptus. Acta in hæreticos à Franciſco II. in Gallia, & Philippo II. in Hiſpania.

1 ALiud quoque nouus Pontifex magnâ quidem æquitate ac prudentiâ indulſit. Pauli duritia, quâ negabat Ferdinandum tamquam legitimum Cæſarem admittere, tamquam nimis rigida & parum prudens, paſſim improbabatur. De hoc incipit Suauis diſſerere; ſed in plano etiam & in aperto ſtatim offen-

1560. dit. Narrat, inter capita, de quibus inter Purpuratos conuenerat in Comitiis, vnum fuiſſe, vt futurus Pontifex Ferdinandum haberet pro Cæſare. Quare à Pio, ſtatim ac renuntiatus eſt Pontifex, re in deliberationem vocatâ 30. Decembris, cùm iniuriâ cum eo actum cenſeretur, accerſitum ad ſe fuiſſe Franciſcum Turrianum, Romæ Ferdinandi miniſtrum, eique ſignificatum, breuî ſe Imperatorios honores eius Principi redditurum; atque ad huiuſmodi nuntios à Ferdinando Turrianum fuiſſe Oratorem ſuum conſtitutum. Sed verè haud cunctatus eſt Ferdinandus in deſtinando ſibi Oratore Turriano donec Pontificis mentem pernouiſſet. Etenim cùm ille mirificè arderet ſuam electionem à Pontifice ratam haberi, ſine quo animaduertebat Cæſareum diadema nondum ſatis firmum ſuo hærere vertici, ob ſummam Sedis Apoſtolicæ auctoritatem in omnes Chriſtianos Principes, ac potiſſimùm in Germaniæ Eccleſiaſticos, voluit præſtò eſſe in omnem rei celerandæ opportunitatem; & idcircò Turrianus vel ante vel illicò poſt mortem Pauli excepit Romæ mandatum Oratoris Cæſarei, quod proferret, vbi eo nomine admitteretur. Ad id comprobandum prætereo, illum ſecundâ Septembris ad colloquium Collegij, vt agentem Cæſaris perſonam, introductum [a]; eumdem denuò 28. Septembris acceſſiſſe ad Comitij [b] feneſtellam, & fuiſſe cohortatum Cardinales ad electionem feſtinandam; quoniam ea omnia abſque Oratoris titulo ab eo peragi potuerant: ſed ſacro Epiphaniæ die, quo Pius Pontificiam tiaram accepit, coortâ lite de loci præſtantia inter Oratorem Hiſpanum, Romanumque Senatorem [c], iudicauit Pontifex, ſoli Cæſaris Oratori fas eſſe Senatori præire; atque ita Turrianus reipsâ præiuit. Quod ſanè fieri nequiiſſet, niſi priùs Turrianus Oratoris gradum tenuiſſet; cùm à Pij creatione vſque ad id temporis nonniſi dies vndecim fluxiſſent, & à cœtu habito die 30. Decembris non niſi ſex, ſpatium quo curſor peruenire in Germaniam, atque inde regredi nequaquam poſſet. Primæ autem litteræ à Ferdinando ad Pium datæ, quibus nouum Pontificatum gratulabatur [d], agebatque illi grates ob amota obſtacula à Paulo iniecta, Turrianum nominant tamquam præcedentem Oratorem ſuum, & viſuntur die 16. Ianuarij ſignatæ.

Non ceſſabat hæreſis eâ tempeſtate omnem mouere lapidem, vt 2
per Catholicas prouincias diffunderetur; ſed ſimul religioſo Principum ſtudio reprimebatur: ac proinde in eius ſectatores varia ſunt exercita ſupplicia tum in Gallia tum in Hiſpania; illic remiſſiùs, quippe imbecillis manibus adoleſcentis, ac feminæ, regni lora tractan-

[a] Diarium citatum Epiſcopi Terracinæ, 2. Decembris.
[b] Comitia, & Diarium Magiſtri cæremoniarum.
[c] Diarium Magiſtri cæremoniarum.
[d] Leguntur apud Bzouium, initio anni 1560.

tractantibus; hîc validiùs, extractâ penitus ab vlcere omni ſanguinis putredine, adeoque nullâ habitâ indulgentiâ generis claritudini, ſexus infirmitati, gradus præſtantiæ. Adhæſerat ea ſcabies nonnullis Hiſpanorum, ex occaſione commercij quà cum Germanis apud Carolum, quà cum Anglis apud Philippum. Vſque adeò hæreſis per ſuaue licentiæ venenum ipſis etiam quandoque medicis periculum contactu creat. Et ea profectò ſeueritas non cælo ſolùm, ſed regno etiam pia fuit: quandoquidem pro ſingulis ſanguinis guttulis tunc emiſſis ex Hiſpania, ſemper hinc poſteà incolumi, Gallia mollioris chirurgiæ vitio è principalibus totidem venis fluuios profudit. 1560.

3 Duo hîc narrat Suauis haud omnino falſa, ſed alterum falſo permixtum, vtraque verò mutila, adeoque ad inducendam falſam opinionem accommodata, niſi recipiant integritatem, quâ carent. Prius eſt, combuſtum fuiſſe, tamquam hæretici, ſimulacrum Conſtantini Pontij, in carcere demortui, qui anteà Carolo V. à Confeſſionibus fuerat, & cuius inter brachia Cæſar expirauerat. In primis Pontius à Concionibus, non à Confeſſionibus Carolo fuit, cuius confeſſiones [e], quo tempore lethali morbo decubuit, excipiebat Franciſcus Viglialua. Prætereà, ne quis inde ſuſpicetur, illius religioſi Principis animam venenato huiuſmodi anhelitu afflatam emigraſſe, ſcire oportet, verum non eſſe, Pontium à Carolo apud ſe vſque ad mortem in eo munere fuiſſe retentum; quin idem Pontius coniectus eſt in vincula Hiſpali memoratam ob cauſam, viuente Carolo, qui rei nuntio accepto, dixit extemplò: *Si Pontius eſt hæreticus, inſignis hæreticus eſt*. Quibus ſignificabat, illum, ſi is erat, per hypocriſim quò magis impiam, eò magis ſubdolam egregij Catholici perſonam fuiſſe mentitum. Et ſanè Carolus non modò tenerrimo pietatis ſenſu voluit, vt ſibi morienti pius vſus adhiberetur omnium rituum ac Sacramentorum Eccleſiæ Romanæ [f], quæ tamquam ſuperſtitioſa deteſtabantur hæretici; ſed quaſi præſago impulſus afflatu, curauit vt viuenti ſibi ac præſenti exequiæ Eccleſiaſticæ celebrarentur, ſecutus in eo, quamuis rarum & inuſitatum, cuiuſdam viri inter Sanctos relati exemplum; ac poſtridie in morbum incidit, quo paucos intra dies extinctus eſt.

[e] Vide Ioannem Antonium Verazugnigam, in Compendiaria Caroli Vita; & Sandoualium, in fine eiuſdem Vitæ.

[f] Vide præſertim in morte Caroli Commentarios Surij.

4 Ad hæc Suauis, inter eos in quos hæreſis titulo animaduerſum fuit, recenſet Bartholomæum Caranzam Dominicanum, qui ante collatas ſibi Infulas Tridentinæ Synodo interfuerat, ob eam criminationem libertate àc prouentibus ſpoliatum. Id ſanè confictum non eſt; verùm illius loco Pontium accepit Suauis, hallucinatus: nam

.1560. nam reuerà Carolo moribundo adfuit Caranza[g], & pro dignitate quam obtinebat, extrema Eccleſiæ officia illi præſtitit in vitæ exitu. Sed cauſa cur illic adeſſet, ea fuit, quòd delato ad Carolum rumore ſiniſtræ opinionis, quæ de corrupta Archiepiſcopi mente ſpargebatur, ad ſe hominem accerſiri iuſſerat, vt ipſum commoneret. Atque hæc dicta ſint ad abſtergendam inclyti Cæſaris famam, qui pretio vtriuſque terrarum Orbis à ſe abiecti Cælum mercari contendit. Quod ſpectat ad Caranzam, cur ſilentio Suauis obuoluit, expenſâ plures annos illius cauſâ, & anteà ab Hiſpanienſi Inquiſitione, & poſteà à Romana, ſedentibus Pio V. & Gregorio XIII. nihil ſolidi repertum fuiſſe, vt is manifeſtæ noxæ damnaretur; ſed ſolùm vt obſtringeretur ad eiurandum, ob vehementem ſuſpicionem, quam excitarat de ſuæ fidei prauitate; eumdemque carcere liberum obiiſſe, exhibitis non ſolùm intaminatæ Fidei, ſed ſingularis pietatis indiciis? Nonnumquam eadem herba, quæ non correcta venenum eſt, & interficit, correcta, medela fit, & ſanat.

g Vide duos allatos auctores.

CAPVT XII.

Litteræ Cæſaris, ac legatio ad Pontificem cum Concilij poſtulatis. Hugonottorum in Gallia coniuratio in Regem. Eiuſdem Regis ſimilia ad Pontificem poſtulata. Reſponſa reddita; & de ſtatione Concilij difficultas.

MIris modis gauiſus eſt Ferdinandus, vbi audiit Oratorem ſuum acceptum à Pontifice, eique per litteras grates egit, [a]quæ in Vaticano Senatu poſtremo Ianuarij auditæ ſunt. Studioſâ quadam ieiunitate indicantur illæ à Suaui, quò per ſilentium quantum poteſt dignitatis Pontifici detrahat in ſummorum Principum reuerentia. Nos hîc earum ſummam paucis afferemus, quò eâdem operâ aliud Suauis dictum refellamus. Scribebat Cæſar, Summoperè ſe lætatum creatione Pontificis, tum ob communem cunctis fidelibus titulum, quòd eum cerneret in Petri Sede, cuius virtute ſperabatur afflictam Eccleſiam recreatum iri; tum peculiarem ob cauſam, quòd vetus inter ipſos familiaritas interceſſiſſet (ſignificans ea tempora, quibus Pius Pontificiæ militiæ quæſturam geſſerat, miſſæ à Paulo III. ad Ferdinandi ſubſidium in Pannoniam) ſemper poſteà à Pontifice exculta. Verùm eam lætitiam, quæ nullius incrementi capax ſibi videbatur, poſteà ſupra modum fuiſſe cumulatam, quòd ab Oratore ſuo cognouiſſet, quàm beneuolè 1

a Eas lege apud Bzouium, loco producto.

neuolè, quàm paternè, quàm æquè Pontifex amouiſſet obices 1560.
à deceſſore iniectos, de quibus haud neceſſarium exiſtimabat loqui propter ſummam Pontificis æquitatem, cui ius ſuum haud ignotum arbitrabatur: at vbi de eo vberiorem notitiam cuperet, ſe palàm ipſi facturum, quàm plena cauillis ſibi fuiſſent obiecta, & quàm ipſe ab omni noxa procul abeſſet. Quæ verba oſtendunt, cauſam illam à Pontifice non iuridicè, ſed gratioſè terminatam. Pergit dicere: Quamquam ipſe intra tres quatuórve dies ſolemnem legationem miſſurus eſſet Romam, quâ eo quo par erat obſequio, Pontifici gratularetur, obiretque conſueta reuerentiæ obedientiæque officia, pro more Cæſarum electorum, qui ſibi anteceſſerant; tamen voluiſſe illam præuertere per haſce litteras, quibus tam ſingulari erga ſe Pontificis beneuolentiæ grates ſolueret.

2 Scribit Suauis, Scipionem Comitem ab Arco, qui ſtatim poſteà eâ legatione functurus acceſſerat, intendiſſe reuerentiæ tantummodò officia perſoluere, cùm id in mandatis haberet, ac difficilem ſe præbuiſſe in iis obſequiis exhibendis, quæ à ſui Principis deceſſoribus præſtita oſtendebantur. Sed quînam id fieri poteſt, ſi Ferdinandi epiſtola, quæ legitur typis impreſſa, affirmabat, Oratorem adhibiturum erga Pontificem officia deuotionis ac ſummiſſionis? (Quæ voces multò amplius quàm ſimplicem reuerentiam important) ac prætereà diſertè pronuntiabat, id peractum iri pro ſuperiorum Cæſarum conſuetudine? Quare res aliter accidit, quàm ſub plurimæ falſitatis inuolucro viſa eſt à Suaui. Nos verò eam ſpectandam exponemus, vt integra pateat, cùm erunt recenſendæ grauiſſimæ difficultates, quæ in huiuſmodi erga Pontificem officiis Maximiliano Ferdinandi filio contigere, vbi Rex Romanorum electus eſt.

3 Exhibuit Orator 17. Februarij obedientiam Pontifici in Senatu, Cæſaris nomine; & habitâ ratione tum ipſius Oratoris, qui inter Ferdinandi cubicularios Princeps erat [b], eique in primis gratioſus; tum Cæſaris, qui tam celeriter & obſequenter ipſum legarat poſt offenſiones ſibi illatas à Paulo, per inſolitum honorem in ædibus Pontificiis exceptus eſt. Ex officiis ad negotia progreſſus Orator, petiit celebrationem Concilij, tunc cùm maximè opportuni ob compoſitam inter Catholicos pacem; nactuſque in eo Pontificem eſt non ſolùm conſentientem, ſed vota Cæſaris præuerſum, cùm idipſum Cardinalibus ſponte declaraſſet.

[b] In epiſtola Nuntij apud Hiſpanum ad Pontificem, 22. Maij 1560. apud Burgheſios.

4 Hîc animoſior affirmat Suauis, Pium Concilij cupidum ſe oſtentaſſe, ſed reuerà ab eo horruiſſe iiſdem de cauſis, quæ Paulum Ter-

1560. tium impulerant ad illud ſub ſpecie tranſlationis ſoluendum. Quod
ſpectat ad Paulum; ſi quidquid probauimus de tranſlatione peracta
ex mera Patrum voluntate, & ne cõſcio quidem Pontifice, ſatis
non eſt ad rei perſpicuitatem, quidnam vmquam perſpicere liqueat
equidem ignoro: & quod ad diſſolutionem attinet, quo pacto hic
auſus eſt ita ſcribere, quando in ſua narratione diſſimulare non po-
tuit ſtudia Pauli in continuando Bononiæ Concilio, vbi per ſum-
mum & certamen & diſpendium duos annos ipſum detinuit, donec
per vim ſuſpendere coactus eſt ob ſolemnes Caroli Cæſaris denun-
tiationes, quibus acclamabat vniuerſa Germania, quæque metum
ſchiſmatis Chriſtianæ Reipublicæ incutiebant, quod à nobis vbe-
rius eſt enarratum? Porrò ſi Pius IV. ſpectetur; ſi ſimulata cen-
ſenda ſit ea voluntas, quam quis verbis conſtanter profitetur, ſoler-
ti ſtudio promouet, cuiuſque gratiâ per ingentes conatus obſtacu-
lorum penè montes exæquat, donec ipſam ſummâ atque aſſiduâ cu-
râ in opus deducat, nullum ſupererit in terris indicium, quo verum
à ſimulato diſcernatur, licebitque illis cauſam adiudicare, quos de-
ridet Ariſtoteles, ſemper in dubium reuocantibus, vigilemúſne an
ſomniemus; quin longè melior eorum cauſa comperietur, quan-
doquidem ipſi neutrum affirmabant: Suauis verò fidenter damnat,
quaſi vmbram fallacem, id quod cuncta veri corporis præfert ar-
gumenta.

Nec minùs friget altera calumnia; nimirum, curauiſſe Pontifi- 5
cem Franciſci Regis conſenſu, vt bellum à Sabaudo moueretur Ge-
neuæ, hæreſis aſylo, ad Italiæ fines, non tam ad huiuſce regionis
tamquam parietes liberandos à proximis flammis, quàm ad ſuccen-
dendam aliam flammam, quâ conuocatio Concilij prohiberetur.
Perinde quaſi per id agitaretur de ſuſcitando duos inter Monarchas
bello, quo Europa vniuerſa conflagraret, non de inferendis in vr-
bem modicam armis, in angulo inter Sabaudiam & Heluetios ſi-
tam; ac proinde quæ celebrationi Synodi nulli foret impedimen-
to, quemadmodum Galliæ tumultus adeò maiores eam minimè
præpedierant.

In illa feruidè poſtulanda cum Germanis Galli pariter conſpira- 6
bant; atque eorum cauſâ, coniuncti ſitu & affinitate, conſentiebant
Hiſpani, cùm ſuperiori tempeſtate vtrique & voluntate & præſen-
tiâ frigidè conueniſſent, vtpote à cohortationibus Pontificis, &
à ſegni amore alieni boni magis allecti, quàm à proprij acriore ne-
ceſſitate ſtimulati. Cùm enim conſpicerent anteà regiones ſuas
mundas ac pacificas, ſolamque Germaniam contaminatam ac tu-
multuan-

multuantem, non aliam ſibi vtilitatem à Concilio præſtolabantur, 1560.
niſi aliquam in Epiſcopis iuriſdictionis acceſſionem. Atque hinc factum eſt, vt Hiſpani quidem maiorem quamdam propenſionem animi præ ſe tulerint, quippe ad id impulſi ſui Principis iuſſu, qui ſimul Princeps erat Germaniæ, cuius ſaluti Concilium deſtinabatur. Sed, ſicut accidit cunctis motibus excitis ab exteriori vi, non ab impetu interiori, ipſi quoque & rari & lenti conuenerunt; & è diuerſo, Galli (non ſub eodem ac Germani Principe) ſe præbuerunt idcircò & difficiliores ad conſenſum, & tardiores ad acceſſum, & celeriores ad diſceſſum, niſi cùm ſiue, prout ipſi profitebantur, ſtudium Pontificiæ auctoritatis, ſiue, prout ipſis alij imputabant, æmulatio cum Hiſpanis eos perpulit ad ſuſtinendum Concilium Bononiam deportatum. Idque pariter cauſa fuit, cur Henricus, captatâ à bello Parmenſi opportunitate, non abſtinuerit à ſolemnibus in Synodum denuntiationibus & Romæ & Tridenti habitis. Nunc verò in ipſum flagrantiſſimè ferebantur Galli, tamquam in remedium grauibus morbis quibus ægrotabant, & tamquam in præſidium grauioribus, qui imminebant. Atque ea de cauſa ambo Reges, cùm ſanguine & amicitiâ ſe coniunxere, inter conditiones pacis poſuerant, vt in Concilium celebrandum incumberent.

7 Porrò mala ac diſcrimina Galliæ poſt illud tempus patefacta ſimul & aucta fuerant: quin ne ipſum quidem Hiſpanicæ Monarchiæ corpus iiſdem vacabat. Etenim in Belgio, hereditario Regis Hiſpaniæ principatu (qui propterea Hiſpanienſibus maiori curæ erat, quàm Germania dominante Carolo) ob Regis abſentiam decreuerat metus, excreueratque confidentia in hominibus ſeditioſis: vnde Parmenſis Dux, Philippi ſoror, ab eoque ad Rempublicam adminiſtrandam ibi relicta, quamuis & conſilio & animo pluſquam muliebri, ſatis non erat comprimendis aſſiduis hæreſeos incrementis, eius aſſeclis in dies & numero & licentiâ gliſcentibus. Sed quod maximè pudore ſimul ac ſollicitudine Hiſpanos inflammabat, in ipſo Hiſpaniæ ſinu, ſicuti dictum eſt, malignum ſemen in nobilium ſtirpibus, ac ſtudentium ſeminariis pullulare videbatur; adeoque cognouerant, dum graſſatur peſtilentia, ſatis non eſſe ad ſecuritatem, ſi longè abſit. Verumtamen cùm purgata per ſupplicia fuiſſet Hiſpania, idque de Belgio ſperaretur; & cùm alioquin immineret magna rerum mutatio, numquam illi optabilis cui plurimum eſt quod amittat, Hiſpaniæ Rex non tam appetebat Concilium, quàm illi indulgebat.

8 Itaque præcipua variatio in Gallorum animis extiterat; in quibus

1560. bus quò minor viſa fuerat aliâ tempeſtate tum Synodi neceſſitas, tum voluntas; eò tunc ipſos auidiores, quàm reliquos omnes, huius communis medicinæ recentia eorum vulnera efficiebant. Diſſeminata per Galliam fuerat hæretica doctrina Ioannis Caluini, in eo regno orti; qui cùm obſeruaſſet, quâ parte facilius fuiſſet deiecta hæreſis Lutherana, ſtuduerat in arce ſua noua molienda ea vitia corrigere, quæ in alterius ædificium, ſiue fortuitum, ſiue malè præparatum, irrepſerant. Acceſſit ad ipſius adiumentum, aut ſaltem ad Fidei Catholicæ detrimentum, quòd varij homines, amœnis non bonis litteris præditi, eò è Germania accerſiti à Franciſco Primo, muſarum impensè ſtudioſo, ſecum detulerant illis floribus obuolutos angues, ſuis in regionibus exortos. Quare in adminiſtratione præſenti iunioris Regis remiſsâ pœnarum ſeueritate, quibus eius parens auuſque vſi fuerant, confeſtim hæreſis ſeſe diffuderat, nouitate ſenſuumque corruptelâ fauentibus. Dum tamen inter homines potentiâ tenues ea ſe continuit, nec Principum patrocinium nacta eſt, haud multum ſollicitudinis attulit, quippe inualida reſiſtere, nedum terrere[c].

c Vide Catharinum Auilam, initio Hiſtoriæ ſuæ.

Sed non diu fuit, vt è tabernis ad turres conſcenderit. Proceres, 9
qui è regio procreati ſanguine ad Sceptrum vocantur, ſi virilis ſtirps regnantis familiæ deficiat, ægrè ferebant ſe deprimi, & ab adminiſtrationis auctoritate procul haberi. Quod ſub dominatu Franciſci Primi ſimul & Henrici ipſis acciderat, pro ea regnandi regula: Subdito cui plurimum de ſe inſit virium, eas à Principe per gratiam ſuam augendas non eſſe, ne riualem veriùs quàm miniſtrum dominationis efficiat; adeoque minùs quàm ceteris addendum potentiæ iis, quibus licet proprio quodam iure aſpirare ad ſucceſſionem principatus vbi is vacet ac proinde quibus conducibilis eſt poſſeſſoris interitus. Sed hæc auctoritatis tenuitas, tolerata ab illis dum viuebat Rex prævalidus tum pectore ad regendum per ſeipſum, tum brachio ad ſeditioſos deterrendos, tolerabilis viſa non eſt ſub Franciſco II. vtriuſque dotis indigo. Iidem etiam acrius irritati ſunt, quòd excluſos ſe cernerent omni aditu ad Galliæ adminiſtrationem ab extraneis, non ſolùm genere ſed etiam patriâ, cùm vniuerſa poteſtas eſſet penes Reginam viduam, quæ Italica erat, & Principes Guiſios, regiæ coniugi coniunctos ſanguine, & matri quodam veluti fœdere; qui Principes ſurculus erant familiæ Lotharingæ, recèns in Galliam tranſlatus.

Eapropter Proceres regij ſanguinis, aliique æmuli Guiſiorum, 10
ſtudia omnia conuerterunt, vt factionem aliquam extantem quaſi

quoddam

quoddam corpus animarent, quæ in ea Regis imbecillitate per vim 1560.
ipſos reſtitueret in eum dignitatis gradum, vnde ſe iniuriâ deiectos querebantur. Tres conditiones huic factioni; ad id quod moliebantur, opus erant; ingens numerus, odium præſentis regiminis, & robur ex auxiliis externis viciniſque. Hæ omnes conditiones mirificè conueniebant in noua ſecta, quæ ab aſſeclis decoro nomine *Reformatorum* appellabatur, & à reliquis eo planè tempore cognomentum accepit *Hugenottorum*; propterea quòd, ſecundùm etymologiam quam afferunt plerique, Turonem illi confluebant ad ſuos conuentus habendos, prope vrbis portam, ab Hugone nuncupatam. Expendebatur, hoc hominum genus per Galliam vndique eſſe diffuſum, offenſumque ab adminiſtratione præſenti, quia contraria, non deterritum, quia imbecilla: prætereà, pro ſua viuendi ratione infenſum cuique imperio monarchico, ſiue ſacro ſiue profano: audax, nouarumque rerum cupidum, quà ex propenſione, quà ex vtilitate, & ad confinia communitum innumeris Catholici nominis hoſtibus, Germanis, Heluetiis, Britannis.

11 In hac itaque factione ſtatuerunt ſe veluti capita conſtituere, ipsâ tamquam corpore vſuri ſanguinis regij Proceres, ac potiſſimum Princeps Condæus, frater Antonij Nauarræ Regis; eratque hic Princeps inter familiæ ſuæ viros ſecundus gradu, ſed primus audaciâ tum naturæ impetu, tum impulſu conditionis, ſublimis genere, humilis fortunâ, adeoque ſeditioſos ſpiritus nutrientis. Illi adhæſere Caſtilionei, ex familia Colinia, ob æmulationem cum Guiſiis, præcipuè verò Gaſpar, ſupremus rei maritimæ Præfectus in Gallia, vir ingenti virtute, conſilio, auctoritate, & aſſeclarum numero. Molitus hic fuerat coniurationem, quâ Regem ipſum penes ſe detineret, nomine quidem vt eum à ſeruitute fraudibuſque exterorum liberaret; ſed re, vt pleniſſimam ſectæ ſuæ licentiam per vim extorqueret, & Proceribus regij ſanguinis poteſtatem nobilitati parem; à quibus eadem poteſtas pro portione ſuis clientibus diſpertiretur; ac poſteà (vti creditum eſt, & ab ipſo Rege ſcriptum [d]) vbi rei opportunitas ipſis ſuccederet, nec inſuperabilis obſiſteret obex in Galliæ populo, ſuorum Regum ſtudioſiſſimo, Coronam transferret è ſobole Valeſia, penes quam tunc erat, in Borboniam; hoc eſt in familiam Regis Nauarræ, qui alter erat Regiæ ſtirpis ramus, gradu quidem per ſe remotus, ſed omnium proximus.

d In epiſtola generali tunc à Rege vulgata. Et fusè de hoc Spondanus, anno 1560. num.6. & ſequentibus.

12 Eâ coniuratione detectâ, ineunte anno 1560. vocati à Regina fuere Caſtilionei, ſpecie quidem ad conſilium opemque ferendam, pro munerum militarium quibus fungebantur conditione, ſed re-

1560. uerà quò ſecernerentur à reliquis coniuratis, & in Regis eſſent poteſtate. Re cum ipſis in deliberationem deductâ, eorum fuit ſententia, vt habitâ ratione immenſæ multitudinis illorum qui nouam ſectam amplectebantur, agendæ in eos cauſæ ad futuram vſque Synodum ſuperſederetur. Verumtamen pro aliorum communiori
e 12. Martij. ſententia decretum eſt[e], ipſis etiam ſubſcribentibus, edictum aduerſus veteris Religionis turbatores, ſed languidâ formâ, & à compluribus improbatâ, tametſi moderatorum conſiliorum auctoribus. Etenim edictum erat huiuſmodi: Exceptis coniuratis, & miniſtris ſeu prædicantibus hæreticis, generalem indulgeri veniam iis qui Religionis causâ deliquerant, dummodò intra breue quoddam tempus Catholicam reſumerent. Et ſane quemadmodum venia cùm videtur ex magnanimitate profecta, beneuolentiam reuerentiâ mixtam parit; cùm ex animi frigedine, ſimul cum incuria petulantiam fouet: ita poſt vulgatum edictum hæretici, eorumque patroni, confidentiores quàm anteà cernebantur. Et ex altera parte auctis apud Regem tum promeritis Guiſij Ducis, ob detectam oppreſſamque prudentiâ animique virtute formidabilem coniurationem, tum indigentiâ illius operæ ad ſimiles futuras inſidias propulſandas, aucta ſunt pariter honor & potentia, cùm Pariſienſis Conſilij decreto *Patriæ ſeruator* appellatus ſit, & à Rege ſupremum poſt ſe locum tenens in vniuerſa rerum adminiſtratione conſtitutus: ita pro huiuſmodi dignitatis incrementis excreuit inuidia commotioque æmulorum, adeoque ſollicitudo attollendi omni conatu nouæ ſectæ tamquam cornua, quibus eum quaterent, ac tandem deiicerent.

Secretum Regis Conſilium hæ nubes procelloſæ non latebant. 13
Quapropter ad eas diſſipandas excogitata ibi fuerat aliqua feſtina ratio ſopiendi Religionis diſſidij, ac proinde cunctos Præſules conuocandi, vt ex eorum ſententia conueniretur de iis quæ permitti fas eſſet fidelibus credenda, & quæ præſcribi oporteret Eccleſiaſticis ſeruanda: quod abiturum erat in propriam quamdam nationis Synodum, ſemper Pontificibus execratam; quippe inefficacem ex auctoritate erga hæreticos, ad extinguendum antiquum ſchiſma & aptam inter Catholicos, ex defectu rectoris falli neſcij, ad noua ſuſcitanda. Idcircò Pius, tum cohortationibus coràm expoſitis per Philippum Naldum Bordiſeræ Dominum (qui poſtmodum ab eo Purpurâ cohoneſtatus eſt, quique tunc à legatione, quam ſub Paulo IV. ac ſub ſe Romæ exercuerat, in Galliam anteà redierat) tum litteris Turnonij atque Ateſtini Cardinalium, Regem ab eo conſilio dimouerat,

mouerat, obtuleratque quantociùs remedium validiſſimum, maximeque legitimum, hoc eſt, Synodum Oecumenicam. 1560.

14 Lætus oblatam Synodum excepit Rex, miſitque Romam ad rem conficiendam Abbatem Mannenſem è ſuo Conſilio, cum mandatis Pontifici communicandis[f]. Ibi committebatur Abbati, vt ſummoperè Pontificem laudaret ob tam pium propoſitum, ad quod peragendum ſuo patrocinio ac regno ſe praſtò futurum pollicebatur: vt ſimul etiam ad rem celebrandam eum ſtimularet; moneretque reuerenter atque ſincerè, viſos fuiſſe antegreſſos Pontifices proponere & conuocare Concilium ad meram ſpeciem; quandoquidem iam coactum, cunctiſque Principibus illi fauentibus, ex qualibet leui cauſa dimiſerant: id de Pio Pontifice minimè credi; quin potiùs illum per celeritatem in eo cogendo, & per opera ſubſecutura, huiuſmodi ſuſpicionem ab hominum mentibus procul amoturum: Regem ex proſperi ſucceſſus deſiderio eâ vti libertate, vt ob oculos ipſi poneret quæ profutura putaret, iis tamen quæ ſtatuenda eſſent, in eius ſapientia & auctoritate repoſitis.

[f] Eſt in libro Inſtructionum, quas diximus, in Archiuio Vaticano.

15 Ac primò quidem de Concilij Sede ſibi comprobatum iri id quod Cæſar & Rex Catholicus, ſuæ coniugis frater, comprobaſſent; ſed orare Pontificem vt rem diſpiceret: Tridentum videri parum idoneum, tum quòd tantæ multitudinis, quanta conuentura credebatur, hoſpitio excipiendæ capax non eſſet; tum propter cæli ſoliqùe incommoda, à ſuis ſibi Præſulibus enarrata, qui Pauli ætate ibi degerant; potiſſimè verò, quia numquam eò acceſſuri fuiſſent Proteſtantes, ſine quibus Concilium haberi non poterat ad plenam totius Reipublicæ Chriſtianæ ſalutem: multò minùs indicendum illud eſſe per eam formam, per quam edita ſub Iulio III. ſuſpenſio tolleretur; id enim perinde fore, ac velle pro certis ponere quæ iam ibi ſancita fuerant Proteſtantibus non auditis, vt proinde, quod ad ipſos ſpectabat, videretur hæc noua conuocatio opus futile ac deridendum. Neque Regis hîc mentem eſſe, hæc hæreticorum obiecta quaſi æqua tueri; ſed ſolùm Pontifici penſandum proponere, abſque illorum conſenſu nequaquam perceptum iri præcipuum Concilij fructum, vnitatem videlicet ac pacem Eccleſiæ: ſatis eſſe compertum, poſtremo conuentui ſub Iulio Pontifice multos Principes repugnaſſe. In præſentia Regem Hiſpaniæ ſibi ſignificare, eam ſe ſtationem Synodi accepturum, quæ Cæſari probaretur, tamquam eiuſmodi, in quam Imperium vniuerſum conueniret; eaque de cauſa fuiſſe legatum à Rege Galliæ ad Cæſarem Epiſcopum Redonenſem, qui eius mentem intelligeret.

1560. Interim ex variis quæ nominabantur vrbibus, videri ſibi Conſtantiam communiùs comprobari; idcircò eam à ſe proponi Pontifici, qui exiſtimabatur in decernenda Concilij ſede non aliud ſpectaturus, niſi vt omnibus ſatisfieret. Conſtantiam prope Mediolanum eſſe; proinde poſſe illac Pontificem frequenter certiorem fieri, & etiam, vbi opus foret, abſque magno incommodo eò ſe conferre. Quoniam autem ſignificarat Pius, propriam nationis Synodum, quam Rex deſtinabat, haud ſibi placere, iniunctum fuerat Abbati, vt oſtenderet, nec eam eſſe rem nouam, nec illicitam; ſiquidem licere Regi Epiſcopos Galliæ, vtpote Conſiliarios ſuos, conuocare, vbi opportunum id duceret ad illorum ſententias audiendas: numquam tamen in cogitationem ſibi veniſſe, aggredi quidquam noui abſque palàm ſuffragante Pontificis auctoritate; præſertim in legibus Eccleſiaſticis, ac Conciliorum doctrina, de qua adeò certum firmumque animum Rex gerebat, vt ſibi ne in mentem quidem incidiſſet, vllam ibi mutationem habendam; ſed rationem tantummodò ſtatuendam illius tradendæ, atque explicandæ. Nihilominùs quando Pontifici conuentus huiuſmodi gratus non erat, & Oecumenicum ipſe abſque mora exhibebat, velle Regem à Synodo Galliæ propria abſtinere, modò reipſa non ita protraheretur Oecumenica, vt Rex ad celeriùs regno aliâ ratione conſulendum adigeretur; quod iam ſpoponderat, & de quo Præſules ſpem iam conceperant. 16

Huic ſcripto, quod Pontifici Mannenſis Abbas detulerat, per alterum reſponſio reddita eſt, quo prudenti tolerantiâ ſe continuit Pius, ne exprobraret, ad ſuperiores, qui accuſabantur, Pontifices defendendos, id quod in alios Principes culpam regereret; hoc eſt, primam conuocationem habitam à Paulo fuiſſe per laborem plurimùm, prorogatamque plures annos in Principum gratiam, qui Concilium donec longinquum crederent, poſcebant; vbi verò propinquum adſpicerent, recuſabant, & ab eodem Paulo bis detentos diutiùs Legatos ſuos priùs Vicentiæ, dein Tridenti, ſed fruſtrà, propter abſentiam Præſulum Principibus ſubiectorum: hos tertiâ vice Tridentum veniſſe admodum infrequentes, ac potiſſimùm Gallos, ex quibus confeſtim quidam abſceſſerant. Concilium fuiſſe tranſlatum Bononiam ex neceſſitate repentina, & inſcio Pontifice, atque omnium ferè Patrum conſenſu: idipſum poſteà à Rege Galliæ comprobatum: ac denique diſſolutam ibi Synodum fuiſſe ex eiuſdem Regis ſententia ob acerrimam Cæſaris repugnantiam. Reponendæ Tridenti Synodo ex Iulij Decreto Regem ſolemniter conſenſiſſe, 17

ſenſiſſe, ſed poſteà mentem mutaſſe, propterea quòd Pontifex pati 1560.
noluerat, vt ab eo Gallicorum militum copiæ inducerentur in vrbem Apoſtolicæ Sedi beneficiariam; & Regem Synodo tunc repugnaſſe, tametſi reuerà ille armorum motus nulli eſſe poſſet obſtaculo, ne tuti accederent Tridentum, ibique degerent Antiſtites Gallicani. Tam longè Iulium abfuiſſe ab emendicandis pro ſolutione Synodi excuſationibus, vt denuntiationes regias haud moratus eam proſecutus fuerit, donec Lutheranorum impetus non ſolùm eos omnes Patres in fugam egerat, ſed paulò pòſt ipſum etiam Carolum Cæſarem fugarat.

18 Nihil ex his voluit Pontifex reſpondere, quippe quæ adeò in comperto erant, vt eorum commemoratio ad ictum magis quàm ad purgationem, & ad rem præſentem valeret. Sed reſcripſit, Sui non eſſe muneris, de iis quæ deceſſores egerant, rationem reddere; ſe quidem numquam commiſſurum, vt ſimilia imputari ſibi poſſint. Quando inter ſe Regemque de celeritatis neceſſitate conueniebat, ſibi expeditiorem cogendo Concilio locum non obſeruari quàm Tridentum; ita namque cunctis diſputationibus præciſis, facile erat vno verbo ſuſpenſionem auferre, cùm eidem domicilio Principes omnes Chriſtiani, etiam Proteſtantes, aliàs conſenſiſſent. Super hoc quoque exemplar cuiuſdam reſponſionis, priùs redditæ ad alium libellum de eodem à Cæſare miſſum, Abbati traditum eſt, cuius ſententiam mox afferemus. Præcipuè verò reuocatum eſt in memoriam Regi, aſſenſum fuiſſe Tridento inclytum ipſius auum; quamquam Henricus parens propter bella, à ſe poſtmodum in Pontificem Cæſaremque ſuſcepta, noluiſſet Synodo ibi à Iulio repoſitæ conuenire. Quod ſi poſt habitam Tridenti conuocationem viſum eſſet eam aliò transferre, Pontificem numquam reluctaturum æquitati atque honeſtati ad commoditatem vtilitatemque communem, dummodò manſio, quæ proponeretur, tuta foret à vi, & extra hæreſis ſuſpicionem. Hanc ſuſpenſionis abrogationem, quò celeritati conſuleretur, Regi Catholico ſummoperè probari, & ſpem eſſe, Regem Chriſtianiſſimum, habitâ ratione tam præclari tituli quem gerebat, & ſimul maioris acriuſque vrgentis neceſſitatis, quâ eius regnum premebatur, nemini conceſſurum in maturando promouendoque negotio. Breuì à Pontifice miſſum iri certum hominem ad Ferdinandum, qui de re ageret, iuſſus quoque cuncta cum Franciſci Regis ea in Aula Oratore communicare. Et quemadmodum Rex Hiſpaniæ ſua ſtudia pollicitus erat, quibus patruum ad id cohortaretur; paria ſimiliter ſtudia ſpondere ſibi Pontificem à Gal-

1560. liæ Rege. Credendum eſſe, Cæſarem, vbi duos tantos Reges in eo conſilio coniunctos cerneret, ad eorum ſententiam ac voluntatem ſe conformaturum. De propria nationis vnius Synodo differere opus non eſſe, dum Oecumenica præſtò erat.

Ita Pontifex; ſatis gnarus, vbi cum Principibus agitur, oportere litem ad id ſolum redigi, quod declinari non poſſit; atque in eo pro ſe ſtantem non rationem modò, ſed neceſſitatem palàm fieri, quò firmitudo excuſetur; & pro altero vtilitatem conueniendi, quo ſponte honeſteque flectatur.

CAPVT XIII.

Acta per Epiſcopum Tarracinenſem à Pontifice cum Hiſpaniæ Rege de Concilio indicendo, amouendiſque in eo regno Iuriſdictionis Eccleſiaſticæ detrimentis. Staniſlaus Oſius Nuntius ad Cæſarem miſſus. Varia tum ab ipſo Cæſare, tum ab Auguſtano Cardinali de Concilio perpenſa.

CONtigerat, mirante ac dolente in ſinu Pontifice, vt complures menſes non modò nulla legatio, ſed ne litteræ quidem ad eum peruenerint, quibus nouum ipſi Principatum gratularetur Hiſpaniæ Rex, à quo ſingularem quamdam beneuolentiam omnino ſperauerat; verumtamen magis intentus conducibili, quàm anxius de ſpecioſo, ſtatuit illum præuertere. Itaque ad Hiſpanum miſit Hannibalem Altempſium, ſuæ ſororis filium [a], acturum illi grates, gratificationemque oblaturum ob dignitatem fauente ſibi Rege collatam: hic verò Hannibal multos ibi menſes duxit ad domeſtica pertractanda. Similiter ad Ferdinandum miſit Hannibalis fratrem, de quo fuſiùs infrà. Simul etiam Gabrielem Sorbellonium, alterius ſuæ ſororis filium, ad Franciſcum Regem deſtinauit. Sed inſuper poſt hanc honorariam legationem, [b] Nuntium peculiarem ad Philippum Regem ſuper eo negotio deſignauit Reuertam Epiſcopum Tarracinæ, magni à ſe habitum ob virtutis præſtantiam, charum ob communem vtrique patriam, & ad id muneris potiſſimè adiutum commendationibus Caraffæ Cardinalis, de Pio in electione recens benemeriti, & cuius plurimum intererat, habere per eos dies in Aula Hiſpanica Pontificium adminiſtrum adeò ſtudioſum ſui, ad ſuæ familiæ commoda promouenda. 1

a Eſt in litteris Oratoris Amulij ad Senatum, 12. Maij 1560. & in multis aliis.

b Litteræ Farneſij Card. Romã ad Octauium Ducem, die non ſignato.

Tria præcipua Reuertæ commiſſa: Nauare operam, vt damna tollerentur illata iuriſdictioni Eccleſiaſticæ Paulo IV. ſedente: Cohortari Regem ad acceptandam promouendamque, quam Pontifex 2

fex

fex moliebatur, Concilij reuocationem in ſedem priſtinam: Et apud ipſum pro Caraffenſibus precatorem agere, quos Pontifex remunerari meditabatur, compoſito per eam opportunitatem Paliani negotio, quod in publicam Apoſtolicæ Sedis vtilitatem cadebat. Sed de hoc poſtremo infrà dicemus. 1560.

3 Kalendis Aprilis, in primo cum Hiſpaniæ Rege congreſſu, Nuntius hoc pacto diſſeruit: Pontificem ſui Pontificatus initio crebris litteris accepiſſe, varios metus ab hæreticis excitos in Gallia, in Prouincia tranſalpina, in Sabaudia, variaſque molitiones per Germaniam, Angliam, Scotiam & Heluetiam: priùs verò non ſine graui animi dolore audiuiſſe, idipſum eoſdem per Hiſpaniam moliri conatos; ad arma ſollicitare Mauros Granatenſes, Seriffum Algerij Dynaſtam, ac demum Turcarum opem ad Chriſtianorum perniciem implorare. Quapropter ſibi, de tam grauibus periculis vehementer ſollicito, nec minùs intento ad Eccleſiam ab his illæſam ſeruandam, non occurere, vbinam tutius ſpem ſuam figeret, quàm in Rege Catholico, qui non ſine ſingulari Dei prouidentia potentiſſimus inter Chriſtianos Principes conſtitutus fuerat tot regnorum coniunctione, nouique Orbis adeptione; & cuius ditiones adhuc immunes ferè à communi contagione perſtabant. Fieri tamen à ſe non poſſe, quin exponeret, proborum omnium animos, quàm priùs huiuſmodi bonæ ſpei plenos, tam poſteà ſuſpenſos, quòd obſeruarent, tamdiu nullum ab ipſo Rege erga Pontificem fuiſſe præſtitum officium gratulationis, obedientiæ, oblatæ operæ, nec legatione, nec litteris; negatumque Nuntio, qui præceſſerat, iuriſdictionis vſum fuiſſe, adeò vt adigendus eſſet accipere Aſſeſſorem, hoc eſt alio vocabulo, Superiorem. Per varia edicta dignitati auctoritatique Sedis Apoſtolicæ fuiſſe derogatum; & dum in ipſius adiumentum fuiſſent à Rege offerendi theſauri, ab adminiſtris regiis iniectas eſſe manus in ſpolia & in prouentus vacantium Eccleſiarum, ablatis Apoſtolicæ Cameræ iis quæ iure debentur. His incommodis vti pios Catholicos afflictari, perinde animari hæreticos, qui his argumentis vulgò perſuaderent, hæc Hiſpaniæ cœpta eò tendere, vt ſe obedientiæ ſacroſanctæ illius Sedis paulatim ſubduceret. Nihilominùs huiuſmodi ſuſpicionibus haud datum fuiſſe locum in Pontificis animo, conſtanter rato, hæc omnia Regem latuiſſe: vbi verò ea ipſi innotuiſſent, cunctis remedia ſtatim adhibiturum; præſertim eo tunc Chriſti Vicario conſtituto, à quo poterat ſibi Rex polliceri ad ſuorum regnorum emolumentum quidquid Pontifici ſaluâ honeſtate ac dignitate elargiri liceret.

Voluiſſe

1560. Voluiſſe igitur Pontificem Regi anteuertere, & priùs miſſo ſororis ſuæ filio, & nunc Nuntio, qui poſt impertitam illi paternam ac ſtudioſiſſimam benedictionem, ipſum de iis omnibus certiorem redderet, rogaretque, ne debita amplius officia protraheret, & indebitam in miniſtris Eccleſiaſticæ rei occupationem corrigeret: reuolueret etiam animo, à Pontificalis auctoritatis deſpicientiâ hæreſim exoriri, & ex hæreſi rebellionem. Silentium itàque imponeret Aſſeſſoris petitioni, eligeretque, pro eo ac ſatiùs duceret, ſiue vt Nuntius conſuetas facultates ſuas exerceret, ſiue vt Romam cauſæ mitterentur: amoueret iniecta vincula collectori in ſui muneris functionibus; ac reſtituendum curaret quidquid miniſtrorum manus è præteritis Eccleſiarum ſpoliis contra ius collegerant. Edicta Eccleſiæ noxia reſignaret; idque eò celeriùs, quò minùs decebat, dum opus erat Synodum Oecumenicam ad extirpandas hæreſes celebrare, tunc eas corruptelas in Hiſpania conſpici, de quibus in generali Chriſtianæ gentis conuentu agendum erat. Pari de cauſa conſtitutum ſimiliter fuiſſe à Pontifice Cardinalium cœtum, qui coram ſe frequenter conueniret ad Eccleſiaſticos reformandos, antequam eorum ſordes exponerentur in tam ſolemni ac venerando theatro expurgandæ. Ex eadem inſtantis Synodi cogitatione omne ſtudium à Pontifice adhiberi, vt Epiſcopos induceret ad ſuas Eccleſias adeundas, vbi morum emendationem præoccupantes, ea ſaltem poſſent corrigere, quibus fortiori manu opus non eſſet; reliqua verò adnotare, quorum correctionem in Concilio ſanciendam curarent. Ab ipſo Rege petere Pontificem, ad tam arduum ac ſalutare conſilium perficiendum, valida auxilia, ac mônita ſapientiæ, quæ ſibi polliceri non poterat ab iis Principibus, quorum vitio in eorum regionibus hæreſis ſeſe diffuderat; quippe qui pertimeſcerent quidquam agere aut loqui, quod contaminatis ipſorum ſubditis diſpliceret. Quoniam autem opus erat Concilio magnis ſumptibus, & ærarium Apoſtolicum non exinanitum modò proximè ſuperioribus bellis, ſed oppreſſum ære alieno fuerat; ne grauaretur Rex omni ope fauere exactioni ſpoliorum Eccleſiaſticorum, cùm præſertim ad id inuitaretur à Pontificis beneuolentia, qui in præſens per ipſum Nuntium facultatem pro Cruce ſignatis Regi impertiebat; quique, habitâ potiſſimùm ipſius Regis ratione, eius patruum tamquam Cæſarem honorificè agnouerat, Cæſareumque Oratorem ſingularibus benignitatis officiis exceperat. 4

Rex tarditatem ſuam in exhibenda Pontifici reuerentia prolixiùs excuſauit; affirmauitque, duos iam ante menſes deſtinatum à ſe 5

fuiſſe

fuiſſe Oratorem ſuum ad id obſequij præſtandum Comitem Tendiliæ, cuius poſtea cunctatio ex eiuſdem morbo contigerat: numquam ſe animo lætiori fuiſſe, quàm in eiuſmodi Pontificis creatione: ſemper ſe præbuiſſe, præbiturumque dum viueret, obſequentem filium ſacroſanctæ Sedi, adeoque ipſi Pio non pro communi ſolum debito ſe obtemperaturum, ſed ex beneuolentia ac reuerentia quadam peculiari, quâ ſemper illum proſecutus fuerat, ob conceptam à ſe opinionem de ipſius probitate atque integritate: proinde maiorem ſe obſeruantiam obedientiamque ſemper exhibiturum erga præſentem, quam erga ſuperiores Pontifices exhibuiſſet; tantique Patris conſilio directum, omnem ſe daturum operam, vt bono cunctis eſſet exemplo, nedum vt quamcumque de ſe malam ſuſpicionem detergeret. Et reipsà paucos poſt dies obſequentiſſimas litteras ſuo chirographo ad Pontificem ſcripſit, quas paulò pòſt Orator ſecutus eſt. 1560.

6 His vrbanitatis ſignificationibus quaſi frondibus, res ipſæ tamquam fructus reſponderunt. Etenim de Nuntij poteſtate dixit: Grauiſſimis rationibus perſuaſum, oportere illi Aſſeſſorem adiungi; eas verò ſe iuſſiſſe a Conſilio communicari Oratori deſtinato, à quo poſteà Pontifici exponerentur, e cuius iudicio quid eſſet ſtatuendum penderet. Verum quando iam tum Pontifex aduerſam voluntatem denuntiabat, cumque delegerat Nuntium, quo magis integrum, magiſque ſibi fidum Aſſeſſorem Rex deſignare nequiiſſet, conſenſurum ſe, vt libere conſuetas ille facultates exerceret; interim verò de memoratis rationibus edoceretur, quò eas Pontifici ſignificaret, ob incertas Nuntiorum qui venturi erant conditiones. Velle pariter Regem, vt in poſterum ſuo munere (quemadmodum præſtitit) collector liberè fungeretur: & quod ad pecuniam anteà à regiis miniſtris exactam ſpectabat, recogniturum ſe quæ acta fuiſſent, mandaturumque id quod deceret probum & obſequentem filium Pontificis, cui ſine fine pedem deoſculabatur ob Cruciatæ conceſſionem, quâ contra infideles, & in Dei obſequium vteretur. Recogniturum ſe pariter ſanctiones, cum detrimento Eccleſiaſticæ iuriſdictionis habitas, eaſque vbi conueniret reuocaturum; & ſi quid ſuis in regnis opus foret, ad auctoritatem Pontificis, à quo tam benigne ea ſibi offerebatur, confugiturum. De Concilio, ſe negotij grauitate compelli ad reſponſionem maturius digerendam: rogatum ſe fuiſſe à Rege Chriſtianiſſimo, vt ambo eius celebrationem à Pontifice coniunctim peterent; & accerſitos à ſe complures viros doctos ſuæ ditionis, vt in tanta deliberatione ipſorum ſenten-

1560. tias audiret. Plurimos deinde dies eam reſponſionem Rex diſtulit, ac tandem reddidit, eaque comprobauit vt Synodus conuocaretur, tolleretur que poſtrema ſuſpenſio, omnes ſuas vires largè pollicitus ad Synodum promouendam.

Vario, Pontifex Nuntios extra ordinem miſit ad varios Chriſtianorum Principes, eamdem celebrationem curaturos; priùs ad Catholicos, dein, vt narrabitur, ad hæreticos. In Galliam perrexit Franciſcus Lancius Antiſtes Firmanus, in Poloniam Canobius, de quo infrà. Sed potiſſima rei tractatio cum Cæſare habenda erat, cuius ditiones medelâ plurimùm indigebant, & vnde erumpens eluuies aliorum regiones inundabat: quapropter alij Principes rem in ipſo repoſuerant. Ad Cæſarem itaque vrbanitatis nomine miſſus eſt à Pontifice Marcus Siticus[c], ex Comitibus Altempſiis nobilis Germanus, & è Pontificis ſorore natus, cui Caſſanenſem Eccleſiam Pius dederat, ex ipſius creatione vacantem, & aliâ tempeſtate Purpuram dedit[d]: ſed ad Religionis negotia tranſigenda comes illi additus eſt Cornelius Muſſus Epiſcopus Bituntinus[e], ſæpius à nobis laudatus, qui ad cunctos Cæſareæ Familiæ Principes pretioſa ac pia dona deferret. 7

Quod in primis Bituntini operà intendebatur, fuit, vt Regem Bohemiæ Religioni reſtitueret, qui nouis erroribus aſperſus nonnihil videbatur, præſertim quod ſpectabat ad neceſſitatem Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie ſumendæ; atque ad id mirificè idoneus Bituntinus viſus eſt, quòd in eo doctrina & eloquentia in vnum coaleſcebant, prævalida ſane coniunctio ad veritatem Fidei efficaciter inſinuandam. Et quoniam exiſtimabant Pontificij, in Maximiliano voluntatis impulſu iudicium deprauari, cùm ſe ad Imperium electum iri diffideret, dum illi parti aduerſaretur, quæ tria ad electionem obtinebat ſuffragia, viribuſque præpollebat, conatus eſt Nuntius ipſi palàm facere, plus eum fauoris opiſque ſibi polliceri poſſe à Catholicis Principibus, tam exteris quàm Germanis. Ad quod ferunt ab eo reſponſum[f], Cuilibet mortali commodo conſcientiam à ſe anteferri: effatum, quod in ſe optimum, ſi ad rem ſubiectam falſo referretur, corrumpi poſſet in peſſimum; cùm in comperto ſit, nefariis quibuſque ſacrilegiis pietatis clypeum obtendi, & verè cani, *Sua cuique Deus fit dira cupido.* Quare quemadmodum inter veneficia ea ſunt ſceleſtiſſima, quæ rebus ſanctiſſimis abutuntur; ita inter defectiones à recta Fide illæ ſunt maximè noxiæ, quæ ſacratiſſima Dei & conſcientiæ nomina ad eas cohoneſtandas profanant. Atque vbi etiam reipſa error Principis in rebus Religionis ſolam eius mentem 8

c Apparet ex mandatis Nuntio Delfino traditis, infrà afferendis.

d 29. Maij, vt in Actis Conſiſt.

e Totum eſt in litteris Amulij, 25. & 31. Maij, & primâ Iunij 1560.

f In epiſtola Amulij, 10 Auguſti 1560.

tem inficeret, is planè deteriorem illum redderet, ſi non ipſi, certè Reipublicæ; eâ ratione, quâ ex Philoſophi doctrina pernicioſior eſſet humano conſortio is qui homicidia adulteriaque patraret, ratus hæc ipſa licere, quam eorum nequitiæ probè conſcius. 1560.

9 Paulò pòſt Nuntius, qui apud Cæſarem reſideret, miſſus eſt Staniſlaus Oſius Polonus, Epiſcopus Varmienſis, æternâ dignus memoriâ, cùm ob ea quæ ipſe ſcripſit ad Fidem tuendam in libris editis, tum ob ea quæ geſſit ad eam firmandam in Concilio, cui interfuit & cum dignitate Purpurati & cum poteſtate Legati, deſumpto ab eius Eccleſia nomine, Varmienſis appellatus. Extat narratio ab illo conſcripta, & in Annalibus Abrahami Bzouij typis impreſſa [g], quæ complectitur res ab eo geſtas cum memorato Bohemiæ Rege, Cæſaris primigena, quò nouæ ſectæ falſitatem illi patefecerat. Nos verò ea narrabimus, quæ reportauit à Cæſare de reponendo Tridenti Concilio. Nodoſæ ſuper eo difficultates obiectæ ſunt Oſio à Ferdinando, prius coràm, deinde prolixo commentario explicatæ, ad Pontificem mittendæ [h]. Hæc erat ſumma: Cognouiſſe Cæſarem ex Nuntio de Pontificis animo reuocandi Tridentum Concilij, ac de voluntate auſcultandi quid ipſe, quid etiam Reges Hiſpaniæ Galliæque ſentirent: immenſam illi conſilio commendationem eſſe tribuendam, cùm vnuſquiſque fateretur, Synodum eſſe vnicam viam regiam, quâ militans Eccleſia ad optatam tranquillitatem deduci poſſet. Et quamquam ſibi adeò eſſet perſpecta Pontificis ſapientia, vt eum neque ſuo neque alterius cuiuſpiam conſilio indigum agnoſceret; tamen ipſo ita poſtulante ea ſe expoſiturum, quæ in Dei gloriam animo reuoluerat; ſed ita, vt cuncta Pontificis iudicio ſubderet.

g Ann. 1560. ſub num. 60.

h Eſt inter Commentarios Burgheſiorum.

10 Ac primò quidem: Optabile fuiſſe, vt hoc remedium multos ante annos adhibitum eſſet, quò tot clades, quæ rebus tum ſacris tum profanis acciderant, euitarentur; ſatius tamen eſſe, ſerò quàm numquam medicinam admoueri, cùm Chriſtiana Reſpublica adeò labefactata ac perturbata ſchiſmate laboraret, vt ſine celeri curatione externis viribus infidelium ægrè poſſet obſiſtere. Sed quantumuis rei conficiendæ ſatageret Pontifex, molimen tamen operis annuo ſaltem ſpatio indigere; à ſe verò nihil diligentiæ prætermiſſum iri ad rem facilius peragendam. Velle ſe interim nonnullas difficultates proponere, ſummè arduas, vt ipſe opinabatur, quas ſperabat à ſingulari Pontificis prudentia diſiectum iri, pro eo ac oportebat quò fructus è Concilio decerperetur.

11 Prima erat: Experientiâ conſtare, conducibili Chriſtianorum

1560. Concilio communem Chriſtianorum pacem opus eſſe. Idcircò cum inter Gallos & Britannos cœpiſſet bellum ſuccendi, oportere, vt Pontifex ſiue per ſe ſiue per ſequeſtros idoneos adniteretur illud extinguere; quandoquidem Britannia præcipuum quoddam membrum erat Chriſtianæ Reipublicæ, quodque humores peſſimos poſſet transfundere, eam curationem reliquo corpori præpedituros.

Altera erat: Concilium bis Tridenti inchoatum, breui tempo- 12
re & ſine fructu illic perſtitiſſe, præſertim Principum penuriâ, qui aut præſentiâ aut legationibus ipſum & nobilitarent & confirmarent. Eorum itaque frequentiam à Pontifice curandam: Cæſarem in eo ſuis partibus haud defuturum; idemque ſibi ſignificaſſe Regem Hiſpaniæ ſe peracturum. Sed quid haberent in animo Reges Galliæ, Britanniæ, Luſitaniæ, Scotiæ, Sueciæ, Poloniæ, Senatus Venetus, aliique, ſibi non liquere: opus eſſe propterea, vt Pontifex opportunè cum ipſis ſiue per ſe ſiue per idoneos ſequeſtros ageret; & vbi Pontifex arbitraretur Cæſaris quoque operam impendendam, ſe illi, pro eo ac obſequentem filium decebat, morem geſturum. Quod ad Principes, Ordineſque Imperij ſpectabat, certum eſſe, Eccleſiaſticos & laicos Catholicos conuenturos; eos verò, qui Confeſſionem Auguſtanam ſequebantur, nonniſi duriſſimis conditionibus impetratis, quas ipſi in poſtremis Auguſtæ Comitiis efflagitauerant, conſenſuros. Num autem tentandum eſſet armis ſubigere homines potentes, obſtinatos, variis fœderatis munitos, eoque pacto Chriſtianas nationes bello maximè periculoſo peruertere, perpenderet Pontifex, quàm opportunum foret conditioni temporum; & prætermiſſo per ſilentium, quàm ægrè, quamque incommodè ipſe Cæſar, anguſtiis quamplurimis obſeſſus, armorum exciret motum, vnde vocaretur in dubium ipſius fides, annis ſuperioribus obſtricta per publicam Germaniæ pacem: ſe quidem omni beneuolentiâ atque ardore eos ad Concilium inuitaturum.

Tertia: Synodo bis inceptæ graui detrimento fuiſſe Pontificis ab- 13
ſentiam, quæ apud multos ſanctionum auctoritatem eleuarat, cùm tamen in priſcis Conciliis compertum eſſet, quantum dignitatis præſentia Romanorum Pontificum ipſis attuliſſet. Quare oportere, vt in hoc recenti huiuſmodi auctoramentum omnino non deſideraretur.

Quarta erat de vrbe Tridentina, vbi Synodus euentu improſpe- 14
ro bis fuerat coacta. Huiuſmodi conuentus domicilio opus eſſe loci amplitudinem, vbertatem ſoli, populi Religionem, & ſitus op-

portu-

portunitatem ad cuiuſuis nationis acceſſum. Neſcire Cæſarem an cunctas conditiones enumeratas Tridentum complecteretur; imò ſcire, primâ conditione illud carere: proinde quoniam ſemper dictitatum fuerat, ſatius eſſe in Germania Concilium celebrari, tametſi Cæſar voluiſſet in præſentia de graui Pontificis ætate rationem habere, eumque ad longioris itineris incommoda nequaquam inducere; tamen ſe illi proponere, ſi fortè magis idoneam ille cenſeret Germanicam aliquam vrbem, exempli causâ Coloniam, cunctis reliquis conditionibus præditam, multiſque nationibus Chriſtianis, & omnibus Imperij Principibus commodam, & quò Pontifex deferre ſe poſſet per Galliam ac Belgium, abſque graui perpeſſione moleſtiæ, & extra omne diſcrimen; vel, quò breuiùs faciliuſque ipſi locum adire liceret, Conſtantiam aut Ratiſponam eligi poſſe. 1560.

15 Quinta: Quamuis Cæſar, vtpote obſequens Pontificis filius, non auderet rationem præſcribere, quâ in Concilio res Religionis eſſent agitandæ; tamen ſtudio proſperi ſucceſſus ſe ob oculos illi ponere, Proteſtantes conqueri de nimia duritia, quâ Synodus antegreſſa in eos vſa fuerat, publicæ fidei tabulis haud ſibi impertitis eâ formâ, quâ Bohemis conceſſæ fuerant à Synodo Baſileenſi, nec iiſdem ibi ſatis auditis. Etenim cùm illi articulos ſuæ Confeſſionis protuliſſent, quò Patres illorum falſitatem oſtenderent, aut ipſis permitterent rationes ſuas Concilij Decretis obiicere, neutrum impetrauerant. Quocircà indulgendum ipſis in poſterum, vt in eo ſibi ſatisfieret.

16 Sexta: Cùm Pontifex animum præ ſe ferret reſumendæ continuandæque Synodi Tridenti ſuſpenſæ, in hoc etiam prævalida ſibi obſtacula obiici: non quòd promulgata Decreta impugnare aut debilitare mens eſſet; ſed quod huiuſmodi continuatio fieri non poſſe videretur tum Proteſtantium causâ, qui abſque dubio audiri vellent de integro, etiam ſuper articulis ibi ſancitis; tum quorumdam Catholicorum Principum reſpectu (Galliæ Regem indicabat) qui ſolemniter in eam Synodum proteſtati fuerant: proinde minimè defuturum qui affirmaret, haud licuiſſe paucorum conuentui, cunctorum vniuerſitatem obligare. Huc accedere, ſuſpenſionem ad duos annos decretam, iam octauum prætergreſſam eſſe, nullâ habitâ aliâ ſuſpenſione. Denique, ampliori gloriæ futuram Pontifici nouam Synodi, quæ ſua integra eſſet, celebrationem, quàm priſtinæ continuationem, in qua vti opus ipſum, ita laus magna ex parte aliorum foret.

Iam verò, quoniam tam ardua erat Concilij conuocatio, eiuſque

1560. exitus tam ambiguus, cupere Cæſarem, audiri à Pontifice mentem ſuam de aliis adiumentis, quæ prætermiſſionem Concilij compenſarent: maxime verò cùm omnes Catholici nondum in ipſum propenderent, quorum nonnullis correctio non placebat; & in quouis euentu per annos plurimos matureſcere fructus non poſſet, & vrgenti indigentiæ tanta mora intolerabilis videretur.

Eo poſito, tametſi omnis caro eſſet corrupta, maiorem tamen quàm in reliquis corruptionem agnoſci in Eccleſiaſticis viris, quod affirmarant multi ſanctorum Patrum, poſt quorum ætatem Clerus melioris frugis non erat. Deformis in templis ſolitudo, plurima in ſacris myſteriis ſocordia, plurima licentia in actionibus laicorum, perpetua ſcandala, cauſa potiſſima, cur vulgus in credendo laberetur: illinc propterea emendationem inchoandam. Validiſſimum ad Fidem illicium eſſe præclaram docentium virtutem; huc admouendam à Pontificis dextera primam curationem, vt Ordo Eccleſiaſticus priſtino reſtituatur ſplendori, nolitque alius eſſe, alius apparere, milites habitu, Clerici lucro, ſed neutrum operibus: ad id omnem à Cæſare ſuæ poteſtatis opem offerri. Poſtremo loco proponebat, videri laxamentum aliquod in ſeueritate Canonum expoſci ab illius æui hominum imbecillitate, ac potiſſimùm duabus in rebus, ſupra modum expetitis, à populo altera, altera à Clero: eas eſſe, vſum Calicis conceſſum laicis, & coniugium Sacerdotibus. Harum priorem haud pendere ab integritate Corporis Chriſti in qualibet ſpecie, ſed eſſe omnino penes arbitrium Eccleſiæ; cui vti licuit id iure prohibere in Synodo Conſtantienſi, perinde poſteà, ſpectatâ diuersâ temporum conditione, licebat idipſum concedere; nec à Cæſare illud ſui gratiâ poſtulari, ſed quò flagranti aliorum voto ſatisfieret. 17

Alterum poſtulatum proſequebatur, conatus perſuadere plurimis rationibus vxores Sacerdotibus concedendas; de quo ad finem Operis aliquid differemus: ac demum narrabat, ab Archiepiſcopo Saliſburgenſi, vnà cum Synodo Epiſcoporum ab eo habita, ſe rogatum vehementer fuiſſe, vt duos hoſce quos memorauimus abuſus interdiceret populis hereditariæ ſibi ditionis, ad ipſorum Diœceſes ſpectantibus; ſe verò, quippe à primis vſque annis in huiuſmodi rebus verſatum, ſatis noſſe, quid reipſa confici poſſet. Quapropter quæ ſibi difficultatem afferrent, ſe illis ſcripto ſignificaſſe; quod pariter Pontifici communicabat, cupiens cum ipſo agere pro eo quod obſequentem filium, & Catholicum Imperatorem decebat. 18

Hæc omnia Pontifici à ſe ita deferri, vt ipſius iudicio ſubiice-

rentur,

rentur, ac potiſſimè quod ad memorata duo capita ſpectabat: ea verò nec ſibi à ſe depoſci, nec ſuâ ſententiâ comprobari; ſed ſolùm obiici perpendenda Pontifici, itidem ac ſibi expendenda ab aliis obiecta fuerant. 1560.

19 Cum hoc Cæſaris ſcripto miſit ad Pontificem Nuntius aliud quoque Auguſtani Cardinalis, ſummâ apud vtrumque Principem in iis negotiis auctoritate. Significabat ille, Ea quæ proponebat conſilia, à ſe fuiſſe decerpta è variis documentis magnorum virorum, ſtudioque Religionis præſtantium. Duo laxamenta à Cæſare flagitata, ante Synodum concedenda non eſſe, nec ad eam celebrandam feſtinandum, tametſi Gallus extimularet, cùm oporteret priùs Catholicos Principes in vnum probè coaleſcere, vt ipſorum præſentiâ viribuſque Concilium communirent; idque potiſſimùm agendum eſſe à Germanis Principibus in præcedenti conuentu, vbi Proteſtantes ad id compellerentur, & ſimùl Catholici inter ſe coirent; aliter Concilium deſpicatui, furorique hoſtium ludibrium euaſurum. Inflexibili conſilio in ſola Tridentina manſione minimè perſiſtendū, ne ſubitò in obſtacula impingeretur. Eligi poſſe* Columbinum, vrbem liberam in Alſatia, à Belgio, Burgundia & Lotharingia haud longinquam, Tridento duplo ampliorem, regionibus Catholicis, & penè cunctis Auſtriacis vndique circumſeptam, & ob Rheni propinquitatem, fertilium prouinciarum, commeatu abundantem.

* Vulgò Colmar.

20 Ex hiſce ſcriptis animaduertit Pontifex [i], id quod deceſſoribus acciderat ſibi quoque contingere: nimirum, ſe antequam res inſtaret vrgeri ad Concilium omnium ſtimulis; ſed cùm ventum eſſet ad limen, nouarum cunctationum, nouarumque cautionum fræno coërceri; cuius rei cauſam eſſe quamdam ſpecioſam appetentiam habendi Concilij, quo morbus iam inſanabilis ſanaretur, non quo præceps humoris praui fluxio ſiſteretur, & membra, quæ integra erant, ſeruarentur; & ab hac eadem cupiditate allici ad eos imitandos, qui ardenter cupidi intolerabilem ſed immedicabilem podagram curare, empyrica aſſumunt medicamenta, quibus aut manci redduntur, aut conficiuntur. Etenim tunc pariter Pontifici proponebantur eiuſmodi Concilij conditiones ad hæreticos alliciendos, quæ idem Concilium ipſis Catholicis lethale reddidiſſent, ſubdentes quæſtioni, tamquam falſo obnoxias, anteactas ſanctiones; quod perinde erat, ac fateri, futuras etiam falli poſſe, & vitalem omnem ſuccum ab Eccleſia Fideque ſubtrahere: ſed hominibus moleſto bello diuexatis conſueta ſtultitia eſt, id à ſociis fœderatis petere, quod hoſti communi gratum ſit, & quo non tam reconciliatus fiat quàm inſuperabilis.

i Cuncta conſtant ex mandatis Delfino Nuntio traditis, quæ ſunt in Archiuio Vaticano.

CAPVT

1560.

CAPVT XIV.

Pontificis colloquia de Concilio, tum publica cum omnibus ſimul Oratoribus, tum priuata cum ſolo Veneto. Reſponſa ad Cæſaris libellum, miſſa per Delfinum Nuntium.

DIſſeruit de hoc argumento Pontifex præcipuè cum Marco 1
Antonio Amulio, Oratore Reipublicæ Venetæ, apud ipſum
degente, cui admodum fidebat, tum habitâ viri ratione,
vti patuit, dum illum poſtmodum coëgit eam dignitatem admitte-
re, quam tot mortales deperiunt; tum reſpectu Principis, cuius
perſonam gerebat, quippe in huiuſmodi negotiis ab omni vtilitatis
appetentia remoti, excepto Religionis bono, & Chriſtiani generis
concordiâ. Litteras ab Amulio ad Senatum datas, dum Oratorem
agebat, è quibus haud parum lucis hauſi, luſtrandas accepi vnà cum
aliis commentariis à Bernardino Cardinali Spada, viro qui huiuſ-
modi monumentorum locuples archiuum habet in ſua Bibliothe-
ca; ſed alterum longe locupletius ac præſtantius in memoria, quique
mihi tot ſtimulos ſubdidit, tot monita, tot adiumenta ſuggeſſit ad
hoc Opus conficiendum, quo Eccleſia Catholica defenditur, vt re-
uerà poſſit eiuſdem Operis auctor appellari non minùs ille, dum
meam manum impulit ac firmauit, quàm ego, dum ipsâ calamum
contractaui.

Has litteras Amulij, & alterius cuiuſpiam eiuſmodi Oratoris, 2
animaduerto Suaui pariter innotuiſſe, cum varia ipſe referat ibi pe-
culiari modo deſcripta. Sed duo inter me atque ipſum interſunt
in eruenda narrationis materia ex inſpectis litteris: alterum, quòd
Suauianâ chimice ſtudet ab eo, quod ipſe tractat, ſolum extrahere
quidquid fœculentum eſt, adeoque prætermittit quidquid iidem
Oratores ibidem apponunt ad commendationem defenſionemque
Pontificis: quemadmodum non ſolùm patebit ex narratione,
quam infrà delibandam dabo, in illorum litteris contenta, ſed
exempli gratiâ, ex iis, quæ ſcribit Amulius ad Senatum 6. Septem-
bris anno 1560. his verbis: *Sereniſſime Princeps, in hoc Pontifice depre-
henditur ingens amor communis boni, & optimus animus:* quæ verba, &
ſimilia, paſſim obuia in huiuſmodi litterarum voluminibus, quaſi
reguli, qui viſi venenum afflarent, ſilentio obteguntur à Suaui; in
quo vere ſimul cum hac reliquæ omnes notæ liuidi, nullaque au-
ctoritate præditi narratoris conſpiciuntur, quas Plutarchus obſer-
uauit in libello, *De Herodoti malignitate.*

Alte-

3 Alterum quo à Suaui diſcrepo in huiuſmodi monimentorum vſura, eſt, quòd ipſe in iis quæ propoſito ſuo conducunt, pleniſſimam fidem tribuit his Oratorum litteris, etiam in rebus quas ipſi non viſu ſed auditu acceperunt, nullâ aliunde comprobatione quæſitâ; quod à me minime fit, nec fieri debet, niſi quando lux aliunde peti non poſſet; tunc verò per cautam quamdam dubitationem: ſiquidem eos animaduertimus ſæpè deceptos, non modò in arcanis negotiis, ſed in patentibus; vnde ſuper his etiam non rarò ſunt ab ipſis reuocanda quæ priùs ſuis Principibus ſignificarant: idque in Amulij litteris frequens eſt. Exemplo ſit: dum ipſe ad Senatum ſcribit Caraffenſium captiuitatem, tametſi complures poſtquam ea contigit dies, [a] enumerat ſimul cum illis cuſtodiâ incluſos quoſdam inſignes Præſules; quod verum non fuit, & ipſe die poſtero palinodiam cecinit. Sed ad narrationem. 1560.

a 14. Iunij 1560.

4 Amulio itaque expoſuit Pontifex, ſemel publicè, & coram reliquis Oratoribus, quod infrà memorabo; ſæpiùs verò priuatim & amicè ea quæ hîc ſimul ſubiiciam, quò melius vnico obtutu cuncta lector adſpiciat [b]: Velle Principes & nolle Concilium: expeti à Gallis conditiones, quæ planè videbantur à Proteſtantibus dictatæ: Hiſpanos ſic illud amplecti, vt ſimul Cæſaris conſenſum vellent: Ipſum Cæſarem timore concuti: expeti quidem ab eo Concilium, ſed Lutheranorum offenſionem formidari: reſponſa nimis ambigua reddi, & libellum ad ſe mitti, quem Pontifex Amulio communicabat, petebatque tum ipſius tum Reipublicæ ſententiam, ſed per religioſum arcanum; re ſiquidem compertâ Proteſtantes triumphaſſent. Adiecit Pontifex, A ſe optari ſincerè Concilium, atque idcircò Tridentum proponi, bis iam acceptum: atqui ſi lactare homines ſtuduiſſet rerum oblatarum ſpecie, electionem loci adduxiſſet in medium; de qua priuſquam inter omnes conueniſſet, multum temporis effluxiſſet. Non magis Tridentinam ſedem quàm aliam à ſe appeti, dummodò tutam; ſed tales non eſſe Germanicas vrbes: quapropter ſi eò iretur, verendum eſſe ne de Præſulibus verſus illi repeterentur, quos Federicus Oenobarbus protulit:

b Litteræ 27. Maij, 3. Iunij, & 13. Iulij anno 1560.

Centum Legati venient hucuſque rogati;
Papa Prælati maneant hucuſque ligati.

Præter Lutheranorum vires, potentiorem eſſe in Germania Maximilianum Bohemiæ Regem patre ſuo Ferdinando; & in Maximiliano ſinceritatem Fidei ſuſpectam eſſe. Ac per eam opportunitatem differendi de Concilij ſtatione, Pontifex Amulium interrogauit, An eſſet conceſſura Reſpublica, vbi Tridentum repudiaretur,

1560. retur, aliquam è ſuis vrbibus, quemadmodum aliàs conſenſerat[b] de Vicentia.

Secundo loco difficultatem tetigit, obiectam continuationi Concilij, ſcilicet, hoc idem fore, ac res ab eo ſancitas confirmari: aitque, Non modò ne apicem quidem eſſe mutandum in iis quæ ad Fidem ſpectabant, pro qua ſanguis profundendus erat; ſed neque pariter abrogandas ſine auctoritate Concilij eas leges, quas Concilium tulerat; de quo ſimiliter Oratorem ſententiam rogauit. Apertè quidem affirmauit, velle ſe, vt omni ſibi debitâ libertate Synodus frueretur; proinde ſaluâ capitum decretorum integritate, Sediſque Apoſtolicæ dignitate, ſtatueret quidquid ipſa rectum cenſuiſſet. Si quid autem deberet ipſe alicui reſtituere (auctoritatem fortaſſe indicans Epiſcoporum) ſe ad id præſtò eſſe. Poſtremò, ſumptionem Euchariſtiæ ſub vtraque ſpecie laicis, & coniuges Sacerdotibus poſſe quidem à ſe concedi, quippe relaxationes legum dumtaxat Eccleſiaſticarum; ſed videri ſibi, haud par eſſe vt huiuſmodi ſanctiones, in aliis Conciliis firmatæ, abſque nouo Concilio delerentur: atque in hoc etiam ab Amulio petiit quid ipſe ſentiret. 5

In primo capite ſatis ille Tridentinam Sedem commendauit; ac de vrbibus Reipublicæ ſuæ reſpondit, Incompertam ſibi eſſe voluntatem Senatus; ſed cùm ab eo Vicentia concedebatur, reipſa cum Turca bellum fuiſſe, adeoque ceſſaſſe tunc rationem, ne tanti moloſſi dentes irritarentur: nunc pacem cum eo à Venetis exerceri, quæ in quietem incolumitatemque totius Chriſtiani Orbis, & Italiæ potiſſimùm, redundabat: pronum eſſe Turcam ad ſuſpiciones concipiendas, & fortaſſis etiam ad ſimulandas; quippe qui ſpeciem quæreret, vt quaſi prouocatus opprimeret: quare cùm rumor ferret, in huiuſmodi Conciliis agitanda eſſe fœdera aduerſus Turcarum potentiam, è re Chriſtiana non videri, vt Venetorum Reſpublica, Chriſtianorum propugnaculum, his periculis obuolueretur. Quamquam autem Pontifex ab eo peteret, vt ſui Principis voluntatem exquireret, variis ille temporibus ſemper reſpondit[c] in eamdem ſententiam; ſed quaſi ex ſe, & numquam nomine publico. Quocircà Pius vltrà quàm ille loquebatur intelligens, ſubiecit, Suæ mentis non eſſe, Venetam Rempublicam moleſtiis obiectare. De non abrogandis ſanctionibus Tridenti conſtitutis dixit Amulius, eſſe ſupra vires animi ſui, de rebus tam celſis ſententiam ferre; ſolùm generatim ſe noſſe, Ariſtotelem docere, latarum legum perpetuitatem adeò conferre Reipublicæ, vt expediat eas retineri, etiam cùm à principio illas condere nequaquam profuit. Denique de duabus 6

c Conſtat ex variis eius litteris ad Senatum.

bus relaxationibus, quas Cæſar petierat, Amulius reſponſionis loco Pontificem eſt percontatus, num per eas poſteà hæretici ad Eccleſiæ ſinum redituri eſſent. Cui Pontifex: Id ſe minimè credere, quando nc ipſe quidem Cæſar huiuſmodi ſpem faciebat: cùm autem id emolumenti non prænoſceretur, nec oportere ſine Concilio tam grauem in ritibus & diſciplina Eccleſiaſtica mutationem admittere. 1560.

7 Pius, præter hæc colloquia cum Amulio, manè tertio Iunij cunctos Principum Oratores accerſiit[d], excepto Gallo, quicum ait ſe collocutum ſeorſim, ne controuerſiæ potioris loci anſam præberet. Illis expoſuit memoratam cogendæ Synodi Oecumenicæ neceſſitatem, & quæ paulò antè recenſuimus, pro ea parte quam auditorum conditio opportunam ſuadebat. Adiecit, Nolle ſe propriam nationis Synodum in Gallia, propterea quòd alteram etiam ſibi voluiſſet Germania, & quæcumque Prouincia pro ſuo arbitratu; vnde non reſarcitum Eccleſiam, ſed diſciſſum iri. Iam verò cùm Synodus Oecumenica ſine Chriſtianorum Principum conſenſu celebrari non poſſet, cunctis ſe quid ipſe vellet ſignificaſſe, & in animum inducere, cunctos etiam ſibi conſenſuros: tamen fuiſſe tunc accerſitos Oratores, vt ad ſuum quiſque Principem ea de re ſcriberet, & quid ille decerneret, clarius referrent; ac proinde, ſi tantum opus aliquorum causâ ſubſiſteret, ſcirent reliqui, cui imputandum, ne eâ ſiniſtrâ famâ Pontifex oneraretur. Omnes conſilium commendarunt: ſolùm Cæſareus difficultatem inſinuauit de Tridentino domicilio; & Vargas, qui, abſente morbi causâ Tendiliæ Comite, interfuit, prolixam quaſi enarrationem habuit de Conciliis, eorumque natura; diſputans de Oecumenicis, & de propriis nationum, in quæ pluribus inuectus eſt, adeoque obliquè in Gallos ipſa appetentes. Verùm, perinde ac vſuuenit in cunctis dotibus, quarum oſtentatio intempeſtiuè adhibetur, Vargas potiùs ſcommata tamquam vanus, quàm laudem tamquam doctus reportauit.

[d] Litteræ Amulij ad Senatum, eodem die.

8 Intelligebat Pontifex, deliberationis ſummam ad Cæſarem redigi, cui tandem reliqui rem committebant. Statuit itaque ad illum mittere eam ob cauſam alterum Nuntium, qui Oſij ſtudio ac ſapientiæ adiiceret natiuam dexteritatem, comparatamque experientiam in ciuilibus negotiis, etiam ſuper iiſdem argumentis, & cum iiſdem Germanis; vt ſi aduerſo caſu in eam rerum tractationem is à Cæſare diſcreparet, poſſet adhuc manere Oſius integrâ beneuolentiâ, & operam nauare probitate ac doctrinâ recuperandis hæreticis, & Catholicis confirmandis. Ad id peragendum ſelegit Zachariam

1560. chariam Delfinum Epiſcopum Pharenſem, qui, ſicut narratum eſt, Nuntium ibi egerat Iulio & Paulo IV. ſedentibus, charus Ferdinando, cuius ipſe res geſtas apud Pontificem demortuum excuſauerat, pendente controuerſiâ, honorandus necne is eſſet à Pontifice tamquam Cæſar; adeò vt Delfinus poſt ſuum in Vrbem reditum honorificis Cæſaris litteris fuerit nouo Pontifici commendatus.

[e] Mandata ſunt in Archiuio Vaticano.

Iniunctum illi eſt, vt omni ope ſtuderet [e] palam facere Cæſari 9
neceſſitatem reſtituendi Tridento Concilij: cunctos illi vrbi ſemel conſenſiſſe; præter eam ſingulas diſputationibus, diſcordiis, cunctationibus ſubiacere: reliquos Principes accepturos fortaſſe non eſſe vrbem in ſinu Germaniæ; & vbi acciperent, ne ipſius quidem Cæſaris in eo commodum reperiri. Etenim cùm in ea regione validiores eſſent hæretici quàm Catholici, poſſent illi hos in Concilio cogere ad declarationem aliquam ſibi conducibilem; cui ſi Cæſar indulgeret, infenſos ſibi Principes Catholicos redderet, ſuum nomen contaminaret, ſuam animam perderet: ſin obſiſteret, aleam ſubiret accipiendi grauiorem à Proteſtantibus plagam, quàm antè Carolus V. cùm alia ipſe regna non obtineret, vnde ſibi confugium & arma præſtarentur. Liquere iam quid intenderent, ſibique arrogarent hæretici, Synodum videlicet Eccleſiæ conſuetudini dignitatique repugnantem; adeoque vbi in locum illis acceptum ea cogeretur, nihil id profecturum ad ipſos in Concilium alliciendos; quin potiùs ad porrigendam eiſdem opportunitatem, vt in ſchiſmaticum illud corrumperent. Tridenti remanere Concilium, quoniam ad præſtolandum belli exitum ſuſpenſum fuerat, adeoque ſoluto nunc bello ſuſpenſionem ſolui. Proteſtantes qui Synodum adirent, omni comitate acceptum atque auditum iri: ſperandum eſſe, aliquem ex illis, appetentem pacis, conuenturum, & exemplo exhibitæ huic charitatis alios pariter ſubinde acceſſuros, quibus vnitas, non euerſio Eccleſiæ cordi eſſet. Si operâ Ferdinandi Concilium retardaretur, minùs propterea eumdem gratum futurum duobus Regibus, operis celeritatem flagitantibus; Pontifici, qui eius & neceſſitatem pernoſcebat, & deſiderio flagrabat; & ipſis demum Proteſtantibus, quorum gratiâ id poſtulabatur: ij ſiquidem ſuis in conuentibus Synodum petiiſſent conducibilibus ſibi conditionibus, iiſdemque Cæſaris conſcientiæ & auctoritati repugnantibus; adeoque neceſſe haberet, vt eos per repulſam à ſe auerſos redderet; neque tunc quaſi clypeum præſtò illi futurum apertum Concilium Oecumenicum, ſine cuius conſenſu nihil innouare liceret.

De ſecuritate Tridenti; poſſe illam expendi aut Catholicorum 10
aut

aut Proteſtantium habitâ ratione: Catholicos illâ fruituros ob vires Cæſaris, Ducis Cliuienſis, Bauarici, cunctorumque Principum Eccleſiaſticorum, & ob propinquas Gallorum ſuppetias; atque à Pontifice neruos, omnes ditionis Eccleſiaſticæ, vitam ac ſanguinem ſuorum conſanguineorum exhiberi, eumdemque curaturum fœdus Italicorum omnium Principum, ad ſacroſanctum illum Conuentum defendendum: Proteſtantibus verò nihil eſſe verendum in vrbe Tridentina, ad Germaniæ portas ſita; ſed quò ipſis tutiùs cautum foret, ampliſſimas quaſque publicæ fidei tabulas, quibus abundè illis ſatisfieret, offerri; quin etiam velle Pontificem, vt non modò ipſi audirentur, blandiuſque haberentur, ſed vt Synodus iiſdem, quantum conſcientia ferret, indulgeret, conceſsâ illi pleniſſimâ libertate de cunctis eorum poſtulatis agendi. 1560.

11 Denique quod ad reformandam diſciplinam ſpectabat, nullam à Pontifice ſine linea ducta prætermitti diem: ſed nuſquam melius id perfici poſſe, quàm in Concilio, in quo vbi cenſeretur in ipſo Pontifice aliquid huiuſmodi deſiderari, libenter ipſum ſe reformari paſſurum, ſuoque exemplo reliquos præceſſurum. Addebatur Nuntio: quò remouerentur à Cæſare omnes illecebræ, quas Politici conſiliarij, humanis ducti rationibus, illi obtrudebant, ſtuderet ipſe palàm eidem facere, ſatiùs fore, ad conſeruandum in Auſtriaca familia Imperium, Catholicis quàm Proteſtantibus adhærere; hoc namque poſteriori modo etiamſi filius eligeretur, non tamen eius electionem probaturum Pontificem, nec fortaſſe Catholicos Principes, nec in primis Eccleſiaſticos Germaniæ, qui de alio ſibi Principe proſpicerent. Ac de cetero, Septemuiros hæreticos tametſi potentiâ, non tamen numero præſtare Catholicis; & in electione ſuffragia numerari, non vires expendi.

12 Vbi Cæſar his rationibus haud acquieſceret, Tridentique Synodum recuſaret, Nuntius modeſtè conteſtaretur; Non licere Pontifici citra Diuinam offenſionem deeſſe neceſſitati votiſque ceterarum nationum, quæ nouis hæreſibus perturbatæ periclitabantur; proinde Synodum alibi in Italia coacturum; obſecraretque Cæſarem, vt ſuis certè Oratoribus eam cohoneſtaret. Denique vbi adeò is obdureſceret, vt cuicumque ſeu Tridenti ſeu in Italia Concilio repugnaret, vehementerque depoſceret duo, de quibus diximus, laxamenta, morumque emendationem; ipſi Nuntius denuntiaret, Sicuti Pontifex reuocaturus non erat ſuperiorum Pontificum conceſſiones de duobus illis articulis (indicans id quod Lippomanus & Bertanus indulſerant, per facultates Pauli III. in Germaniam delatas)

1560. tas) ita neque ipſum decere vltrà progredi, niſi ex ſententia cunctarum nationum, cunctorumque Chriſtianorum Principum, ad quos articuli ſpectabant, ob ea quæ inde deduci poſſent, ac potiſſimùm ob exemplum. Quamuis enim illi articuli Eccleſiaſtici iuris eſſent, adeoque liceret Pontifici ex plenitudine iuriſdictionis eos concedere; tamen cùm de ipſis in anteactis Conciliis actum fuiſſet, ab honeſtate poſtulari, ne id per ſe ſolum ipſe præſtaret. Ad eos igitur articulos, omnemque aliam morum correctionem ſtatuendam, habere Pontificem in animo, quatuor Epiſcopos cum aliquot Theologis ſelectis ex qualibet prouincia accerſire, & ex eorum conſilio emendationis leges edere, tum communes cunctis Clericis, tum proprias, pro cuiuſuis regionis opportunitate.

Hæc à Pio tradita ſunt Delfino mandata, iniunctùmque, vt fauorem negotio conquireret à Ducibus Bauariæ, ab Archiepiſcopo Saliſburgenſi, ac reliquis Principibus Eccleſiaſticis; atque vt cuncta cum Lunenſi Comite, Oratore Hiſpaniæ, per intimam fiduciam communicaret; ſed quoad minimè poſſet cum Rege Bohemiæ: ſenſa tamen religioſa eidem inſinuaret operâ vxoris, quæ Philippi Regis ſoror erat. Vſque adeò remunerari homines cupit Deus, vt quâ ipſi ad id ſibi ius comparent, non dedignetur ſe illorum quaſi ope in ſua cauſa indigum præbere.

CAPVT XV.

Cardinalium creatio. Moroni abſolutio. Montanus Cardinalis, & Caraffenſes in carcerem coniecti: eorumdem cauſæ ſeries, & exitus.

INterea quæ Pontifex cum Principibus foris agitabat, magis 1
conſpicua ab eodem Romæ geſta minimè prætermittam. In his primum locum obtinuit trium in Purpuratos cooptatio. [a] Ex iis vnus fuit Ioannes, Coſmi Ducis filius, cui præter reciprocam beneuolentiam, Marchionis Maliniani cauſâ in expugnatione Senenſi contractam, gloriabatur Pius beneficiis illi ſe conſanguineum oſtentare: reliqui duo, alter ſororis filius, alter ſobrinus eiuſdem Pontificis, Carolus Borromæus, & Ioannes Antonius Sorbellonius: Borromæo ſupremam tribuit auctoritatem in Aula, ſiue ad hoc impelleretur à præcellenti viri virtute, quæ non flores modò, ſed fructus in annorum vere proferebat; ſiue arcanum eſſet opus Diuinæ prouidentiæ, quæ vellet in ingentem Eccleſiæ vtilitatem vertere illud opus, quod Petri ſucceſſori caro & ſanguis reuelabat.

[a] 31. Ianuarii, in Actis Conſiſtor.

Paulò

2 Paulò pòſt in cauſa Moroni Cardinalis prolata ſententia eſt. Habes, opinor, lector in memoria, exercitas fuiſſe à Pio in minori Præſulis conditione partes Prolegati Bononienſis ſub Morono; quod coniunctionis genus quemadmodum ſæpè animos ſeiungit, cùm inde fit vt inferior ſuperioris vitia deprehendat, aſperitatemque patiatur; ita è diuerſo eos connectit, cùm efficit, vt virtutem introſpiciat, & comitate fruatur, quod tunc euenerat. Quapropter poſteà in ordinis æqualitate intima neceſſitudo perſtiterat, quam vnitas etiam patriæ nutrierat; ac demum aucta Pij dignitas amorem in eo auxerat erga Moronum, qui illam flagrantiſſimè promouerat[b]. Optabat idcircò Pontifex, in eo præclaro viro notam, ab enormi ac publica criminatione inſperſam, abſtergere. Sed quò magis in aperto patebant huiuſce beneuolentiæ ſtimuli, eò cautius ipſi erat agendum, vt res cum integra vtriuſque dignitate perficeretur; adeoque palàm fieri oportebat, in ea quæſtione, in qua nimia pietas fuiſſet impietas, nihil tribui aut patriæ aut amicitiæ, ſed cuncta iuſtitiæ. Quare ex iis Purpuratis, quibus Paulus cauſam commiſerat, duos ſelegit Pius, in maximo cunctis pretio ob integritatem, nec minùs ob excellentiam in altero Iuriſprudentiæ, in altero Theologiæ. Hi fuere Puteus, & Ghiſlerius tunc ſupremus Quæſitor, ac poſteà Pij ſucceſſor. 1560

b In Comitiis.

3 Perſpectâ igitur ab his accuratè cauſâ, iidem eam ad Pontificem retulerunt: ex quorum relatu, aliorumque inſignium Doctorum iudicio, Pontifex in hanc ſententiam venit, ab eorum vnoquoque ſignatam, eamque per Ptolomæum Gallium, qui tunc Pontifici à ſecretis erat, ac poſtmodum Cardinalis præclari nominis, à patria Nouiocomenſis vocitatus, in Senatu recitari iuſſit: *Coniectionem in cuſtodiam Moroni Cardinalis, fortaſſe iuſſu Pauli IV. peractam, ne minimo quidem indicio præcedente contigiſſe: & inquiſitionem, & cuncta cauſæ acta fuiſſe irrita, iniqua, & iniuſta: præſertim quia præſcripta in Vaticanis Comitiis forma, & neceſſaria in cauſa aduerſum memoratum Cardinalem, ſeruata non fuerat. Prætereà ex ipſis actis non modò nullum fundamentum ad illum damnandum apparere; ſed ne vllam quidem in ipſo tenuem ſuſpicionem Fidei non rectæ: quin ex defenſionibus pro illo habitis conſtare oppoſitum, expenſis & verbis ipſius & rebus geſtis, & perpetuâ de eodem proborum & Catholicorum omnium exiſtimatione; atque idcircò à Pontifice tamquam innocentem eum abſolui, perpetuo ſilentio Fiſci Procuratoribus iniuncto.*

4 Ad hoc iuſtitiæ facinus, quod vni Cardinalium fauit, adiecta ſunt duo, quæ tribus aliis ex eodem Senatu offecerunt. Prius in Monta-

1560.

c 27. Maij 1560. ex epiſt. Amulij ad Senatum.

d Litteræ Amulij ad Senatum, 1. Iunij 1560.

Montanum, qui accitus à Pontifice, ac poſteà vetitus ipſum adire, in Æliam arcem coniectus eſt [c]. Hic iterfaciens, ob contumeliam à quodam caupone eiuſque filio ſibi illatam, iuuenili furori temperare non valuit, quò minùs vtriuſque vili ſanguine manus ac fœdiùs Purpuram inquinaret. Quamobrem Pontifex haud multò pòſt habens ea de re ſermonem cum Amulio [d], dum pro more rationem amicè reddebat ſeueritatis ſuæ, & in reo ferociam eiuſmodi deteſtabatur, illud Virgilij attulit:

Natum ante ora patris, patremq́, obtruncat ad aras.

e Litteræ Amulij ad Senatum, 20 Iulij 1560.

f 23. Septembris 1561. ex Diario.

Atque arreptâ hinc opportunitate, plures alias impudentes corruptelas illius indigni Purpurati recenſuit. Sed hic præcipuum crimen poſteà in quæſtione ac defenſionibus excuſauit, cauſatus, cędem filij culpâ quidem non caruiſſe [e], *ſed non fuiſſe intentam, nec doloſam*, vt Iuriſperiti loquuntur: propterea quòd ipſe contumeliâ ab illo laceſſitus, ſtuduerat lato ſolùm enſe hominem cædere; verùm ſe inuito eum enſis punctim vulnerauerat: & de parente, qui ad ſe vlciſcendum accurrerat, oſtendere niſus eſt, cædem fortuitam fuiſſe, ob minimè voluntariam diſploſionem ſclopi, quem ad latus Montanus geſtabat. Quocircà poſt ſexdecim menſes in cuſtodia tranſactos egreſſus inde eſt [f], multis prouentibus Eccleſiaſticis multatus, & ad celebris Monaſterij Caſſinatis ſolitudinem relegatus.

Alterum exemplum ſeueræ iuſtitiæ per eos dies à Pio præſtitum, 5
quod duos Purpuratos, patruum & fratris filium inuoluit, triſtior quædam tragædia fuit, per illuſtriores perſonas & plures actus exhibita. Quapropter cùm eius euenta plurimum ſermonis exciuerint, poſteriſque reliquerint, nec ingrata, nec omnino aliena digreſſio erit, in iis quæ ad res per Pontifices geſtas attinent, ſi pauculis in paginis hîc eam exponamus. Euectus ad Solium Pius, operâ potiſſimùm Caraffæ Cardinalis, temperauit initio ſuum apud animum recenti beneficij fragrantiâ fœtorem, afflatum à multis enormibus ab eo Cardinali patratis facinoribus; quare legauit, ſicuti narrauimus, in Hiſpaniam peculiarem Nuntium, Caraffæ addictum, eiq́ue in mandatis dedit, vt Cardinalem, vniuerſamq́ue Caraffenſium familiam Regi commendaret. Ad quod pronior etiam fuit, quoniam Vergas, Philippi Regis Orator, de Caraffa Cardinali magnificentiùs loquebatur, perinde quaſi de viro Aulæ regiæ gratioſo: ad id verò impellebatur Vargas, propterea quòd in eo gradu fuerat à Rege collocatus ſtudiis potiſſimùm Caraffæ, eiuſdemq́ue operâ meritum conſecutus, quòd Pontificem Regi acceptiſſimum obtinuiſſet. Iam verò mandata Nuntio tradita à Pontifice maiorem efficaciam

ciam traxere ab ardore beneuolentis executoris[g], qui & Regi & Albano Duci ſignificauit Pontificis animum, in eam familiam magnoperè propenſum; oſtenditque, in peractis Comitiis Pontificem à Caraffa mirificè deuinctum fuiſſe beneficio, eumdemque Caraffam Regis gratiam ſibi egregiè promeruiſſe. 1560.

[g] Cuncta conſtant ex citata epiſtola Nuntij ad Pontificem 22. Maij 1560.

6 Cum hiſce Caraffenſium commendationibus copulabantur querimoniæ in Marcum Antonium Columnam, quòd poſtridie Pontificiæ electionis Palianum fuerat ingreſſus: cohibitam à Pontifice fuiſſe iuſtam indignationem, ne primum Pij IV. iudicium contra Philippi Regis clientem exerceretur: poſcebat tamen Nuntius obſeruantiam pactionum, quæ de Paliano cum Paulo conuenerant, redditâ Duci compenſatione, oppidoque penes virum ex pactorum ſententia idoneum collocaro. Vbi Rex mallet ab huiuſmodi pactione recedere, Palianum relinqueret in libera poteſtate Pontificis, legitimi domini, qui pro eo ac ius poſtulabat, arbitratu ſuo de illo ſtatueret.

7 Hæc Nuntij ſtudia, Regi ac miniſtris adhibita, difficultatem modicam offenderunt, quod ſpectabat ad Cardinalem, ad quem ſolum noua erga Pontificem Regemque promerita coarctabantur. Quare conceſſa illi fuit prærogatiua natalium Hiſpanienſium, anteà eidem promiſſa; cuius vi poſſet ibi Cardinalis obtinere Eccleſiaſticam penſionem, quâ octo ſcutorum millia annis ſingulis pendebantur, præter alteram duodecim millium, ipſi à Rege deſtinatam Bruxellis, eaque prærogatiuâ non indigentem. Sed grauis comperta eſt indignatio in Paliani Ducem, quòd, ſicuti ferebatur, adhuc ille perduellem ſe in Regem gerebat, haud ceſſans intereſſe aduerſæ factionis conſiliis, curaueratque vt ipſe includeretur in pacificatione à parte Gallorum, retento S. Michaëlis torque, ſtudiumque Gallicarum partium profeſſus, contrà quàm probo Regis ſubdito fas eſſet: atque ex altera parte ſibi perſuadebant Hiſpani, hominem ſicut promerito, ita iure pariter carere. Etenim cùm Rex præſcripto tempore, quæ per pacta conuenerant illi obtuliſſet, accepta ab eo non fuerant, non declarata Pontificis voluntas, non collata fido arcis Præfecto ſtipendij portio, ex pactis debita; ac proinde omnem in Rege obligationem extinctam arbitrabantur. Verumtamen viuida vis Nuntij, vtilitatem Apoſtolicæ Sedis in eo prætendentis, obſtacula ſuperauit, reſponſumque propitium obtinuit, quod Romam delatum eſt reditu Fabritij de Sanguine, nobilis Neapolitani, Caraffenſium ſtudioſi, atque ad Hiſpanicam regiam miſſi tamquam Pontificis familiaris, ad eorum tranſigenda ne-

1560.

gotia. Quamobrem cùm is apud Caraffam Cardinalem magnam auctoritatem obtineret [h], eam impenderat in Comitiis Vaticanis ad ipſum in Regis clientela continendum, impellendumque ad Pium extollendum. Eius etiam miſſionem comitatæ ſunt ſtudioſæ commendationes Farneſij Cardinalis, exiſtimantis id quoque in dignitatem & emolumentum Regis ceſſurum.

Sed poſteà, tametſi Romæ in eodem munere Vargas perſiſteret, 8
cùm memoratus Tendiliæ Comes aduenisſet [i], vt amplioris dignitatis Orator, ita maioris auctoritatis, ac recentiori notitiâ præditus de Regis mente; fama eſt, eius operâ innotuiſſe Pontifici, per ea quæ poſtremò egerat in Regis gratiam Caraffa Cardinalis, deletas apud Regem non eſſe longe grauiores eiuſdem offenſiones. Quare licuit Pontifici ſe illi detegere, iratumque in Caraffenſes animum patefacere [k], ob tum vetera tum recentia Cardinalis Duciſque facinora: atque animaduerſis paribus in Hiſpano ſenſibus, aiunt, præciſam à Pio fuiſſe communicationem horum negotiorum cum Reuerta [l], quippe in iis minùs fido; ſimulque deſtinatum ab eodem, vt de illis ageret ſuo nomine cum Philippo Rege, Proſperum Sanctacrucium [m], Romanæ Rotæ Duodecemuirum, & Chiſamenſem Epiſcopum, quem ſæpiùs memorauimus deſignatum in Luſitaniam Nuntium, iuſſumque eâ opportunitate tranſire per Aulam Hiſpanicam, quò poſteà miſit Campeggium [n], Bononienſem Antiſtitem: quamquam mox, ſiue ob ingentia promiſſa, quibus ſuam operam Reuerta pollicitus eſt Pontifici Pontificiæque familiæ profuturam, ſiue quòd ille gratior peritiorque Regis in Aula videretur, eò illum remiſit, iuſſis Campeggio Nuntium ordinarium in Luſitaniam pergere, & Sanctacrucio in Galliam, cuius peritiam ſedente Iulio ſibi comparauerat. Verùm de huiuſce negotij cura in Hiſpania Sanctacrucio demandata, ne verbum quidem habetur in memorato commentario, quo ſuam ipſe vitam ſcripſit ſummâ narrandi libertate, detectiſque arcanis longè profundioribus, maiorique diſcrimini obnoxiis. Quocircà tum ex iis tum aliunde non leuis oritur in me ſuſpicio, id omne, recitatum à compluribus, fuiſſe potiùs ex veriſimilitudine creditum, quàm ex certa notitia acceptum. Atque idem exiſtimo reuerà de impenſa aduerſus Caraffenſes opera, exceptâ permiſſione ab Hiſpaniæ Rege, à cuius voluntate tam ardenter firmiterque Vargas Orator minimè receſſiſſet. Comperio quidem longè alias animi affectiones viſas eſſe in Tendilio, vtpote propriis Caraffenſium beneficiis haud obſtricto, & ob illatas vniuerſe iniurias nationi ſuæ malè affecto. Quare vbi primum hic Romam

h Litteræ Farneſij Cardinalis ad Ardinghellum, Matritum, 19. Decembr. 1559.

i Obedientiam præſtitit 16. Maij, ex Diario Magiſtri cærimoniarum.

k Extant omnia in narratione tradita Proſpero Sanctacrucio, nouo in Hiſpania Nuntio.

l Litteræ Amulij ad Senatum, 28. Iunij, & 17. Iulij 1560.

m 11. Martij, anno 1561. ex Actis Conſiſtorialibus.

n Vita iam nominata Sanctacrucij Cardinalis.

mam attigit, acutiores quidam ſuſpicati ſunt, infauſtum aliquid in Caraffenſes agitari [o], cùm Vargæ Tendilius parum fidere videretur, & illius hoſpitium recuſaſſet; ex altera verò parte in ædibus Pontificiis fuiſſet exceptus, & arcana colloquia cum Pio frequenter haberet, & cùm interim tum ipſe tum Pius elatiori ſupercilio in Caraffenſium familiam ſe gererent. Numquam tamen deſiit Vargas Caraffenſibus opitulari ad poſtremum vſque ipſorum damnationis diem [p], profeſſus, in eo ſe Regis emolumenta ac iuſſa proſequi. Quare die quadam, cùm hic in Aula Pontificia ea de re à Marco Antonio Columna carperetur, iracundè reſpondit, & acerbiora inter eos verba iactata ſunt. 1560.

[o] Litteræ Amulij Oratoris ad Senatum Venetũ, 20. Maij, & 1. Iunij 1560.

[p] In litteris Amulij, 29. Iunij 1560. & in epiſtola eius, qui ipſi erat à ſecretis, ad Rempublicam, 7. Martij, 1561.

9 Noua Caraffenſium delicta partim patrata fuerant poſt ipſorum caſum viuente Paulo, partim Sede vacante. Sed poſtremum, quod eos præcipites egit, poſt aſſumptionem Pij commiſſum. Dum Paulus viueret, à Duce Paliani confoſſus pugione fuerat Marcellus Capecius, eius conſanguineus ac familiaris, conuictus, confeſſuſque, prout ferebatur, ſuo tum ore tum ſcripto, herum ſuum à ſe fuiſſe proditum, habito cum eius vxore concubitu, dum hic in exilio abeſſet. Ea de cæde Paulus IV. à Cardinali Neapolitano edoctus, nihil crimen vindicauit, ſolùm percontatus eſt, quid de vxore Ducis actum eſſet. In ea tunc vterum gerente proli parcebatur à viro partum præſtolante; dein habitâ ratione, quòd ea proles ex alio quàm ex maritali ſemine fuiſſet concepta, mater vnàcum fœtu, ſeptem iam menſes vterum geſtans, interfecta eſt; quem fœtum Fiſci Procurator in cadauere, à ſe poſtmodum eruto, reperit. Ea porrò cædes Sede vacante Ducis iuſſu peracta eſt [q], ad idem impulſi, vti rumor tulit, litteris Cardinalis: iuſſum verò perfecerunt Comes Aliffenſis, mulieris interfectæ frater, & Leonardus de Cardine, ipſorum conſanguineus: quamquam maritus illud ſibi dedecoris priùs ab vxore promeruerat, introductis ad coniugalem vſque torum meretricibus: præterquam quòd Fiſci Procurator, vt homicidiorum noxam in Duce prægrauaret, tueri ſtuduit, adulterij crimen in muliere non fuiſſe probatum. Tandem poſt creationem Pij tentauit Dux in oppido ſuo Galleſio acta quædam formare, quibus Marcus Antonius Columna inſimularetur, quòd ipſius Ducis cædem ſeu ferro ſeu veneno molitus eſſet; & reipſa huiuſmodi quæſtio habita eſt in quemdam Marci Antonij clientem: quod, vbi Romæ innotuit, eò confeſtim eſt miſſus iudex delegatus, qui homines in carcere detentos vnà cum actis in Vrbem deferret.

[q] Eſt in compendio actorum cauſæ aduerſus Caraffam Cardinalem, apud Burgheſios.

10 Iam verò dum Caraffa Cardinalis agebat cum Romanæ Curiæ

1560. magiſtratibus, magna ex parte à nouo Pontifice nondum mutatis, adeoque ſibi obſtrictis, quippe à ſe creatis quò cauſa ſibi ex voto procederet, vnum à ſe auerſum expertus eſt, quòd ipſe in imperio ſe illi aduerſantem oſtenderat, &, quantum ex commentariis[r] illius temporis colligo, in ſeuera eum cuſtodia detinuerat. Fuit hic Alexander Pallanterus, Fiſci Procurator, qui de re Pontificem ſic edocuit, vt is coniici in carcerem eodem tempore iuſſerit Caraffam Cardinalem, Ducis fratrem, & eos qui patratæ cædis participes fuerant. Id incidit in diem ſeptimum Iunij, dum Cardinalis in ædibus erat Pontificis, Senatum ingreſſurus. Captus pariter fuit Cardinalis Neapolitanus[ſ], Pontificij fratris nepos, quòd ipſi imputaretur, ad extremos Pauli dies ſibi aſciuiſſe pretioſa quædam ex Pontificia ſupellectile, & curauiſſe obſignanda aliquot diplomata in rem ſuam ab eo qui à ſecretis Pontificius erat, iniuſſu moribundi Pontificis. Eius cauſam præcipuè defendit Marcus Antonius Burgheſius, egregius Aduocatus, idemque parens Pauli V. Pontificis, qui grati animi causâ nomen ſibi deſumpſit à Paulo IV. cuius ætate illius familia feliciter Romæ conſederat. Atque ab hoc Marco Antonio, auo ſuo, nomen inditum eſt alteri Marco Antonio, Sulmonis Principi, qui viuit in præſentia, & ſelectiſſimis commentariis abundè locuples, per benignam eorum communicationem huic noſtro Operi haud parum adiumenti contulit. Verùm Neapolitanus Cardinalis poſt miſerabilem ſuorum patruorum exitum centum aureorum millibus multatus eſt, quemadmodum ex tranſcurſu in eiuſdem electione indicauimus: quod onus tametſi releuatum fuiſſet quà gratioſâ diminutione Pontificis, quà voluntariâ collatione Collegij, quà etiam communi commiſeratione populi, breuî tamen mœſtitia oppreſſum ad ſepulchrum traxit.

Sed ad grauiora aliorum infortunia reuertamur. Eam hominum inclusionem in cuſtodia, eiuſque peragendæ cauſas magnâ animi ægritudine ac fletu retulit[t] Pontifex in Senatum: omnium cauſa peculiari mandato commiſſa eſt Hieronymo Federico, Sagonenſi in Corſica Epiſcopo, Romæ Gubernatori[u], adiectis, quod ſpectabat ad Cardinalium quæſtionem, octo grauiſſimis eorum collegis. Non diſtulit Pontifex (is certe tumor de quo diximus increbuit) per Sanctacrucium ea de re Philippum Regem certiorem reddere. Cùm autem interim contigiſſet, vt Canobius, Romam à Nuntio Reuerta miſſus ex Hiſpania 19. Iunij, adeoque dum cataſtrophen Reuerta ignorabat, renuntiaret Pontifici quæ in ipſius gratiam [x] Philippus Caraffenſibus conceſſerat; Pius non mediocriter excan- 11

duit,

[r] Dandini Card ad Capite ferreum, 6. Auguſti anno 1558.

[ſ] Diarium Magiſtri cæremoniarum.

[t] 13. Iunij, ex epiſt. Amulij ad Senatum 14. in qua, & in epiſt. die 15. aliiſque fusè exponuntur crimina obiecta duobus Caraffenſibus Cardinalibus à Pontifice, ab eoque ſubinde Amulio communicata.

[u] Acta Conſiſt. 13. Iunij, & ſententia reuocata Pij V.

[x] Epiſt. Amulij ad Senatū, 13. Iulij 1560.

duæ, negauitque ſe vmquam iuſſiſſe ea peti[y]. Sanctacrucius verò renuit poſteà, quæ ipſe tractabat in Hiſpania, communicare cum Reuerta, id ægerrime ferente. Significauit itaque Pontifex Regi per Sanctacrucium, fuiſſe Reuertam prætergreſſum mandata in æſtu commendationum, quæ potiùs ab aliis quæſita, quàm à ſe ſponte commiſſa illi fuerant: ſibi ad eam vſque diem haud licuiſſe, ob Nuntij Oratoriſque conditiones, ſe Regi plenè patefacere; eidemque luſtranda tradidit duplicis cauſæ acta, ætate Pauli operâ Caraffæ Cardinalis confecta: in quorum alteris conſtare videbatur ex Abbatis Nanni confeſſione, eum Romam veniſſe, iuſſum à regiis adminiſtris veneno inſidias Cardinali tendere; vnde Nannus tum huius tum aliorum criminum causâ capite plexus fuerat: in alteris, quorum erat inſcriptio, *Contra Philippum Regem*, continebatur confeſſio Cæſaris Spinæ Calabri, tamquam Romam miſſi ab eiuſdem Regis miniſtris, & cum ipſius mandatis, ad Cardinalem interficiendum; atque huius ſceleris nomine fuiſſe Spinam laqueo necatum. Atque vnà cum his habebantur in illis actis alia indicia inſidiarum, quas Cæſar & Rex Pontifici & Cardinali moliti fuerant: quæ turpiſſimæ calumniæ, quaſi arte Caraffæ illis Principibus inuſtæ ad inflammandum in ipſos patruum Pontificem, incredibiliter Regis animum ſuccenderunt. Ad Sanctacrucium etiam per vias miſſæ ſubinde ſunt nouæ in Caraffam criminationes, quibus palàm fieret, eum quàuis implacabili indignatione tum Regis tum Pontificis dignum reddi; cuiuſmodi erant fœdera cum Turcis ac Proteſtantibus ad Auſtriacorum perniciem, de quibus infrà erit mentio.

1560.

y Epiſt. Amulij ad Senatum, 21. Septembris 1560.

12 Cauſæ progreſſus hic fuit. Paliani Dux interrogatus de memoratis aliiſque flagitiis, quæ dicemus, cùm ea negaſſet in mitiori quæſtione, ad ſeueram, quâ extorqueretur ab eo confeſſio, adductus eſt. Ibi Dux, pro more hominum voluptatibus indulgentium, qui ad ſpeciem doloris exanimantur, tormentorum amaritiem ne libare quidem paſſus eſt; ſcripſitque ſupplicem libellum ad Pontificem, in quo fatebatur, præter cædem vxoris & Capecij, ſubdolam commutationem vnius epiſtolæ in alteram in cauſa Sfortianarum triremiũ. Etenim cùm per epiſtolam, ab eo verè ſcriptam, iniunxiſſet arcis Præfecto, vt vbi diſſidium oriretur inter Gallicos miniſtros, & fratres Cardinalis S. Floræ de illis nauigiis, operam in ea re ſuam haud interponeret, altera illi epiſtolæ ſuffecta eſt, quæ pro certo ponebat, ortam controuerſiam eſſe inter fratres Cardinalis, ipſorumque adminiſtros: vnde accidit, vt Paulus IV. in Lottino eiuſque hero fraudem crederet, & per acerbitatem, quam narrauimus, in Sfortianos ageret.

1561. Excuſabat ſe reus, id peregiſſe, quò indignationem patrui ſubterfugeret, non autem quò Sfortiani diuexarentur, & Pontifex in Cæſarianos excandeſceret, prout Cardinalis operâ effectum erat, cuius fraude ſe deceptum aiebat. Expoſuit pariter calumnias à ſe & in Columnam tentatas, & in Columnæ clientem opere completas, quas non minùs inſtigationi fratris aſſignabat. Mirum ſanè philautiæ monſtrum, & in prima hominum noxa conſpectum! vt à culpa ſe quiſpiam leuet, ipſam, tamquam in eius participem & auctorem, regerere in coniunctiſſimum ſibi caput.

Cardinali, præter iam memorata delicta, fuerunt etiam alia imputata, quibus Dux pariter inuoluebatur: Fuiſſe ab eo ſtimulatum dolo malo patruum ad arma Cæſari inferenda[a]: ſimiliter ſtimulatos Gallos ad inducias perfringendas, cùm eos cohortari debuiſſet ad pacem, ex traditis ſibi à patruo mandatis: excitos Turcas ad immittendam claſſem, quâ Cæſariani vexarentur: iactum fœdus cum Alberto Marchione Brandeburgico, præcipuo Proteſtantium ductore: defraudatos & Galliæ Regem & Pontificem militari copiarum ſtipendio: affectos capitali ſupplicio Nannium ac Spinam ob enarratas calumnias: & præter hæc eidem apponebantur aliæ cædes, vel ſua, vel alienâ manu perpetratæ & ante & poſt ſuſceptam Purpuram. Sed Cardinalis conſtanter omnia ſemper negauit: neque vnquam ad quæſtionem aſperiorem ventum eſt,[a] ſeu ne fortè toleratis ab eo tormentis, pro eo ac eius animi robur prænuntiabat, Fiſci iura confringeret, omnique ſupplicio ſe ſubduceret, ſeu quòd aliqui ex Purpuratis obiecerint, huiuſmodi quæſtionis genus ab illius Ordinis dignitate nimiùm abhorrere. Orator Venetus, quicum Pontifex de Caraffenſium criminibus ſæpiùs diſſeruerat, quique complures è ſuis epiſtolis ad Senatum ſcriptis oppleuerat huiuſmodi negotio, cuius causâ tunc omnium animi hærebant ſuſpenſi, in earum vna ita concludit: Pleraſque criminationum, quibus Cardinalis petebatur, cenſeri quidem communiter veras, non tamen ſatis probatas; & ij adminiſtri, qui criminum cauſis inſtruendis addicti erant, cognouerunt, impulſum fuiſſe Pontificem vltra id quò legitima ex actis comprobatio peruenerat. Quòd ſi liceat proferre quid ſentiam de re, cuius aliqua notitia mihi ſuppetit, nullâ animi affectione commoto; Sicuti crimina Cardinalis, per libellum fratris expoſita, veriſimilia reddi poſſunt; ita in reliquis illum plenè damnare non auſim niſi animoſioris facilitatis, & priùs in tribuenda fide viliſſimis emiſſariis, quâ lucrum ingens ſperabant ex venditatione horribilium arcanorum, quæ aduerſus ſummos Principes 13

[a] Delicta, quæ ſequuntur Cardinali adſcripta, & probationum compendium, extant plerumque in ſumma tunc confecta à Fiſci Procuratore, in ſcripturis apud Burgheſios.

[a] Epiſtola Amulij ad Senatum, 1. Februar. 1561.

 cipes comminiſcebantur, & poſteà in conſiliis audacioribus patruo ſuggerendis, iiſdemque non minùs audacter exequendis. 1561.

14 Cauſa vſque ad tertium diem Martij agitata eſt [b], quo die Pontifex exponi iuſſit in Senatu actorum ſummam, abſumptis in eo triſti opere octo horis, adeoque nonniſi ad ſecundam noctis horam abſoluta res eſt. De obiecto cum Gallis fœdere, Ferrarienſis Cardinalis, vtpote rei benè conſcius, pro reis diſſerüit, cunctique Cardinales pro collega deprecati ſunt; ſed nullo fructu. Denique [c] tulit ſententiam Pontifex ſecundùm tenorem ſchedulæ, vt aiunt (ne tunc ſententia promulgaretur) vrbis Gubernatori traditæ, annulo obſignatæ, & adiecto interdicto, ne vſque in diem poſterum ea reſignaretur: ibi damnabantur ambo fratres memoratorum criminum, & præcipuè læſæ maieſtatis & perduellionis.

15 Poſtridie noctu Paliani Dux ab arce ductus eſt in carcerem, vulgò *Turris nona* appellatum, ibique vnà cum vxoris fratre Comite Aliffenſi, & Leonardo de Cardine, capite multatus; eorumque poſteà cadauera ad Pontem Ælium expoſita ſunt, accenſis circà facibus: Ducis quidem cadauer in feretro, quod nigrante holoſerico villoſo erat obtectum, ac paternis maternîſque inſignibus ornatum; reliquorum cadauera humi in ſubſtratis tapetibus iacebant. Eâdem nocte ſtrangulatus eſt Cardinalis. Ducis exitus ob Chriſtianam pietatem & conſtantiam memorabilis fuit. Statim ille Chriſtum è cruce pendentem manu ſuſtollens, ingreſſus vicina cubicula duorum nobilium, qui ſecum flagitij ſuppliciique participes erant, eos animo tam præſenti ſolatus eſt, perinde ac ſi meri conſolatoris, & non ſimul correi munere fungeretur. Extat epiſtola moralibus religioſiſque documentis confecta ab ipſo inter eas anguſtias, ad vnicum filium ſcripta. Quare optimus eius vitæ actus is fuit, qui vitæ maximus actus eſt. Cardinalis ad inopinatum ſupplicij nuntium exclamauit: *Mihíne moriendum? O Pontifex Pie, ô Philippe Rex, id à vobis neutiquam ſperabam.* Nec vltrà querimoniæ vocem adiecit. Dixit ſe Gubernatori Procuratorique Fiſci parcere [d], quorum vtrumque inimicum ſibi in cauſæ actis declarauerat: ſacram peccatorum confeſſionem & petiit & peregit magno dolentis animi ſenſu: Beatæ Virginis Pſalmodiam recitauit: cùm veſtes indueret, petiit Purpureum ſolemne pallium, pileumque, ſed vtrumque negatum; fortaſſe quia iam ſententia eum gradu deiecerat. Poſtremò piè fortiterque ſe obtulit illi nexui, quo ſoluendus erat à corpore; ſed prior laqueus abruptus, eius neci ſæuè pepercit, quam ægrè poſterior intulit.

[b] Acta Conſiſtorialia 3. Martij, & Diarium 5.

[c] Hæc res narrata ſubinde à Noreſio, habetur fuſiùs in epiſtola Veneti Secretarij ad Rempublicam, 7. Martij 1561. quæ eſt poſt epiſt. Amulij, prius Purpurâ donati.

[d] Extat in variis Amulij litteris ad Senatum.

1561. In ſubſecuto Pontificatu Pij V. cui Paulus Purpuram dederat, 16
appellatio inducta eſt, petente Veſtrio Balbiano, tum Marchionis Montebelli illorum fratris, tum Diomedis Caraffæ, qui Ducis erat filius, Procuratore. Pontifex verò cauſam commiſit Baldo Ferratino Ameriæ Antiſtiti [e], Romæ Gubernatori, vt in cunctis ex iure procederet, exceptâ ſententiâ in Cardinalem. Denique multos poſt menſes re pleniſſimè in Senatum relatâ, quò ab errore deducerentur Purpurati, perperàm de re edocti per ea quæ ibidem tempore deceſſoris relata fuerant, Pontifex affirmauit, vtraque cauſæ acta à ſe fuiſſe perlecta, pronuntiauitque, Cardinalem, etiam primis actis ſpectatis, iniuſtè atque iniquè fuiſſe damnatum; ac proinde ipſius memoriæ & heredibus reſtituit quodcumque bonorum non irreparabilium genus tum dignitatis tum pecuniæ, quæ in cuiuſuis manum perueniſſet.

[e] Cuncta extant in ſcripturis apud Burghelios.

Gubernator pariter per ſententiam à ſe pronuntiatam declarauit, 17
Ducem malè damnatum crimine perduellionis ac læſæ Maieſtatis, reliquis ſilentio prætcritis; adeoque quod ad priora ſpectabat, eius memoriam heredeſque redintegrauit, ad ea omnia quæ tunc reddi poſſent recipienda, & cuncta detrimenta non irreuocabilia reuocauit. Verùm ea ſeueritatis temperatio in Caraffenſes, aciem ſecuris conuertit in Alexandrum Pallanterum Fiſci Procuratorem, cui caput amputatum eſt eo nomine inter cetera, quòd Pontificem decepiſſet, eoſque miſeros prægrauaſſet in contexendis actis & cauſa referenda. Quod tametſi inualidum ſit vt reuiuiſcant iniuſtè plexi, validum eſt ad aliquid longè ſalubrius; videlicet, ne innumeri viuentes iniuſtè plectantur.

CAPVT XVI.

Conuentus habitus in Fontebello; & ſuſceptum ibi conſilium de conuocanda Gallicæ nationis Synodo, vbi Oecumenica non cogeretur. Studia Regis Hiſpaniarum ac Pontificis ad priorem obturbandam; eorumque effecta.

TEmpus poſtulat, vt Hiſtoria noſtra ex anguſto Romæ pomœrio egreſſa, ad ampliſſimum totius Chriſtiani orbis theatrum reuertatur, vbi & ardua negotia, & euenta memoranda per eos menſes plurima contigere. Antequam perueniret in Galliam Abbas Mannenſis, qui 21. Auguſti [a] diſceſſerat Româ, habitus illic fuerat ſolemnis conuentus, ad quem Conſiliarij, Magiſtra- 1

[a] Conſtat ex litteris eo die ſcriptis à Pontifice ad Regem.

tus,

tus, & Equites S. Michaëlis acciti fuerant 20. Septembris coram Rege ac duabus Reginis in Fontebello. Actum ibi eſt de cunctis regni negotiis[b], de quibus optimam reddere rationem ſtuduerunt Guiſij, qui ea præcipuè adminiſtrarant. Nos verò ad illa, quæ ibi de Religione diſputata ac ſtatuta ſunt, narrationem coarctabimus. 1561.

[b] De hoc conuentu ſermo eſt præter alios apud Spondanum, anno 1560. num. 23. & ſequentibus, & eorum ſumma eſt apud Burghelios.

2 Maris Præfectus Colinius duo poſtulata Regi porrexit, quibus erat titulus, *Nomine fidelium Chriſtianorum, qui per varias regni partes diffundebantur.* Alterius erat ſumma: Se fideles eſſe Regi ſubditos, nihil prætetitâ coniuratione contaminatos, quam homines athei moliti fuerant; in reos nimis leniter animaduerſum. Vbi collatio pecuniæ, illorum cauſâ à Rege imperata, haud ſatis foret, ſe maiori oneri paratos eſſe.

Per alterum exponebanr, Se fuiſſe inſtitutos ſecundùm veritatem & Dei verbum, atque neceſſe habere, vt vnà coirent; ſed quoniam ipſis non licebat id publicè peragere, fuiſſe coactos clàm conuenire, adeoque plurimis calumniis eſſe obnoxios. Idcircò à Rege ſe petere, vt ipſis templum deſignaret, quò poſſent publicè congregari, de verbo Dei conciones habere, & ſua ſacramenta adminiſtrare. Id Rex ſi permitteret, poſſe ab eo deſtinari pro ſuo arbitratu cenſores, qui in ipſorum vitam inquirerent. Adiecit Colinius, ſe duos codicillos habere, quos ab iis Chriſti fidelibus obſignandos curauerat; ſed præ poſtulantium numero fieri non potuiſſe, vt ſuum quiſque nomen ſubſcriberet. Proinde aut ab eorum nonnullis nomen ſubſcriptum iri, aut omnes coram Rege conuenturos, numero quinquaginta millia.

3 Contra verò Cardinalis Lotharingus, vbi verba facere ipſi licuit, dixit, Sub oſtentatione obſequij in poſtulantibus, inuolui tacitam conditionem, quâ Rex aut ipſorum ſectæ fieret aſſecla, aut eam certè comprobaret; quæ comprobatio continebatur in templi conceſſione, cui Rex aſſentiri non poterat abſque perpetuo dedecore. Quod ſi poſtulatorum auctoribus aderant quinquaginta hominum millia ipſorum fidem ſectantium, illis opponi poſſe à Rege vicies centena millia Fidem ſuam amplexantium. Deprehendi ex libellis, ab illis iugiter euulgatis, quodnam ipſis ineſſet ſtudium religionis. Denique tamen temperato conſilio ſermonem clauſit, ſeu quò tempori ſeruiret, ſeu quò inuidiæ ſe ſubtraheret: Si fortè illi ſimul conſpirarent, & arma capeſſerent, armis pariter plecterentur: ſed quoniam pſalmodiâ dumtaxat vtebantur, & ſupplicia ad eam vſque diem haud fuerant ſatis, vt ab his ceſſarent; iuberentur vrbium Præfecti ſeditioſos reprimere; Epiſcopi verò & Curiones ſuas

1561. Diœceſes ac Parochias adire, & duos intra menſes corruptelas obſeruarent, de iis poſteà Regem certiorem facturi.

Lectis poſtulatis, primus ſententiam dixerat, quippe è Conſiliariis 4
poſtremus, Ioannes Monlucius, Epiſcopus Valentinus in Delfinatu, cuius diſſertatio affertur à Suaui, quatenus Romanos Pontifices grauat: ſed ne illi auctoritatem minuat, id tacet in pagina quod ſibi magis placebat in mente; nimirum, fuiſſe à Monlucio miniſtros Hugonottos antehabitos Præſulibus Catholicis tum probitate tum doctrinâ. Refert tamen, illum diu cohortatum Reginas, vt mulieres vulgari Pſalmodiæ aſſuefacerent, carminibus profanis abiectis.

Qua in re aduertendum eſt, inter hæreticorum artes ad corrum- 5
pendam hominum fidem, eam fuiſſe adhibitam, vt ipſæ etiam feminæ conſtituerentur in ſacris rebus arbitræ, vtpote deceptu faciles ob inſcientiam, pronæ ad alios deceptos putandos ob arrogantiam, ac prævalidæ ad ſeducendos etiam ſapientes, priùs in appetitu, dein in mente: eapropter nauarunt ipſi operam, vt ſacræ Litteræ materno idiomate legerentur, præſertim verò vt Dauidis Pſalmi vulgariter à feminis decantarentur. Etenim cùm hi obſcuriſſimæ ſint interpretationis, vti & quicumque non mediocriter litteratus experitur, & indicant vigiliæ Patrum doctiſſimorum in iis explicandis; mulieres, & eæ potiſſimùm quæ aliquâ intelligentiâ aſperſæ ſunt, quæque aliquo mentis acumine non carent, auſæ priſcis temporibus etiam in trutinam ſuſpendere Homerum ac Virgilium, confidunt, poſſe à ſe planè comprehendi Pſalmos; in quibus verſiculum aliquem nactæ, qui primo exteriori ſono diſcors à profundis Fidei Catholicæ documentis videatur, eius aſſeclas damnare tamquam illiteratos audent; cùm inter mortales nemo procliuior ſit ad nouas doctrinas, quàm qui ex affectu vanus eſt & intelligentiâ; nec ita hebes, vt quæ doctrinis veteribus obiectantur, non intelligat, nec ita perſpicax, vt eorum ſolutionem percipiat: quæ ſolutio ſemper magis in receſſu latet, perinde atque difficilius eſt ſoluere quàm implicare, & ſophiſmata diſiicere quàm extruere. Et planè fauente feminâ, quæ fuit Margarita, ſoror Franciſci Primi, & Nauarræ Regina, cœpit Caluini audacia primos volatus explicare [c].

c Vide Spondanum, anno 1534.

Hic porrò ſexus, qui *apoſtatare facit ſapientes*, vt affirmant Diui- 6
na Oracula, & in Salomone compertum eſt, trahit homines eloquentiâ non rationis ſed oblectationis, ad vnitatem non carnis magis quàm ſpiritus. Idcircò prudenter ab Eccleſia vetitum eſt conuerti ſacras Litteras in idiomata iis lectoribus peruia, quibus illorum

rum ſententia imperuia. Neque ad auertendas mulieres ab obſcœnitate carminum profanorum, opus eſt vt eædem exponantur periculo impietatis, per vulgarem Dauidicorum vſum: quippe plurimæ aliæ ſacræ cantilenæ non deſunt; ſuppetuntque ad imperitorum pabulum opera innumera pietatem promouentia, quibus quàm amplè abundat Catholicorum Eccleſia, tam miſerè caret quælibet hæreticorum ſecta, cùm in chartis manere nequeat ea pietas, quâ mentes carent. 1561.

7 Iam verò in reliquo cœtu, Guiſij ſtudioſiſſimi fuere Religionis & Eccleſiæ propugnatores. Poſtea dicit Cardinalis Lotharingus, parum opus eſſe quacumque Synodo, propterea quòd Fidei dogmata ſæpiùs iam ſancita fuerant, & morum reparatio abſque Synodo perfici poterat. Verumtamen communi ſententiâ decretum eſt, vt generales Ordines conuocarentur in diem decimam Decembris: & quod ad Concilium attinebat; quando Pontifex ſpem fecerat Oecumenici conuocandi, ſolùm vbi id non cogeretur, conuenirent Antiſtites Galliæ 13. Ianuarij, & de propria nationis Synodo ſimul agerent.

8 Nondum peruenerant ad Hiſpaniæ Regem earum rerum nuntij, quæ in conuentu Gallorum tranſactæ fuerant, cùm, auditis iis quæ ab Epiſcopo Lemouicenſi, Gallico Oratore, proponebantur de obiectis Tridentinæ ſtationi, ac de cogitatis ſuper proprio nationis Concilio, ſtatuit ad id in Galliam mittere Antonium Toletanum Legionenſem, Militiæ S. Iacobi Priorem, vt vulgò dicitur. Illi iniunxit, vt pro ſua virili parte Franciſcum Regem abduceret à propria nationis Synodo, oſtendens, quantum periculi illa inferret tum Fidei Catholicæ, tum regiæ auctoritati. Ad id impellebatur Philippus non ſolùm ſtudio in ſororis virum, ſed metu, ne aucta hoc pacto potentia ſeditioſorum in Gallia, malignos humores & ope & exemplo in Belgium transfunderet. Secundo loco Regi perſuaderet, vt de Concilij Oecumenici domicilio rem ipſe reponeret in Pontifice, ad quem eius electio pertinebat. Etenim vbi vterque Rex & Cæſar cum Pontifice conuenirent, iam palàm fieret conſenſus generis Chriſtiani; oppugnatores verò ob tantam auctoritatem aut tamquam aſſeclæ ad eam pertraherentur, aut tamquam temerarij animum deſponderent. Tertio loco: quoniam comperta erat violentia, quam in Franciſcum Regem nouatores intentarant, exponeret Orator; Quamquam cunctis innoteſceret, Gallici Regis vires ſatis eſſe ad extorquendam ſibi ab omnibus reuerentiam, ſubditoſque comprimendos; tamen à Rege Catholico per fraternum ſtu-

1561. dium atque amorem, ſuarum ipſi virium ſocietatem, ſuumque caput promptè ac quintocius offerri, vt ille iis vteretur ad firmandam regni ſui quietem, ſuæque dominationis auctoritatem.

Peruenit Toletanus, comperitque nouas ſanctiones habitas à recenti conuentu; & expoſitis Regi iis quæ in mandatis habebat, hoc retulit & voce & ſcripto [d] reſponſum; Ac primò quidem ampliſſimè Rex commendauit affinis Regis pietatem in cura Religionis, cura non modò inter reliquas gratiſſima Deo, ſed etiam apud homines glorioſiſſima: dein grates egit de oblata ope, eamque appellauit ſpecimen perfectæ amicitiæ, cui probandæ tamquam lydius lapis eſt neceſſitas. Parentis auique ſtudia commemorauit in Religione retinenda: de Concilio & communem neceſſitatem & ſuum proprium votum oſtendit. Hiſpanum Regem hortatus eſt, vt ſecum preces coniungeret ad illud à Pontifice obtinendum. De ſede Tridentina enarratas iam difficultates repetiit, potiſſimùm habitâ Proteſtantium ratione: Pontificem parato eſſe animo in Vercellas; alios de Veſontione ſermonem ſerere; alteram vrbem abundantiorem Tridento, alteram opportuniorem Germanis fore: ſed tandem profeſſus eſt, eum ſibi locum probatum iri, quem Rex ipſe cum Cæſare comprobaſſet. Quod ſpectabat ad Synodum propriam nationis: non eam fuiſſe deſtinatam, niſi vbi non haberetur Oecumenica; adeoque facile futurum Pontifici eam impedire. Sed vtcumque res accideret, in ea Synodo nihil de doctrina eſſe diſputandum, ſed ſolùm audiendos eos qui vociferabantur; dandamque operam, vt iidem ad frugem reuocarentur ſapientibus appoſitiſque documentis Antiſtitum, qui conueniſſent: & ad ſummum eradendas quaſdam in Eccleſia corruptelas, & per id auferenda hoſtibus arma, quibus veritatem oppugnabant. In hanc ſententiam conueniſſe cœtus iudicia: gliſcentes autem in dies tumultus, ſeditioneſque hominum qui deſciuerant ab Eccleſia, pati amplius non poſſe remedij prolationem. 9

[d] Hæc reſponſio eſt in lib 9. Inſtructionum, in Archiuio Vaticano.

Huic reſponſioni, quam Philippus acceperat etiam ab Oratore Gallico [e], apud ſe degente, is adiecit; Se iteratis illicò petitionibus inſtitiſſe apud Pontificem ad accelerandam Synodum Oecumenicam, quæ incommodum ſimul & neceſſitatem propriæ Gallorum Synodi tolleret; atque ad eam vſque horam à Pontifice paratiſſimum ad id animum præ ſe ferri: inſuper animaduerſâ Regis Galliæ auerſione à Tridento, eiuſdemque propenſione in Vercellas, ac magis in Veſontionem, ſe Romam ſcripſiſſe, quò ad alterutram earum vrbium Pontificem traheret, præcipuè verò ad Veſontionem; 10

[e] 30. Octobris in ſcripturis apud Burgheſios, & in Archiuio Vaticano, in Inſtructionum libello.

nem; cùm ipſe nullum aliud emolumentum votis omnibus intenderet, niſi communem gratificationem atque vtilitatem. 1560.

11 Neque Pius in harum rerum tractationibus deſes erat. In Galliam miſerat Cardinalem Turnonium Collegij Principem[f], & virum pari erga Religionem ſtudio ac exiſtimatione apud Aulam Gallici Regis, traditâ ipſi poteſtate, non autem titulo Legati (Legati ſiquidem titulus in ea rerum conditione auctoritatem Gallici hominis minuiſſet.) Verùm Turnonius audito per viam conſilio iam ſuſcepto cogendi Ordines generales menſe Decembri, & Epiſcopos Ianuario, anceps animo fuit quid conſultius foret, an inde abeſſe, ne dignitatem ſuam exponeret periculo aliquid indignum ibi ſpectandi; an illuc pergere, vt quantum poſſet id præpediret. Neque minus in eo pendentem animi ſe oſtendit Gualterius Viterbienſis Epiſcopus, qui miſſus iterùm eò fuerat Nuntius poſt obitum Pauli[g]. Is enim in vna eademque epiſtola ad Cardinalem ſcripta priùs illum dehortatus eſt ne accederet, dein, re melius deliberatâ, ad acceſſum eſt cohortatus. Petiit idcircò Turnonius iter faciens ab Epiſcopo Firmano, qui, ſicut indicauimus, extra ordinem Nuntius pergebat ad Concilij negotium promouendum, vt tabellarium mitteret ad Pontificem, quò ab eo certum mandatum acciperet. Intereà verò lentitudine ſtudioſâ perrexit; atque in ipſo itinere importunum quemdam motum ſedauit, excitum Auenione à Montiſbruni dynaſta, qui cùm deſciuiſſet à Pontifice tamquam à Principe ſacri Iuris, ab eodem deſciuerat tamquam à domino profanæ ditionis.

[f] Cuncta extant in mandatis Epiſcopo Firmano tradītis an. 1560 apud Burgheſios, & in citato Archiuij volumine.

[g] 15. Septembris 1560. apud Burgheſios, & in Archiuij libro citato.

12 Erat ille affinis Turnonio, qui in antehabenda armis concordia profeſſus eſt, nihil ſe ab affinitate fuiſſe commotum; ſed cùm cerneret varias conſpirationes eodem tempore Lugduni & in aliis Galliæ regionibus, ſatiùs exiſtimauerat, arma Regis haud inde diſtrahere, vbi magis neceſſaria erant. Quare optio Montiſbruni domino data eſt, ſeu vt abſcederet à ditione Pontificia & Regia, ſeu vt ad Fidem Catholicam rediret, veniamque impetraret. Cenſuit Pontifex opportunius, vt Aulæ regiæ Turnonius adeſſet, cùm vrgebat neceſſitas: conſultius quippe videbatur, ſpem auertendi lethalem plagam operâ tanti viri emere, etiam periculo aduentitij cuiuſdam ruboris, ex triſti pudore ſpectantem perculſuro. Sed Rex perſpectâ Pontificis reſponſione, ſibi ab Abbate Mannenſi reddita, auditiſque quæ Toletanus propoſuerat, reſcripſit die 14. Octobris ad Antiſtitem Engoliſmenſem[h], Oratorem ſuum Romæ, ſe magnoperè lætari tam parato Pontificis animo ad Concilium celebrandum.

[h] Scriptum ab Oratore oblatum fuit Pontifici 5 Nouembris inter Commentarios Burgheſiorum, & in memorato volumine Archiuij Vaticani.

 Quod

1560. Quod ſpectabat ad locum, tametſi Pontifex ſibi ſignificaret, Regi Catholico probari Tridentum; tamen æqui bonique faceret, ſi, poſitâ ditionum ſubditorumque varietate, conditione ac naturâ, interdum haud commodum cenſeretur ab altero id quod alteri ſatisfaciebat: ſed denique, ne ipſe operi tam pio difficultatem obijceret, illi ſe vrbi conſenſurum, cui Philippus Rex, & Cæſar conſenſiſſent. De Concilio nationis, eadem quæ Toletano reſpondit: potiſſime verò: Abſque dubio illud minimè coactum iri ad detrimentum, ſed ad confirmationem Pontificiæ auctoritatis: hæc ille certò pollicebatur. Verùm non ſemper emiſſum ſpiculum ad ſagittarij votum collimat, & corpori viribus imbecillo vehemens quæque medicina, per quantamcumque artem attemperata; tamquam lethalis timenda.

CAPVT XVII.

Communis conſenſus de Tridentina ſtatione. Iubileum ac Diploma à Pontifice promulgatum ad reponendum Tridenti Concilium Paſchate proximè futuro.

[a] Litteræ Lotharingi Card. ad Ferrariæ Cardinalem, 31. Octobr. 1560. apud Burghesios.

[b] Diarium Concilij, 17. Octobris 1560. apud Burghesios.

Significauerat intereà Pontifex [a], haud ſe repugnaturum Concilio ſeu Vercellis ſeu Caſalij; quæ loca Regi Galliæ pergrata 1
erant, quippe ſuæ ditioni ſatis commoda, ſed non minùs Germanis incommoda. Interim verò delatæ ad eum fuerant Cæſaris litteræ, qui laudato generatim conſilio conuocandi Concilij, repetebat obſtacula [b] domicilij Tridentini, ſed rem tandem in Pontifice reponebat. Quare recitari iuſſerat Pius haſce litteras in quodam Purpuratorum cœtu à Maſſarello Teleſiæ Epiſcopo, qui iam Concilio à ſecretis fuerat, & tunc cœtui morum emendationi deſtinato. Ibi cenſuerat Pontifex, etiam ex Cardinalium ſententia, vbi Rex Galliæ, itidem ac Rex Hiſpaniæ, Cæſari acquieſceret, huiuſmodi ſibi pignus adeſſe communis erga Tridentum voluntatis, vt poſſet abſque vllius Catholici Principis diſſenſu Concilium illic indicere, quod ad id vſque temporis de quauis alia vrbe non habebatur; ſupra quarum ſingulis proinde opus fuiſſent nouæ tractationes ac nouæ moræ: idcircò ſtatuit apud ſe, Concilij ſedem, iam in prætcrita ſuſpenſione deſtinatam, haud mutare. Quod in primis conducebat celeritati, quæ magis in dies neceſſaria videbatur, poſitis continuis Religionis iacturis, quando per eos planè menſes diem clauſerat vidua Regina, Scotiæ moderatrix, Guiſiorum ſoror;

ror; illud autem regnum, nouis ſectarum turbinibus agitatum, flante finitimæ Angliæ vento, adminiſtratumque à filia Maria, Galliæ Regina, quæ tandem mulier & abſens erat, tam graues excitauerat procellas, vt per vim ſibi extorſerit conſcientiæ licentiam ad futurum vſque Concilium. Prætereà Tridentinæ vrbis electio redundabat & in maiorem auctoritatem Eccleſiæ, cùm palàm fieret, præſtari quod ſtatutum fuerat, & in maiorem ſuperiorum Decretorum confirmationem, à quibus certum erat Pontifici non diſcedere, ne Fidei Catholicæ lethale vulnus infligeret. 1560.

2 Eapropter, acceptâ, ſicuti diximus, Galli reſponſione, quam ſcripto ſibi Pontifex exhibendam ab Oratore curauit, delatoque ad ſe per litteras conſenſu tum Luſitani Regis, tum Veneti Senatus, tum Catholicorum Heluetiorum, rem aggreſſus eſt, & ad Patres 15. Nouembris [c] retulit, concordare Principes in accipienda pro Synodi manſione vrbe Tridentina; & ea de cauſa vniuerſale Iubileum denuntiauit, per omnes Chriſtianorum prouincias promulgandum, deditque negotium Cardinalibus Saraceno ac Puteo diplomatis conficiendi. Iubilei diploma 20. Nouembris ſignatum eſt, & Pontifex ſolemni ſupplicatione nudis pedibus inceſſit à D. Petri Baſilica ad templum S. Mariæ [d] ſuper Mineruam. Interfuit huic ſupplicationi Coſmus Florentiæ Dux, mediuſque inter duos poſtremos Cardinales Diaconos perrexit.

[c] Acta Senatus.

[d] Diarium Magiſtri cæremoniarum, & Concilij, 24 Nouembris 1560.

3 Narrat Suauis neſcio quid diſſenſionis tunc incidiſſe Coſmi causâ cum Principum Oratoribus; de quo ne veſtigium quidem comperio in narratione, quâ minutula quæque proſecuti ſunt cærimoniarum Magiſtri: ſed ſolùm, ab ea ſupplicatione abfuiſſe Ducem Vrbinatem, qui per eos dies Romam venerat, collocaturus in matrimonio filiam Virginiam Federico Borromæo, Pontificis ſororis filio, noluitq; litem ibi de loco agitare. Ceterùm Oratores pro more vmbellam digniores priùs ſuſtinuere, alij aliique ſubinde. Quin reperio [e], in ſolemni Coſmi Ducis ingreſſu Romam, cùm ad vrbis portam à Sanctæ Floræ ac Ferrariæ Cardinalibus exceptus eſſet, deductuſque inter ipſos medius ad Vaticanum, obuiàm illi proceſſiſſe quotquot erant apud Pontificem Principum Oratores, eumdemque, poſt exhibitam ab eo in Aula Regia obedientiam Pontifici, ab ipſo vnà cum omnibus Cardinalibus conuiuio exceptum fuiſſe, dato illi penultimo ſubſellio. Hic autem ingreſſus, & comis acceptio tanto nobilium concurſu habita ſunt, tanto pompæ ſplendore, tantâ honorificentiæ copiâ, vt nihil ferè regium deeſſet hoſpiti niſi nomen.

[e] Diarium, 5 Nouembris.

Vigeſi-

1560. Vigeſimonono Nouembris editum eſt in Senatu [f] diploma, quo 4
Synodus indicebatur; ac die poſtero ſcriptæ ſunt litteræ Pontificiæ ad Antiſtites ac Præſules Galliæ, quibus ea de re admonebantur, adeoque oblique quidem, ſed celeriter à conſilio peculiaris Synodi amouebantur. Erat diplomatis ſententia; Pontificem, ſtatim ac denuntiatus fuerat, luſtraſſe animo Chriſtianam Rempublicam, & horrore fuiſſe perfuſum, cùm eam cerneret adeò fœdatam ac dilaceratam ab hæreſi, à ſchiſmate, à tot morum corruptelis; adeoque apud ſe ſtatuiſſe, remedium Sedi Apoſtolicæ conſuetum illi admouere, hoc eſt, Oecumenicum Concilium. Narrabat, illud à Paulo III. indictum iam fuiſſe Mantuæ, mox Vicentiæ, ſed vtrâque vice ſuſpenſum: dein Tridenti ſtatutum, atque ibi poſtmodum ob varia obſtacula pariter ſuſpenſum. Poſteà denuò ab eodem Pontifice conuocatum fuiſſe in vrbem Tridentinam, & in eo ibi coacto celebratas quaſdam Seſſiones, & nonnulla Decreta ſancita. Inde ipſam Synodum Bononiam ſe tranſtuliſſe, Apoſtolicæ Sedis auctoritate: à Iulio Pauli ſucceſſore fuiſſe Tridentum reuocatam; vbi aliis quibuſdam Decretis confectis neceſſe fuerat eam rurſus ſuſpendere ac retardare ob tumultus in Germaniam ingruentes, commotaque arma in Italia & Gallia. Interim hæreſim & ſchiſma lamentabiles progreſſus habuiſſe; ſed à Deo, qui numquam ſic iraſcitur vt miſericordiam obliuiſcatur, pacem demum concordiamque inter Chriſtianos Principes fuiſſe conceſſam. Proinde voluiſſe Pontificem abſque mora eodem vti præſidio ad euellendas hæreſes, ad reſarciendum ſchiſma, ad emendandos mores, atque ad pacem conſeruandam. Quare ex communi Cardinalium ſententia, & re priùs communicata cum Cæſare, ceteriſque Regibus ac Principibus Chriſtianis, iiſque compertis ad opitulandum Concilio paratiſſimis, illud à ſe indici in eadem vrbe Tridentina ad proximum Paſcha, quâcumque ſuſpenſione ſublatâ. Idcircò iniungere ſe cunctis Epiſcopis, aliiſque, locum in Concilio obtinentibus, vt illic præſcripto die intereſſent; & à ſe Principes rogari, vt eò confluerent ſi non per ſe ipſos, certè per Oratores pietate ac ſapientiâ ornatos, viaſque præberent tutas & commodas conuenturis.

f Eſt in Bullario, & in Actis Concilij ſub Pio IV.

Hæc diplomatis ſententia declinauit hinc vocabulum *continuationis*, quibuſdam odioſum, hinc verba appoſuit æquè pollentia, dicens; Tridenti & priùs ætate Pauli, ac dein in poſtrema Synodi redintegratione à Iulio habita, fuiſſe ſtabilita complura Decreta, ac poſteà ſuſpenſionem ſubſecutam, quæ nunc tollebatur; illud enim quod ſuſpenſum erat, ſublatâ ſuſpenſione haud retrocedit, motumque 5

tumque à calce redorditur, ſed illum proſequitur, & continuat ab eodem loco, vbi anteà ſuſpenſum ſubſtitit. Dum igitur affirmabat Pontifex, Oecumenicam Synodum Tridenti bis fuiſſe coactam, ab eaque varia ibi Decreta edita, ac poſteà fuiſſe ſuſpenſam, nunc verò ſuſpenſionem amoueri; apertè declarabat, memoratis Decretis eamdem ineſſe vim, quam habent Decreta Oecumenici Concilij adhuc durantis. Quamobrem haud conſpicor in hiſce verbis illam *affectatam ambiguitatem manifeſtam*, quam Suauis deprehendit, niſi quòd qui vitioſas habet pupillas, vel ſub meridie caliginem experitur. 1560.

6 Et ſanè Diplomatis illius ſententia mirificè confirmauit Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, eiuſque in agendo efficaciam, cui anteà modò Cæſariani, modò Hiſpanienſes aduerſabantur. Etenim eâdem operâ ſimul comprobauit tranſlationem Tridento Bononiam, vtpote ab ipſo Concilio ex auctoritate Pontificis peractam; adeoque quidquid à Germanis Hiſpaniſque obiectum fuerat, improbauit, quod Paulus III. numquam eſt auſus, cùm aduerſarij æmulationis ardore feruebant: ſimul pronuntiauit, Concilium Oecumenicum Tridenti reuerà extitiſſe ſedente Iulio, multaque ibi Decreta confeciſſe; atque ita declarauit tamquam minimè legitima, quæ à Gallis illi conuentui oppoſita fuerant. Itaque & à Cæſare & à duobus Regibus Diplomate accepto, controuerſiæ vtique ceſſere, & auctoritas Romanæ Sedis perſtitit tunc æquè ac ſemper victrix, Dei patrocinio fulta, ac tandem obſequenter excepta à Catholicorum Principum pietate.

7 Quin in feſtinata huiuſce Diplomatis promulgatione apparet ſingularis alius Diuinæ prouidentiæ fauor, quo Eccleſiæ ſuæ per Concilium opitulari voluerat. Etenim ſi res ad viceſimum diem protracta fuiſſet, nuntius de Galliæ Regis obitu, mutatâque ibi rerum adminiſtratione[g] ſuperueniſſet: ex quo fuiſſet orta neceſſitas noui negotij, & fortaſſe inextricabilis, ob conditionem Gallici moderatoris, ad hæreſim propenſi: contrà verò, Diploma, quod defuncti Regis conſenſu confectum erat, eam potiorem facultatem nactum eſt, quâ conſeruatio præ conſtructione ingentium operum fruitur.

g Delatus eſt Romam nuncius 18. Decembris, vt in Diario Magiſtri cærimoniarum.

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI LIBER DECIMVSQVINTVS.

ARGVMENTVM.

OBEDIENTIA *Pontifici exhibita ab Antonio Borbonio & à Ioanna Albretia eius coniuge, tamquam à Rege ac Regina Nauarræ; quod Hiſpaniæ Regi inuiſum. Diploma indicti Concilij in Galliam per Nichettum Abbatem à Pontifice miſſum. Obitus illic Franciſci II. & Caroli IX. ſucceſſio, atque idcircò adminiſtrationis mutatio. Antonij potentia: ſtudia erga ipſum ab Hiſpanis adhibita. Variæ ſibique aduerſantes in Hiſpanis Galliſque difficultates de Diplomate. Commendonus in Germaniam Nuntius miſſus: quæ ab eo ac Delfino Nuntio agitata cum Cæſare. Eorum acceſſus, petente Cæſare, ad conuentum Proteſtantium Naumburgi, & eius euenta. Tractationes habitæ à Commendono cum Septemuiro Brandeburgico, aliiſque Principibus hæreticis & Catholicis in Inferiori Germania. Eius miſſio ad Daniæ Regem, à quo poſteà excluſus. Miſſio Martinengi ad Angliæ Reginam, & Canobij ad Moſcum; ſed alteri negatum colloquium, alteri tranſitus. Res ab Epiſcopo Nouiocomenſi, Pontificio Nuntio, Heluetiis propoſitæ, & ad eas reſponſa. Cardinales Mantuanus & Puteus Concilij Legati electi. Purpuratorum creatio à Pontifice habita, & in ea memorabile quiddam de Veneto Oratore Amulio. Tres ex cooptatis nuper Cardinalibus, hoc eſt, Seripandus, Oſius, & Simonetta, Concilij Legatis adiecti.*

Nouus

Nouus Erfordiæ Proteſtantium conuentus, eorumque molimina in Catholicos & Auſtriacos. Commendonus deſtinatus ad Sueciæ Regem, à quo tabulas ſecuritatis accipit; ſed ab eius colloquio caſu impeditus. Quales fuerint Daniæ ac Sueciæ Reges quos memorauimus. Propoſita à Delfino Nuntio varijs Proteſtantium ciuitatibus in Germania Superiori, earumque reſponſa. Clàm agitata cum illo à Zanchio ac Sturmio. Deliberata, ac tandem decreta à Cæſare, Gallis, & Hiſpanis Diplomatis de celebrando Concilio acceptio. Profectio Tridentum adminiſtrorum, & Cardinalium Mantuani ac Seripandi. Aduentus illuc complurium Antiſtitum Italicorum, atque exterorum. Noua Religionis diſcrimina in Gallia, & Ferrarienſis Cardinalis illuc legatus. Aduentus Tridentum Legati Oſij, & poſteà Simonettæ, & iuſſa Pontificis à Simonetta delata. Altempſius Cardinalis eidem legationi deſignatus. Diſſenſiones exortæ, & compoſitæ, de habitu Epiſcoporum, & de ſuperiori ſubſellio Primatum. Nouæ in Gallia turbæ, Religionis causâ Colloquium Poiſſiacenſe inter Doctores Catholicos & hæreticos. Geſta à Legato. Criminationes in ipſum, eiuſque purgatio. Exitus ibi noui conuentus. Conſilium aperiendi Concilij, & cauſa eius retardandi vſque ad 18 *Ianuarij. Vehementia Hiſpanorum, vt illicò declararetur, Concilium eſſe præcedentis Synodi continuationem, & quo pacto temperata. Ritus communes Congregationum, & Seſſionum, & quibus Oratores excepti ſunt. Decreta conſtituta in congreſſu pro prima Seſſione. Obiecta poſteà à quibuſdam Hiſpanorum verbis illis primi Decreti,* proponentibus Legatis. *Acta in prima Seſſione. Aduentus Oratorum Ferdinandi tum vt Cæſaris tum vt Pannoniæ Regis, ſimulque Oratoris Luſitani. Controuerſiæ tum inter Oratores, tum inter ipſos Cardinales ac Patriarchas de Sede digniore, & quo pacto compoſitæ. Patrum conſilia pro ſecunda Seſſione, de conficiendo damnatorum librorum elencho; de interpellandis iis quorum id intererat, de inuitandis per publicam ſecuritatis fidem hæreticis. Ad hoc poſtremum iniectæ difficultates ab Hiſpanienſibus*

ac Luſitanis. Poſtulata Cæſarianorum Oratorum, præſertim ad protrahendas dogmatum Fidei ſanctiones. Variæ de hoc ſententiæ, ac reſponſio ipſis reddita. Lis de Concilij inſcriptione. Secunda Seſſio, excitataque ibi turbatio, ac ſedata, ob æmulationem Oratorum Luſitaniæ & Pannoniæ. Decreta conſtituta. Varia Suauis errata, quà narrantis quà ratiocinantis, ſparſim variis in locis confutata, ac præcipuè de prohibitione librorum.

CAPVT PRIMVM.

Obedientia Pontifici exhibita ab Antonio & à Ioanna, Nauarræ Rege ac Regina, eaque Hiſpanis moleſta. Nichettus Abbas in Galliam miſſus cum indictæ Synodi Diplomate. Mors Franciſci Secundi Regis, & ſucceſſio eius fratris Caroli Noni pupilli. Borboniorum in rerum adminiſtratione potentia. Hiſpanorum ſtudia ad Regem Nauarræ mitigandum. Gallorum de Diplomate ſenſus.

1560.
1561.

[a] 14. Decembris, ex Diario Magiſtri cæremoniarum.

[b] Litteris Regis, 30. Ianuarij 1561. vt in epiſt. Amulij ad Senatum, 22. Februarij.

POST ſecundam à promulgato Diplomate hebdomadam, obedientiam[a] Pontifici exhibuit Orator Antonij Nauarræ Regis. Id ſpem auxit expeditionis Concilij ex parte Gallorum: ſed ſimul aliquid nubium obduxit erga Pontificem animis Hiſpanorum, qui vt Antonio illius regni poſſeſſionem adimebant, ita eiuſdem titulum pernegabant. Ad id, narrationeſque ſubſequentes intelligendas, operæpretium eſt, ea de re aliquid diſtinctius hîc exponere. [b] Inter Principes è regia Gallorum ſtirpe hic primus erat, ſicuti diximus, & ad id tempus hæreticæ factionis ſtudioſus; ad quam rapiebatur violentiâ & vtilitate duorum capitum ſibi maximè coniunctorum, fratris Condæi, de quo quantum ſatis eſt in hoc genere narrauimus, & vxoris Ioannæ Albretiæ, feminæ pluſquàm virilis, & aptioris leuiri ferociæ, quàm coniugis manſuetudini. 1

Orta hæc fuerat ex Margarita Valeſia, ſorore Franciſci Primi Gallorum Regis, & Caluini patrona, de qua ſcriptum alibi, & ex Henrico Albretto, Rege Nauarræ, ſed Rege potiùs nomine, quàm dominatu. Etenim cùm Iulius II. Pontifex anathema ſolenniter euibraſſet in Ioannem Henrici parentem, conceſſâ quibuſlibet facultate illius ditionis ſibi acquirendæ, Ferdinandus Hiſpaniæ Rex, 2

cogno-

cognomento Catholicus, arreptâ opportunitate, maiorem potioremque Nauarræ partem, quæ trans Pyrenæos eſt, adeoque citra Iberiæ fines, occupauit. Hinc & Margaritæ propter viri iura, & Ioannæ propter ſua, inſedit animo lethale odium in Pontificem & Hiſpanum, cùm & ſacris vnius, & profanis alterius armis ereptam ſibi coronam perdolerent. Idcircò feroci animo ſeſe adnectebant iis ſeditionibus, quibus auctoritas alterius, alteriuſque potentia oppugnabantur. Itaque poſtrema coniunctio affinitatis inter Gallum Hiſpanumque Regem contractæ [c], atque auxilia confeſtim poſt parentis obitum aduerſus turbatores ab Hiſpano oblata, & à Regina ad eos deterrendos promulgata, eò magis Ioannam extimularunt ad virum inflammandum in regimen præſens, quippe in fœderatum cum aduerſario. Sed Antonius tanto incendio par fomes non erat. Is ingenio mitis, ac poſtremò deterritus captiuitate fratris Condæi, quæ ex criminatione proditionis paulò antè contigerat, à præcipiti ſe conſilio cohibebat, malebatque, reconciliatâ ſibi beneuolentiâ Pontificis, ac Regis Galliæ, per obedientiam alteri in rebus ſacris, alteri in profanis debitam, per ciuiles induſtrias ſibi conquirere illis fauentibus aut recuperationem aut compenſationem regni deperditi: adeò vt vxorem impulerit, vt ſecum ſcriberet ad Pontificem, eique ſolemnem obedientiam redderet tamquam Catholica, eiuſque obſequens filia. Miſſuſque ad id præſtandum fuit Orator vtriuſque Petrus Albretius, eorum conſanguineus; ſed conſuetam orationem habuit [d] Marcus Antonius Muretus, natalibus Gallus, & iam annos plurimos in Romana Academia lector, qui piâ vberique eloquentiâ dixit, Antonium & Ioannam, duobus quaſi riuis, ab eodem capite manantibus, originem ducere à Ludouico Nono Gallorum Rege, ob eximiam ſanctitatem in altaribus ab Eccleſia inuocato: præter alia egregia facinora ab aliis eorum maioribus edita, à Sanctio Nauarrorum Rege, Caſtellæ regnum, iam à triginta barbarorum Regibus occupatum, fuiſſe libertati reſtitutum, deuictis forti magis quàm numeroſo exercitu ingentibus barbarorum copiis, eorumque ductore Smaragdo ſuâ manu obtruncato, nullâ poſteà aliâ prædâ ſibi acceptâ inter immenſas opes gemmaſque, à victis hoſtibus reportatas, præter, ſicut ipſe per generoſam facetiam dixit, illam gemmam, iacentem videlicet Smaragdum; reliquis verò ſpoliis vel in templorum ornatum, vel in præmia militum diſtributis: atque ad rei memoriam, gemmam Smaragdum, cognominem interfecto Duci, Regiis ſuis Inſigniis inſeruit. Eorum nomine Pontificem, tamquam Dei Vicarium, & Eccleſiæ Præſidem,

1560.
1561.

[c] Vide inter alios Stradam in lib. 3. decad. 1.

[d] Inter Orationes Mureti, ſexta.

1560. veneratus eſt; eumdem commendauit, ob ſuſceptum conſilium
1561. nouas hæreſes extirpandi, reſtituendique diſciplinam Concilij operâ: ipſum ad id proſequendum hortatus eſt, pollicitus quidquid auxilij à Rege ac Regina præſtari poſſet.

Dum hæc Romæ gerebantur, inopinatò accidit obitus adoleſcentis Regis Galliæ die quintâ Decembris[e]: qui obitus magnam regimini cataſtrophen attulit, nec minorem Religioni minabatur. Cùm enim Sceptro ſuccederet eius frater Carolus Nonus, tunc decennis, præfuit rerum adminiſtrationi ſecundùm regni leges, tamquam ſupremum Regis locum tenens, Nauarræ Rex, ob regij ſanguinis propinquitatem; cum eo coniunctà parens Regina, filij tutelam gerens, mulier quàm capax tam tenax potentiæ, ſtatim effecere, vt Pariſienſis Conſilij decreto ſolueretur Condæus, qui viuente Franciſco Rege in dies ſecuri deſtinabatur; & quantum auctoritatis tum ipſi tum Caſtilionenſibus eorum fœderatis communicatum eſt, tantum Guiſiis ſubſtractum. 3

e Vide Spondanum anno 1560. num. 20. & 21.

Altera timebatur cataſtrophe, Hugonottis propitia. Quare ea de re ſollicitus, & ſtudio Religionis & politiæ causâ, Epiſcopus Atrebatenſis, qui in adminiſtrando proximo ac turbulento Belgio primas exercebat partes iuſſu Philippi Regis, ſub Gubernatrice Margarita Parmenſi, ſtuduit nouum Galliæ Locum tenentem, vt vocant, fumoſo ſpei lacte conſopire, & per Cantonettum, qui Atrebatenſis frater erat, & Orator Philippi Pariſiis, negotium obeundum curauit de concedenda Antonio, loco iuris in Nauarram, ad eius vxoris ſpectantis, inſula Sardiniæ, quæ regnum amplius ac feracius erat, ſed non æquè neceſſarium Philippo ac Nauarra, quâ tamquam coniuncto ſibi membro non poterat ſine vulnere Hiſpania mutilari. Dein verò ad hoc negotium continuandum vſus eſt Atrebatenſis operâ Sanctacrucij, qui per ea tempora, vti dictum eſt, ex Hiſpania tranſiit in Galliam, adeoque potuit hic referre mentem Philippi Regis, illic ſibi coràm ab eo patefactam. Is[f] cùm falſas comperiſſet ſuſpiciones, conceptas ſcriptaſque ab aliquo alio quopiam miniſtro, aduerſus ſinceram Reginæ Religionem, certò deprehendit, Catharinæ brachium eſſe imbecillum, perinde atque animum pauidum, vbi Antonius ipſi repugnaret. Quamobrem omnem lapidem mouit, vt perſuaderet Antonio, armorum vſum, Hugonottorumque amicitiam non idonea, quin noxia ipſi futura ad Nauarram recuperandam à Philippo, Rege præpotenti ac religioſiſſimo, & cui tum ſubditi, tum alij Catholici Religionis ſtudio ingentes opes ſuppeditaſſent. Vnicam patere viam, ſi nimirum ipſe veteri Religioni adhæ- 4

f Vita ſæpè citata Sanctacrucij Cardinalis.

1560. 1561.

adhæreret, ac Regis animum pacis amantem ſibi per negotium conciliaret. Qua in re Nuntius ſuam operam admouit Bernardo Freſnedæ Franciſcano, qui Philippo Regi à confeſſionibus erat, intimuſque familiaris, à quo reſponſum ſpem bonam promittens accepit. Addit aliquis ſcriptor, in Romanam Religionem eiuſque Caput malè affectus, adeoque in eo probatus Suaui, fuiſſe quoque propoſitum Antonio, vt diuortium faceret ab hæretica coniuge, duceretque vxorem relictam Franciſci Secundi viduam, Scotiæ Reginam, quæ ſibi quoque tribuebat memoratum iam Anglici diadematis ius; & opitulantibus Galliâ, Hiſpaniâ, & Pontifice, magnæ ſe Britanniæ Regem conſtitueret: adeoque hac ſibi honorificâ laruâ deſtinatâ, incepiſſe alienum à vera vxore animum præ ſe ferre. Verùm hæc mera commenta. Etenim Famianus Strada[g], qui teſtatur, perlectas à ſe fuiſſe litteras omnes viciſſim redditas ab Epiſcopo Atrebatenſi, eiuſque fratre Cantonetto ſuper eo negotio, pro certo affirmat, ne veſtigium quidem à ſe deprehenſum de hoc propoſito diuortio: quod in comperto erat (quantum ſpectat ad vinculum) ſecundùm Eccleſiæ dogmata fieri non poſſe per quantamcumque auctoritatem, poſt habitam matrimonij copulam, tametſi vxor hæretica ſit.

g Lib. 5 Decadis primæ.

5 Planè cùm Gallia cœpit adminiſtrari hac Antonij præfecturâ, eò peruenit 17. Decembris Nichettus S. Gildaſij Abbas, qui Ferrarienſi Cardinali à ſecretis erat[h], miſſus celeriter cum indicti Concilij Diplomate à Pontifice, de Franciſci Regis morte nondum conſcio. Ac primò quidem indictæ Synodi nuntium vniuersè ingens excepit lætitia, par nimirum[i] diuturno deſiderio, quo eam expetierant medicinam ſuis domeſticis morbis. Dein obſeruatis in Diplomate verbis illis, *ſuſpenſione ſublatâ*; quæ verba, Synodum præteritam implicitè comprobantia, ſpem adimebant nouatores futuram comprobaturos, adeoque Germanos Catholicos eam accepturos, vti quorum præcipuum conſilium erat, diſcordantes nationes ad concordiam reuocare, difficultas ſuper his à regiis adminiſtris excitata eſt. Eâ re à Gualtero Nuntio ægri animi ſenſu compertâ (nondum enim Sanctacrucius aduenerat) eius quoque auctores idem detexit; inter quos nonnulli erant ex eo Eccleſiaſtico ordine[k], qui vt cum Pontifice maximè coniunctus eſt dignitate, ita pariter maximè coniunctus eſſe deberet voluntate; tametſi inter eos Turnonius Cardinalis dignum Principem illius Collegij ſe geſſiſſet. Aulæ miniſtris reſpondit generatim Nuntius pro acceptis Romæ documentis; Ea verba diſertè neceſſaria fuiſſe. Si venirent Proteſtantes,

h Apparet ex multis litteris Ferrarienſis Cardinalis, citandis.

i Litteræ Gualterij Nuntij ad Nuntios Germaniæ, 24. Decembris 1560. apud Burgheſios.

k Conſtat ex dicta epiſtola, & ex altera, quâ reſpondetur epiſtolæ Oſij Nuntij, 18. Martij 1561.

1560. 1561. ſtantes, illos auditum eiſque ſatisfactum iri, quoad fieri poſſet ac deceret.

Gallici miniſtri, quos diximus, quamquam fuiſſent extrinſecùs 6 interpretati eam reſponſionem in rem ſuam, vltrà quàm illius ſignificatio patiebatur; tamen cùm intrinſecùs ſpecioſa ſonantem, nihilque certi continentem eam agnoſcerent, illi minimè acquieuerunt, ſed à pupillo Rege ad Oratorem ſuum Romam ſcribendum curarunt die poſtremo Decembris in hanc ſententiam[l]: Suos Conſiliarios, verbis Diplomatis expenſis, in difficultatem offendiſſe; non quidem quòd ſpectabat ad Regem, ſed quòd ad Cæſarem Ordineſque Catholicos Germaniæ, quibuſcum concorditer ſe gerere Rex cupiebat, quandoquidem abſque illorum conſenſu Synodus non efficax & ſolida, ſed eneruis & ad ſpeciem euaſura erat. Difficultatem in eo ſitam eſſe, quòd quamuis inſcriptio eſſet, *De indicenda Synodo*; tamen in Diplomatis ſententiam ea particula irrepſerat, *ſublatâ ſuſpenſione*; quæ particula inſinuabat, eſſe pro certis ponenda, quæ iam Tridenti peracta fuerant, & ſuper iis Proteſtantes iterum nequaquam audiendos, adeoque habendum eſſe Concilium exoptatæ concordiæ infructuoſum, tametſi poſteà Nuntius Regi aliter coràm ſignificaſſet. Imponebat igitur Oratori, vt obſeruaret quid agerent miniſtri Cæſaris, eorumque conſilium exploraret, antequam de re verba faceret cum Pontifice; quemadmodum interim Rex Epiſcopo Rhedonenſi, Oratori ſuo apud Cæſarem, ſcribebat, vt Cæſarem certiorem redderet de ſua cum ipſo coniuncta voluntate ſuper ea re. Quare ſi Diploma pro eo ac tunc ſonabat Cæſariani acciperent: ipſe pariter plenè acceptaret; ſin minùs, & iidem memoratæ particulæ mutationem depoſcerent, ſuas etiam cum illis poſtulationes ardenter conſociaret, quò id à Pontifice conſequeretur: ipſi verò poneret ob oculos, ſi Diploma in ea quâ constructum erat forma relinqueretur, euenturum fuiſſe, vt Proteſtantes aut ipſum reformari, aut denuò formari poſtularent; vnde tricæ ac moræ iniicerentur: ampliùs autem cunctandum non eſſe, ob imminentia pericula, maiora etiam quàm ab ipſo Oratore concipi poſſent. Quapropter niſi Pontifex per Oecumenicam Synodum operi manum admoueret, Regem coactum iri ad rebus conſulendum per Synodum propriam nationis, adeò ipſi Pontifici odioſam. Regem intereà, quò ſuum animum promptum Pontifici palàm faceret, & cuncta parata ſuppeterent, demandaſſe per ſuas litteras Epiſcopis Galliæ, vt præſtò eſſent ad Concilium adeundum. Poſtremò querebatur: Cùm Rex demortuus, eius frater, tantum ſtudij

[l] In quadam epiſtola, in libro Gallico, aliàs citato, cui titulus eſt, *Littera miſſa à Chriſtianiſſimis ad ipſorum Oratores, de Concilio Tridentino.*

dij huiuſmodi operi contuliſſet, tamen in diplomate ſolius Cæſaris diſertam mentionem fieri, illum verò ſub communi vocabulo Regum Chriſtianorum obuolui. Id non ex incuria, ſed de induſtria contigiſſe, ne is primo poſt Cæſarem loco nominaretur; quod Regi nimis moleſtum acciderat: ac proinde Orator ea de re conquereretur acriter, ne inpoſterum ſimilis prætermiſſio fieret, neque Rex Galliæ eâ prærogatiuâ, ſibi Dei munere conceſsâ, ſpoliaretur. 1560. 1561.

7 Hæc obiecta ſunt diplomati à Gallis: in quo illud certè emolumenti fuit, quòd cùm ij priùs conſenſum Principum Proteſtantium exquiſiiſſent, nunc iiſdem Cæſaris & reliquorum Catholicorum Germaniæ conſenſio ſatis erat; nec Proteſtantium conſenſus poſtulabatur, niſi vbi Catholicorum conſenſioni obtinendæ neceſſarius foret. Plurimum autem momenti ad id habuerat ratio quædam ab Oſio Nuntio allata [m] Oratori Gallico in Germania: Par eſſe, vt Regi ſufficeret Catholicorum Principum conſenſus, non modò quoniam eorum vires coniunctæ abundè erant ad hæreticos compeſcendos; ſed quoniam Galliæ Hugonottis nihil prodeſſet, in Synodum concurrere Proteſtantes, quippe qui Confeſſionem Auguſtanam ſectabantur; Hugonotti verò Tigurinæ & Geneuenſi adhærebant, adeoque ipſi ſeſe inuicem tamquam hæreticos damnabant, vnde illorum exemplum his nullius fuiſſet auctoritatis. Orator Gallicus Romæ his acceptis mandatis, gnarus, ab adminiſtris Cæſareis in ipſo Cæſare deliberationem reponi, ad quem propterea peculiarem Nuntium miſerat Pontifex, quemadmodum dicetur, inde pariter ipſe normam eſt præſtolatus, atque interim de prætermiſſa ſui Regis mentione conqueſtus. Sed facile fuit blandis verbis querimoniæ ſatisfacere, vtpote id quod factum erat expoſtulanti, ſed eiuſdem facti correctionem in præſentia haud flagitanti; quæ correctio in iis rerum conditionibus nimis obnoxia fuiſſet periculo rei perturbandæ: quare vt alioqui non neceſſaria, ita idcirco nec opportuna ipſis Gallis erat. Etenim tametſi Principes, quò ſibi ſeruent opinionem potentiæ (quâ opinione reipſa potentes redduntur) ſemper ſe ad concertandum paratos præ ſe ferunt; interdum tamen nec prodeſt ipſis, nec placet etiam victoria.

[m] Eſt in citata epiſtola, 18. Martij, Oſij ad Gualterium.

1561.

CAPVT II.

Commendonus in Germaniam Nuntius. Mandata ipſi ac Delfino impoſita. Agitata ab vtroque cum Cæſare. Senſa Hiſpanorum ab ipſis detecta. Ipſorum profectio petente Cæſare ad conuentum Naumburgenſem in Saxonia.

ITaque rei ſummà in eo ſita erat, vt Cæſari fieret ſatis, cui Galli 1
mentem ſuam ſignificarant, aientes interim Nuntio, Sperare ſe (quamquam Oratori, qui Romæ erat, ſcriberetur de eo, tamquam de re quam idem Nuntius pro certa ponebat) Pontificem, vbi ipſorum ac Cæſarianorum preces in id conſpirarent, conſenſurum nouo præteritarum ſanctionum examini. De his omnibus Nuntius in Gallia degens certiores fecit Nuntios in Germania commorantes. Hi erant non ſolùm Oſius ac Delfinus[a], ſed Ioannes Franciſcus Commendonus, à nobis ſuprà laudatus, Epiſcopus tunc Zacyntinus; cùm vellet Pontifex, vt Oſius apud Ferdinandum conſiſteret, vt Commendonus ipſi diploma deferret, & litteras Pontificis manu exaratas, quibus ardenter Ferdinandum vrgebat ad fauendum Eccleſiæ, in eo quod maximè tunc opus erat; atque vt idem Commendonus vnà cum Delfino à Cæſare conſilium ac monita exquireret, ac poſteà ipſorum alter ad Superioris, alter ad Inferioris Germaniæ Principes diploma deferret.

[a] In dicta iam epiſtola Nuntij in Gallia ad Nuntios Germaniæ.

Verùm memorata particula quantum difficultatis repererat in 2
Gallia ac Germania, tantumdem facilitatis attulerat in Hiſpania ad amplexandum diploma[b]. Etenim illic vbi opus non erat id quod fieri non poterat, ſicut in aliis regionibus, ſed quod fieri poterat: nimirum, vt præcaueretur nôn vt curaretur inſanabilis morbus, moderatiùs ſe habebant vota, adeoque res æquioribus oculis ſpectabantur. Quocircà potiùs ex aduerſo, cùm in Diplomatis titulo non *continuari*, ſed *indici* Concilium diceretur, ſuſpicati ſunt Hiſpani, morem per ea geri hæreticorum, ſeù veriùs quorumdam Principum Catholicorum importunitati, nimis cupientium vt hæreticis non indebita modò, ſed pernicioſa indulgerentur. Porrò expendebant Hiſpani, hanc & quamcumque aliam Synodum contemptui futuram, ſi Decreta ibi conſtituta ex auctoritate Pontificia, liceret poſteà nouo Pontifici in dubitationem reuocare. Proinde à Synodo, per eam formam indicta, minimè exituram rerum incertarum firmitatem, ſed potiùs iam confirmatarum titubationem; & per huiuſmodi exemplum, earum etiam quæ in poſterum confirmaren-

[b] Apparet ex dicta epiſtola Oſij ad Gualterum: & ex epiſtola Amulij, 22. Februarij 1561. iam citata.

marentur: atque huic Hiſpanorum obiecto aliud reſponſum non eſt, niſi vt animaduerterent, eſſe in diplomatis ſinu, quod ipſi poſtulabant in fronte. Romæ, vbi hæ difficultates Hiſpanorum auditæ ſunt, quidam ex publicis adminiſtris [c] induxit animum, eas ab offenſione recenti fuiſſe profectas, ob acceptam Romæ ab Antonio, tamquam Rege Nauarræ, præſtitam obedientiam: quod quidem tunc in ſuſpicionem incidere non temerè poterat; ſed pro vero confidenter à Suaui affirmandum non erat, quandoquidem poſteà compertum eſt, Hiſpanos, eâ etiam offenſione deletâ, numquam deſtitiſſe etiam in Concilio à declaratione huius futuræ continuationis inprimis poſtulanda. 1561.

[c] Venetus Orator, vt conſtat ex epiſt. dicta, 22. Februarij.

3 Quamquam Germaniæ Nuntij à Pontifice iuſſi eſſent voce ſolùm legationem exercere, neque quidquam præter [d] diploma litteraſque Pontificis ſcripto tradere, ne materiam ſuppeditarent reſponſis vltrò citroque iterandis, quæ ſcripto redditæ, ſæpè ſunt aut erroris aut offenſionis ſemina; tamen Ferdinandus, vbi res à Nuntiis propoſitas humaniter audiit, eas ſcripto exaratas conſtantiſſimè petiit: nec ſatis fuit adducta excuſatio, quòd ipſis non liceret quidquam aliud præter diploma & litteras ſcripto exhibere. Quapropter re inter ſe deliberatâ, interpretati ſunt, mentem non eſſe Pontificis, eos in re leui tam arcto obſtringi interdicto, etiamſi eo ſeruato ea rerum tractatio præcidenda, & Cæſar abalienandus præuideretur. Idcircò perbreue ſcriptum protulere, quo vnicè ſtudium Pontificis oſtendebatur in cunctis paternè inuitandis, etiam longinquis ac ſeiunctis ab Eccleſia, idque per multiplicatos Nuntios, quò promptiùs fieret; reliqua verò ſatis haberi in diplomate, in litteris Pontificiis ad Cæſarem, & in aliis litteris eidem communicatis, quæ fidem ipſis Nuntiis conciliabant apud Principes, ſeu Catholicos ſeu Proteſtantes.

[d] Cuncta extant in litteris triom Nuntiorum ad Borromæum Card. 9. Ianuarij 1561.

4 Scripto pariter Cæſar reſpondit: Summoperè commendari à ſe Pontificis conſilium de duobus Nuntiis miſſis: quod ſpectabat ad Catholicos Principes, arbitrari ſe, nouis cohortationibus opus non eſſe, quibus ad Concilium allicerentur: Proteſtantes in præteritis Comitiis profeſſos fuiſſe, nolle ſe Concilio aſſentiri abſque grauiſſimis quibuſdam conditionibus, quas ibi appoſitas tradebat Nuntiis; vt ſi denuò ab hæreticis proponerentur, paratam Nuntij reſponſionem haberent: eoſque hortabatur ad omnem cum illis comitatem adhibendam, & quoduis ægri ſenſus periculum declinandum. Auctor etiam erat, vt Nuntij ad conuentum pergerent, à Proteſtantibus mox Naumburgi in Saxonia habendum;

1561. vbi celeris ac certa reſponſio Nuntiis reddi potuiſſet ab illis omnibus, atque etiam à Rege Daniæ, quem pro acceptis mandatis erant allocuturi, quique conuentui interuenturus credebatur; quod tamen non euenit: atqui vbi ſeparatim eos conuenirent, plurimum temporis inſumeretur, neque quiſquam certum eſſet reſponſum daturus, niſi prius fœderatorum ſenſa pernouiſſet. Decreuiſſe Cæſarem, ſolemnes etiam Oratores ad conuentum legare eâ ſolùm gratiâ, vt eorum Principum acceſſum ad Concilium poſceret, ſe quoque præſtò eſſe ad omnem aliam, quod in ſe eſſet, opem ferendam. Velle præterea ſe Nuntiis comites dare viros idoneos, rerumque experientes, eoſque Nuntios amicis Principibus ſummoperè commendare. Petebat à Nuntiis, vt quæcumque illis redderentur reſponſa, extemplò ea ſibi ſignificarent, quò liceret ipſi opportuniùs excogitare quidquid proſpero ſucceſſui conferre poſſet.

Hoc ſcripto, ac poſtulationibus Cæſaris, Regiſque Bohemiæ 5
commoti Nuntij, animum induxere [e] vt ſe ad conuentum illum conferrent: etenim ex vna parte, cùm is indictus fuiſſet vigeſimo Ianuarij, facultas ipſis non erat voluntatem Pontificis prius explorandi; ex altera verò innotuerat, vnum ex præcipuis capitibus, quæ ij Principes in Comitiis perpendenda propoſuerant, eſſe, num eundum ipſis eſſet ad Concilium, & quibus conditionibus: vnde mandata Pontificis vt illi inuitarentur, non poterant alibi cum aliqua euentus ſpe in opus deduci.

Præter ea quæ narrato ſcripto continebantur, quatuor in pri- 6
uatis colloquiis fuerunt à Cæſare ipſis ſignificata: [f] Primum, A Proteſtantibus non modicam ſuſpicionem fuiſſe conceptam ob ſæpiùs memoratam particulam; ſeque ab illis commonitum, vt eam expenderet: quare opus eſſe omnem ſuſpicionis vmbram in ipſis diſiici, quòd nimirum Pontifici eſſet in animo præteritam Synodum continuare.

Alterum erat, Tempus ad conueniendum, anguſtum videri, & à Pontifice in Gallorum gratiam acceleratum.

Tertium, Ampliſſimæ ſecuritatis tabulas eſſe Proteſtantibus offerendas.

Poſtremum, Conſuetudinem in iis regionibus eſſe agendi negotia per libellos; proinde oportere in Comitiis huiuſmodi morem ſeruari.

Ad hæc Commendonus: De præcedente Synodo continuanda, 7
compertum eſſe Cæſari, quàm parerè Diploma eſſet formatum; ſe in Germaniam veniſſe non ad diſceptandum cum Proteſtantibus,

[e] Litteræ Commendoni Card. ad Moronum, 8. Ianuarij 1561. & Commentarij Commendoni, qui afferuntur vſque ad finem Operis, habentur in libris, ſeruatis in Bibliotheca Barberinorum.

[f] Conſtant ex dicta Commendoni epiſtola 19. aliiſque ad Borromæum Cardinalem 10. & 13.

bus, ſed ad ipſos inuitandos, cohortandoſque; ſi Concilium adiiſ- 1561
ſent, eos & loquendi libertatem habituros, & libenter auditum iri.

Quod attinebat ad tempus; ſtudere Pontificem feſtinationi, quòd vbique morbum & neceſſitatem conſpicaretur; vbi verò Principes vnanimes Concilij prorogationem ab ipſo petiiſſent, tum ſe illorum ſententiæ illam minimè negaturum: tabulas ſecuritatis exhibitum iri firmiſſimas & ampliſſimas.

Se ne per interpoſitos libellos agerent, vetitos eſſe à Pontifice, quò illud ipſum, quod Cæſar tantoperè commendarat, obſeruaretur, hoc eſt, ab omni offenſione abſtinere, quæ reſponſionum vltrò citroque redditarum proceſſu difficulter declinaretur, cùm contingat perinde corporibus, ac animis malè affectis, vt ad omnem quantumuis leuem attactum, quaſi ad inflictam plagam indoleſcant: negotium quod à Nuntiis proponebatur, eſſe admodum ſimplex, ſatiſque explicatum diplomate; nec ſe habere in mandatis, vt de conditionibus agerent, aut per diſputationes litigarent, ſed ſolùm vt proponerent, inuitarent, & cohortarentur.

8 De morum etiam legibus ſermo eſt habitus; de quibus dixit Commendonus, Eas ſummoperè Pontifici cordi eſſe, eumdemque libenter earum cauſâ multos Antiſtites Romam aduocaturum fuiſſe, niſi ea ratio ipſum cohibuiſſet, ne ſcilicet ſuſpicio excitaretur, velle ipſum à denuntiata Synodo illos diſtrahere; nihilominus ad id agendum paratum eſſe, vbi Cæſar opportunum arbitraretur. Ad quod Ferdinandus reſpondit, Allatam a Pontifice cauſam rationi conſentaneam eſſe; illud verò conſilium tunc ſuſcipi poſſe, cùm Synodus in aliquod ineluctabile obſtaculum impegiſſet.

9 Viennâ ambo Nuntij ſunt profecti 14. Ianuarij; & cùm Pragâ tranſirent, excepti per ſummam comitatem à Ferdinando Archiduce, ſecundo Cæſaris filio. Naumburgum peruenere die vigeſimo octauo menſis eiuſdem, nacti multos Principes ibi coactos; ſed inde abierat Ioannes Federicus Saxo, Dux Wimarienſis, ad quem idcircò ſcripſit Commendonus litteras ſeparatim, obtulitque ſuum ad ipſum acceſſum. Priuatum colloquium petiere Nuntij à Septemuiris Palatino [g] ac Saxone; ſed hic reſpondit: Cùm ipſe Comitiis intereſſet quibus præerat alter, vtpote dignior Septemuir, opus eſſe, vt primo loco cum illo ageretur: & ex altera parte ſemper ſe Palatinus humaniter excuſauit, diſtulitque colloquium, à Nuntiis aſſiduè poſtulatum. Poſtremò pridie Nonas Februarias ſignificandum ipſis curauit, poſtridie manè eos auditum iri ab vniuerſo conuentu. Nec ſatis fuit, quòd ſequeſter, per quem colloquium pe-

g Cuncta extant in epiſtola Nuntiorum ad Borromæum Cardinalem, Naumburgo 8. Februarij 1561.

1561. tebatur, cauſaretur, à Pontifice, futuri conuentus haud conſcio, fuiſſe miſſos Nuntios cum peculiaribus mandatis ad ſingulos Principes: reſponſum enim eſt; Huiuſmodi conſuetudinem ibi eſſe: ceterùm ſequeſter ille vrbanè habitus eſt. Quare Nuntij eundum ſibi cenſuere, cùm Oratores Cæſarei affirmaſſent, niſi tunc audirentur, numquam ipſos congreſſum obtenturos, nec aliâ formâ, nec alibi: quin ob nimiam cunctationem dubitatio erat orta, quòd Principes, qui conuenerant, nollent vllo modo Nuntios audire.

Huiuſce colloquij per breuem deſcriptionem habet Suauis, eâ ſolùm expoſitâ eius parte, quę magis in Sedis Apoſtolicæ contemptum cadat, & obducto velo alteri parti, ex qua videre licet opus, ſi minùs proſperè ceſſit, grauiter certè ac decorè proceſſiſſe. Nos quoniam res geſta ad honeſtam curioſitatem allicit, quippe minimè communis ex vſu, & feta ingentibus euentis, haud moleſtum fore putamus, ſi conditiones ſingulares exponemus, quæ in quibuſdam factis non modò nos delectant magis, ſed magis etiam erudiunt quàm vniuerſales, quippe ſatis notæ communeſque vniuerſo generi huiuſmodi operum, adeoque vix memorabiles: eo planè modo, quo in depictis hominum imaginibus multo pluris æſtimantur propria cuiuſpiam lineamenta, quàm præcipua & communia ſeu cunctis ſeu plurimis. Manè Nonis Februarijs à Palatino & Saxone quatuor viri primarij, ex iis qui ipſis à conſiliis & ſecretis erant, ad deducendos Nuntios miſſi ſunt cum armatorum cuſtodum cohorte; atque hi quidem noluerunt cum ipſis Nuntiis rhedam conſcendere, ſed eos pedeſtri comitatu proſecuti. Vbi ad conuentus ædes Nuntij peruenere, in hypocauſtum non amplum, pro regionis ac temporis more, adducti ſunt, vbi ſolùm aderant Principes, eorumque filij, & qui à ſecretis erant, & Cancellarij. Ingreſſi Nuntij ipſos Principes adſtantes, & aperto capite nacti ſunt. Hic ab illis ordo ſeruabatur: Manebant in paruo ſubſellio duo Septemuiri; poſt eos aliquanto remotior Orator Septemuiri Brandeburgici, qui pro Germaniæ conſuetudine cunctos reliquos antecellebat, minores ſuo Principe, cuius perſonam gerebat: tum ceteri ſubinde pro ſuo gradu. Dextera Nuntiis porrecta non eſt, pro regionis illius more; propterea quòd amicitiæ argumentum id fuiſſet, quam Proteſtantes nolebant cum adminiſtris Romani Pontificis profiteri. Nuntij ſingulis Principibus Diploma Concilij, ſingulaſque Pontificias litteras ad ſingulos nominatim ſcriptas exhibuere. Tunc voce concordi Nuntiis dictum eſt à Principibus: *Sedeant Dominationes veſtræ*; indicatumque ſubſellium ſerico villoſo inſtructum, atque ad id paratum.

Reſpon-

Reſpondêre Nuntij: *Sedeant Celſitudines veſtræ.* Et extemplò vtrique conſedere; altumque ſilentium ſecutum, quod ſolet eſſe præludium vel maximè ſublimium colloquiorum. 1561.

CAPVT III.

Concio vtriuſque Nuntij in Naumburgenſi conuentu. Reſponſa tunc & poſteà ipſis reddita. Quæ ab iiſdem adiecta fuerint. Varij euentus ac diſſenſiones inter congregatos.

1 PRior verba fecit Delfinus Nuntius, & breuiter recenſuit quæ continebantur in Diplomate, de cauſis Pontificem impellentibus ad Synodum congregandam. Adiecit, à Pontifice, intra charitatis ſuæ viſcera inclytam nationem Germanicam complectente, vehementique deſiderio illius concordiæ ac tranquillitatis flagrante, miſſos eſſe duos Nuntios, qui cohortarentur, poſcerent, rogarent eos ipſos Principes, vt rem ſuſciperent; cùm certum eſſet, cuncta in Synodo per ſummam pacem, manſuetudinem, & charitatem peractum iri, eoſque ibi non modò quacumque in re audiendos eſſe, ſed in omnibus æquitati conſentaneis exaudiendos. Nihil aliud in Synodo curandum, niſi vt iis comprobatis quæ comprobari fas eſſet, damnatiſque quæ damnari oporteret, tolleretur nimis diuturnum ſchiſma, & vnitas Eccleſiæ redderetur. Studerent proinde ſacri Imperij Principes optimum illud opus promouere, ſuis Procuratoribus eò miſſis, cùm paratus eſſet Pontifex publicam illis fidem ſecuritatis impertiri, quàm maximè vmquam fuiſſet data, aut legitimè dari poſſet, ampliſſimam, quò tantorum etiam Principum operâ diſſidia pacarentur, vna perſiſteret Fides, ac ſuus Eccleſiæ ſplendor redderetur; quandoquidem eò iam miſeriarum deuentum erat, vt tot eſſent opiniones hominum de Religione, quot animi, & tot Euangelia, quot doctores.

2 Poſt hæc Commendonus oſtendit, Per ea diſſidia exponi Chriſtianam Rempublicam imminenti periculo direptionis, quam hoſtes Chriſtiani nominis minabantur. Nullum repertum iri tempus opportunius concordiæ, quàm illud, quo Deus pacem inter Principes conceſſerat, ſimulque eiuſmodi Pontificem, cui præter alias virtutes ſumma inerat benignitas, ac ſingularis erga Germaniæ populos beneuolentia. Grauiſſimis calamitatibus, ab ea diſcordia profectis, aut nullum adeſſe remedium, aut vnicum illud in Concilio ſitum: ea in re agi de Fide, adeoque de ſempiterna ſalute, ac pariter

1561. ter de temporaria; etenim deficientibus Religionis fundamentis, corruere ſimul imperia.

3 Dum Nuntij loquebantur, multi Principum, aliorumque qui aderant, dicta in libellis notabant; vbi verò illi tacuere, hi aliquantulùm inter ſe ſubmiſsâ voce collocuti, iuſſerunt à Palatini Cancellario reſponſum hoc reddi: *Illuſtriſsimi Principes audierunt quæ à vobis nomine Romani Pontificis expoſita ſunt. Et quoniam negotium arduum eſt, nolunt in præſentia decernere: conuenient inter ſe, ac poſteà reſpondebunt. Gratum interim ipſis foret, ſi quæ locuti eſtis, ſcripto exhiberetis.*

4 Ad ea Nuntij: Satis à Pontifice mentem ſuam patefieri in Concilij diplomate, ac in litteris ad Cæſarem miſſis, adeoque ſe iuſſos non eſſe ſcriptum aliud tradere. Quibus verbis, poſt breue pariter colloquium inter ſe habitum ſubmiſsâ voce, Principes acquieuere. Tum dimiſſi Nuntij, eodemque deducti comitatu, ſuas in ædes abiere. Vix horæ quadrans prætererierat, cùm illuc nomine Principum aduenerunt tres honeſti viri, atque ita locuti ſunt: *Magnifici Domini, Principes, tantiſper dum cum illis fuiſtis, conſpicati non ſunt ea verba in litteris Pontificiis,* Dilecto filio, *quoniam obtecta erant. Sed poſtquam animaduerterunt ſe à Romano Pontifice filios vocari, reſponderunt rebus à vobis propoſitis: Nihil minus.* Adiecere Nuntij, ſcriptum ad ipſos fuiſſe pro eo ac Romanus Pontifex ſcribere conſueuerat ad omnes Chriſtianos Principes, & pro more ſemper ab eius deceſſoribus ſeruato. Sed qui miſſi fuerant, poſitis in menſa litteris Pontificiis, non item Concilij diplomate, digreſſi ſunt.

5 Id indicio fuit, nolle Principes quidquam aliud reſpondere. Tamen poſt biduum [a] Nuntios conuenere decem Conſiliarij Principum, quorum ſecundus Georgius Cracouius, vir doctus, & ex familiaribus Saxonis, in hanc ſententiam dixit: Principes minimè dubitare, quin cunctis in nationibus degerent viri pij, qui expeterent, Euangelij lucem; candoremque doctrinæ reſtitui, auferrique prauas conſuetudines, quas oportuiſſet à Pontifice Romano id temporis fuiſſe deterſas in regionibus ſibi parentibus: ſed aperte cognoſci quænam fuiſſent huiuſmodi Pontificum conſilia, ad dominatus vtilitateſque proprias conuerſa, & quantis ſuperſtitionum errorumque tenebris Euangelium illi obduxiſſent: idcircò fuiſſe coactos eos Principes ab ordinaria poteſtate ſecedere, lucem exquirere, puramque doctrinam haurire ab ipſo Dei verbo, cui ſine dubio tunc inhærebant ſecundùm primam Auguſtanam Confeſſionem. Quod verò ſpectabat ad præſentem Nuntiorum legationem, & ad ea quæ nomine Romani Pontificis ab ipſis exponebantur, viſum

[a] 7. Februarij.

ſum Principibus fuiſſe hanc eſſe reſponſionem reddendam: Mirari 1561.
ſe, quo pacto auſus ille fuiſſet legationem ad ipſos mittere: non approbari a ſe illius auctoritatem, nec in vlla alia re, nec in Concilio indicendo: vnicum à ſe Dominum in tertis agnoſci, nimirum Cæſarem: haud verè ipſis obiectari, ſe in plures ſectas eſſe diuiſos, ſed omnes ſequi Confeſſionem vnicam Auguſtanam, ſuis à Theologis propugnatam, quemadmodum videre erat in libris editis; quibus Theologis ſuffragij ius in Concilio tribuendum fuiſſet: denique, adeſſe ibi Cæſaris Oratores, quibus Principes reſponſa reddiderant, vt quid ipſi ea de re ſentirent, illi referrent ad Cæſarem: ipſis porrò Nuntiis, niſi Romani Pontificis fuiſſent miniſtri, omnem beneuolentiam exhibendam fuiſſe, tum ob patriam, cùm apud Principes maximo eſſet in pretio illuſtriſſima Reſpublica Veneta, tum ob ſingulares eorum dotes, quas ipſi plurimi faciebant; adeoque iiſdem tamquam priuatis offerri à Principibus quidquid ipſis gratificari poſſent.

6 Ita Cracouius: poſt quæ Nuntij pauliſper inter ſe deliberarunt. Tum Commendonus vtriuſque nomine reſpondit: Fuiſſe miſſos à Pontifice Romano ſuos Nuntios ad Germaniæ Principes, pro eo quo fungebatur paſtoris vniuerſalis munere, ſingulorum ſalutem ex animo complexus: id verò peractum ab illo fuiſſe eâ mente, eiuſque boni aſſequendi gratiâ, quod ipſi Principibus in conuentu expoſuerant; adeoque nihil in hoc opere videri quod poſſet admirationem excitare. Concilium fuiſſe à Pontifice indictum eâ formâ, quam perpetuò ſeruarat Eccleſia Sanctò Spiritu afflata; cùm cuſtodiri non poſſet, neque, vbi neceſſe foret, reſtitui vetus noſtrorum Patrum diſciplina, niſi per rationem ab ipſis adhibitam. Quod aiebant, ab illis Principibus non alium niſi Cæſarem agnoſci dominum; incompertum non eſſe, qualis eſſet proportio inter Principes laicos, & Romanum Pontificem, & cuiuſmodi obſeruantiâ Cæſar Pontificem proſequeretur. Iniuriâ eos conqueri de Romanis Pontificibus, cùm palàm eſſet, qualem ſemper charitatem hi præ ſe tulerint & exercuerint erga inclytam illam nationem, præcipuè verò de rebus Imperij. Quod ſpectabat ad morum emendationem, à Pio Pontifice eam nauiter inceptam fuiſſe, eoque libentiùs ab eo Synodum conuocatam, quò ipſe opportunius cenſuerat in ea communem illam morum reparationem confectum iri. A Romana Eccleſia non modò nullas Euangelio tenebras offuſas, ſed ſemper illam fuiſſe magiſtram ac normam Chriſtianæ doctrinæ, lucemque veritatis: ad eam confugiſſe per omnes ætates Patres omnes antiquos vſque ab

1561. Apoſtolorum tempore; eique, à quâ primam Euangelij lucem hauſerant, debere Germanos acceptum referre quòd eſſent Chriſtiani. Quod attigerat Delfinus in eorùm cœtu de diſcordi ipſorum fide, meram fuiſſe facti narrationem; prout liquidò monſtrabant ſuorum Theologorum libri, quos ipſi laudabant, nouis ſemper ſententiis ſibique aduerſantibus referti. Firmitatem perſuaſionis, quam à ſe obtineri affirmabant de veritate doctrinæ quam ſequebantur, ipſis iure ſuſpectam eſſe debere, ſi non aliunde, ſaltem ex nouitate, ex diſſenſu reliquæ Eccleſiæ, & quoniam ſeceſſerant, ſicuti aiebant, ab ordinaria poteſtate. Animum aduerterent, quo pacto S. Paulus, vas electionis, tametſi, pro eo ac ipſe ſcribit, Euangelium accepiſſet non ab homine, ſed per reuelationem; tamen per reuelationem pariter mandatum acceperat, vt aſcenderet Hieroſolymam, ſuumque Euangelium cum Apoſtolis conferret, ne fortè curreret, & cucurriſſet in vanum. Id fuiſſe Paulo imperatum à Spiritu Sancto, non quòd Paulo opus haberet, ſed ad exemplum ac documentum omnium poſterorum. Reuocarent denique in memoriam eas Euangelicas voces: *Quoties volui congregare filios, &c.* Comitatis officiis erga ſe tamquam priuatos plurimas egère gratias, omnemque vicem obſequij obtulere. His vtrimque dictis, Conſiliarij ſtatim ſuos ad Principes rediere.

Senſerunt Nuntij, huiuſce conſilij auctorem fuiſſe Ducem Wirtembergicum, cùm è conuerſo Auguſtus Dux, Septemuir Saxoniæ, ad pacem tum in profanis tum in ſacris propenderet, ac proinde ſingularia vrbanitatis argumenta Nuntiis exhibuerat; curauitque ſe à primario ſuo Conſiliario apud Commendonum [b] excuſari, ſignificantre, ſatis intelligi poſſe, cuiuſmodi rationibus Dux retineretur, quo minus totius conuentus decreto obluctaretur: ſi vmquam Nuntio incidiſſet occaſio ſecum agendi, experturum illum fuiſſe, quantum ipſe percuperet & propriam quietem, & pacem communem. Tum ei publicam ſcripſit epiſtolam, quâ iubebat per vniuerſam ditionem ſuam Nuntium datis viæ ducibus deduci, & honorificè excipi; quod ipſi ſupra modum accidit opportunum, ad iniunctum iter habendum per Inferiorem Germaniam. 7

[b] Litteræ Commendoni ad Borromæum Cardin. Cretio 17. Februarij 1561.

Mirum ſanè viſum eſt, à Proteſtantibus Principibus reiectas quidem fuiſſe litteras Pontificias, retentum verò diploma, quod grauius argumentum complectebatur, & in quo Pontifex potiſſimam auctoritatem exercebat, indicto vniuerſæ Eccleſiæ Concilio. Quantum innoteſcere potuit, id quod illos aduſſit acriùs in oratione Commendoni, fuit exprobratio diſſidentium inter ſe doctrinarum; 8

huius.

huius enim diſſidij vehementiſſimè eos pudebat: cumque præuiderent iidem, Synodum omnino coactum iri, non mediocriter angebantur, quòd in eo communi Chriſtianæ gentis conſeſſu eorum ſecta quaſi multorum capitum Hydra eſſet in medium proditura. Quamobrem præcipuè vt hoc probrum deuitarent, & ante Concilium inter ſe conuenirent, conuentum illum habuerant[c]: ſed res fuit ſine ſucceſſu; quemadmodum numquam firmari poteſt vnitas, vbi vel vnum non dominetur, vel non dominetur ea pars, quæ vna reliquam ſuperat, ſed abſolutum ſuæ quiſque mentis dominium obtinet: ac proinde cùm Ioannes Federicus Saxo auctor eſſet, vt in pura Confeſſione, Auguſtæ anno 1530. oblata, perſiſteretur, Palatinus Septemuir, Dux Wirtembergicus, & Marchio Badenſis eam ſolam non admittebant, ſed coniunctam cum Melanchthonis Apologia, quæ pendet ab opinione Zuinglij de neganda vera Chriſti præſentia in Euchariſtia; quapropter Ioannes Federicus iratior abſceſſit, eoſque contumelioſè *Sacramentarios* appellauit, nec Palatino ſocero ſuo pepercit. Sed idem poſteà nihilo ſe faciliorem quàm reliqui præbuit Pontificis hortationibus, illi per Commendoni litteras exhibitis, ſicuti narratum eſt; cùm is ſuo cuidam miniſtro in Comitiis[d] relicto ſcripſiſſet, vt ſignificaret Epiſcopi Romani Nuntio, ſibi nihil eſſe cum eo agendum, adeoque nihil attinere, vt is Wimariam ſe conferret, aut ſecum quidquam aliud agitaret. 1561.

c Litteræ Commendoni ad Moronum, 8. Ianuar. & ad Borromæum, 8. Februarij 1561.

d A Wimario, 8. Februarij 1561.

9 Dein per arcanum indicium Andreæ[e] Staſſeldani Doctoris, & è conſilio Palatini, comperit prætereà Delfinus, & arcanis notis ad Borromæum Cardinalem ſcripſit, eos qui conuenerant, inflexibiles alioquin haud perſtituros fuiſſe; noua quippe metuentes bella, & recolentes exempla Ioannis Federici, Lantgrauij, Marchionis Alberti, & Mauritij, qui tandem vitæ iacturam paſſus fuerat, ſeque egenos pecuniæ cognoſcentes, ac parum concordiâ communitos: ſed obduruiſſe ob varias litteras ad eos miſſas cum pollicitationibus cohortationibuſque ab Angliæ Regina, à Daniæ Rege, coniunctoque Sueciæ regno, quod, ſcribebat ille, Regi ſubiectum erat in re profana, in ſacra verò conſcientiæ ſuæ ductum ſequebatur. Adiecit in iis clandeſtinis notis Nuntius, cùm inter Comitiorum Principes conueniſſet, vt ſe concordes profiterentur in Confeſſione Auguſtana, incidiſſetque occaſio neſcio quem in ea locum conſulendi, neminem in cœtu repertum, qui exemplar illius ſeu manuſcriptum, ſeu per typos impreſſum haberet: quo argumento liquebat, quanti reuerà ab ipſis illa haberetur. Nihil reipsâ ab illis credi, adeoque

e Wormatiâ 15. Aprilis 1561. in Commentariis apud Burgheſios.

1561. vanum ſuſcipi laborem, vt operâ Concilij ad frugem reuocarentur, patefactâ hæreſum, quas complectebantur, fallitate.

In tranſcurſu hîc obſeruare libet, Suaui haud contigiſſe germanam huiuſce congreſſus cognitionem, vti par fuiſſet, quippe eiuſdem factionis homini: ſiquidem ille notitiæ plurimæ oſtentator ad minutâ quidem deſcendit, ſed publica, & in iis fallitur; tum verò, quod maximè dignum hiſtoriâ prætermittit, etiam vbi id ſuis affectionibus non aduerſatur, adeoque ex ignorantia, non ex induſtria. Quod ſpectat ad primum; affirmat, litteras Pontificis fuiſſe ad Nuntios reportatas poſtridie habiti colloquij; & tamen id poſt quartam horæ partem peractum eſt. Dicit, eos fuiſſe ad conuentum accitos, ibique illis redditum reſponſum: & tamen hoc fuit illis delatum per decem Conſiliarios; nec ampliùs Nuntij reuocati ſunt, ſicuti ſuprà narrauimus, & litteris Commendoni comprobatur. 10

Alterum apparet, dum Suauis cauſam non affert, cur litteræ Pontificiæ priùs acceptæ, deinde reſtitutæ fuerint; quæ cauſa fuit ea inſcriptio, *Dilecto filio*, ſolito tegumento celata. Sic pariter in mandatis, à Rege Galliæ Oratori ſuo Romæ traditis, quæ nos iam recenſuimus, temporum ſeriem ſecuti, ſed quæ ille poſtponit: vult diem enarrare, quo litteræ obſignatæ fuerant, nimirum poſtremum Ianuarij; cùm tamen [f] fuiſſet poſtremus Decembris. Silentio ibi præterit mandatum præcipuum, quod erat, ne quam difficultatem Orator iniiceret, ſed confeſtim acciperet diploma, vbi Cæſariani id accepiſſent. Omittit etiam regiam iuſſionem, quam Rex Pontifici ſignificari voluit, vt omnes regni ſui Epiſcopi præſtò eſſent ad Synodum à Pontifice indictam adeundam. In reliquo itinere Commendoni omnino ſilet de iis quæ cum Septemuiro Brandeburgico, cum Archiepiſcopo illius filio, cum Marchione Ioanne ipſius fratre, cum Catholica Septemuiri vxore, & cum reliquis Principibus ac Septemuiris egerit: quæ cuncta memoratu digna ſunt, prout in noſtris paginis liquebit. Sed excuſationem nauus homo meretur; nimirum, cui multum temporis diffluit in confingendis fabellis, parum ſupereſt ad res geſtas exquirendas. 11

[f] Sic in libro impreſſo, ſupra citato.

CAPVT

1561.

CAPVT IV.

Decreta Conuentus Naumburgici. Agitata à Commendono Nuntio apud Septemuirum Brandeburgicum, alioſque eiuſdem familiæ Principes.

1 ACcepto reſponſo profecti ſunt illicò Nuntij Naumburgo; vbi poſteà de more decretum Comitiorum firmatum eſt 27. Februarij, ac penè totum fuit in purgandis Principibus ab iniuſtâ notâ, quòd ſcilicet eorum ſecta in Fide variaret. Etenim ſatis intelligebant, cùm inter Religiones nonniſi vnica poſſit eſſe vera, quemadmodum Tullius [a] notauit; vbi multæ conſpiciuntur, dubitationi locum non eſſe quin plures earum falſæ ſint. In eo igitur decreto profeſſi ſunt omnes, à ſe recipi concorditer Confeſſionem Auguſtanam cum Apologia; quam diximus, Melanchthonis; iuſſeruntque à quodam Theologorum cœtu componi quatuor articulos, in quibus eorum aliqui diſcordare videbantur. Varios præterea modos decreuerunt, quibus reliqui omnes ex ipſorum ſecta conuenirent; & licentia imprimendorum librorum coërceretur, vnde pullulabat, ſeu potiùs liquebat ſententiarum repugnantia. Ad hæc ibi ſtatuerunt, vt ratio Cæſari redderetur, qua de cauſa indictum Concilium non acciperent; deſtinantes ad id futurum conuentum, de quo infrà. Vt opera nauaretur, quâ in idem propoſitum coaleſcerent, quicumque repudiatâ idololatriâ (intelligentes hoc nomine cultum, quo ſacras Imagines, Sanctorumque lipſana Catholici venerantur) cum ipſis in vera religione conſentiebant: atque, vt ad maiorem huiuſce vnitatis firmitudinem alter conuentus Erfordiæ 22. proximi Aprilis haberetur. Verùm hæc ab ipſis oſtentata & affectata vnitas, & quàm falsò ſimularetur eo tempore, & quàm poſteà non fuerit poſſibilis, Suauis ipſe inficiari non audet.

[a] In primo de Natura Deorum.

2 Suum intereà iter proſequebantur Commendonus ac Delfinus ad indicendum Concilium, alter in Superiore Germania, alter in Inferiore, liberis Ciuitatibus, atque illis Principibus, qui Comitiis ipſi non interfuerant. Quoniam autem inter eos numerabatur Ioachimus Septemuir Brandeburgicus, qui per Procuratorem adfuerat, ad eum, quippe ad maximè propinquum, Commendonus iter conuertit. Cùm Lipſiâ tranſiret, comperit non modò in ea vrbe hæretica, ſed Wittembergæ, in hæreſis patria, tametſi in vtraque Lutherus libros Iuris Canonici tam ſolemniter concremaſſet [b], eos tamen explicari in publica Academia à quatuor ſtipendio conductis

[b] Literæ laudatæ, 17. Februarij.

1561. ctis magiſtris. Ingreſſo Berlinum Commendono, vbi memoratus Septemuir degebat, duo primarij eius Conſiliarij ab eodem miſſi adfuerunt, vt ipſum ſuo nomine inuiſerent, & ad prandium die poſtero inuitarent. Inaudierat Nuntius [c], habuiſſe in animo Septemuirum, ipſum audire, eique reſponſa reddere ante prandium, in quodam cœtu ſuorum Theologorum, quibus concordia erat inuiſa: proinde de induſtria tam ſerò acceſſit, vt primus eſſet conuiuio locus, gnarus, quanto curioſitatis ſtudio ferebatur Ioachimus ad legendos libros, colloquendumque de rebus Religionis. Idcircò antequam ille aduersâ reſponſione redditâ ſeſe obſtringeret ad pertinaciter obſiſtendum, ſtuduit in eius animum ſuauiter inter epulas inſinuare eas rationes, quibus poſſent ingenerari meliora conſilia. Et quidem ex voto contigit Nuntio, vt in diuturno prandio ea promeret rationum momenta, quibus illecto Septemuiri animo, vltrà quàm optauerat congreſſus eſt retardatus. Etenim Ioachimus per ſpeciem præbendæ hoſpiti quietis, in quædam conclauia illum adduxit, nec eo die miſcere quidquam ſermonis cum eo ſuper vllo negotio voluit, & poſtridie quoque inchoata in prandio colloquia continuauit; ſtatueratque apud ſe, quindecim aut viginti dies ibi Nuntium retinere, atque ea de cauſa congreſſum de primario legationis argumento protrahebat. Verùm Commendonus, quò tempori acceptis mandatis perfungeretur, inſtitit, impetrauitque ne diutiùs præcipuum colloquium proferretur.

[c] Cuncta extant in epiſtola Commendoni ad Borromæum Cardinalem, Berlino 15. Februar. 1561.

Litteras itaque Pontificis ac diploma dedit; & Marchio illas reſignauit, Naumburgi Comitiis in eo diſcors, atque vtriſque lectis, 3
ſpatium ad deliberandum ſumpſit. Reſponſum poſteà reddidit Nuntio vigeſimâ quartâ Februarij, & quintâ poſt illius aduentum die, idque plurimis verbis, perinde ac mos eſt cupienti etiam negando ſatisfacere. Sententia fuit: Excipi à Septemuiro debitâ reuerentiâ ſalutationem Pontificis, multaſque illi grates reddi: iam tum cùm fuerat in Pannonia, ſibi innotuiſſe optimum Pij animum, benignitatemque ſingularem. Se quoque pro ſuo gradu paci ſemper ſtuduiſſe, cui adhuc in præſentia operam dabat, tametſi ambigeret, an per id gratus omnibus redderetur; minus tamen ſe de hoc laborare, quippe qui animum nonniſi ad conſcientiæ tranquillitatem ac Dei verbum conuerteret. Ex huiuſce rei ſtudio, non autem ex mentis leuitate, Confeſſionem Auguſtanam ſe complexum fuiſſe, & optare vt ſinguli, ac potiſſimùm ſummi Pontifices, veram Fidem agnoſcerent. Inde ad indictum Concilium progreſſus, dixit: Cùm id negotij ſpectaret non ad ſe ſolum, ſoloſque Principes qui

Naum-

Naumburgum conuenerant, ſed ad vniuerſos qui memoratam Confeſſionem tuebantur, reſpondere ſibi non licere niſi quidquid communi ſententiâ ſtatutum fuiſſet. Quod in ſe erat, omnem nauaturum operam vt concordia componeretur; quamquam animaduerteret difficultates plurimas, pro eo ac Nuntio liberè ſignificarat in familiaribus colloquiis, eâ vſus ſinceritate, quæ ſuo inerat ingenio, & quam ingenio Nuntij inſitam, eidemque acceptam cognouerat, quicum amicitiam continuare cupiebat. 1561.

4 Officioſis verbis officioſa pariter repoſuit Commendonus; ſed ſuper rei ſumma dixit: Tametſi multis illud eſſet commune, ad ſingulos tamen ſeorſim pertinere, cùm ageretur de ſempiterna ſalute; eoque amplius tamquam propriam expendendam eſſe à Septemuiro, quòd ipſe ex iis quæ narrauerat, non aliunde commotus fuerat ad Auguſtanam Confeſſionem amplexendam, quàm conſcientiæ causâ. Et quemadmodum id per ſe præſtiterat, ita exquirere per ſe poſſe veram de Filio Dei cognitionem, præſertim Oecumenicæ Synodi adiumento; quam cognitionem Pontifex illi non modò precabatur à Deo, ſed tam efficaci operâ quærebat, quippe illius ſucceſſor, cui fuerat iniunctum, vt aliquando conuerſus fratres ſuos confirmaret, quique ob Ieſu Chriſti preces obtineret certum firmumque priuilegium, ne ipſius vmquam Fides deficeret: quapropter nullum eſſe conſilium tutius, quàm certiſſimo Dei iudicio ſe ſubmittere, ac lumen haurire, quod in continuata ſucceſſione Sedis Apoſtolicæ, & in perpetua conſtantique Patrum doctrina ſeruatur.

5 Denique perſolutis gratiis ob adhibitam ſecum in priuatis congreſſibus libertatem, adiecit, Se, confiſum Septemuiri benignitate, per eamdem libertatem, & tamquam priuatum, fuiſſe auſum ea illius animo proponere: ceterùm quatenus perſonam publicam agebat, ſuas eſſe partes eum dumtaxat ad Concilium inuitare, eidemque ſignificare, ſi quam ipſe difficultatem offenderet, eam Patribus illic proponeret. Se igitur, hanc priuati libertatem proſecutum, ab eo petere, vt animo recoleret, modos à ſuæ partis aſſeclis propoſitos eiuſmodi eſſe, qui ſi adhiberentur, nihil tunc Eccleſiæ profuturi eſſent, & in poſterum eam læſuri; quoniam conditiones, quas illi ad interueniendum Synodo poſtulabant, notam illam Fidei firmitatem labefactabant, quæ haberi poſſet in terris ad veritatem Catholicam ab hæreſi diſtinguendam; quæ certa firmitas in Apoſtolica Sede, & in Conciliis ab ea congregatis confirmatiſque ſemper perſtiterat. Quoniam autem inter obiectas à Septemuiro difficultates.

1561. tates in ſuperioribus colloquiis ille ferè aliud non vrgebat, niſi vt concederetur ius ſuffragij Proteſtantium Theologis in Synodo; non omiſit Nuntius oſtendere, Si ius illud Confeſſionis Auguſtanæ fautoribus impertiretur, reliquis aſſeclis aliarum ſectarum, penè innumeris, negari non poſſe; quare loco Concilij, vnitatis gratiâ conflati, quædam confuſionis Babylon renouaretur.

Sed cùm reſponderet Septemuir, Id reliquis ſectis minimè deberi, propterea quòd diſertum Dei verbum non habebant: ſubdidit Commendonus: Quin ab omnibus illud ſibi tribui & arrogari; vt proinde opus ſit conſtitui à Deo in terris certum iudicem, qui per ſententiam nulli obnoxiam errori Chriſtianos edoceat, in quanam congregatione Dei verbum ſit, perinde ac in veteri perpetuaque Eccleſiæ forma conſpicitur. Septemuir apto reſponſo haud inuento, nolenſque ſe dedere, tunc quidem ſubſtitit; ſed paulò pòſt eumdem rurſus ſermonem iniit, ſuo ſibi Theologo aſſiſtente, qui reliquis ſectis ius ſuffragij tribuendum negabat, tum quòd falſæ erant, tum quòd illæ controuerſiam proximè non habebant aduerſus auctoritatem Eccleſiæ, quemadmodum Auguſtana, quæ ſtudebat corruptelas auferre, purumque Euangelij candorem reſtituere. Quod facile Nuntius confutauit, dicens: Quin etiam quamlibet æquè ſe-ipſam exiſtimare veram, ac reliquas falſas, & ſingulas pro illius Theologi ratiocinatione poſſe ſuffragij ius in Concilio adipiſci, hunc etiam errorem reliquis ſuis addendo, ſi fortè eo careret, nimirum, quòd ipſa quoque Romanæ Eccleſiæ auctoritati proximè aduerſaretur. Commotus Septemuir prævalidis hiſce rationibus, per ſuſpirium dixit Nuntio: Profectò Reuerendiſſime Domine multas ingenteſque cogitationes meum in animum induxiſti. Eumque Breſcam dimiſit (quò ille iter inſtituebat, vt pari fungeretur officio cum Ioanne Marchione, Septemuiri fratre) & ad Nuntij reditum epiſtolæ Pontificis reddendam à ſe reſponſionem diſtulit. Antequam diſcederet Commendonus, detulit etiam Epiſcopo Brandeburgenſi, qui ſimul electus erat Archiepiſcopus Magdeburgi, Septemuiri filio, ibi per eos dies moranti, diploma Concilij, & litteras Pontificias ad eum ſcriptas: quibus ille reuerenter acceptis, ſpatium temporis ad parentem conſulendum petiit. Cui Commendonus ſubiecit: Probum ſibi Conſiliarium eſſe debere ſuum munus Archiepiſcopi ac Primatis in ea prouincia, cuius gratiâ potiſſimè conuocabatur Concilium: ad eum proinde ſpectare, vt non ſolùm ſuffraganeos ſuos mitteret, ſed vt ipſe, quippe iuuenis, & viribus pollens, illos anteuerteret. Is verò animum præ

ſe

ſe tulit non Tridentum modò, ſed Romam adeundi cupidum. 1561.

7 Commendonus vt Breſcam peruenit, oppidum propè Berlinum [d], diploma litteraſque Pontificias Ioanni Marchioni tradidit: qui pariter ſpatium ad conſulendum petiit, & poſt duas horas per ſuum Cancellarium reſponſum reddidit, omninò alienum ab humanitate quâ exceptus fuerat; cùm illud contemptim redderetur, hæc verò non comitatis ſolùm, ſed & reuerentiæ plena fuiſſet. Hæc diſcrepantia oriebatur ex eo, quòd reſponſio dictata fuerat à Conſultorum rabie, qui fidem in Principes affectabant, & apud ipſos auctoritatem ſibi tuebantur oſtentatâ in Pontificiam poteſtatem inimicitiâ; at comis acceptio proficiſcebatur à Domini voluntate, quæ proba ſanè fuiſſet, niſi ſe improbam reddi permiſiſſet.

[d] Litteræ Commendoni ad Borromæum Card. Brandeburgo 4. Martij 1561.

8 Reſponſum eſt à Cancellario: Dominum ſuum conuenturum propediem cum aliis Principibus, ibique conſilia ſuſceptum iri: nec ſuum Principem dubitare, quin eſſet reddenda reſponſio innixa veritati aduerſus omnes cauillationes: ipſorum autem ad Synodum acceſſum perinde futurum, ac ſi lepores ad leonum communionem accederent. Progreſſus eſt ad contumelioſas querimonias de duabus cauſis in diplomate allatis ad conuocandum Concilium, quæ erant hæreſum euerſio, & morum emendatio; quaſi Pontifex vellet duas calumniæ notas Germanis inurere. Quod ſpectabat ad benignitatem, quam Nuntius in Pontifice commendabat, affirmauit, Eam quidem opportunam futuram fuiſſe muneri quod ille ſibi arrogabat; ſed è contrario illius operâ in Italia & alibi continuas exerceri carnificinas piorum hominum, eo ſolùm nomine, quòd puram Euangelij doctrinam adamabant, nolebantque idololatrias pati, quæ in tyrannide Pontificia imperabantur.

9 Nuntius animo commoto, ſed vultu pacato, ad Marchionem conuerſus, ait; Eius Cancellarium in multis extra rem propoſitam fuiſſe tranſgreſſum, interpretantem diplomatis ſententiam ſecùs ac Pontifex intendebat, & accuſantis potiùs quàm negotium gerentis ritu: aliud proinde promiſſum reſponſum à ſe recuſari, cum ea agendi ratio nec Oratorem nec ſe priuatum deceret: ab huiuſmodi verbis abſtinere ſolitos eſſe ipſos Principes, nedum miniſtros, præſertim nihil laceſſitos, ſed honoratos, & domi ſuæ. Ad obiecta dein paucis reſpondit: Mentem eſſe Pontificis, vt præter ampliſſimam ſecuritatis fidem vnuſquiſque humaniter audiretur in Synodo, adeoque vt adeſſent non tamquam lepores inter leones, ſed tamquam agni apud paſtores: Ex prudentia Principis ſperandum, auctorem ipſum fore non vt reſponderetur cauillationibus,

1561. quæ nullæ erant ex parte Pontificis, ſed vt id conſilij ſuſciperetur, quod pacem & in ſacris & in profanis rebus afferret Eccleſiæ, quod vnicè Pontifex cupiebat; cum omnibus in comperto eſſet, in vtriſque eam pacem defeciſſe ob recentiores ſectas, & permanere vbi hæ radices non egerant: Ex earum multitudine ac repugnantia in iis prouinciis palàm certè fieri, inclytam Germaniam hæreſi planè totam fœdatam: Corruptelas ex æquo expurgandas eſſe vbicumque neceſſitas vrgeret; nec poſſe Germanos affirmare ſe corruptelis vacare, cùm de iis tot in Comitiis ipſi conqueſti eſſent, & Concilium ad eas curandas ſemper efflagitaſſent: Supplicia paucis obſtinatis hæreticis auctoritate Pontificis inflicta in Italia, & alibi, nihil aduerſari benignitati, quâ idem pœnitentibus veniam offerebat: quin potiùs ea ſupplicia præcipi legibus etiam Cæſareis, & congruere vetuſtiſſimæ Eccleſiæ, optimorumque Regum & Imperatorum conſuetudini; eademque opera pietatis euadere non modò ad conſeruandam Religionem intaminatam, ſed etiam ad ſubducendas eas prouincias per modicam ſanguinis effuſionem horrendis calamitatibus, quæ aliis in locis cernere erat, vbi ea ſancta ſeueritas non vſurpabatur: Idololatriam, quam Eccleſiæ Romanæ exprobrabant, eſſe cultum illum erga res ſacras, quem à primis vſque ſæculis Eccleſia obſeruauerat, & integra Germania exercuerat ex quo Chriſti cultum ſuſcepit: In Pontificis poteſtate ineſſe conditiones omnes tyrannidi repugnantes, cùm ea poteſtas non vi nixa ſit, ſed verbo Dei, & reuerentiâ fidelium, ſimulque cum tanta ſubditorum quiete ac felicitate coniungatur, quanta erat perturbatio & calamitas populorum qui ab illa receſſerant.

His dictis ſurrexit, & abeundi veniam petiit. Sed eum Brandeburgicus ſecum ad prandium inuitauit; & non ſolùm cùm primùm illum excepit, & poſtea deduxit, honoratius illi latus tribuit, ſed in menſa honoris gratiâ detectum ſemper caput habuit, & quouis alio modo, geſtibus, verbis, ac rebus oblatis, cuncta obſeruantiæ vel maximæ argumenta illi protulit, iuſſis ſuis omnibus Conſiliariis ad diuerſorium vſque ipſum comitari. Inter eos Cancellarius, quæ dixerat in reſponſione pluribus excuſauit. Repoſuit Nuncius: Se nonniſi ſtudio, quo flagrabat eorum ſalutis, ad eam querelam inductum; ſi aliter, gratum ſibi futurùm fuiſſe, vt quando nollent ipſi diſſidiis huiuſmodi finem imponere, iis agendi rationibus vterentur, quibus cauſa Pontificis æquior pateſieret, eiuſque charitas & benignitas perpetuò commendarentur. Cancellarius ita colloquium clauſit: *Cœnobitæ horum omnium cauſa extitere.* 10

Breſcia.

11 Breſcâ profectus, Berlinum repetiit Commendonus poſtremò Februarij[e]. Eum poſtridie memoratus Archiepiſcopus inuiſit, ac reſponſa ipſi reddidit per vnum e ſuis Conſiliarijs, plena laudibus & gratiarum actionibus erga Pontificem, pollicitus, ſe ad Synodum iturum; vbi aiebat adfuturos multos Epiſcopos ſe quidem doctiores, neminem tamen ſe Pontifici fideliorem. Epiſtolam quoque illi tradidit ſuâ exaratam manu, quâ Pontifici reſpondebat; adiecitque, Ob accepti diplomatis beneficium maiori ſe fiduciâ opem & conſilium petiturum à Pontifice ad rem Eccleſiæ promouendam. Hæc in Archiepiſcopo agendi ratio tantò charior accidit Nuntio, quantò minùs eam ſperauerat à iuuene viginti duos annos nato, qui & hæretico famulatu obſidebatur, & ab hæretico parente regebatur. Sed parentes eam ſæpè probitatem amant in filiis, quam ob rationes pſeudo-politicas neſciunt in ſeipſis velle.

1561.

e Extat in epiſtola Commendoni ad Borromæum Card. Brandeburgo, die 4. Martij 1561.

12 Detulit poſteà Commendonus Pontificias litteras vxori Septemuiri, quæ Catholica erat, eaſque per ſummam lætitiam ac venerationem accepit. Nuntium rogauit, vt is eius nomine Pontificis pedes oſcularetur, eumque certum redderet, velle ſe in veteri Fide & viuere & mori. Nec ceſſabat Septemuir conſueta cum Commendono colloquia ſemper repetere, neque caſtigatorem ſuum à ſe diſiungi patiebatur: quapropter dies aliquot ipſum retinuit eo nomine vt illi Eccleſiæ ſuæ ſacra lipſana oſtenderet, pretioſis in thecis aſſeruata, & Magdeburgenſi Eccleſiæ [f] dono tradita à Carolo Magno, ſimulque Roſam auream, auo ſuo miſſam à Romano Pontifice Nicolao V. atque à Nuntio petiit, vt à Pontifice aliquid è ſanctiſſimæ Crucis ligno ſibi impetraret, quò illud in cruce locupletiſſima, à ſe ad id iam parata, reconderet; perinde quaſi ſacrorum lipſanum honor magis in ornamentorum pretio quàm in poſſeſſorum cultu haberetur.

f Hæ reliquiæ dicuntur illi Eccleſiæ donatæ ab Othone I. ſed in epiſtola Commendoni, fortaſſe ex lapſu memoriæ, Carolus Magnus nominatur: nos illius tenorem variare noluimus.

13 Has inter moras Ioachimus identidem id repetebat, à quo reuerà ad eas protrahendas impellebatur, hoc eſt, Concilij negotium, modò Nuntium percontatus, Sperarétne Pontificem inclinatum iri ad concedendum Proteſtantium Theologis ius ſuffragij; modò conqueſtus, quòd Tridenti tot rerum capita fuiſſent ſancita, iis minimè auditis. Commendonus ad alterum reſpondit: Par non eſſe, vt ſuffragium concederetur iis, quibus iure non debebatur, aliter enim innumeri illud ſibi à Pontifice flagitaſſent honeſtiori ſpecie, quàm Theologi ab eius obedientia ſeiuncti. Ad alterum: Inuitatos fuiſſe Proteſtantes ad Synodum hortationibus tam iteratis, tam ſtudioſis, atque etiam tam demiſſis, vt nonniſi ipſorum

 proter-

1561. proteruiæ imputandum eſſet, quòd auditi non fuerint: interim opus fuiſſe, vt ea dogmata definirentur ad incolumitatem certamque Fidem Gentium Catholicarum; nunc verò in controuerſiam reuocandum non eſſe quod ab eo Tribunali decretum fuerat, cuius firmitati Religionis Chriſtianæ firmitas adnectitur. Septemuirum proinde ille hortatus eſt, vt apud ſuos ipſe fœderatos ad Concilium mitti curaret Oratores, ſed viros pacis amicos, non autem ipſorum Theologos. Ad quod Ioachimus: *Theologi*, inquit, *haud pacem quærunt, ſed contentionibus gaudent:* ac rurſus omnem ſuam operam ad concordiam obtulit. Poſtremò ſubdidit, Optimum fore conſilium, ſi ex cunctis nationibus viri probi ſeligerentur, qui iudices eſſent. Sed interrogauit eum Nuntius, A quonam ea electio eſſet habenda; ſubiecitque: Penes eos omnes probos homines haud maiorem tandem auctoritatem futuram quàm eſſet humana & erroribus obnoxia: at verò in Conciliis agnitum ſemper ab Eccleſia fuiſſe ductum Sancti Spiritus aſſiſtentis: nullâ re magis perturbatum iri regimen Eccleſiaſticum, quàm ſi liceat admittere aduerſus illius Magiſtratus, ad poteſtatis exceptionem, probitatis penuriam; id verò à nemine abſurdius in medium afferri poſſe, quàm à Proteſtantibus, qui humanis operibus nihil planè tribuebant.

Et ſanè fruſtrà nitebatur Ioachimus in exquirenda Concilij forma, cui ſe Proteſtantes ſubiicerent. Ipſi namque in conuentu Naumburgenſi ſextâ Februarij [g], nimirum eâ die, quâ reſponſum conceperant ad Nuntios, ab illis miſſum poſtridie manè, decreuerant quid eſſet Cæſari reſpondendum de Concilio, quò poſteà in Erfordienſi cœtu rem maturarent; ibique conuenerat inter eos, nequaquam illud accipiendum eſſe, etiamſi denuò reuocarentur ad trutinam Fidei dogmata, & ius ſuffragij ipſorum Theologis concederetur. Etenim, aiebant, Pontificem nihilominùs ex ſuffragantium numero potiorem futurum; adeoque Concilium ab illis petendum, in quo quæſtiones non ſententiarum multitudine, ſed ad Dei verbum deciderentur; quod per alias voces ſonabat Concilium quoddam, vbi vnuſquiſque totius conuentus iudicem ageret, & cui liberum eſſet in ſua opinione, quamuis ſingulari, obſtinatè perſiſtere. 14

g Extat in ſcripturis Caſſiani à Puteo.

Sed ea fortaſſis ad id vſque temporis Brandeburgico erant ignota. Poſt varias cunctationes cùm iam ille non poſſet profectionem Nuntij ampliùs retardare, litteras ipſi dedit, quibus Pontifici reſpondebat, & munera ingentis pretij ad eumdem deferri iuſſit. Verùm Nuntius actis gratiis ea recuſauit, eorumque loco duo petiit; 15

alte-

alterum, vt cùm ipſe Nuntij Oſij nomine librum confeſſionis ſuæ ad Septemuiri vxorem attuliſſet, ne grauaretur Septemuir illum legere; alterum, vt Carthuſianis loca quædam reſtitui iuberet prope Francofurtum ad Oderam, illis erepta. Vtrumque ipſi promiſſum; atque ita tertio Martij diſceſſit. 1561.

CAPVT V.

Res à Commendono geſtæ cum Henrico Duce Brunſuicenſi, cum Septemuiris Colonienſi ac Treuirenſi, cum aliis Epiſcopis, cum quibuſdam liberis Ciuitatibus, & cum Duce Cliuienſi.

1 PEr multas hæreticorum vrbes iter faciens Commendonus [a], adiit Henricum Ducem Brunſuicenſem, qui Catholicus erat. Hic diploma litteraſque Pontificis excepit ſummâ reuerentiâ, nec vllam Synodi continuationi difficultatem obiecit; quin voce ac ſcripto reſpondit: *Sperari à ſe, interceptum Concilium ad optatos exitus deducendum.* Ducem Erneſtum è ſua familia, alioſque illius fratres, qui Lutherani erant, excuſauit, quippe fortunæ tenuitate, non animi prauitate ad id ſeductos. Dixit, Se reſciuiſſe à Septemuiro Saxone, cùm factio Caluiniſtarum Naumburgi præualeret, à Lutheranis Comitia propria Saxonica inter ſe adornari, atque ea de re ſermonem poſtremò fuiſſe habitum à circulo Saxonico Brunſuici; adiecitque, fidenter ſibi affirmaſſe eum, qui memorato Septemuiro à ſecretis erat, vbi Euchariſtiæ ſumptio ſub vtraque ſpecie permitteretur, ſuum Principem facile ad Catholicos acceſſurum: quæ tamen narratio æquè Duci ac Nuntio dubia viſa eſt.

2 Inde Commendonus ad complures primarios Præſules, diploma litteraſque Pontificias delaturus, iter conuertit: quos tametſi variis ille temporibus allocutus ſit, reſponſa tamen hîc ſimul ac ſummatim referam [b]. Antiſtites Nauburgenſis & Paderbornenſis, etſi podagrâ laborantes, ſe paratos ad acceſſum obtulere: Monaſterienſis excuſauit ſe, propterea quòd hæreticos nimis propinquos, & ſubditos parum ſibi obſequentes haberet. Alios ſuas apud Diœceſes Nuntius nòn eſt nactus, adeoque diploma Pontificis, eiuſque litteras Conſiliariis reliquit. Verùm ille ſibi ſuadebat [c], eorum pleroſque nihil minus quàm de aduentu ad Synodum cogitare, cognitis præſertim Proteſtantium conatibus ad eos auertendos, quò Synodus Præſulibus infrequens, auctoritate vilis haberetur. Coloniam poſteà peruenit ineunte Aprili, vbi Colonienſis Archiepiſcopus, habitâ cum ſuis Conſiliariis de reſponſo deliberatione, pro reliquo-

[a] Litteræ Commendoni ad Borromæum Cardin. Rhenis 24. Martij 1561. quarum pars clandeſtinis notis erat ſcripta.

[b] Cuncta extant in variis litteris Commendoni ad Borromæum Card. ac præcipuè in epiſtola ab eo Antuerpiæ ſcripta 5. Maij ad Mantuanum Cardin. deſignatum Concilij Legatum.

[c] Litteræ Commendoni ad Borromæum Cardinalem, Bruxellis 11. Aprilis 1561.

1561. rum more dixit, ſe præſtò eſſe ad obſequendum Pontifici; ſed de ſuo ad Synodum acceſſu, à Germaniæ ſtatu ſe cogi, vt priùs Cæſarem conſuleret.

Plus propenſionis ac ſtudij animaduertit in Septemuiro Treuirenſi[d]; à quo didicit, ſcripſiſſe Ferdinandum ad tres Septemuiros Eccleſiaſticos, eoſdemque cohortatum ad operam nauandam Concilio; ſimul etiam illos conſuluiſſe, num efficaciùs promoueri poſſet Synodus per noua Comitia, an alio modo. Reſponſum ab illis fuiſſe redditum: Comitia haud opportuna videri, quoniam in ipſis Proteſtantes in vnum coaleſcerent, adeoque immobiles forent, idque propterea, quòd vnius firmitate cuncti firmi redderentur: faciliores eos repertum iri, ſi cum ſingulis ageretur; quod diſcrimen, aiebat Archiepiſcopus, licuiſſet ipſi Commendono in ſuo itinere experiri: quapropter potiora cenſeri Cæſaris officia, ſingulis Principibus ſeorſim adhibita. 3

d Litteræ Commendoni ad Borromæum Card. Confluentiâ, 14. Aprilis, & Colonia 21.

Ad hanc rem cœpit Nuntius diſſerere, quantæ foret vtilitatis fœdus iniri inter Catholicos. Proteſtantes ad eam vſque diem minus quàm Catholicos pollere viribus, & tamen ob coniunctionem inter ſe formidabiles euaſiſſe: at reuerà, nec eam eſſe inter illos coniunctionem, ſed ſpecie tenus, & adſtrictam non concordiâ nec amicitiâ inter ſe, ſed vnicè odio in Religionem Catholicam, & cupiditate Eccleſiaſticorum bonorum: per hanc, quamuis imperfectam ſocietatem, adeò illos præualere, vt Catholici Principes ægrè iam poſſent obedientiam & vectigalia à ſuis ſubditis exigere: tantâ vti Proteſtantes ſolertiâ ad emolumenta ſuæ ſectæ, & ex aduerſo tantâ ſocordiâ Catholicos, vt hi nonniſi ſoporem, illi nonniſi vigilantiam præ ſe ferrent, perinde ac ſi Catholici ea opere ſequerentur, quæ Proteſtantes doctrinâ, hoc eſt, Fidei omnino fidendum, & operibus nihil. In comperto eſſe, quanto fuerit emolumento multis Principum Præſulumque, fœdus Franconicum: ea loqui Nuntium priuato nomine, non mandato Pontificis. Treuirenſis, audito pergrato ſuis auribus ſono, eâdem modulatione concinens, aperuit Nuntio, Auguſtæ anno ſuperiore propoſitum à ſe fuiſſe Cæſari fœdus ineundum inter Septemuiros Eccleſiaſticos, inter Epiſcopos & Principes finitimos, inter Ducem Cliuenſem Cæſaris generum, & inter ditiones Belgicas Regis Hiſpanici, qui paratiſſimo ad id animo erat: comprobatum id à Cæſare verbis fuiſſe, ſed poſteà haud in opus deductum. Vnde Commendonus arbitratus eſt, deſtitiſſe ab eo Cæſarem ob ſuſpicionem, ne Rex Catholicus patronus euaderet, adeoque quaſi moderator trium è Septemuiris Ec- 4

cleſia-

cleſiaſticis, ac reliquorum fœderatorum. Ita ſæpè dum noſtris diffidimus, euadimus hoſtium præda. 1561.

5 Hîc pariter à Nuntio reſcitum eſt[e], Proteſtantes, quò exprobratam ſibi repugnantiam inter veterem doctrinam, Confeſſionemque Auguſtanam velarent, vſos hac arte fuiſſe, vt nimirum tam ea quàm Opera Lutheri per typos euulgarentur, adulteratâ formâ: quamobrem Ioannes Federicus Dux, qui ſolus cum ſuis liberis primi Lutheraniſmi tenax erat, rurſus imprimendam typis curauerat vtramque doctrinam, vtriuſque verâ formâ retentâ: ac proinde ea conficta vnitas, quâ Proteſtantes ſtuduerant vulgus decipere, & quaſi clypeo contra Catholicos ſe munire, ab ipſorum ſectatoribus detecta euaneſcebat, cùm certè non poſſit non modò eſſe, ſed ne diu quidem apparere vnum id in quo nec verum inſit nec bonum. Ceterà Treuirenſis haud paratum præ ſe ferebat animum ad Synodum per ſe adeundam, cauſatus præſentiæ ſuæ neceſſitatem in proprijs ditionibus ad Religionis tutelam, illarumque ex longinquitate damnum in anregreſſa conuocatione; verumtamen rem in Pontificis iudicio reponebat.

e Cuncta extant in epiſtola Commendoni ad Borromæum Card. Coloniâ, 21. Aprilis 1561.

6 Viſum Nuntio fuerat, haud vigere Coloniæ eam ſinceritatem, eamque diſciplinam, quam optabat; obſeruans teporem in hęreticos, repugnantiam Cleri & Ordinum Mendicantium in admittenda Societate Ieſu ad poſſeſſionem alicuius templi aut Cœnobij, ſed ſolùm ad exercitationes publicas Academiæ, &, quod hinc oriebatur, Lutheranorum multitudinem. Quocircà in reditu ab vrbe Confluentia, vbi Treuirenſem conuenerat, Magiſtratum eſt allocutus, & cùm ab eo inuiſeretur, litteras Pontificias ipſi dedit, eumque cohortatus eſt, vt opere ita ſe gereret, ſicuti poſtulabat illius Reipublicæ ſigillum, in quo hæc erant inſculpta in epigraphe: *Colonia Agrippina, deuota & obſequens filia ſanctæ Romanæ Eccleſiæ.* Significauit Senatus, magnæ ſibi honorificentiæ ducere, quòd ipſi, tamquam liberæ Ciuitati, Orator ad Synodum legandus eſſet, ac demiſſiſſimam obedientiam Pontifici exhibuit: effecturum ſe ſpopondit, vt ſanctiones iam ſtatutæ, ſed neglectæ, re complerentur, vt nemini non perſpectæ Fidei liceret ibi commorari. De libris etiam imprimendis, de vigilantia ſacræ Inquiſitionis, de Theologicæ facultatis cura feruentia ſtudia Nuntius impendit cum iis quibus ea opportuna exiſtimauit.

7 Inde ad Cliuienſem Ducem perrexit, de quo[f] grauis illum cura perculerat. Moderabatur is tres Ducatus, & multas ditiones tum citra tum vltra Rhenum, finitimas ditionibus Colonienſi, Treuirenſi,

f Litteræ Commendoni ad Borromæum Cardin. Antuerpiæ, 25. Maij 1561.

1561. renſi, Leodienſi, & Belgio, Philippi Regis patrimonio, cunctis quidem Catholicis prouinciis, ſed hæreticorum frequentiâ infectis, adeoque in eiuſmodi ſtatu, vt plurimum boni malive poſſet in eas influere a Ducis conditione. Retinebat ille Religionem, ſed cum ſuſpicione alicuius erroris; non quidem ab animi cupiditate profecti, cùm ſe perpetuò à ſpoliandis onerandiſque Eccleſiis abſtinuiſſet; nec ab impietate, cùm reuerentiam antiquæ Fidei exhiberet, ſemperque inuitamentis ſuſcipiendæ Confeſſionis Auguſtanæ repugnaſſet: ſed ab hominum fraude, apud illum auctoritate pollentium, morbo facilioris curationis quàm vbi ab interiore cauſa dimanat. Degebat in eius dominio prope Coloniam magiſter quidam, qui hæreſim quingentos planè diſcipulos edocebat, quibus ciuitas inficiebatur. Sæpiùs hominem Dux admonuerat, ſed numquam punierat: hinc ab ipſis caſtigationibus Principis ille audaciam hauriebat, animaduertens flagitium ſciri, & tamen tolerari. Sed maior inceſſit Nuntium ſollicitudo, vbi cognouit, in magna eſſe apud Ducem exiſtimatione concionatorem quemdam, qui documenta improba diſſeminabat, & Euchariſtiam ſub vtraque ſpecie in templo Franciſcanorum populo adminiſtrauerat. His de cauſis anxius Nuntius Ducem adit, & præter diploma Pontificiam epiſtolam illi reddidit, quâ Pontifex eum blandè cohortabatur, vt in maiorum ſuorum pietate perſiſteret.

Exceptus ab eo Nuntius eſt & amanter & honorificè; & quamquam Ducem offendiſſet amaro erga Romam animo, ob reuocationem cuiuſdam diplomatis anteà impetrati, captiuitatemque Procuratoris qui rem tranſegerat, huiuſmodi tamen reſponſum retulit: *Excipi à ſe ſummâ reuerentiâ benedictionem ac diploma ſanctiſſimi Domini noſtri Pij Quarti, Pontificis maximi Eccleſiæ Romanæ & Oecumenicæ, & Domini ſui clementiſſimi. Suſcipi à ſe tamquam à filio paterna monita, ne à ſuorum maiorum ſemita declinaret: ſperare, ne latum quidem vnguem ab eorum Religione ſe deflexurum: Concilij conuocationem ſibi eſſe percharam, quò ſuos Oratores miſſurus erat, eaq; prætereà præſtiturum quæ Catholicos Principes decerent. Verùm quo fructus inde copioſior decerperetur, ſummoperè ſe cupere, vt communi Principum Imperij conſenſu illud celebraretur, atque ad id ſuam operam polliceri.* Commendonus collaudatâ Ducis pietate, quod ad poſtremam partem ſpectabat, reſpondit: Id pariter à Pontifice incredibiliter exoptari, pro eo ac ſupremo ſuo muneri par erat, & quemadmodum tot adhibita à ſe ſtudia palàm faciebant, quot Dux ipſe conſpicabatur; ſed vbi ea ſtudia aliorum culpâ in irritum caderent, permittendum non eſſe,

eſſe, vt improborum peruicaciâ probi non confirmarentur, detege- 1561.
rentur errores, veritas ſtabiliretur.

9 Duo quæ ſæpè memorauimus capita magno animi ſenſu propoſuit Cliuienſis, concedendum videlicet eſſe laicis vſum Calicis, & coniugium Sacerdotibus. De priori ſenſa quidem Catholica is præferebat in mente, ſed aiebat, Id à ſe ſuis ſubditis interdici non poſſe; eius vſum viginti quinque iam annos inductum à ſe reperiri, & complures ad hæreſim pronos eo contentos fore, nec præcipites ituros. De poſteriore affirmabat, A Sacerdotum intemperantia neceſſitatem oriri, è quibus ne quinque quidem numerabantur, qui concubinas publicas non haberent. Studuit Nuntius eius rationes ſoluere, quantum ſatis eſſet ad commonſtrandam Decretorum conſuetudinemque Eccleſiæ Catholicæ ad eum vſque diem conuenientiam; non tamen tam acriter, vt per ea argumenta improbaretur tamquam minimè conueniens, minimeque probabilis relaxatio in poſterum; dixitque, Ea de re in Concilio deliberatum iri: atque ita ipſius Ducis deſiderio erga eas conceſſiones vſus eſt, vt ipſum alliceret ad id quò eius legatio tendebat. Hortatus pariter eſt ad expellendum è ſuis ditionibus doctorem hæreticum, & ab Aula ſua corruptum concionatorem. De alterius expulſione ſpem fecit Cliuienſis; de altero ſignificauit, rectâ eum Fide præditum. Nuntium inter dimittendum rogauit, vt ſe ſuaque Pontifici commendaret, voluitque illum è ſuis ædibus ad hoſpitium ipſe deducere, atque ibi aliquanto temporis ſpatio cum eo colloqui. Nuntij tam quam ſimulacra quædam ſunt, quibus neſcio quid maioris venerationis præſtatur, cùm dignitati perſonæ, quam repræſentant, accedit maieſtas, & quidam ſpiritus imaginis repræſentantis.

CAPVT VI.

Commendonus pergere in Daniam iuſſus. Legati Concilio deſignati. Cardinalium creatio; & duo notatu digna de Amulio, & Aquileiæ Patriarcha.

1 COmmoranti Antuerpiæ Commendono duæ ſuperuenerunt Romà iuſſiones[a]: altera, vt cùm ipſe Naumburgo ſignificaſſet, Regem Daniæ ad eum conuentum non adueniſſe, ipſum in eius regnum adiret ad Concilium illi indicendum. Verùm quò poſſet Nuntius ea iuſſa exequi, opus illi erat, vt priùs operâ Cæſaris fidem publicam obtineret. Rex Daniæ iuuentâ florebat, ingenti animo præditus, ingentique potentiâ, præſertim maritimâ, adeo-

[a] Litteris Borromæi Cardin. 4. Martij, quibus Commendonus reſpondet Antuerpiâ 3. Maij.

1561. adeoque animo ingentia molitus; quàmplurimis Germaniæ Dyna-
ſtis ſanguine coniunctus, Saxonis gener, ſororis Brandeburgici fi-
lius, ac proinde à complurium ſpe, multoque magis à ſua, Coro-
næ Cæſareæ deſtinatus, vt propterea huiuſmodi Principis ad Con-
cilium acceſſio plurium inſtar fuiſſet. Sed iter videbatur difficile [b],
ob regionis inclementiam, nec minùs etiam difficilis ingreſſus ob
domini ferociam, apertamque inimicitiam, quam ille in Sedem
Apoſtolicam profitebatur.

[b] Litteræ Commendoni ad Mantuanum Cardin. Antuerpiâ 5. Maij 1561.

Secundo loco Nuntio iniunctum fuit, vt perſcriberet tum res 2
à ſe geſtas, tum gerendas, duobus Concilij Legatis, qui aberant
Româ, adeoque participes illicò fieri non poterant litterarum, quas
ad Borromæum Cardinalem ipſe ſcribebat. Alter ex his Legatis in
Senatu promulgatus iam fuerat, nimirum Hercules Gonzaga Car-
dinalis Mantuanus [c], de cuius virtute aliqua eſt habita mentio, cùm
de poſtremis Pontificiis Comitiis egimus, in quo ad plurimas pro-
prias viri dotes, familiæ auctoritas accedebat, quoniam ipſius ex fra-
tre nepos Guillelmus Dux, erat Cæſaris gener deſtinatus, adeoque
ſimul Cliuiæ ac Bauariæ Ducibus affinitate coniunctus. Quare hu-
iuſmodi Legatus conferre poterat Synodo non modò regimen
iudicij præſtantiâ, ſplendoremque ditionis amplitudine, ſed vigo-
rem cognationis auctoritate. Principio conatus eſt pro virili Man-
tuanus munus declinare, quippe tam laboris certum, quàm ſucceſ-
ſus incertum: ſed Pontifex electioni iam habitæ firmus inhæſit, &
quò ſuauius illi redderet onus, voluit parte præmij ipſum anteuer-
tere, donato per eos dies Purpurâ Franciſco Gonzaga [d], filio cele-
bris illius Ferdinandi, qui Herculis frater erat.

[c] Acta Senatus, 14. Febr. 1561.

[d] 16 Februarij 1561.

Mantuano deſtinatus id temporis fuit collega ſolus Puteus Car- 3
dinalis, vir Iuris Pontificij ſcientiâ præſtans, & ob varias animi do-
tes ſupremâ dignitate dignus in anteactis Comitiis habitus, quem-
admodum ſuo loco dictum eſt; ſed alius Legatus, cui iuſſus eſt
Nuncius res à ſe geſtas communicare, animo ſolùm Pontificis de-
ſtinatus fuerat, [e] in Senatu non euulgatus, quo tempore epiſtola,
quâ id mandabatur, ſcripta fuit, & paucis antè diebus inter Cardi-
nales cooptatus [f]. Fuit hic Staniſlaus Oſius, Nuncius tunc ordina-
rius apud Cæſarem, vir magni nominis tum in Polonia, vbi natus
erat, tum in Germania, vbi primas Eccleſiæ partes ſuſtinebat, coa-
leſcentibus in eo geminis illis laudibus, quæ præ ceteris virum egre-
gium ſupra conditionem humanam euehunt, vitæ ſanctimoniâ, &
eminentiâ doctrinæ. Multis antè annis cum coëgerat inuitum Si-
giſmundus Poloniæ Rex ad Culmenſes Infulas ſuſcipiendas, eiuſ-
que

[e] Epiſtola Borromæi Card. ſcripta eſt 4. Martij, & legatio commiſſa eſt Oſio 20 Martij, vt in Actis Senatus.

[f] 26. Februarij, vt in Actis Conſiſt.

1561.

que operâ vſus fuerat in grauiſſimis legationibus ad Poloniæ ſalutem. Inde promotus Oſius ad peramplum Varmienſem Epiſcopatum, Apoſtolico animo in ſuo tutando grege, & in ſuſtinenda Religione deſudauit: quapropter voluit Pontifex, vt ſuam ille virtutem in vniuerſæ Eccleſiæ vtilitatem exerceret: eoque priùs per grauiſſimum illud Germanici Nuntij munus exercito, eiuſmodi fructus expertus eſt; tam concordes de illius ſtudio ac virtute acclamationes accepit, vt nihil ipſi deſiderandum ſuperfuerit, quin eum Præſidem Concilio daret,[g] qui ſcientiâ illud regeret, ſanctum redderet probitate, exiſtimatione cohoneſtaret. Interim verò iuſſit Oſium cum Legati poteſtate apud Ferdinandum in Germania permanere.

g 10. Maij, vt in Actis Conſiſtor.

4 Et ſanè ſtuduit Pontifex per eum Purpuratorum delectum Sedi Apoſtolicæ nationum omnium beneuolentiam conciliare, promotis ex qualibet viris, qui virtute ac genere præcellerent, Principibus accepti, nimirum tales, vt eorum dignitas operi ſuſcepto conduceret. Elegit itaque præter Oſium, & iuniorem Gonzagam, Hieronymum Seripandum, ſatis memoratum in priore noſtræ narrationis parte, multoque ampliùs memorandum in futura, qui tunc Salernitanæ Eccleſiæ præerat: Bernardum Saluiatum, S. Populi Epiſcopum, Leonis X. ſororis filium, & conſanguineum Gallorum Reginæ, quæ illius Purpuram à Pontifice flagitarat: Petrum Franciſcum Ferrerium, virum nobilem ex Inſubria, Vercellenſem Antiſtitem, in amplis adminiſtrationibus exercitum à deceſſore, tunc verò Nuntium Venetiis: Ludouicum Simonettam, Mediolanenſem, Patritiâ familiâ, Piſauri Epiſcopum, egregium Iuriſperitum, qui ſub Paulo III. interfuerat Synodo, & ſub Pio Datarij primario munere fungebatur: Antonium Perenottum, Epiſcopum Atrebatenſem, famâ illuſtrem, qui eo tempore ſupremam ferè auctoritatem obtinebat in Belgio: Philibertum Naldium, Bardeſium, Engoliſmenſem Epiſcopum, apud Pontificem Galliæ Regis Oratorem, qui Rex honorem Purpuræ illi impetrarat: Marcum Antonium Amulium, Venetum, à nobis ſuprà laudatum; qui poſt clariſſimas legationes, ſuæ Reipublicæ nomine apud ſummos Principes obitas, eiuſdem Orator tunc aderat apud Pontificem: Aloyſium Eſtenſem, Herculis Ducis Ferrarienſis filium: Ludouicum Madruccium, Epiſcopum electum, ac Principem illius vrbis vbi Synodus habenda erat, ſimulque præditum promeritis hereditariis in ſacroſanctum illum totius Eccleſiæ cœtum, à Chriſtophoro Cardinali magni nominis acceptis, qui adhuc viuens illi ſedem conceſ-

1561. ſerat, & à Pio legatione Picenâ donatus fuerat: Marcum Siticum, Altempſium, Pontificis ſorore genitum, Antiſtitem Caſſanenſem electum, & prænobilem in Germania Comitem: Inicum Aualum, Aragonenſem, Vaſtij Marchionis, clari militum imperatoris, filium: Alfonſum Geſualdum, Protonotarium Apoſtolicum, filium Principis Venuſij: Franciſcum Pacecum, cuius virtutes promeruere, vt ei Purpuram Philippus Rex & poſtularet & impetraret, ſuffragantibus etiam precibus Florentinæ Ducis, & conſanguinitate cum Paceco Cardinali anteà defuncto, viro de ea Synodo optimè merito, minuſque ſolùm fortunato ob temporum conditionem, ob quam ſemel viſus eſt minùs obſequens voluntati ſacri ſui Principis, quàm profani: Ioannem Franciſcum Gambaram, nobilem equitem Brixienſem, Pontificiæ Cameræ Clericum: Bernardum Nauagerum, Venetum, qui pariter ac Amulius multas regias legationes obierat, & tandem Romanam Paulo IV. ſedente, quique vnà cum ciue ſuo, quem nuper nominauimus, palàm fecit, prudentiam politicam Chriſtianæ pietati minimè repugnare: Hieronymum à Corregio, à nobis ſæpè memoratum, qui præter inclytam nobilitatem Romanæ Sedi operam ſuam nauarat Nunrius apud Reges, lucemque à litterarum excellentia, morumque probitate ſibi compararat.

Res accidit in hoc Patrum delectu digna planè quæ memoretur[b], quippe ob admirationem iucunda, ex documenro conducibilis, & à noſtro argumento non aliena. Veneta Reſpublica Pontifici commendauerat Ioannem Grimanum Aquileiæ Patriarcham, Antonij ſuæ patriæ Principis nepotem, cui Dominicus patruus, & Marinus frater fuere, ſpectatiſſimi Senatus Apoſtolici Patres; atque hiſce ſanguinis ornamentis propria ipſius viri accedebant, ex litterarum ſplendore, morumque grauitate. Pontifex verò pronum ſemper animum ad gratificandum in eo Reipublicæ præ ſe tulerat, dummodò S. Inquiſitionis tribunal Patriarchæ non obſtaret. Etenim vſque ab anno 1547. obiectæ illi fuerant prauæ ſententiæ, pro quibus Canonicæ, vt aiunt, purgationi ſubiectus fuerat: & forſitan illæ ſuſpicionis vmbræ Purpuram quoque præpedierant ſedente Iulio III. in cuius mandatis, Camaiano ad Cæſarem Nuntio traditis, comperio recenſitam à Pontifice Reipublicæ poſtulationem, quò Grimanus promoueretur; & paucis pòſt diebus conſpicor electum ipſius loco Aloyſium Cornelium, Cypri tunc Priorem, vt aiunt: ſed poſteà Pius Quartus ſe benè illi affectum indicarat. Iam verò quoniam concurſus ad honores, inſtar ſubtilioris aëris eſt qui morbos detegit; ſuperuenere Venetiis id temporis ad ſupremum 5

b Conſtat ex litteris Amulij ad Senatum, 31. Auguſti, & 22. Februarij, aliiſque, vſque ad hanc creationem: & poſt eam in aliis Secretarij Veneti ad Rempublicam, vſque ad 8. Martij.

mum Fidei tribunal quædam litteræ, à Grimano iam ſcriptæ Vicario ſuo, quibus illum iubebat ſuggeſtum reſtituere cuidam concionatori, inde amoto ab eodem Vicario, quòd is pro concione ſignificarat, èx Diuina prædeſtinatione aut reprobatione adimi poteſtatem hominibus perdendæ vel adipiſcendæ ſalutis; atque in hiſce litteris huiuſmodi doctrinæ aſſentire ſe Grimanus indicabat. Propter eas litteras, tunc planè delatas cùm Pontifex propè erat vt Patres renuntiaret, dixit Pius Amulio Oratori, Dubium eſſe licerétne ſibi eo delectu Reipublicæ Grimanum petenti ſatisfacere, donec narratæ ſuſpiciones diſcuterentur. Orator grauiter ex eo commotum animum præ ſe ferens reſpondit; Rempublicam id ægerrimè habituram, tum ex certa ſpe, quam ad eam vſque diem acceperat, tum ex cauſæ obiectæ titulo, perinde quaſi hæretico homini decus illud commendationibus ſuis poſtulaſſet; ſimul etiam quòd eam notam in ſuo tàm nobili ciue pateretur. Quocircà Pontifex ipſam actorum ſummam Oratori tradidit, permiſitque vt is decemuirali Conſilio illam ſecretò communicaret: accerſiuit prætereà Ghiſlerium Cardinalem, qui Alexandrinus ex patriæ nomine dicebatur, ſacrorum Quæſitorum Principem, iuſſitque ab eo ſcripturarum autographa Amulio coram ſe oſtendi. 1561.

6 Impetrauit Amulius, vt ſibi liceret Grimanum Romæ degentem commonefacere, & ad Pontificem adducere. Ibi, dum ſe ille purgaret, in lacrymas honeſti doloris prorupit, diſſertationemque de ipſo argumento à ſe ſcriptam protulit, in cuius calce ſuam omnem ſententiam Apoſtolicæ Sedis iudicio ſubiiciebat. Obtinuit tandem Orator, vt Pontifex, pridie quàm cogeretur Senatus, cœtum S. Inquiſitionis haberet, vbi admiſſus eſt Patriarcha ad ſuam cauſam dicendam: ſed ea defenſio non tam dilucida enituit, vt omnis nebula diſiiceretur. Quare Pontifex Oratori ſignificauit; Temporum conditionem eam eſſe, quæ poſtularet in Eccleſiæ cardinibus ſinceritatem non modò puram culpæ, ſed ſuſpicionis, in re tanti momenti: quin etiamſi ipſe Grimanum Senatui propoſuiſſet, Cardinales tamen, ac potiſſimùm qui Fidei Quæſitores erant, obſtituros fuiſſe; proinde loco dignitatis conſequendæ, & illi & Pontifici dedecus allatum iri. Ipſe quoque Alexandrinus Cardinalis, qui colloquio intererat, denuntiauit, in eo caſu fas ſibi minime futurum ea reticere in Senatu, quæ ſuggerenda Pontifici cenſuiſſet. Pollicitus tamen eſt Pius, ſe cauſam celeriùs maturaturum, & in eo Præſule Reipublicæ gratificaturum. Petebat ſaltem Orator, vt illum Pontifex in ſinu, vt aiunt, ſeruaret. Sed hic repoſuit, A ſe in

1561. Comitiis iureiurando fidem obſtrictam, ne eam reſeruandi rationem, odioſiſſimam Collegio, vſurparet; verùm alio modo eius quod intendebatur, certo ſucceſſui ſe conſulturum.

Manè quo Senatus habendus erat, Pontifex Oratorem feſtinanter accerſiit, iuſſitque in cubiculis Borromæi Cardinalis commorari; interim in Senatu duos nobiles Venetos inter reliquos elegit ad Purpuram, quorum neuter ad eam aſpirabat, vterque promerebatur. Hi fuere Nauagerus, ſuprà laudatus, & anteà propoſitus à Republica vt Eccleſiæ Veronenſi præficeretur, & Amulius, de quo dixit dum ipſum Pius nominaret, *Hic eſt vas electionis.* Diſſerüit quoque de Grimano, curauitque vt ſinguli Patres conſenſum ſponderent, vbi de ipſius innocentia conſtitiſſet; de quo alibi ſermo erit. Amulius diu repugnauit, adeò vt Pontifex eum ſeuero præcepto ad id compulerit. Tunc ille, Cùm ipſe, inquit, miniſtrum ageret Reipublicæ, Sedi Apoſtolicæ vel maximè obſequentis, nolle non obſequi; ac Purpuram ſuſcepit. Verùm Senatus Venetus non mediocrem animi moleſtiam ex eo pertulit. Et ſanè videbatur debuiſſe Pius ab Amulij electione abſtinere ob eamdem cauſam, quæ fortaſſis ipſum impulit & animauit. Etenim cùm paucis antè menſibus ageretur de præficiendo viro cuidâm prænobili Eccleſiæ ditionis Venetæ, & de qua peculiaris tunc eſſet habenda ratio ad retinendam ibi Religionem, Pontifex ad Amulium mentem conuertit, eoque inſcio, per Nuntium rem Senatui ſignificauit, adiecto tamen, ſe nihil effecturum Senatu non probante. Sed fortè Nuntius iniunctam conditionem omiſit, ne ſucceſſum in dubium adduceret: quapropter Reſpublica ſuſpicionibus ſtimulata, quaſi Amulius rem ſuam egiſſet, illum à legatione confeſtim reuocauit; quod Pontifex acerbè tulit, perinde ac ſi per ſua ipſe beneficia noceret. Idcircò epiſtolam ſuo chirographo [i] ad Senatum ſcripſit, in qua iureiurando affirmabat, ne conſcium quidem rei Amulium fuiſſe; ſimulque teſtabatur conditionem in litteris ad Nuntium appoſitam, eo iuſſo autographum Senatui proferre; demum generoſam Reipublicæ indolem rogabat, ne plecteret innocentem. Quamobrem reſpondit Senatus per ſummam obſequij demiſſionem, affirmans, Fuiſſe reuocatum Amulium non quidem ad inferendam Pontifici moleſtiam, nec ad inurendam Oratori notam, ſed ad eas leges cuſtodiendas, quibus ipſorum regimen ſemper perſtiterat, ad emolumentum potiſſimè Sedis Apoſtolicæ: verumtamen quando Pontifici placuerat adhibere manum illam, quâ cælum aperiebat claudebatque, ad ſuam ipſis voluntatem ſignificandam, velle ſe illi obſequi; idque 7

[i] Die 23. Septembris 1560. vt extat in ſcripturis apud Burgheſios.

vt

vt re præſtarent, Amulium, qui iam erat in itinere, regredi iuſſerunt, quod effectum eſt, ad legationem exercendam. Sed hoc ipſum factum præcedens, Rempublicam ſeu duriorem ſeu ſuſpicioſiorem reddidit in ſubſequenti 1561

8 Porrò ex electis in ea cooptatione tres Concilio Legatos addidit Pius[k], Oſium de quo diximus, Seripandum, qui penè tamquam Præſes interuenerat virtutis præſtantiâ, cùm aderat tamquam inferior cuiuis Epiſcopo, gradus conditione; ac denique Simonettam, vt accedente pariter Puteo ex ſuperiore deſtinatione, par ibi eſſet egregium Iuris Canonici Conſultorum, quemadmodum par alterum erat in Theologicis diſciplinis. Quare labitur Suauis, dum narrat, ægrotanti Puteo ſubrogatum fuiſſe Seripandum. Etenim non vnus Seripandus, ſed ſimul Oſius ac Simonetta in eodem Senatu ad legationem ſunt deſtinati, & non quaſi alteri deficienti ſuffecti, ſed tamquam additi collegæ, ſicuti conſtat ex Actis. Euenta poſſibilia, etiam ſub aliqua ſimilitudine veritatis, ſunt inſtar poſſibilium numerorum, hoc eſt, ſupra omnem numerum: at verum vnicum eſt; adeoque in vtriſque temerariæ dementiæ eſt, confidere vt illud ipſum verum, planè ignoratum, fortuitò nanciſcamur.

k 10. Martij 1561. vt ex Actis Senatus.

CAPVT VII.

Miſſio, ſed irrita, Martinenghi Abbatis ad Britanniæ Reginam. Acta Commendoni cum Epiſcopo Leodienſi, cum ciuitate Aquiſgranenſi, cum Belgij Gubernatrice, & cum Granuellanô Cardinali. Malæ doctrinæ ſemina à Michaële Baio, & Ioanne Heſſelio ſparſa; & conſilia inita de eis opprimendis.

1 PONtifex, appropinquante cogendi Concilij tempore, acceptiſque reſponſis Catholicorum Principum Concilio conſentientibus, ſicut ampliùs infrà narrabitur, Angliæ quoque Reginam ad eumdem conſenſum inuitandam cenſuit. Etenim aut illa conſentiret, & magni emolumenti facta fuiſſet acceſſio; aut recuſaret, & euitatum fuiſſet illud incommodum, quòd poſſet quiſpiam Pontificis aut incuriam aut neglectum incuſare. Is igitur Hieronymum Martinenghum Abbatem in Belgium miſit, cum mandatis, vt ibi ſecuritatis fidem opperiretur[a], ipſi ab Oratore Hiſpaniæ, apud Angliæ Reginam degente, obtinendam: eâque impetratâ vltrà pergeret; ſed hoſpitium nec apud Oratorem, nec apud alium quempiam acciperet, ſoluſque Reginam adiret, ne quod præberetur indicium,

a Primum auctographum mandatorum apud me eſt.

1561. dicium, quòd ſacroſanctum Concilij negotium cum politica Hiſpanorum vtilitate connecteretur, & quòd Pontifex vnà cum Rege rem concorditer ageret: Vt eam nomine Pontificis paternè cohortaretur ad opus adeò & ipſius & ſubditorum ſaluti profuturum; & vt in eo euentu polliceretur qualemcumque Pontificis fauorem: Vt abſtineret à procuranda libertate Antiſtitum captiuorum, atque ab aliis arduis rerum capitibus, donec aſſenſum Concilio conſequeretur: nam ſæpe is, à quo multa grauia, eiuſque propenſioni diſſentanea poſtulantur, ſi velit illorum quidpiam denegare, adeoque poſtulanti haud plene ſatisfacere, inducit animum ad ſibi plenè ſatiſfaciendum, cunctis planè denegatis. Vbi fides ad tutum acceſſum ſibi non præberetur, id Romam ſcriberet, noua inde mandata præſtolaturus: ſi Commendonum offenderet in Belgio (ſicut contigit) [b] negotium cum eo communicaret, vtpote Aulæ Anglicanæ perito, vbi Mariâ regnante Sedis Apoſtolicæ rem feliciter geſſerat. Quod ſi ab Eliſabetha Regina illi repulſa redderetur, ipſe modeſtè diceret, Nonniſi permoleſtum id fore Pontifici, & huiuſmodi conſilium videri minimè conſentaneum magnæ prudentiæ, quam illa in reliquis præferebat.

[b] Litteræ Commendoni ad Mantuanum Cardin. Bruxellis 20. Maij 1561.

Regina Oratori Hiſpano roganti, ſe Nuntium accepturam negauit, tres rationes cauſata; Promulgationem Concilij ſibi priùs communicatam non fuiſſe, quemadmodum aliis Principibus Catholicis: Concilium illud non eſſe liberum, pium, & Chriſtianum, ad quale Concilium ſi conuocaretur, viros doctos, ac Religionis ſtudioſos, Eccleſiæ Anglicanæ nomine ipſa miſiſſet: Sub Concilij obtentu aduentum affectare Nuntium, quò Catholicos regni ſui ad ſeditionem ſollicitaret: adiecitque, nouum non eſſe, Romani Pontificis miniſtros in Angliam non admitti, quandoquidem ipſius ſoror Maria excluſerat hominem à Paulo IV. miſſum, qui Purpureum galerum Guillelmo Peto deferebat. Vſque adeò proborum facta non proba perniciem creant, dum honeſtum prætexunt pallium imitationi improborum. Id autem apertius patefacit tenuem Suauis notitiam, affirmantis, quod alibi notauimus, à Peto Cardinalis ac Legati inſignia ſtatim fuiſſe ſuſcepta. 2

Dum Commendonus reſponſa Cæſaris expectabat de obtinenda ſecuritatis fide à Daniæ Rege, ſuam Concilio nauabat operam in Belgio. Egit ibi cum Epiſcopo Leodienſi[c], viro nobilitate in primis conſpicuo, quippe Marchionis Bergenſis patrueli; ſed quem longè digniorem æſtimatione reddebat virtus, cui nobilitas ſanguinis & ſplendor eſt ad decorem, & inſtrumentum ad opus. Is Concilio 3

[c] Litteræ Commendoni ad Mantuanum Cardin. Aquiſgrano 1. Iunij 1561.

lio ſeſe obtulit, non prompto ſolùm, ſed hilari animo, tamerſi morbis affligeretur, infirmâque corporis habitudine langueret. De cetero flagrantiſſimum in eo ſtudium agnouit Nuntius, & numquam defeſſam Præſulis Chriſtiani ſolertiam. 1561.

4 Leodio Aquiſgranum periit, gauiſuſque ibi eſt Religione illorum ciuium, qui quingentos planè homines hæreſis causâ depulerant, legeque ſanciuerant, ne cui liceret Magiſtratum inire, quin priùs iureiurando conteſtaretur ſe Catholicum eſſe, & Catholicum perſtiturum. Pontificiam epiſtolam illis dedit: cui reſponderunt; Vbi inuenirent inter ſe viros idoneos doctoſque quos ad Synodum mitterent, eos abſque mora à ſe deſtinatum iri; vbi verò hi deeſſent, exhibere ſe quidem certè inuiolatam Decretorum obſeruantiam. Tum Nuntius: Quamquam doctrina magni momenti eſſet conditio, non eſſe tamen neceſſariam huiuſmodi legationibus, per quas Oratores accedebant quò Patribus aſſiſterent, non quò diſceptarent: cupere Pontificem & hoc ipſorum pietatis argumentum in Concilio, par aliis argumentis quæ in vrbis adminiſtratione præbebant, & hunc honorem ipſorum Reipublicæ coram cunctis nationibus. Ad quæ communis & obſequens reſponſio reddita; Se denuò de re deliberaturos, & Pontificis voluntati ſemper obtemperaturos.

5 Sed vt ampliorem potentiam, ita luculentius Religionis ſtudium nactus eſt Commendonus duobus in capitibus, quæ Belgium adminiſtrabant: [d] ea erant Margarita Auſtriaca Parmenſis Dux, Gubernatrix, & Granuellanus Cardinalis, in quo præter nouum cum Eccleſia Romana nexum ex recenti Purpuræ honeſtamento, mirificè eminebat tum notitia regiæ mentis, percupidæ ſeruandi ſuos ſubditos non minùs Chriſto quàm ſibi fideles; tum experientia, quanti id valeret ad retinendam erga Principem reuerentiam, regioniſque tranquillitatem: quare varia inter ſe habuere colloquia de promouendo Religionis incremento. Nec Margaritæ nec Granuellano probabatur Commendoni acceſſus ad Danum, vtpote obnoxius Nuntij infortunio, & Pontificis indignitati; iiſdemque videbatur, poſſe rem confici miſsâ Pontificis epiſtolâ. At reſpondit Commendonus: Vbi quidquam imperat Princeps, miniſtri eſſe illud non in conſilium, ſed in opus deducere: à Pontifice dignitati charitatem anteferri.

[d] In epiſtola Commendoni ad Borromæum Card. & in altera ad Mantuanum, 10. Maij 1561.

6 Studuit quoque per eam moram Nuntius ſuffocare prauam ſegetem, præuisâ magnitudine detrimenti in ſeminis paruitate. Summo habebatur in honore Louanienſis Academia, non ſolùm à Bel-

1561. gicis regionibus, ſed ab vniuerſa Germania Galliaque, Belgio finitimis, propter magiſtrorum excellentiam, confluentium frequentiam, alumnorum nobilitatem, & præ ceteris propter ſanitatem doctrinæ; vnde hoc decus obtinuerat, vt haberetur tamquam armorum ſedes in illis regionibus aduerſus Lutheri vires, damnatis eius erroribus, eiuſque aſſeclis confutatis: & quò ibi tutiùs firmaretur integritas inter tot propinqua contagia, iuſiurandum eò inductum fuerat, quo ſe quiſque obſtringeret, qui vellet in Academia locum obtinere, *Se perpetuò perſtiturum in Eccleſia Catholica, cuius Caput Romanus Pontifex eſt.* Et quamquam propoſuiſſet quidam, neceſſitatem huiuſmodi iuramenti tollendam eſſe ob humanam vtilitatem, quippe quod multos diſcipulos Religionis inſinceræ ad aliàs Academias amandabat, Nuntius tamen effecit, quà litteris Pontificis ad ciuitatem, ac Theologorum collegium, quà Margaritæ & Granuellani fauore, quà ſuarum cohortationum efficaciâ, vt illud permaneret, ob oculos poſitis ſtrictioribus ligaminibus, quæ hæretici ſuis in Academiis ad ſuarum ſectarum emolumentum exigebant, & exiſtimatione longe honeſtiore, quæ ſcholis confertur à vitæ probitate, quàm ab auditorum multitudine.

e Litteræ Commendoni ad Mantuanum Cardin. Tridentum, Antuerpiâ 9. Iunij 1561.

Iam verò in ſinu tam inſignis Academiæ comperit Nuntius [e], hæ- 7
ſiſſe paucos ante annos noua quædam opinamenta de libero arbitrio, de operibus, ac de aliis articulis, excitata à Michaële Baio, illius Academiæ Doctore, quem ſecutus fuerat Ioannes Heſſelius, erantque ambo & ſcientiâ & exemplo vitæ conſpicui: & quamuis hi admoniti, ſe annos aliquot ab iis tradendis abſtinuiſſent, vt proinde nouitas vix enata aruiſſe videretur; tamen contigerat poſteà, vt inter quoſdam eorum diſcipulos ex Ordine Franciſcano, alioſque eiuſdem familiæ, illarum opinionum causâ orta eſſet contentio: quapropter, vti æmulatio inter magis domeſticos acriùs feruet, ij qui veteres ſententias tuebantur, recentiores ab Academia Sorbonienſi improbandas curauerant [f], tunc in octodecim capita redactas; quod ſanè ad illas interimendas præſtitum, eaſdem reuocarat in vitam, cùm extimularentur æmuli ad ſuos magiſtros pro illarum tutela conſulendos. Hi verò, qui priùs ſilentio ſe continuerant, tunc ſollicitati diſcipulorum precibus, ac Pariſienſium aculeo, in eos ſcripſerant, ad reſponſa prouocantes, multaq; volumina in promptu habentes, velut arma ad hanc ſuam impetitam ſobolem defendendam.

f Cenſura 18. articulorum, & Apologia in illam, extant apud Seripandi Commentarios.

Nouit Commendonus, duos hoſce quos diximus Doctores li- 8
benti animo adituros eſſe Concilium, atque, quòd ij plurimi fierent à collegio Theologorum, eò iam eſſe deſtinatos. Quare is ad Mantuanum

tuanum Cardinalem rem perſcripſit, eique expendendum propo- 1561.
ſuit, id vbi contingeret, graue periculum eſſe adeundum. Etenim ſi permitteretur illis pro ſua libidine ibi loqui, poſſe magnas excitari turbas, præſertim in Germania: ſin vetarentur, Proteſtantes accepturos inde fuiſſe contumaciæ ſuæ tegumentum, cauſatos, nolle ſe intereſſe Concilio, in quo doctorum hominum linguis vinculum iniiceretur. Prætereà, ſi Theologi, quos memorauimus, Tridentum non adirent, eorumdem voce ſtyloque adeò diſſeminatas eſſe nouas doctrinas, adeoque copioſiorem illarum ſementem per typos parari, vt neceſſe foret ſeuerâ aliquâ ratione eos cohiberi; ex quo timendum eſſe, ne ab Eccleſia ſeiungerentur: id autem euenturum cum ingenti animarum pernicie in illis prouinciis, tum quòd ambo magna eſſent in exiſtimatione ſcientiæ, tum quod populi in Fide nutarent; ſed cum pati hæreticorum voluptate, qui tametſi contemptum ſcholaſticæ diſciplinæ præ ſe ferrent, id agebant vt vileſceret illa merx, cuius apud Eccleſiam abundantia, apud ipſos penuria. Quod ſi quis eâ ſcientiâ inſtructus, ad eorum ſigna infeliciter transfugiſſet, eum præcipuo in pretio habebant, eiuſque operâ ſtrenuè vtebantur.

9 Adiecit Nuntius: Nolle ſe infauſtum præſagium de huiuſmodi viris præcinere; ſed peſtilentiâ graſſante omnem morbum in peſtilentiam facile commigrare. Compertum ſibi eſſe, Ruardum, in Theologicis diſciplinis præclarum, dum is in illa Academia docens, in his duobus adhuc ætate iuuenili obſeruaret infauſtam coniunctionem ingenij & audaciæ, ſolitum eſſe dicere, Se nonniſi ſchiſma ab illis expectare; & Theologicam lauream diu ipſis diſtuliſſe: eos profectò videri ſcientiæ ſuæ nimis amantes, quamuis alioqui probos & modeſtos: & hæc ille verba ſapienter vſurpauit, digna quæ à nobis repetantur: *Sed cuiuſque ſuperbia in ea arte quam profitetur ſita eſt; cetera facilè ſuffert.* Illis fauere pleroſque ex iis qui Theologiæ ſtudium abſoluerant, & Baccalaureos, vt vocant, & dimidium ferè Doctorum, quorum aliqui contrariâ imbuti doctrinâ, ad nouos Epiſcopatus, in illis prouinciis erectos, recens admoti erant. Remanſerat idcircò Louanij eorum factio & validior, quòd numero præſtans, & fortaſſe infenſa, quaſi poſthabita. Baium profiteri quidem ſe Apoſtolicæ Sedi admodum obſequentem, ſed ab aliqua ipſius voce ſuſpectum reddi. Alterum eſſe in Academia antiquiſſimum: cumque Nuntius, quem ille inuiſerat, leniſſimam ad ipſum cohortationem haberet, vt omne certamen præcideretur in ea Academia, quæ columen Eccleſiæ dici poterat,

 viſum

1561. viſum eſſe illam æqui boniq́ue conſulere; ſed poſteà fuiſſe ab eo ſcriptam Nuntio epiſtolam, in qua per ſpeciem ſe purgandi ſtudebat ſuas doctrinas in examen adducere, ac de ipſis diſputationem conſerere: quamobrem Nuntius, nolens hominem ſeu refellendo exacerbare, ſeu laudando in ſententia obfirmare, ſeu ſilendo abalienare quaſi deſpectum, excuſauerat ſe apud eum qui epiſtolâm detulerat, quod cùm extemplò inde diſceſſurus eſſet, reſponſum ſcripto remittere non licebat, amicis ſalutationibus voce redditis. Vſum poſteà ſe fuiſſe cum Heſſelio operâ Euerardi Mercuriani, qui illius amicus, & Prouincialis Societatis Ieſu tunc erat, & poſtmodum ſupremus eiuſdem Societatis Moderator fuit; per hunc illi patefactâ non mediocri exiſtimatione, quam Nuntius de illius probitate doctrinâque conceperat, ſimulq́ue obiecto graui detrimento, quod eius causâ paſſura fuiſſet Eccleſia, niſi idem pro ſua virili parte eam diſcordiam ſedaſſet: quas cohortationes laudibus mixtas, & ab æſtimatione profectas, Heſſelius profeſſus fuerat honori ſibi duxiſſe, adeoque arctiori nexu ad eas opere complendas obſtringi. Sed Nuntius non minùs æmulorum vehementiam, quàm ipſorum pertinaciam formidabat. Etenim illi, acceptis grauiſſimis proſcriptionibus huiuſce doctrinæ, quas inſignes Academiæ iam ediderant, minabantur ſe Romam ſcripturos, curaturoſq́ue vt ibi hæreſeos illæ damnarentur. Idcircò proponebat Commendonus, vt Pontifex, ad ſe causâ ſtatim auocatâ, ſilentium cunctis imponeret: interim verò daretur opera, vt Doctor vterque Tridentum pergeret; vbi Legatorum ſolertia eos ſibi conciliare potuiſſet, cùm huiuſmodi morbi febres hecticas imitentur, quæ initio non aliunde periculoſæ ſunt, niſi quòd periculoſæ non agnoſcantur. Iam verò quò lectores compendiariâ hîc notitiâ non priuentur de progreſſu ſucceſſuq́ue celebris huius arduiq́ue negotij, dum hanc Hiſtoriam ſcribimus, à temporum ſerie breui digreſſione diuertemur.

Mantuanus ac Seripandus, qui antequam denuò aperiretur Synodus Tridentum peruenerant, varia excogitarunt conſilia, quibus 10
Nuntio communicatis, ab eo ſciſcitati ſunt, quid ille ſentiret. Is verò ad alterutrum propendebat; alterum erat, vt Pontifex, Baij & Heſſelij nominibus ſilentio diſſimulatis, Diploma conſcriberet, quo Franciſcani horum diſcipuli, & quicumque hominum, de iis opinionibus diſceptari vetarentur: hoc enim Diploma confeſtim ab aliis Franciſcanis illorum æmulis vulgandum præuidebatur; ac proinde Baius & Heſſelius ſimulare illius ignorationem non poſſent, atque ita ſine infamiæ nota ipſorum linguæ frænum iniſceretur.

tur. Alterum, vt ſub honoris ſpecie aduocarentur ambo tamquam Theologi Pontificij ad Concilium, vnà cum duobus aliis magni nominis, Lindano ſcilicet ac Titelmanno; idque per ſummam celeritatem, quò Legati in præſenti otio, & antequam Synodi negotiis implicarentur, eos ſibi deuinciendi opportunitatem haberent. Nec abſurdum videri, quatuor Doctores ex illa Academia deſumi; propterea quòd pauci præter ipſos ex vniuerſa Germania acciri poterant: ex Colonienſi, quæ altera erat in illis prouinciis Academia illuſtris, & integra, vnum accipere vix licere. Quoniam autem Commendonus ſcripſit ad hanc rem laudes quaſdam illius religioſæ Familiæ, in qua vitam ago, par eſſe exiſtimaui, vt iis neque per ſilentium ſuperſtitioſæ modeſtiæ illam defraudarem, neque per circumſcriptionem incrementi ſuſpectam ipſam recenſerem. Commendonus igitur rationem proferens, cur conducibile non eſſet varios Doctores ad Concilium Coloniâ extrahere, ita loquitur: *Illic vniuerſa Theologiæ Academia pendet ferè ab vno Ieſuitarum Collegio. Hi verò tantæ ſunt vtilitatis iuuentuti in educatione, & in litteris, atque vniuerſæ ciuitati, concionibus, confeſſionibus, ac vitæ exemplo, vt maioris eſſet damni quàm lucri, ſi vel eorum vnus inde amoueretur. Equidem in Eccleſiis Germaniæ firmius maiuſq; præſidium haud nactus ſum, quàm eorum Collegia. Vtinam multa conſtruerentur.* 1561.

11 Rei poſteà hic fuit euentus: iniunctum eſt à Pontifice id temporis Granuellano, vti ſilentium nouis ſententiis imperaret; quod ille ſolerter perfecit, conatus blandimentis animos anteà demulcere, quò illos poſteà promptiores redderet ad obſequium. Contrà verò quidam Franciſcanorum Superior, cùm per importuni ſtudij ardorem[g] puniret ſuos ſubditos, qui doctrinas illas propugnabant, eaſdemque vt hæreſim ſapientes damnaret, minitatus, velle ſe huiuſmodi declarationem à Pontifice conquirere, animos tum diſcipulorum tum magiſtrorum exulcerauit. Ex quatuor Doctoribus nemo per id tempus Tridentum adiit: vnus Lindanus iuſſu Pontificis & inuitatus fuerat, & viaticum acceperat, vt tamquam Mantuani Theologus interueniret[h]: ſed inuitatus hic fuerat, antequam de turbis illis innoteſceret, & Nuntius de ipſis ſcriberet[i]. Nec res confici potuit, cùm Lindanus eodem tempore nominatus à Rege fuiſſet ad nouam Ruremondæ tiaram. Poſteà cùm Synodi Legati excitatas turbas reſciuiſſent, conſultò effectum eſt, ne vllus Doctor ex Louanienſibus ad Synodum iret, duobus nouarum opinionum auctoribus haud vocatis, ne ipſis iniiceretur ſuſpicio[k], quaſi honoris eſcâ ad ſupplicium allicerentur; quod tamquam veriſimile red-

g Litteræ Commendoni ad Mantuanum, 26. Octobris 1561. Bruxellis.

h Litteræ Commendoni ad Mantuanum, 2. Octobris, & in aliis Legatorum ad Borromæum, 18. Maij.

i Literæ Legatorum ad Borromæum Cardin. 1. Maij, & aliæ literæ vltimo Iunij.

k Litteræ Legatorum ad Borromæum, Tridento, vltimo Iunij 1561.

 debatur

1561. debatur ab antecedentibus minis, quibus æmuli minati fuerant, curaturos ſe vt illis damnatio ac pœna Romæ infligeretur; eoque poſito, nec aliis pariter aduerſæ partis eò vocatis, tum ne illi his poſthabiti offenderentur, tum ne auctoritas illius eximiæ Academiæ penes ipſos relinqueretur.

Poſt aliquot annos vaneſcente ſuſpicionum causâ in duobus memoratis Doctoribus, ſed gliſcente in dies neceſſitate remedij, quò 12
doctrinæ nouitati mederetur, à Belgij Gubernatrice iidem miſſi ſunt honorificè ad Concilium tamquam Regis Theologi, vnà cum aliquibus illarum prouinciarum Epiſcopis, ſicut infrà narrabitur. Verùm cùm in Synodo quæſtiones tunc ad propria eorum opinamenta ſpectantes non agitarentur, haud incidit opportunitas illos de ſententia dimouendi communis conſenſus auctoritate; priuata verò ſtudia prudenter ac leniter erga ipſos adhibita non ſatis fuere. Quapropter, quemadmodum prudentiæ vertitur, bellorum externorum tempore domeſticos pacatos contentoſque continere, Baij opinationes diſſimulatæ ſunt, donec Synodus abſolueretur. Poſteà cum illæ in pluribus illius libris eſſent diſperſæ, & errores, vt aſſolet, ex erroribus pullulaſſent, adeoque conſcientiarum offenſio, diſſidiorumque tumultus ſemper ſuccreuiſſent, Pius V. cauſæ manum admouit; eâque maturè diſcuſsâ in Romano ſanctæ Inquiſitionis iudicio, Diploma confecit, in quo damnabantur ſeptuaginta nouem Baij poſitiones, ſed abſque declaratione, quænam cuique cenſura conueniret; ſecutus in hoc conſuetudinem tum Concilij Conſtantienſis contra errores Wicleffi, tum Leonis X. Pontificis maximi contra errores Lutheri. Hoc Diploma, dum Pius vixit, maioris lenitatis gratiâ priuatim Louanienſi Academiæ ab Archiepiſcopo Mechlinienſi iuſſu Apoſtolico denuntiatum. Haud tamen deficientibus ſententiarum affectis, nec illarum causâ diſcordiis, & interim Pio vitâ functo, promulgatum ſolemniter eſt à Gregorio XIII. Pij ſucceſſore, atque ad memoratam Academiam delatum à Franciſco Toleto Societatis Ieſu, tunc Pontificio Concionatore, viro ſapiente æque ac prudente, qui poſtmodum ad Purpuram aſſumptus eſt à Clemente VIII. Hic ſtuduit Baium remouere à prauis illis opinionibus, cohortatus, vt Sedis Apoſtolicæ iudicio acquieſceret: & perpaucis colloquiis id obtinuit, priuatâ illius retractatione contentus: atque hoc pacto Baius non ſolùm illæſus perſtitit, ſed ipſius etiam nomini verba Diplomatis pepercere; quin per illud eius errores manum tam mitem experti ſunt, vt vix viderentur errores, cùm aliquæ ex proſcriptis poſitionibus, nullis

nullis certis in hac exceptione adnotatis, dicerentur poſſe ſuſtineri in aliqua minùs propria ſignificatione. Hoc Diploma acceptum eſt à Louanienſi Academia, cum adiecta ſponſione, vt quiſquis in eam adſcribi vellet, perpetuam priùs eius obſeruationem iureiurando paciſceretur. Verùm, quemadmodum, vt vſuuenit, curationes lenes quominus periculoſæ, eò pariter minùs euadunt efficaces quàm acriores; ita eo Diplomate non auulſa radicitus cancræna eſt, ſed denuò diſtortæ interpretationes, tum priùs à Baio tum dein à diſcipulis illatæ ſunt in benignam Diplomatis ſententiam. 1561.

13 Vixit hac poſtremâ ætate in Belgio Cornelius Ianſenius Iprenſis Epiſcopus, in eadem Louanienſi palæſtra educatus; qui Baij doctrinis imbutus, eaſque amplexatus, ſi minùs vt nouas, certè vt ſingulares, pertinax plurimorum annorum ſtudium clàm impendit ad eas confirmandas. Quare illarum præcipuas ad lucem reuocauit, ſcribendi formâ quò meliore eò deteriore, hoc eſt, ad perſuadendum aptiore; eaſque in quodam ſuo volumine, inſcripto, *Auguſtinus*, attribuit ſanctiſſimo maximoque Doctori. Hoc volumen per typos editum, ſparſumque poſt mortem Ianſenij, proſcriptum eſt ab Apoſtolica Sede, cuius iudicio auctor in ſuo teſtamento ibidem impreſſo ſubiecerat ſuas omnes ſententias, quamuis adderet, Videri ſibi vix quidquam in illis mutari poſſe. Non tamen à Pontificio interdicto effectum eſt, quin opus illud mirificos habuerit progreſſus non ſolùm in Belgio, ſed in Gallia, atque etiam in Polonia: quod ideò accidit, quoniam pluribus in locis Baij doctrina ſopita potiùs fuerat quàm extincta, tum ob efficaciam copioſæ eruditionis, ſtylique artificioſi, tum quia accedebat ad Caluini errorem, quo regiones illæ conſperſæ ſunt; tum demum, quia huiuſmodi doctrina, auferens reipſa homini in hoc ſtatu libertatem non peccandi, obtentu humani arbitrij deprimendi, & cuncta Deo tribuendi, latratus conſcientiæ in ſinu ſceleſtorum ſopit, & criminum pudorem abſtergit, hoc eſt, duo illa ſupplicia, ceteroqui nec ſeparabilia nec tolerabilia, à quouis quantumuis fortunato obduratoque peccatore.

14 Conſpicati poſteà complures Galliæ Antiſtites, in eo regno Ianſenianas doctrinas in dies magis dilatari, atque hinc graues tumultus exciri inter aſſeclas & oppugnatores, communem epiſtolam ſcripſerunt ad Innocentium X. Pont. Max. ipſum rogantes, vt de quinque ex præcipuis Ianſenij opinionibus reſponderet quid ipſe tamquam Chriſti Vicarius iudicaret. Ille re maturè digeſtâ, ſelectoque ad id cœtu ex quinque Cardinalibus, ac tredecim Theologis, inter quos me quoque connumeratum voluit, eas diſtinctè ac exactè ab illis

1561. illis Theologis coram memoratis Cardinalibus frequenter expendi iuſſit, ac poſteà coram ſe, qui decem cœtibus interfuit, ſingulis in tres quatuórve horas productis; poſteà verò defenſoribus Ianſenij, qui ex Gallia ad id venerant, in alio cœtu auſcultatis, ſuo tandem diplomate eas hæreticas declarauit. Pontificis declaratio reuerenter accepta, obedienterque obſeruata eſt in Gallia à Ludouico XIV. præclaroque conuentu Præſulum, habito coram Iulio Cardinali Mazzarino, ſupremo Regis adminiſtro: quod diploma poſteà corroboratum eſt, ſedente hodierno Pontifice Alexandro VII. per illuſtrem damnationem, editam à Sorbonenſi Academia contra Antonium Arnaldum inſignem Doctorem, qui per ſuos commentarios proſcriptis illis doctrinis obliquè fauebar. Diplomati Belgium pariter eſt obſecutum, ſublatâ poſtmodum Alexandri iuſſu à Ianſenij ſepulchro magnificâ inſcriptione, quâ ille ex malenaris ſuis opinamentis commendabatur: procliuiùs verò Pontificiæ Conſtitutioni ſe conformarunt aliæ Catholicæ regiones, vbi aut nullam aut minorem conſecutæ fuerant fidem illæ ſententiæ. Ita quantum ex effectis hucuſque ſperare licet, ea Conſtitutio poſt vnius ſæculi turbas neceſſariam claritatis ac ſerenitatis lucem attulit Eccleſiæ Catholicæ. Nullam ratiocinationem in rebus Religionis velle, ſectæ Mahomericæ baſis eſt; nimium velle, hæreſeos origo eſt. Sed me à noſtri temporis euentis mei Operis inſtitutum reuocat ad res ætatis præteritæ de Concilio.

CAPVT VIII.

Conuentus Proteſtantium Erfordiæ. Eorum conſilia in Auſtriacos ſuſcepta. Iter Commendoni Treuam, vulgò Lubecam: idem deſignatus etiam ad Regem Sueciæ: & excluſus à Dano, admiſſus à Sueco; & illius itineris obſtacula.

HAbitus eſt Proteſtantium conuentus Erfordiæ in Thuringia [a], quò fuerat indictus in antecacto cœtu Naumburgenſi, ſicuti ſcriptum eſt. Interfuerunt ibi non quidem ipſi Principes, ſed eorum Conſiliarij, nec in eo de doctrina conuenire potuerunt. Feruebat præcipua apertiorque diſcordia de Chriſti præſentia in Euchariſtia; quæ diſcordia, vt alibi conſiderauimus, omnium intelligentiæ ſatis patebat, adeoque ipſorum diſſenſio per voces à ſenſibus remotas & ambiguas obtegi nequaquam poterat. Etiam Caluinianæ doctrinæ robur plurimum augebatur in Germania, 1

[a] Litteræ Commendoni ad Borromæum Card. Bruxellis 24 Maij & 9 Iunij; & ad Mantuanum, Antuerpiâ 9. Iunij.

ex

ex conſuetudine cum hæreticis Galliæ ac Britanniæ, tametſi Proteſtantes, ad concordiam ſeu quærendam ſeu potiùs ſimulandam, nouam ibi Confeſſionem confeciſſent, cui plures Ciuitates, pluresque Imperij Ordines ſubſcripſerant. Concordes tamen erant in molienda Catholicorum pernicie, cùm inter ſe diſtribuerent deſtinata iam ſpolia Eccleſiarum omnium, ſtuderentque Imperij Sceptrum auferre ab Auſtriaca familia, quæ ipſis quaſi cedrus videbatur, ex annorum diuturnitate cariem hæreſis numquam paſſura. Quocircà creatio tunc noui Romanorum Regis inter illos agitabatur, ſpretis in eo Imperij legibus & conſuetudine, quæ id poſtulant, vt Cæſar anteà ſolemniter coronetur, & tum ipſius tum Sedis Apoſtolicæ conſenſus accedat; defixerantque oculos in Regem Daniæ, vtpote Principem cum ipſis coniunctum in ſeiunctione ab Eccleſia Romana, ſanguine penè Germanum, tantâ potentiâ præditum, quanta ſatis erat ad eam dignitatem tuendam contra impetum exterorum, non ad opprimendos Germanos. Hinc in dies areſcebat in Commendono ſpes deiungendi à Proteſtantibus Dani, & ad Synodum Catholicam pertrahendi. Verumtamen haud omiſit Cæſar pro ſua virili ſcribere ad Gaſparem Scenichium [b], quem totius itineris comitem Commendono dederat, Commiſſarij vt dicunt nomine, quò publicæ ſecuritatis fidem illi exhibendam curaret in quouis Imperij loco, eamdemque pariter exquireret à Dano: grates quoque litteris ſuis Nuntio egit ob ſuſceptos labores. Itaque profectus e Belgio Commendonus, ineunte Iulio Treuam venit, vrbem ad Imperij fines prope mare Balticum ſitam, vbi Regis reſponſa præſtolanda ipſi erant. Huc Suauis, Naumburgo illicò deducit Nuntium, obuolutis ſilentio plurimis eius itineribus, negotiiſque interiectis. 1561.

[b] In litteris Commendoni ad Borromæum, Treuâ 13. Iulij 1561.

2 Dum Treuæ morabatur Commendonus, iuſſus eſt ad Henricum etiam Sueciæ Regem ſe conferre [c]. Etenim cùm à Pontifice Oſij arbitrio, apud Cæſarem Legati, commiſſum fuiſſet, vt ad eam prouinciam iret aut Canobius, eadem de cauſa Nuntius ad Moſcum miſſus, aut Commendonus, hunc Oſius elegit; qui ſtatim certum hominem ad Regem miſit, vt tuti aditus fidem impetraret. Poſt multos dies hæc à Dano Scenichio reſponſa reddita: Ipſius acceſſum, quippe à Cæſare domino ſuo atque auunculo miſſi, acceptiſſimum ſibi futurum, & vbi ſolus ipſe perrexiſſet, eum libenter expectatum iri à ſe in vrbe ſua Hafnia; ſed quod ſpectabat ad Pontificium Nuntium, qui ſimul ad ipſum ſcripſerat, cùm ſibi compertum eſſet, neque parente ſuo viuente vllum vmquam commercium interceſ-

[c] Litteræ Commendoni ad Borromæum, Treuâ 11. Iulij, & ad Mantuanum & Oſium 28.

1561. ſiſſe, deliberandum priùs eſſe, num expediret aliquâ ſe cum Pontifice communicatione grauari; quare in eo rerum articulo ſatiùs putarat, Nuntio, petenti vt ad Regis ditiones & colloquium admitteretur, nequaquam aſſentiri: proinde Scenichium à ſe rogari, vt id ſignificaret Nuntio, ſuſceptumque à ſe conſilium æqui bonique conſuleret.

Commendonus, his auditis, reſponſum Sueci præſtolatus eſt. 3
Hîc verò ingratum fortaſſe non accidet, vt curſim aliquam proferam notitiam illius Regis, itidem ac Daniæ, eorumque qui ipſos proximè anteceſſerunt, & quorumdam quoque memorabilium euentuum, à quibus ipſorum conditio tunc pendebat. Henricus Sueciæ Rex, nouus erat Princeps, adeoque vacillans & anxius: parentem habuerat Guſtauum nobilem Suecum, ſed è ſtirpe regia, qui à Chriſtiano II. maiore patruo Frederici Regis Daniæ, de quo nuper locutus ſum, per fraudem abductus fuerat tamquam obſes è Suecia, quæ ſæpè deſciuerat, redieratque in poteſtatem Danorum. Hic itaque Chriſtianus cùm anteà ſoli Noruegiæ imperaret, Daniam adeptus erat, & Sueciam recuperarat, impoſito ſibi tergemino diademate vniuerſæ Scandinauiæ peninſulæ, fatalis ſuis excurſionibus Romanô Imperio, adeoque Orbi terrarum. Sed elatus fortunæ indulgentiâ, nec frænum legis Catholicæ paſſus, eſt ad Lutheranam delapſus, nec tolerabilem ſubditis vitam duxit; idcircò Guſtauus, dum apud Chriſtianum in laxa honeſtaque cuſtodia morabatur, ſibi perſuaſit, nec Suecos, quippe longinquiores à Principe, adeoque ab illius formidine, deſides fore ad excutiendam ferocem ipſius dominationem; nec, id vbi contingeret, Danos concurſuros vt Chriſtiano Sceptra deperdita ſuo ſanguine recuperarent. Etenim Chriſtianus omnium Epiſcoporum, multorumque nobilium Sueciæ ſtragem ediderat, ac per enormem eiuſdem ſæuitiam afflicta pariter Dania ingemiſcebat; quæ ſæuitia (vt priùs res Daniæ percurram, dein in Sueciam reuerſurus) haud ita multò pòſt Danos impulit, vt ſibi Principem aſciſcerent Fredericum, Chriſtiani patruum [d], Holſatiæ Ducem; à quo ille depulſus, in Belgium ſe recepit: ibi à Carolo V. exceptus, cuius ſororem in matrimonio habebat, & inde cum armis regreſſus in Daniam, per ſimulationem pacis à patruo proditus, & in carcerem coniectus eſt, à quo nonniſi ſerò egreſſus cùm ſimul è viuis egreſſus anno 1559. & paulò pòſt decedenti quoque eius patruo Frederico Primo, ſucceſſit Frederici primigena Chriſtianus Tertius, qui primus ritu Lutherano coronam ſuſcepit. Eiuſce autem Chriſtiani erat filius Rex Da-

d Vide Spondanum anno 1513. num. 68.

niæ Fredericus Secundus, qui nunc narrationis noſtræ argumentum eſt. 1561.

4 Hinc vt regrediamur ad commemorandas quæ proceſſerant Sueciæ viciſſitudines: animaduerterat, ſicut diximus, Guſtauus malè affectos ſubditorum animos in Chriſtianum II. Regem, qui vtrumque regnum poſſidebat; idcircò fugâ elapſus, & reuerſus in patriam, eos excitauit tumultus, vt, adiutus prærogatiuâ ſanguinis, Sueciæ dominium inierit; quod vt magis firmaret, filiam Ducis Saxoniæ, præpotentis Principis ac propinqui, vxorem duxit: ſed quò ſubditos fideles, cognatoſque Principes amicos ſibi retineret, flexit animum ad infidelitatem atque inimicitiam erga Deum, Lutheranam complexus hæreſim, quæ iam inter Sueciæ populos dominabatur, & cui Saxonum Principum patrocinium tamquam ipſorum alumnæ fauebat.

5 Quatuor poſteà liberos Guſtauus reliquerat, quorum natu maximus, Saxonicæ coniugis vnicus, erat Rex ille Sueciæ, ad quem legationem habebat Commendonus. Spinoſas inter ſuſpicionum anguſtias hic verſabatur tum propter Danum, de quo timebat ne ille, tametſi pace compoſitâ, agitaret animo recuperationem regni adempti; tum propter Moſcum, cuius vires multa ſibi abſtulerant, ac ſollicitudinem de reliquis incutiebant; ſed nec minùs propter Ioannem fratrem Ducem Finlandiæ, natum ex nouerca ſua Sueca, & iam Regis Poloniæ generum. Hæc ſuſpicionis anxietas oriebatur non ſolùm ex populi beneuolentia erga fratrem, ſed ex quadam mathematicorum prognoſticatione, quam Rex dum illi nimiùm credidit veram reddidit. Porrò huiuſce rei ſeries, quippe inter ea quæ proximè ſuperiori ſæculo contigerunt memoriâ inprimis digna, nec idonea minùs ad mortales docendos, quàm procliue ſit animo effrænato ob mancipatam fluxis vtilitatibus Religionem, in exitium præcipitem ruere, à nobis hîc breuiter exponetur. Henricus cùm hinc vellet ab innocuo fratre ſibi cauere, & hinc non auderet illi mortem ſtruere, ne nobilium conſpirationem in ſe cieret, in arcta cuſtodia ſeptem annos ipſum detinuit; dein per conceſſam ei libertatem, ſupremamque adminiſtrationem commiſſam, illum ſibi reconciliare ſtuduit. Interim verò inſanâ libidine actus in cuiuſdam ſatellitis filiam, eique diadema iamiam impoſiturus, reſciuit optimatum fremitum, & agitata ab illis conſilia ſeſe ab eo dedecore ſubducendi, Ioanne Duce ad ſolium euecto. Eapropter Henricus irâ ſimul metuque correptus, in conſilium turpiter horrificum ſe coniecit, eâdem die vilis feminæ coronandæ; & fratris vnà cum

1561. aduerſantibus ſibi Proceribus interficiendi. Et quoniam nihil arcanorum loquacius quàm amor, rem amatæ mulieri concredidit. Hæc animo magis regio quàm eius amator, coronam tam fœdo ſcelere deturpatam exhorruit; quare primoribus illis commonefactis, cauſa fuit, vt Ioannes ab ipſis per vim fuerit in ſolio, & Henricus in carcere collocatus, in quo poſt decimum captiuitatis annum extinctus eſt. Ex huius Guſtaui progenie, quæ pariter regnauit in ſtirpe Caroli, qui minor fuit Ioannis frater, procreati poſteà ſunt celebres illi Reges Sueciæ ac Poloniæ, quorum nomina magis ſibi nec propitia nec aduerſa numerare poteſt Eccleſia in Septentrionali plaga; donec ætate noſtrâ, & dum hæ paginæ prælo adhuc premuntur, conſpexit Roma ex ea ſtirpe Chriſtinam, potentiſſimam doctiſſimamque Reginam Sueciæ, in curſu feliciſſimo imperij ſui, ope Diuinæ gratiæ eò deductam, vt per affuſum admirabili eius ingenio lumen, Catholicam veritatem diſcerneret, & per iniectum eius animo ardorem, cælum terræ, æternum temporario anteferret, Sceptro ſponte abdicato (quoniam nonniſi retentâ hæreſi illud ſibi retinere licuiſſet) atque Religionem Orthodoxam profeſſa Romam pergeret, omni exuta maieſtate, adeoque maior, quò pedes Alexandri VII. Romani Pontificis oſcularetur per inauditum exemplum, ad quod genus humanum obſtupuit. Sed narrationem retrahamus ad Henricum, ad quem eâ tempeſtate Commendoni iter ac negotium dirigebatur.

Tunc ille, tametſi æquè ac ipſius populi Lutheranam hæreſim ſequeretur, cupidus ſibi coniungendæ Anglicanæ Reginæ, ſeu verius Coronæ, promptum animum præ ſe tulerat illi deſerendi, quaſi dotale donum, Fidei mutationem, Caluini doctrinam amplexaturus, neglectâ eam ob cauſam ſuorum Procerum maleuolentiâ. Idcircò illius reſponſio ad Nuntium ſera quidem, ſed comis deuenit; ipſum ſiquidem appellauit *Patrem, reuerendiſſimum Dominum, Legatum Romani Pontificis* [e]; excuſauitque moram, proptereà quòd ad eam vſque horam incertus animi fuerat de ſua in Angliam profectione; nunc verò quando iam decreuerat ad primam auram propitiam eò ſoluere, id ipſi ſignificare voluiſſe, ſimulque ſe promptum exhibere ad eum ibi audiendum, ſi placuiſſet Nuntio illuc traiicere. Poſtulatis ſecuri acceſſus tabulis opus non eſſe Commendono, quippe quem Legatorum immunitas tutum reddebat; tamen quoniam illorum deſiderium ille præferebat, à Rege per eumdem tabellarium tabulas mitti. Huiuſmodi reſponſio Nuntium compulit ad remigrandum in Belgium [f], inde nauigaturum in Angliam, ſtatim 6

[e] Epiſtola Regis Sueciæ ad Commendonum, 24. Auguſti 1561.

[f] Litteræ Commendoni ad Borromæum, 1. Septembris 1561.

ac

ac de Regis aduentu certior fieret; quamquam cum aliqua ſuſpicione, ne fortè Regina ingreſſum ipſi negatura eſſet, etiamſi ad colloquium pergeret cum Rege extero; quod tamen videbatur ab ea committi non poſſe abſque tanti hoſpitis iniuria. Menſes aliquot moratus eſt Nuntius in Belgio; Rex enim ter ſoluit Angliam verſus, & ſemper à vento repulſus, ad cogitandum de itinere terreſtri coactus tandem eſt. 1561.

7 Inter eam moram delata Commendono res fuit, quæ grauem illi ſollicitudinem iniecit, ob extrema Religionis detrimenta, quæ ab ipſo prænoſcebantur: quare per ſummam celeritatem de iis Romam ſcripſit, quò tempeſtiuè occurreretur. Res erat huiuſmodi: Danum aſpirare ad nuptias viduæ Scotorum Reginæ, meditantem, vt fama erat, vxori Angliam adipiſci, in quam ipſa ſibi ius tribuebat, quemadmodum alibi recenſuimus; & cuius populi turbidos in Eliſabetham animos præ ſe gerebant: eumdem quaſi non minus de recuperanda Suecia cogitare; quæ vbi perficerentur, illum cunctis Catholicis Principibus formidabilem fore. Sed exitus fuit, qualis vſuuenit in vaſtioribus quibuſdam animo conceptis ædificiis, quæ nonniſi in architecti modulo exiſtunt. Tot inter difficultates ac moras iuſſus tandem eſt Commendonus Romam reuerti [g]; qui per Tractum Rheni habens iter, Principes, ac præſertim Eccleſiaſticos, quos nondum viſerat, ad Concilium inuitauit. Iuſſio autem, ne ampliùs Sueci acceſſum in Angliam opperiretur, accidit opportunè; nam is reipſa non acceſſit [h]; & eius actori reſponſum ab Eliſabetha redditum fuit, pro eo ac fieri mos eſt in tacita coniugiorum quæ proponuntur repulſa, Reginæ per illud tempus in animo non eſſe connubium, tametſi forſitan ſententiam mutare poſſet. Verumtamen Commendonus aliquot adhuc dies à Belgij Gubernatrice [i] detentus eſt, vt cum eo de quibuſdam Eccleſiaſticis negotiis ageret, ac præcipuè de nouis Epiſcopatibus inſtituendis.

8 Poſt hæc profectus ille, inuiſit Nancei Ducem iuuenem Lotharingum [k], ibique etiam eiuſdem nominis Cardinalem, qui eò conuenerat, & cum hoc varia egit ad Religionem ſpectantia, tum in Gallia, vbi maximoperè pollebat, tum in Scotia, vbi ipſius ſororis filia regnabat. Accepit à Duce comitatis pietatiſque plena reſponſa; ac de mittendo ad Synodum Oratore, affirmauit ille ſe idem quod Cæſar effecturum. Poſteà Treuires ſe contulit; [l] & inde Moſellâ traiectus Moguntiam, inuiſens in itinere Epiſcopos Herbipolenſem, Bambergenſem, & Eiſtatenſem, in quibus omnibus Religionis plurimum, plurimumque obedientiæ erga Pontificem animaduertit;

g Litteræ Borromæi ad Commendonum, 25. Octobris, quibus hic reſpondit 18. Nouembris 1561.

h Litteræ Commendoni ad Borromæum, 30 Nouembris 1561.

i Ex ſequentibus litteris Commendoni ad Borromæum.

k Epiſtola Commendoni ad Borromæum, 11. Ianuarij 1562.

l Arcanæ litteræ Commendoni ad Borromæú.

uertit;

1561. uertit; ſed propter obſiſtentem ipſis neceſſitatem parum propenſionis ad Concilium per ſeipſos adeundum: idemque poſteà communiter comperit in reliquis illis Epiſcopis quos inuitauit. Poſtremò Monachij ſuo functus eſt munere cum Alberto Duce Bauariæ [m], qui iam legare meditabatur ad Pontificem certum hominem, Tridento tranſiturum.

m Litteræ Commendoni ad Borromæum, Tridēto 8. Martij 1562.

9 Eódem quoque progreſſus Commendonus, in cœtu generali, die ſeptimo Martij, ad Patres retulit cuncta illa quæ per litteras haud ſignificarat, hoc eſt, quæ poſt ſuum è Belgio diſceſſum egerat. Deinde quoniam futuræ Seſſionis dies longe aberat, veniam impetrauit in patriam remeandi, quò res domeſticas componeret. Sed Veronæ ſuperuenere ipſi litteræ [n] Borromæi, quibus Romam accerſebatur, de rebus à ſe peractis & adnotatis Pontificem edocturus. Ibi Commendonus, quippe cui mens inerat æquè negotiorum capax ac obſeruationis ſtudioſa, ſuis narrationibus ferè ob oculos Pontifici poſuit ſtatum vniuerſum illius Orbis Septentrionalis; non ſine Aulæ admiratione, quòd is in itinere, inter varias Gentes ingenio præferoces, rabieque in Romanum Pontificem inſanientes, perſtitiſſet non modò intactus ab offenſionibus, ſed à contumeliis immunis. Adeò firmus tamquam clypeus eſt ad illæſum iter vel inter barbaros & hoſtes habendum, temperatio exactæ prudentiæ, coniunctæ cum exacta virtute.

n Litteræ Commendoni ad Oliuum Secretarium Legatorum, Veronâ 31. Martij 1562.

CAPVT IX.

Res à Canobio Nuntio propoſita Cæſari, & huius reſponſa. Illius iter in Poloniam. Obſtacula ne pergeret in Moſcouiam. Acta ab eo cum Pruſſiæ Duce. Nauata opera à Delfino Nuntio in Superiori Germania cum vrbibus Norimberga, Argentorato, Francofurto, & Auguſta; & ab Epiſcopo Nouiocomenſi cum Heluetiis.

1 DVm Commendonus per Inferiorem Germaniam Synodum indicebat, eidem præſtabat operam Delfinus per Superiorem. Venit interim in Aulam Cæſaream Canobius à Pontifice miſſus, ſpecie quidem vt aureâ Roſâ, ſolemni ritu conſecratâ, Bohemiæ Reginam donaret; ſed reipſa vt multa tranſigeret, potiſſimè ſuper Concilio. Tradita ipſi mandata hæc fuere [a]; Exponeret Cæſari id quod infrà fusè narrabitur; ſed anteà excuſaret apud Ducem Bauariæ, quòd ipſi deprecatori Caraffenſium ſupplicium condonatum

a Hæc mandata extant apud me ſignata 14. Aprilis 1561.

donatum non eſſet, quoniam conſcientiæ lex vetuerat Pontifici mitius agere, niſi cum Cardinali Neapolitano[b], vt etiam in gratiam Ducis præſtiterat: ac de eodem Cardinali ſimilia ſignificaret Ferdinando, qui pariter illum Pontifici commendarat. Hinc patet, Auſtriacos in Caraffenſium ærumnis non ita ſe infeſtè in eos geſſiſſe, vt fama vulgauit. Iniunctum quoque illi fuit, vt variis Principibus propitia redderet reſponſa de variis petitionibus quibus Pontificem compellarant. Sed hæc legationis ſolùm fimbriæ; præcipuum textum, Concilium erat. 1561.

[b] Dimiſſus hic fuerat è carcere paucis ante diebus, hoc eſt 2. Aprilis, vt in Diario Magiſtri cæremoniarum.

2 Cùm itaque Viennam is perueniſſet, expoſuit Cæſari, Fuiſſe miſſos à Pontifice Tridentum duos Legatos, Gonzagam & Seripandum, varioſque habitos apparatus ad maturandam Synodi aperitionem: intereà ſignificatum fuiſſe Pontifici à Rege Catholico, antequam res progrederetur, quædam eſſe quæ per Ioannem Aialam, ſuum peculiarem Oratorem, cum ipſo communicarentur; ita tamen, vt quid eſſet de illis ſtatuendum, in ſuprema ipſius auctoritate reponeret. Aialam perueniſſe pridie quàm Canobius diſcederet: Pontifici autem, quò citius illum audiret, eſſe in animo eum ſecum adducere Centumcellas, quò ipſe iter meditabatur vt illius portus munitionibus oram Romanam tutam redderet: Cæſarem interim à ſe rogari, vt Epiſcopos Germaniæ aut mitteret Tridentum, aut certè paratos haberet, illuc miſſurus ſtatim ac Synodus inchoari poſſet. Et quoniam Cæſar, ſicuti diximus, optare viſus fuerat, vt Synodo Pontifex cum Senatu interueniret, illi conſiderandum obiiciebat, cùm ibi res nondum eſſent ſatis digeſtæ, id conducibile non futurum; ſed cupere Pontificem, vt ipſe poſteà cum Cæſare Bononiam conueniret, ibique de communi ſententia ſtatueretur id quod expediret de ipſorum interuentu, ac de reliquis ad rem promouendam. Sibi fuiſſe ab Oratore Cæſareo ſignificatum, præſtolari Cæſarem ab ipſo reſponſa quædam; ſed ignorare Pontificem de qua re. Eumdem velle ad Synodum inuitare præter Ducem Pruſſiæ, ad quem deſtinabatur idem Canobius, ad Regem Poloniæ proficiſcens, etiam Moſcouiæ Ducem; quemadmodum in anteactis Synodis mos fuerat Imperatorem ac Principes Græciæ inuitare: idcircò Cæſaris arbitrio committi, vt ad eam legationem ſeu Commendonum ſeu Delfinum eligeret.

3 Reſpondit Ferdinandus: Fieri non poſſe, vt è Germania tunc Epiſcopi mitterentur: ipſis namque Pontificiis Nuntiis licuerat ab illis cognoſcere, quàm periculoſum id fuiſſet, niſi aut traherentur pariter ad Concilium Proteſtantes, aut illis in repugnantia obdu-

ratis,

1561. ratis, eorum violentiæ tuto munimine conſuleretur: in ea cura defixum hærere Cæſarem. Reſponſa Pontificis, quæ à ſe expectari dixerat, in eo verſari, quòd cum ipſe Pontifici communicaſſet decretum ad ſe miſſum à conuentu Naumburgico, expectationi ſuæ æquè ac ſuo voto contrarium, quæſierat ſimul, quæ ratio Pontifici videretur aptior, quâ ſe tutos redderent ab iſtorum impetu, vt id communi conſilio ſtabiliretur. Lætari ſe magnoperè, quòd animum tam propenſum offerret Pontifex ad Synodum conſentaneo tempore adeundam. De ipſorum congreſſu Bononiam omninò ſiluit. De Moſco aliiſque Principibus inuitandis, quemadmodum à ſe conſilium laudabatur, ita diiudicari non poſſe, vter ex Nuntiis ad id eſſet paratior, cùm vtrumque ipſe aptiſſimum putaret; id proinde prudentiæ Oiij & Canobij à ſe committi, num vellent Delfini reditum præſtolari, & ambo ſimul cum eo de re deliberare.

Ac reipſa poſtmodum id negotij Canobio datum eſt: ſed cùm 4
ille, vbi in Poloniam peruenit, quæ in mandatis habuerat Regi Sigiſmundo Auguſto expoſuiſſet[c], eum quidem obſequentem nactus eſt vt per ſuos Legatos atque Epiſcopos conueniret in Concilium, ſed reluctantem conſilio pergendi in Moſcouiam, cuius rei rationem reddidit Sigiſmundus Pontifici, ac Farneſio Cardinali, Poloniæ tunc Patrono, per litteras reuerentiâ plenas. Cauſabatur in illis Rex: Ardente tunc reipſa bello inter Lithuanum & Moſcum, negotium à ſe fuiſſe propoſitum Conſilio Lithuanico, ſuumque conatum omnem ad id impenſum, vt Nuntio non liber modò tranſitus daretur, ſed etiam commodus ad iter tam arduum ac periculoſum, cui ille conſtantiſſimo Religionis ſtudio præſtò erat: verumtamen eos omnes Conſiliarios ſemel atque iterum reſtitiſſe, varia varios cauſatos; ſed cunctos in eo conuenientes, quòd ex antiquiſſima conſuetudine negatum fuiſſet belli tempore omne commercium cum illis barbaris cuicumque Oratori, ſeu Cæſaris ſeu cuiuſuis alterius magni Principis: prætereà ab illorum ſchiſmaticorum impietate, qui Latinæ Eccleſiæ hoſtes erant, omnem fructus ſpem Nuntij laboribus ademptum iri, & loca ipſa hoſpitiorum expertia, & incolas inhoſpitales, ipſum in ſummum diſcrimen infortunij atque iniuriarum adducturos fore. Rogari proinde à Rege Pontificem, cui addictam ipſe obedientiam, plurimumque ſe debere profitebatur, ne repugnantiam illam interpretaretur quaſi ex minùs obſequenti animo erga ipſius iuſſa placitaque profectam. Dedit quidem Rex ſuas Canobio litteras commendatitias[d] ad memoratum Ducem Pruſſiæ, ſibi beneficiarium, eumdemque ſummum Teuto-

c Litteræ Regis Sigiſmundi Auguſti Vilnâ Farneſio Card. 10. Septembris, & ad Pontificem 12. Septembris 1561.

d Quæ propoſita ſunt ac reſponſa, extant inter ſcripturas Caſſiani de Puteo.

Teutonicorum Equitum Magiſtrum, vt ipſum ad Concilium permoueret: verùm inuitatus à Nuntio reſpondit, Se conſcientiâ ſtimulatum acceſſiſſe ad Auguſtanam Confeſſionem, nec ſupremam in Romano Pontifice dignitatem agnoſcere, adeoque ſibi non licere aſſentiri Concilio per eum conuocato. 1561.

5 Simili ſtudio, ſimilique pariter exitu ſuas partes Delfinus expleuerat apud Proteſtantes Superioris Germaniæ Ciuitates, cùm eas inuitaret ad opus tam ſalutare conſcientiis, tam conducibile propter pacem, tam comprobatum ſummorum Principum iudicio, & ad quod Pontifex libertatem omnem ſecuritatemque ipſis offerebat. Id primò præſtitit cum Senatu Norimbergenſi. At Senatus: [e] Iam ſe vſque ab anno 1530. Confeſſioni Auguſtanæ adhæſiſſe, neque ſibi nunc licere ſe à Principibus illius partis abiungere; ipſi quidem Delfino tum ob patriæ dignitatem, tum ob familiæ ſplendorem, eoſdem paratos eſſe ad omnem obſequij ſignificationem exhibendam.

6 Eadem in rei ſumma reſponderunt Argentoratenſes, adiecto, præteritam Synodum omnino fauiſſe Romano Pontifici, ſuæque parti repugnaſſe; huiuſmodi pariter ſe ſuſpicari futuram, quæ similiter legitima non erat, vtpote à Cæſare non indicta, ad cuius auctoritatem id ſpectabat: perinde quaſi melius iſti callerent Cæſaris iura, quàm ipſe Cæſar, qui id iuris ſibi neutiquam arrogabat. Pium illic ſermonem habuit Nuntius ad Eccleſiaſticos, qui ad hoſpitium Hieroſolymitanorum Equitum conuenerant, eorum miſertus ob ærumnas ipſis inflictas ab hæreticis, atque ad animi conſtantiam adhortatus.

[e] 8. Martij 1561 vt in ſcripturis Equitis à Puteo, inter quas extant pariter quæ ſequuntur, ſpectantia ad Delfinum Nuntium, literaſque eiuſdem ad Borromæū, quæ ſunt in Archiuio Vatic. & eorum ſummæ ſunt in Bibliotheca Barberinorum.

7 Modeſtior Francofurtenſium fuit repulſa [f]: Maximoperè optari à ſe concordiam Religionis in Germania: ſed eſſe in comperto, ob quas cauſas grauiſſimas Synodus aliàs tentata minimè profuiſſet; ſi hæc impedimenta tollerentur in præſentia ab æquitate prudentiaque Pontificis, id pergratum ipſis futurum; ceterà ſibi fas non eſſe ab Auguſtanæ Confeſſionis Principibus, quibuſcum coniuncti erant, diſcedere.

[f] 1. Aprilis.

8 Supra reliquos Auguſtani demiſſionem animi repulſæ prætenderunt: Poſt permiſſam à Carolo V. vtramque Religionem, ab vtraque fuiſſe pacem exercitam in ipſorum ciuitate: ali à ſe in animo ſummam propenſionem in concordiam diſſenſionum adeò funeſtarum; ſed paruulam illam Rempublicam haud eam eſſe, quæ poſſet initium concordiæ ipſa facere; id vnum ſuæ opis eſſe, vt eam votis expeteret, vti reipſa expetebat: vbi maiora Imperij membra in

1561. eam conniterentur, ſe non defuturos: interim Nuntio à ſe commendari cuiuſdam ſui ciuis negotium. Cum variis etiam Epiſcopis, ac præcipuè cum Spirenſi, Conſtantienſi, ac Marſeburgenſi, eodem Nuntius munere functus eſt: atque à cunctis ingentis obſequij verba reddita; ſed in ſingulis ſeu ſenectutem, ſeu inualetudinem, ſeu aliud quidpiam cauſantibus, languida ſe mouendi deprehenſa eſt voluntas; pro eo ac vſuuenit in iis qui domi ſuæ commodè viuunt, neque aut naturæ aut neceſſitatis aut affectionis impetu compelluntur.

Eadem adhibita ſunt à Pontifice ſtudia cum Heluetiorum conuentu Badæ habito, ipſis ad Synodum inuitatis per Nuntium Ioannem Antonium Vulpium[g], Nouiocomenſem Antiſtitem. Curatores quinque pagorum hæreticorum variis excuſationibus recuſarunt, alij, quòd ad id ſuorum mandata non haberent; alij, quòd nondum noſſent an Reges conſentirent; clarius alij, quòd aliam Religionem profiterentur. Sed octo pagi, quorum ſeptem Catholici ſunt, & vnus mixtus, per verba ſummæ religionis obtulere futuro Concilio ſuam & præſentiam & obedientiam.

[g] Quæ propoſita ac reſponſa ſunt, extant in ſcripturis apud Equitem Caſſianum à Puteo.

Ita multum ſeminis iactum eſt, ſed modicâ ſegete; quin tamen hoc ingenti fructu collecto, quòd homines intelligerent, vbi fructus deficiebat, vitium non ſatoris eſſe, ſed ſoli.

CAPVT X.

Secreta colloquia inter Sturmium, Zanchium, ac poſteà Vergerium, hæreticos, & Delfinum Nuntium; & ſuſceptum ſuper hoc à Pontifice conſilium.

REſponſa publicè reddita inuitamentis ad Concilium à Prin- 1
cipibus ac Ciuitatibus hæc fuere: ſed non deerant interim arcani congreſſus cum priuatis Doctoribus, iiſque præſertim, qui paulò anteà transfugæ ab Eccleſia, lociſque Catholicis, ſentiebant adhuc quoſdam conſcientiæ morſus nondum omnino hebetatæ, & quamdam erga patrium ſolum charitatem nondum prorſus deletam. Dignum memoratu congreſſum habuit cum huiuſmodi transfugis Delfinus[a]. Hi fuerunt Hieronymus Zanchius Bergomenſis, apoſtata ex Canonicorum Regularium familia, vir in ſcholaſticis exercitatus, adeoque ſummo in pretio apud ſuam factionem, quæ illius in ſe & vtilitatem & penuriam agnoſcebat: & Sturmius, fraternâ cum eo beneuolentiâ coniunctus, qui dicendi artem Argentorati tradebat, & variâ ſplendidâque litteraturâ ornaba-

[a] Epiſtola Delfini ad Borromæum, 13. Iunij 1561. Auguſtâ, in Archiuio Vaticano, & eius ſumma in Bibliotheca Barberinorū.

ornabatur. Auctoritatem hic obtinebat potiſſimùm apud Principes Palatinum, Saxonem, Daniæ Regem, Wirtembergicos ac Megalopolitanos Duces; & amicitiis in Gallia contractis plurimi habebatur à Rege Nauarræ, arctamque cum Caluino neceſſitudinem exercebat. Zanchius apud Theologos pollebat plurimum, quorum plerique principes gratiam per ipſum adepti fuerant, quippe qui ceteris præſtabat in diſcernendis huiuſce diſciplinæ profeſſoribus; præterea Brentij intimus erat. Itaque hi duo, quos diximus, quo tempore Nuntius Argentorati ſubſtitit, eum inuisêre, vnà cum aliis, qui à Veneta ditione mutatæ Fidei causâ illò transfugerant, quemadmodum facere conſuerunt cum ſuis ciuibus exules rebelles, ſiue ad ſe purgandos, cauſati iniurias, quarum ſtimulis præcipites acti fuerant; ſiue ad ſolatium, deguſtantes in iis hauſtum aliquem illius voluptatis, quâ per ſuorum conſuetudinem anteà fruebantur; ſiue ad oſtentationem, quaſi in eo loco, vbi alij tamquam exteri & inuiſi indigebant aliquo humanitatis officio, ab ipſis præſtando qui illic domeſtici erant, & gratiâ florentes. Nulla prætermiſit cum illis monita Delfinus, grauitate beneuolentiâque temperata, quæ ſibi rerum conditio permittebat. Quare Zanchius cum reliquis ab eo digrediens, ſubmiſſâ illi voce ſignificauit, optari à ſe ſolitarium cum ipſo colloquium, quod Delfinus nutu capitis admiſit. 1561.

2 Rediit Zanchius; ac prolixum cum eo ſermonem habuit: cui alter ſermo vnà cum Sturmio ſucceſſit; qui tamen noluit denuò in ea vrbe conſpici apud Delfinum, ſed illum quodam in loco prope vrbem vnà cum Zanchio conuenit. Eorum votum fuiſſet, concordiam nectere, adeoque vtrique parti gratificantes gloriam adipiſci, atque inter Catholicos regredi non cum rubore ſontium quibus venia indulta ſit, ſed cum dignitate benemerentium quibus beneficium rependatur: hinc erat, vt de ſuis viribus & Nuntio & ſibi pollicerentur ſuprà quàm poſſent. Verùm Delfinus tametſi re ſatis animaduersâ, ſcripſit ad Borromæum, ſibi viſum eſſe conſultius Apoſtolum imitari, qui in epiſtola ad Philippenſes [b] conſpicatus *Chriſtum prædicari ab aliquibus propter inuidiam & contentionem, ab aliis propter bonam voluntatem,* in ea tandem verba prorupit: *Quid enim? dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuntietur, & in hoc gaudeo, ſed & gaudebo:* ſummamque in ſe prudentiam exiſtimari, ſtudere vt eliceretur ex his, ſi non quod ipſi pollicebantur, certè quod poſſent. [b] Cap. 1.

3 Quæ primò Zanchius propoſuit, hæc fuere: Vt adhiberetur

1561. moderatio auctoritati nunc attributæ Romano Pontifici, quippe quæ veteri Eccleſiæ conſentanea non erat: Ferrentur in Concilio ſententiæ ſecundùm ſolum Dei verbum, & Patres vetuſtiores: Soluerentur Epiſcopi à iureiurando, quo Pontifici obſtringebantur, adeò vt liberè loqui poſſent, & ex conſcientiæ norma: Vt primo loco modici quidam cœtus doctiorum Præſulum haberentur, quibuſcum conferre ſermonem poſſent Theologi Proteſtantium; ij verò poſtmodum ſecreta ſua ſuffragia promerent, antequam in magno conuentu quidquam decerneretur, cùm exiſtimarent hæretici, in multis è Catholicis Epiſcopis ſcientiam deſiderari.

Repoſuit Nuntius, quod ſpectabat ad Pontificis auctoritatem, 4
Vtinam à recentioribus tantum illi tribueretur, quantum ab antiquis; ambigi de hoc non poſſe ſpectatâ ſeu Patrum doctrinâ, ſeu Annalium teſtificatione; declarari à Theodoreto in epiſtola ad S. Leonem, *Eccleſiam Romanam eſſe maximam, ac præclariſsimam ſupra ceteras omnes, & orbi terrarum præſidere:* à magno Concilio Chalcedonenſi appellatum fuiſſe eumdem Leonem *Pontificem ſanctiſsimum, Apoſtolicum, & vniuerſalem:* Hieronymum ſenſiſſe, in vna eiuſmodi auctoritate inniti vniuerſam Fidei vnitatem, & Eccleſiæ conſeruationem, cùm in epiſtola ad Luciferianos ſcripſit: *Eccleſiæ ſalus pendet à dignitate ſupremi Sacerdotis, cui niſi concedatur poteſtas quædam pluſquam ordinaria, & ſupra omnes eminens, tot erunt in Eccleſia ſchiſmata, quot ſacerdotes.* Tantam verò teſtimoniorum copiam Delfinus produxit, vt Zanchius admirabundus dixerit, velle ſe accuratius ſuper ea re auctores veteres conſulere. Cui ſubiecit Nuntius: Id quidem ageret: ſed legeret ſinceros codices, ac fideles interpretes; cùm contigiſſet, vt Oecolampadius in ſua Theophylacti tranſlatione locum quemdam perueteret, vbi ſuper capite vigeſimo primo S. Ioannis auctor ille, tametſi Græcorum errore imbutus de proceſſione Spiritus Sancti, Petri primatum approbat. Quod à Zanchio verum eſſe compertum eſt; & per eam occaſionem incidit in alium eiuſdem auctoris locum ſuper capite vigeſimoſecundo S. Lucæ, præualidum ad idem firmandum. Oſtendit deinde Nuntius, quo pacto dictum quoddam S. Baſilij in ſexta epiſtola ad Athanaſium Patriarcham Alexandrinum, implicatum verius quàm explicatum fuerat ab eius interprete, quandoquidem in Græco idiomate Eccleſiæ Romanæ auctoritatem longè manifeſtiùs declarabat; ac demum continenter commemorauit exempla poteſtatis exercitæ ab antiquis Romanis Pontificibus in Regnis creandis, in Imperiis transferendis, in comprobandis condemnandiſque Conciliis.

ciliis. Proinde in hoc primo articulo Zanchius & Sturmius,id quod 1561.
ne cogitatione quidem attigerant deprehendentes, quieuerunt, &
ſuum conſenſum obtulerunt.

5 Ad alterum progreſſus eſt Delfinus, in quo poſtulabatur, vt in Concilio res diiudicaretur ex ſolo Dei verbo & veterum Patrum ſententia. Dixit, Id aliis vocibus idem eſſe, ac omne pondus auctoritatis adimi ſuperioribus Conciliis,& Pontificiis Decretis. Percontatus poſteà eſt, Num huic nouo Concilio, Pontificis confirmatione ſtabilito, tribuenda eſſet auctoritas, quæ ſupra conditionem humanam falli non poſſit, ad amputandam vrgentium diſcordiarum radicem. Si hanc auctoritatem haud obtineret, inane eſſe Concilium cogi, tanto cum ſtipendio incommodoque Chriſtianarum omnium prouinciarum: ſin obtineret, Quonam ea nomine illi poſſet attribui, dum eodem ſimul tempore eadem denegaretur antiquis Conciliis ac Pontificibus, nihilo minoris auctoritatis Tridentino,& Pio IV.? In reliquum,vti anteacta Concilia nihil decreuerant, quod verbo Dei, communique Patrum ſententiæ aduerſaretur, perinde à Tridentino peractum iri.

6 De tertio, palàm fecit, ſi Epiſcopi iureiurando ſoluerentur, id ex vna parte vanum, ex altera offenſionibus obnoxium futurum. Vanum; quis enim Antiſtitum tam rudis erat, qui neſciret, neminem vllo vmquam iureiurando adigi ad non ſeruandam Deo fidem; quod abſque dubio fieret ab eo, qui ſilentio præteriret in Concilio, quod è re Eccleſiæ putaſſet? Offenſionibus obnoxium; quoniam huiuſmodi abſolutio populis anſam præbuiſſet exiſtimandi, prægreſſum iuſiurandum impium ac tyrannicum fuiſſe, vtpote linguas obſtringens ſilentio planè ſacrilego.

7 Demum quod ſpectabat ad quartum, admonuit, ſecretam illam ſententiarum pronuntiationem, à doctioribus Epiſcopis habendam, aduerſaturam fuiſſe antiquitati vniuerſæ, & Chriſti ordinationi, qui cuſtodiam S. Spiritus alligauit dignitati ac legitimæ coniunctioni Epiſcoporum, non item doctrinæ: ſi qui recentium Præſulum tenui erant litteraturâ, credibile videri, tales pariter quoſdam interfuiſſe Concilio Nicæno, Chalcedonenſi, aliiſque tantæ venerationis.

8 Rationum robur ſentiebant Sturmius & Zanchius, noluiſſentque hinc hebetes videri, hinc omnino cedere; ſed aliquid lucrari cupiiſſent, ſiue vt ſuæ factionis hominibus oſtenderent, ſe honorificè pactos eſſe; ſiue quòd ad integram deditionem eos inductum iri deſperabant: quin Delfinum rogarunt, vt rem obuolueret arcano

1561. ſilentio, affirmantes, vnicam conueniendi rationem fore, ſi diſſimulato omni præcedenti congreſſu, prudenter ipſi ſuggererent Principibus ac Ciuitatibus, conſentiri poſſe Concilio, vbi Pontifex huiuſmodi conditionibus indulſiſſet: poſteà verò, ſi ex parte Pontificis illæ reipſa quaſi denuò propoſitæ audirentur, & poſt temporis ſpatium, quod ſatis eſſet ad exhibendam ſpeciem, quâ tunc planè viderentur expenſæ, conceſſio impertiretur.

Poſtremò in vno eodemque conſilio verſabantur, quod erat & 9
alienæ & propriæ ipſorum voluntatis cardo; nimirum, vt in Synodo multæ opiniones ac ritus, quæ poſt ſchiſma in populis radices egerant, & à prædicantibus in ſuggeſtibus, & à doctoribus in libris comprobata, tamquam adiaphora ſeu indifferentia relinquerentur, minimeque ad ſalutem neceſſaria, adeò vt de illis vnicuique liceret alterutram partem ſequi. Etenim, aiebant, ſi faterentur ipſi, hæreticos ſe fuiſſe, exauditentque Romæ ſuas ſententias vocitatas damnataſque nomine tam probroſo, id profectò nimis amarum odioſumque ipſis futurum, adeoque fraternæ concordiæ nimis diſſentaneum.

Animaduertit Nuntius, eorum difficultatem in eo ſitam, vt ſe 10
illi deerraſſe faterentur in ea Religione, in qua ſe iactauerant correctores & emendatores antiquitatis, orbiſque terrarum: & quò illos ſuauiter flecteret, vt ſine ſpaſmate ſectionem tam acerbam & tamen ineuitabilem tolerarent, ipſis inſinuauit, ſine dubio à Concilio nonniſi quantum neceſſarium reuerà foret ad ſalutem definitum iri. Huius exemplum conſpici in quæſtione de immunitate peccati Originalis in Dei Parente: cùm enim ea controuerſia inter duas celebres Scholas efferbuiſſet ætate Sixti IV. atque ab eo in ancipiti, & cuiuis partium libera fuiſſet relicta; vtque Fidei ac ſacris Litteris haud repugnabat, placuerat poſteà Concilio, vt ipſa in eodem libertatis ſtatu perſiſteret. De cetero nemini erubeſcendum eſſe, quòd opinando falſus fuerit, magis quàm erubeſcat quòd homo ſit. Si Hieronymum legamus, errores Origenis ibi recenſitos legi, ſi Auguſtinum, Cypriani. Erraſſe poſteà Lactantium Firmianum: ipſum Auguſtinum, illum Eccleſiæ ſolem, non modò tot annos vixiſſe ſub caligine Manichæorum, ſed poſteà conuerſum ad Fidem cæcutiſſe inter vmbras aliarum falſarum opinionum, quarum palinodiam canere ſibi probro non duxit, earumque reuocatarum ſyllabum poſteritati relinquit.

Abſoluta ſunt colloquia, Zanchio pronuntiante, Romæ facilitati conſulendum; ſiquidem ſibi numquam è memoria caſurum, 11

ſe

ſe Italiæ filium eſſe; ſimulque affirmauit, id ipſum oſtenſum iri, retineri memoriâ à Petro Martyre, qui ab eodem Religioſorum Ordine, à quo Zanchius erat, transfuga, & Galliam magnopere ſeducebat, plurimumque id temporis audiebatur à Regina, tam intenta ad potentiores ſibi conciliandos, vt ſuſpicionem minùs ſinceræ Fidei de ſe concitaret. Adiecit Zanchius, ad Pontificiorum duritiam non ſpe ſolùm ſed metu emolliendam, Vbi hæretici cum Roma non reconciliarentur, inituros inter ſe fuiſſe ſocietatem aliquam, neceſſitate compulſos muniendi ſe aduerſus factionem adeò doctrinis viribuſque pollentem: & quamquam Nuntius indicaret Zanchio, exiſtimari à ſe, id fieri non poſſe; in ſinu tamen pertimeſcebat, cùm aliam non agnoſceret in ipſis diſſenſionem, compertam populo, ac proinde quæ ſine alterius partis dedecore componi non poſſit, niſi de Euchariſtia. 1561.

12 Is igitur ampliſſimam totius rei narrationem ad Pontificem & ad Legatos perſcripſit, miſitque vnà libellos quoſdam ab illis ſibi delatos, antequam memorata colloquia abſoluerentur, tametſi plenos hæreticis poſtulatis ipſos animaduerteret. Et ſanè ſatis ille intelligebat, Religionem eſſe planè inſtar illius infantis in iudicium adducti, in quo vera parens ad litem componendam ſciſſionem admittere paſſa non eſt: ſcripſit tamen, plurimæ dignitati, plurimoque emolumento fore, ſi homines huiuſmodi ad Concilium adducerentur quibuſuis conditionibus, dummodò ea quod nefas eſſet nec concederent nec permitterent. Quapropter pro mandatis, quæ ad ipſum poſtmodum peruenere [c], Argentoratum remiſit hominem, qui ſibi à ſecretis erat, cum reſponſo [d]: Nuntio, quæſitâ iam luce de iis quæ obtineri poſſent per futuram Synodum ſuper ipſorum poſtulatis, pro certo fuiſſe compertum, eam ne latum quidem vnguem à vetuſtiſſima reliquarum Synodorum & Eccleſiæ conſuetudine in vllo ritu ac lege, quantumuis laxatis, receſſuram, donec eam obtinuiſſet frequentiam, eamque exiſtimationem, vt ſibi par eſſe videretur de nouitate ac mutatione in re tam graui decernere. Proinde rationem vnicam impetrandi quæ exoptabantur, vbi fines æqui non excederent, eam eſſe, vt Proteſtantes Concilium adirent, ampliuſque illud & magnificentius redderent; in quo ſtatu fidentius ad inſolitam aliquam conceſſionem habendam adduceretur: interim nihil aliud ipſis ſponderi poſſe, niſi quamcumque maximè inuiolabilem ſecuri acceſſus fidem, & cuncta vrbanitatis officia. His quæ obtulerat adiecit feruidæ ſuaſionis efficaciam, & viuidas preces, in mentem ipſis reuocans, quantum

c In epiſtola Legatorum ad Borromæum, 6. Iulii 1561.

d Inſtructio extat inter ſcripturas Barberinorum.

hoc

1561. hoc pacto apud Deum, apud Eccleſiam, & apud genus humanum promeruiſſent.

Non hi ſolùm, ſed Vergerius etiam, de quo pluribus in locis ſcri- 13
pſimus, quique tunc Duci Wirtembergico ſeruiebat, ad arcana & iterata colloquia cum Delfino Nuntio ſe contulit[e], priùs Zabaræ, dein Argentorati, & in locis proximis; interdum ſolus, & tunc liberiùs, interdum vnà cum Sturmio, & tunc alter alteri mutuam ſibi ſuſpicionem afferebant. Ex vna parte Vergerius cupientiſſimum recuperandæ patriæ animum præ ſe ferebat; ex altera ſibi minimè temperabat à venenatis maledictis, quæ in eos quos ipſe ſuos hoſtes arbitrabatur, & etiam in Pontificem euomebat. Sed in primis ſui ab Eccleſia receſſus inſimulabat Ioannem Caſam, Nuntium apud Venetos, cùm ipſe poſtrèmo impetu ſe in præceps dedit. Delfinus homine patienter audito, reſpondit; Caſam è viuis iam exceſſiſſe, tunc verò apud Pontificem magnâ eſſe auctoritate Tridentinum ac Mantuanum, veteres ipſius patronos: proinde videri, tempus adeſſe Diuinæ erga ipſum miſericordiæ impetrandæ; vt etiam ſe Concilio ſiſteret, cum cohortatus eſt. Vergerius, faſſus quidem immortali beneficiorum nexu eorum vtrique ſe obſtrictum, addidit, Dedecere, ſe honeſtum hominem ad palinodiam adigi. At Nuntius: Nihil aliud poſtulari, niſi quod ad ipſius ſalutem, Deique honorem neceſſarium foret; ac de reliquo humanitatem omnem ſperari poſſe: & quidem illum adduxit, vt quaſdam litteras ad Mantuanum ſcriberet[f], ab ipſo traditas Nuntio, & à Nuntio, antequam Tridentum peruenire deberent, Romam miſſas. Erant illæ refertæ ſingulari reuerentiâ beneuolentiâque in Mantuanum, ſummis laudibus erga humanitatem Nuntij, quem ille venerabatur vt egregium Patricium illius Reipublicæ, cuius ipſe ſubditus Iuſtinopoli ex honeſtò genere natus fuerat. Charitatem erga Italiam patriam ſuam profitebatur, & ſtudium publicæ in Eccleſia concordiæ, ad quod ſuam operam offerebat; indicabatque, non parum à ſe lucis allatum iri, ſi Mantuanum alloqueretur: ſed de ſuorum erratorum reſipiſcentia nihil: & peculiares ſibi tabulas, per quas tutus adeſſet, cùm à Concilio tum à Cæſare poſtulabat. Delfinus hominis ad frugem reuocandi cupiditate flagrabat. Etenim tametſi, pro eo ac ipſe ſcribebat, Vergerius nullâ planè ſcientiâ eſſet inſtructus, adeoque dum apud Heluetios vixerat, ſuam operam ſolùm impendiſſet in vertendis Italicè hæreticorum libris; tamen exiſtimabat, in vniuerſa Germania duo capita comperiri non poſſe, quorum reconciliatio tanti eſſet facienda, quanti

Verge-

e Litteræ Delfini ad Borromæum, 13. Maij 1561.

f 28. Aprilis, & 12. Maij 1561.

Vergeriana; adeò ipſius è calamo fluebat in Sedis Apoſtolicæ detrimentum popularis quædam eloquentia, & audacter maledica in Principes magis inuiſos. 1561.

14 Verum Mantuanus, cui ab Aula Romana negotium communicatum, cuiuſque prudentiæ[g] commiſſum eſt, noluit directè Vergerio reſpondere[h], arbitratus, illum ex huiuſmodi reſponſione nundinas celebraturum cum ſuæ factionis hominibus, oſtentantem ſe à Pontificiis plurimi haberi; eoſdemque præſtò eſſe ad ipſum ingenti pretio coëmendum. Commonuit etiam de iis Nuntium, qui magis cupidus quàm circumſpectus, haud dubitauerat ſecum ad cœnam Vergerium vocare; quin etiam illius ambitione vti ad eumdem conciliandum, factâ ipſi ob eam cauſam ſpe gloriæ ac præmiorum. Huiuſmodi Mantuani cautio fuit plurimum à Pontifice commendata[i]. Ac tandem ex Delfini litteris compertum eſt[k], gliſcere in dies Vergerij arrogantiam & impudentiam, de Oſio Legato per inſolentiſſimum deſpectum ſcribentis. Quare Delfinus iuſſus eſt[l] omnem cum eo conſuetudinem abrumpere: imò quoniam Mantuanus auctor erat ne Tridentum ſolus Vergerius vocaretur, vt qui per ſeipſum parum poterat emolumenti conferre, ſed vnà cum Zanchio & Sturmio, vtque ipſorum operâ colloquium iniretur ad aberrantes populos reducendos, ſed aliâ ratione, quàm habita fuerat in præteritis colloquiis infructuoſis[m], nihil horum Pontifici placuit. Haud conducere ſeu Vergerij ſolius, ſeu illorum omnium improborum acceſſum ad Synodum, vtpote qui venturi non fuiſſent vt reſipiſcerent, ſed vt obſiſterent, & in ſuorum exiſtimatione creſcerent, quaſi communis ſectæ anteſignani. Quod ſi vellent intereſſe, ſatis illis fore datam reliquis ſecuritatis fidem, & tunc omnem ipſis comitatem exhibendam eſſe: e colloquiis nonniſi noxiam cunctationem oriri poſſe, quemadmodum exempla ſuperiora monſtrabant: nec inanem anteactorum colloquiorum exitum Pontificiis miniſtris eſſe imputandum, quibus nihil boni defuerat, niſi ſucceſſus; ſed vni hæreticorum iniquitati, ſibi ſemper conſtanti. Porrò à Concilio nihil ampliùs eſſe ſperandum quàm Catholicorum confirmationem, conciliationemque nutantium, atque ad id curam omnem impendendam. Quod ſi etiam huiuſmodi colloquium eſſet ineundum in Synodo, illud auctoritate Cæſaris, non autem per ſequeſtros priuatos, inhonoratos & improbos conficiendum.

15 Inter alios ad S. Inquiſitionis tribunal delatos, qui cupiebant adeſſe in Concilio[n], ſed non diſceptaturi, ſicut ij quos diximus, vnius

g Litteræ Borromæi, 30 Maij 1561.

h Ex epiſtola Mantuani ad Borromæum, 8. Iunij 1561.

i Litteræ Borromæi ad Mantuanum, 18. Iunij, & 12. Iulij 1561.

k Delfini litteræ ad Borromæum, 10. Octobris 1561. quarum ſumma eſt apud Barberinos.

l Apparet ex epiſtola Borromæi ad Mantuanum, 8. Nouembris 1561.

m Apparet ex reſponſo Borromæi ad Mantuanum, menſe Nouembri 1561.

n Litteræ Borromæi ad Mantuanum, 20. Septemb. 1561.

1561. viri nomen haud præteriero, ſuis in Operibus commendati, quæ auctori ſuo magis honeſtum proſperumque finem meruiſſent. Erat hic Ludouicus Caſteluetrus, qui ſe ad Proteſtantium vrbes receperat. De ipſo reſponderi iuſſit Pontifex Mantuano: Cùm illius cauſa in Inquiſitionis Romanæ tribunal fuiſſet inducta, Romæ, & non alibi oportere vt reus ſe ſiſteret; cum eô tamen quàm mitiſſimè acturum ſe polliceri, adeò vt vbi ipſum inſontem agnouiſſet, non abſoluiſſet modò, ſed beneficiis affeciſſet; vbi verò idem deprehenderetur in errorem aliquem delapſus, ſatis futuram Pontifici priuatam Ludouici retractationem. Id fidentem quidem illum reddidit, ſed breui tempore, nullo fructu: is enim cùm poſt paucos dies ° illud tribunal adiiſſet, ſeque preſſum interrogationibus ſentiret, multoque acriùs teſtimonio cuiuſdam impij libri, à Melanchthone conſcripti, & ab ipſo in Italicum ſermonem conuerſi câ characteris formâ, non tam manum quàm ingenium arguentis, quæ ſimulari non poteſt, timoris æſtu agitatus fugam arripuit; & potiùs quàm ſe committeret arbitrariæ alterius clementiæ, paſſus eſt quamcumque ignominioſiſſimam damnationem inuri ſibi, vitâ Baſilææ inter hæreticos & ductâ & extinctâ: quamquam adiumentum, quod ipſius ſtylus ſuppeditauit politioribus iucundioribuſque diſciplinis, obſeruationum raritate, commentationum ſubtilitate, promerentur, vt grati animi causâ fides benignè habeatur auctori, narranti ipſum poſtremò reſipuiſſe. Quæ ſanè fides de ſe tenuem meri nominis reparationem præſtat paucos apud mortales, & eo ſolùm breui tempore, quo ſunt mortales.

° Primum ille examen ſubiit anno 1560. 11. Octobris; ſecundũ, 14. vltimum, 17.

CAPVT XI.

Quis eſſet in Gallis Hiſpaniſque animus ad indictam Synodum excipiendam. Electio Secretarij, Curatoriſque Concilij; eorum & vtriuſque Legati acceſſus. Tranſitus Tridento Archiducis Eleonoræ, & complurium Epiſcoporum aduentus. Honores à Pontifice collati Madruccio & Mantuano: data huic ampliſſima facultas ſumptus faciendi, & Legatis, eleëmoſynæ generatim diſtribuendæ. Animaduerſiones de ſubminiſtratâ pecunia multis Epiſcopis indigentibus.

SEd à priuatis hominibus ad res publicas, à quibus reuerà pendebat negotium, redeamus. In Gallia ſemper vehementior agitatio; quippe Rex puer erat, Regina extera, Proceres æmuli inter ſe, potentiæ factione contrarij, Fide diſcordes: in dies ſingulos 1

gulos res nouæ tam multæ oriebantur, vt ſi eas vellem minutim recenſere, ipſæ per ſe non modicam hiſtoriam conflarent. Solùm ſubinde indicabo quantum opus erit ad propoſitum argumentum intelligendum. Itaque ſtimuli neceſſitatis in dies gliſcentis, magiſque ſemper moram recuſantis, paulò pòſt ibi ea diſpulere, quæ, vti diximus, obiectabantur indicto Concilio [a]; ad hanc vnicam neceſſariamque conditionem ſe coarctantibus Gallis, vt nimirum Cæſar etiam & Rex Catholicus Synodo aſſentirentur. Et Aiala Philippi Regis Orator conuenerat cum Pontifice [b], vt res cœpta procederet, & ne verbum quidem in vulgato diplomate mutaretur. 1561.

2 Verùm Pontifex, gnarus apparatum ad grauiora molimina efficaciſſimum eſſe, illa quocumque tandem modo incipere, & complures hominum numquam exiſtimaturos, ipſum ex animo loqui, niſi agentem reuerà cernerent, cœperat miniſtros ad Concilium mittere antequam etiam diplomati Principes conſenſiſſent. Cenſuit aptiores eſſe magis veteres magiſtratus, quippe ab experientia edoctos & comprobatos; idcircò voluit, vt eſſet à Secretis Concilio, qui priùs fuerat, Angelus Maſſarellus [c], iam, ſicuti narratum eſt, Epiſcopus Teleſinus. Cumque paulò poſt abſolutionem Moroni abſoluiſſet in Senatu etiam Sanfelicium [d] Cauenſem iam Antiſtitem, & Fuſcararium Mutinenſem, detentos in cuſtodia à Paulo IV. eiuſdem criminationis nomine; opportunum putauit non modò vtrumque ad Synodum mittere, quò per huiuſmodi fiduciæ argumentum ſuſpicionem omnem de ipſorum Fide deleret; ſed præterea Sanfelicium Synodi Curatorem [e] conſtituere (quod munus ætate Pauli III. exercuerat) ratus diuturnam priuationem, ærumnaſque toleratas ſatis eſſe luendo crimini, quod ex impetu magis quàm ex deſtinata voluntate proruperat; & ademptam hominibus in perpetuum veniæ ſpem, perinde fore ac præſentem vitam in tartari conditionem peruertere. Decimo ſeptimo Martij Crux, legationis inſigne, tradita eſt Seripando [f], vt ad Concilium pergeret; & in eodem Senatu Pontifex Epiſcopos monuit, vt ad ſacroſanctum illud opus perficiendum ſe conferrent. Omnium primus [g] qui Synodo affuit, Cremonenſis fuit, Nicolaus Sfondratus, filius Franciſci, anteà coniugati ac poſteà Purpurati, de quo frequens in hac Hiſtoria habita mentio. Nicolaus v[illegible] poſt annos triginta, ad paucorum menſium regimen, Vaticanum ſolium conſcendit, Gregorius Decimus quartus nuncupatus.

3 Animum caloremque addidere Pontifici [h] ad rem proſequendam

[a] Conſtat ex epiſt. Legatorum ad Borromæum, 16. Iunij 1561.

[b] Litteræ Borromæi ad Legatos, 2. Iulij 1561.

[c] Electus fuit à Pontifice in cœtu 3. Februarij, & Tridentum peruenit 26. Martij, vt in Diario.

[d] 29. Maij 1561. vt ex Diario.

[e] Diſceſſit Romà 26. Ianuarij, & Tridentum peruenit 14. Februarij, vt in Diario.

[f] Acta Conſiſtorialia.

[g] Vltimo Martij, ex Diario.

[h] Cæſaris epiſtola fuit oſtenſa à Pontifice Amulio Oratori, 2 Februarij 1561. & poſtquam ea fuit lecta in quodam cœtu, eius exemplum illi tradidit, vt ad Senatum mitteret; quod ille fecit 24. vti conſtat ex eius litteris, per eos dies ſignatis.

1561. dam nouæ litteræ Ferdinandi, è cuius aſſenſu reliquorum, ſicuti diximus, pendebat conſenſus. Hæ Romam peruenere Ianuario exeunte, promulgatum diploma plenè comprobantes, Cæſaris opem pollicitæ Synodo per illud indictæ. Quare Pontifex voluit, ne ſui Legati procraſtinarent: & vt reliquos anteuerterent, 16. Aprilis Tridentum peruenere[i]. Eorum ingreſſus ſolemnis fuit atque conſpicuus, ob pietatem, ob frequentiam finitimorum populorum, & ob magnificentiam Madruccij Cardinalis, vrbis Epiſcopi ac Principis; tametſi Præſulum occurſus infrequens fuit, cùm id temporis non plures quàm nouem adfuiſſent, & ſine vllius Regij Oratoris ornamento. Poſt triduum illac iter habuit [k] Eleonora Auſtriaca, Cæſaris filia, quæ ſponſum adibat Guillelmum Ducem, filium fratris primi Legati. Is quò ſe cautiùs gereret, quaſi propria in cauſa, voluit Epiſcopos conſulere, quonam ritu Eleonora excipienda. Communis fuit ſententia, vt Legati extra portam Eleonoræ irent obuiàm, ſed minimè præcedente Cruce; illam verò mediam inter ſe deducerent vſque ad arcem, vbi eam Madruccius luculento hoſpitio magnificè excepit.

Accedebant ſubinde[l] complures Epiſcopi, tum ex ditione Veneta, tum ex aliis Italiæ locis. Sed in primis lætitiam attulit aduentus 4
Bartholomæi de Martyribus Dominicani, Archiepiſcopi Bracarenſis, in Luſitania Primatis, viri ſanctitate doctrinâque ſpectabilis, qui narrauit, [m] ſe antequam diſcederet ſignificaſſe Regi profectionem ſuam, non tamquam veniam petens, ſed meram rei notitiam indicans; idque à Rege magnoperè commendatum: illinc breuî alios Præſules aduenturos, ſtudioſè illos ſollicitante Henrico Cardinali Regis patruo. Fuit etiam dignitatis ac lætitiæ acceſſio ex aduentu Thomæ Goduelli,[n] Epiſcopi S. Aſafi in Anglia, ex Ordine Regularium Clericorum. Verùm id contigit cum vehementi indignatione Reginæ, quaſi deſpectæ, neque habitæ tamquam caput Eccleſiæ Anglicanæ ob inferiorem ſexus conditionem, quo nullus infenſior aculeus virilibus ac ſuperbioribus feminis.

Nihil interim omittebat Pontifex vel honorificentiæ ad ſtimulum, vel adiumenti ad commodum eorum, ad quos præcipuæ in 5
hoc negotio partes attinerent. Quod ſpectat ad honorificentiam, galerum purpureum ad Madruccium miſit[o], ipſius Romam acceſſu haud expectato, deſtinauitque Mantuanum ad ſplendidum munus, & quòd is ſolemni ritu illum capiti noui Cardinalis imponeret. Quod verò ad commodum: Pontificiis litteris[p] ampliſſimam poteſtatem impertiuit eidem Mantuano impendendi quantum pecuniæ

[i] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 17. Aprilis 1561. & Acta ſub Pio IV. in volumine ſignato G. quod pariter intelligetur afferri pro reliquis actionibus publicis Concilij vſque ad 25. Iulij 1563 quamuis interdum afferantur in margine alia monumenta, ſeu vt notiora, ſeu quæ rem fuſiùs narrent.

[k] 20. Aprilis, vt in epiſtola Legatorum ad Borromæum 21.

[l] Ex Diario.

[m] 10. Maij, vt in duabus litteris Legatorum ad Borromæum 19.

[n] 15.

[o] Litteræ Borromæi ad Mantuanũ, 30. Martij, & 14. Maij 1561.

[p] 12. Iulij 1561.

cuniæ opportunum arbitraretur ad Diuinam gloriam, illudque pium inceptum promouendum; adiecitque, vbi id ærario grauius euaſiſſet, Pontificem ſumptus in aliis omiſſurum, ne tanto operi deeſſent: & Legatis vniuersè [q] permiſſum eſt, vt nullis præſcriptis finibus eleëmoſynas largirentur. Hæ magna ex parte ſuppeditabantur Epiſcopis indigentibus, quorum tenues prouentus impares erant caritati annonæ, è Tridentini ſoli ſterilitate profectæ, & ex frequentia conuenarum auctæ [r]. Quocircà neceſſe fuit, vt compluribus à Pontifice viaticum ſubminiſtraretur, & prætereà continuum ſubſidium tribueretur, quo ſinguli viginti quinque aurei menſtrui donabantur. Id verò [ſ] Pontifex optauerat, vt quoad poſſet arcanò fieret, ne beneficium rubore accipientium eleuaretur, neque malignorum calumniis pateret, quaſi multos ſtipendiarios Epiſcopos Tridenti Pontifex aleret. Sed id quod neceſſariò multis innotuit, vix fieri poteſt vt omnibus non innoteſcat. Quare diſpendium illud, quod Pontifex cum ingenti incommodo tolerauit, ne charitati honeſtatique deeſſet, perpetuis ſuſurrationibus maleuolentium fomitem præbuit. Ceterùm cordati homines intelligebant optimè, huiuſmodi ſuppetias adeò tenues eſſe, vt longè gratius accidiſſet Epiſcopis, habitâ temporarij commodi ratione, ſi paupertatis titulo licuiſſet ipſis extra domicilij illius incommoda, & illius cæli aſperitatem, frui commodis ſuarum ſedium; nedum vt ab mercedula iidem illicerentur ad faciendam conſcientiæ, honoris, ac libertatis iacturam, emolumentis neglectis, quæ ſibi conquirere potuiſſent reparatâ ſui muneris poteſtate. Quamobrem non deerant ex iis, qui quotidie plurimam indigentiam cauſati veniam abeundi depoſcerent, eâque veniâ ipſis denegatâ, ieiuno illo ſubſidio nequaquam contenti viuebant, ſed ſemper queruli frequentiorem largioremque opem efflagitabant. Quin niſi me alienæ famę reuerentia vetaret, poſſem equidem palàm facere, ab his maximè moleſtias laboreſque perpetuos illatos fuiſſe Pontifici ac Legatis in diſputationibus Synodorum. Exemplo mihi ſit eorum vnus, cuius nomini ſecundùm Hiſtoriæ leges alibi parcere nequiuero; fuit hic Antonius Ciurelia Epiſcopus Buduenſis [t]. Multo maioris vtilitatis nexus agglutinabat Epiſcopos tot Principibus laicis, in quorum ditionibus ſiti erant omnes ipſorum reditus tum Eccleſiaſtici cum hereditarij, & non minùs ſubſtantiæ ac vitæ eorum omnium, qui cum illis ſanguine coniungebantur. Verùm ſi Pontifices occludunt manus, profanæ auaritiæ; ſi expandant, ſacrilegæ mercaturæ inſimulantur.

1561.

[q] Litteræ Borromæi ad Legatos, 22 Nouembris 1561.

[r] Apparet ex multis litteris Borromæi ad Mantuanum, 1561.

[ſ] Epiſtola Borromæi ad Mantuanum, menſe Nouembri 1561.

[t] Subſidium illi tributum habetur in epiſtola Borromæi ad Legatos, 18. Septembris 1561.

1561.

CAPVT XII.

Noua in Gallia Religionis diſcrimina. Ferrarienſis Cardinalis illuc legatio. Epiſcoporum Hiſpanienſium, Oſiique Legati Tridentum acceſſus.

OPeræpretium hîc eſt, vt ad Gallica reuertentes, aliquamdiu ibi ſiſtamus. Hæretici eo in regno per magnam audaciam in rem ſuam trahebant imbecillitatem regiminis, & in dies ſingulos gradum aliquem, ſeu veriùs ſaltum faciebant. Regina etſi erecti animi femina, cùm tamen illi dominaretur, ſicuti rumor erat, ambitio dominandi, timidiſſima animi affectio, cunctis idcircò ſeruiebat; & ſuſpicionibus agitata propter Guiſiorum potentiam, nitebatur aduerſæ factionis homines ſibi deuincire. Proinde conſpicata, quantâ florerent apud eos gratiâ Petrus Martyr ac Theodorus Beza, hæreticorum anteſignani, nimiâ in illis audiendis facilitate ac lenitate vtebatur, vti dicebant, cum aliqua famæ de Religione iactura: quamquam poſteà rerum ab ea geſtarum tenor oſtenderit, profanæ politicæ causâ pium eius ſtudium interdum obtorpuiſſe, ſed numquam eius Fidem declinaſſe. Ibi hæreſis fautores perpetuò vociferabantur, cogendam eſſe propriam nationis Synodum, per quam ſtabiliretur in Gallia peculiaris religio, quæ Romanæ poteſtatis vinculis omnino ſoluta, & tunc comprobaretur, & poſteà exerceretur. Hæc Pontifici ſuaſere, neceſſe fore in Galliam Legatum mittere magni conſilij ad tam ardua grauiaque negotia, ſimulque magnæ auctoritatis apud eas gentes, ſine qua conſilium ad ratiocinandum potiùs quàm ad conficiendum valet. Hac vtrâque dote Pontifici viſus eſt pollere Hippolitus Cardinalis Ferrarienſis, vir prudentiâ inter primos habitus, ob quam non ſemel propè fuerat vt ſupremus Eccleſiæ Rector crearetur, cuius fratria, Herculis Ducis vxor, genita fuerat à Rege Ludouico XII. & cuius fratris filia Franciſco Guiſio Duci nupſerat; ipſe verò ſemper non Romæ ſolùm, ſed per Italiam vniuerſam ſupremam quaſi præfecturam geſſerat in grauiſſimis Gallici regni negotiis. Quare nemo illuc ad id ſeligi poterat aut acceptior ex fide, aut venerabilior ex amplitudine, aut etiam validior ex cognatione. His ea conditio accedebat, quæ in Principum miniſtris reliquarum omnium quaſi anima eſt, nimirum beneuolentia in Principem, qui ſibi obſtrinxerat Hippolitum, collatâ Aloyſio fratris filio ſummi Ordinis Purpurâ. Deſignatus hic legationi fuerat ſecundo Iunij, & vigeſimoſexto Crucem, illius

illius muneris teſſeram, accepit diſceſſurus[a]. Florentiâ tranſiuit[b], & cum Duce rem communicauit, cui Pontifex plurimum fidebat, quique arctiorem amicitiam recens colligauerat cum Regina ſibi agnata. Is efficaciſſima quæque ſtudia erga Catharinam pollicitus eſt, quibus præcipuè nimis anxiam in ea ſuſpicionem ſedaret; nimirum, haud moliturum Pontificem, vt ipſi adminiſtrationis auctoritas minueretur. Cardinalem quoque monuit, in apertum diſſidium nonniſi per extremam neceſſitatem eundum; potiùs lentâ quadam dexteritate vtendum, tantiſper dum Rex ſupra puerilem ætatem aſſurgeret, & reipſa Rex euaderet: ſi ante id (diſſerebat Dux) apertè diſſidia contingerent, ſuſceptam iri rerum adminiſtrationem à Rege animo malè affecto; eodémque die, quo ille regnare inciperet, incepturum pariter Pontificem tamquam aduerſarium non tamquam Patrem intueri. Sin ex altera parte ad id vſque temporis quà tolerando quà declinando res protraheretur, libenter tunc Regem Pontificis monita auſcultaturum, ratum, malè de ſe meritos eos adminiſtros, qui ex vtilitate priuata in ſeditioſis arrogantiam & contra regium Sceptrum & contra Pontificiam Sedem aluiſſent. 1561.

a In Actis Senatus.

b Epiſt. Legati ad Borromæum, Florentiâ 16. Iulij 1561. inter ſcripturas Bernardini Card. Spadæ, vbi ſunt etiam aliæ literæ citandæ de hac legatione.

2 Hæc Ducis Florentini ſenſa cum Legati ſenſis mirificè conſonabant: quare is tam leniter ſe geſſit in Gallia[c], vt in multorum vituperationem inciderit, ac præſertim Granuellani apud Commendonum Nuntium, perinde quaſi dum plurimam de hæreticis rationem haberet, exerceretque intimam amicitiam cum Principe Vandomi (hoc nomine Hiſpanorum miniſtri Nauarræ Regem appellabant) ſe magis accommodaret Reginæ voluntati, quàm Pontificis dignitati. Reginam ad virilem Religionis defenſionem cohortari non deſiſtebant hinc Rex Catholicus, hinc Card. Is ad illam ſcripſit epiſtolam[d], pio ſtudio plenam, cuius exemplar Pontifici communicauit, hic verò Legatis. Hiſpanus per opportunitatem quâ petebat Regina per ſuum Oratorem ab ipſo, vt ſuos Præſules ad Concilium mitteret, ſed querebatur, Hiſpanienſem in Gallia Oratorem importunè ſe gerere, grauiter reſpondit: Quod ſpectabat ad Synodum, licuiſſe Reginæ ad eam vſque diem cernere Hiſpanos Epiſcopos per Galliam equitantes Tridentum verſus; ac proinde Regem ab ea petere, vt eódem Gallos Præſules ipſa compelleret. De Oratore dixit: Illi à ſe haud iniunctum fuiſſe, vt importunius ageret; ſed in eo quod ad Religionem ſpectabat, etiamſi ab Oratore quotidie cum Regina ſingulíſque miniſtris poſtulationes iterarentur, non idcircò illum eò proceſſurum,

c Epiſtola Commendoni ad Borromæum, Bruxellis 12. Octobr. 1561.

d Apparet ex reſponſo Legatorum ad Borromæum, vltimo Iulij 1561.

vt

1561. vt aut voluntatem ſuam, aut ſua mandata tranſiliret.

Porrò Regina [e] etſi blandè ſe haberet cum hæreticis, cauebat tamen, ne alienum à ſe Pontificem redderet, adeoque nitebatur cuiuſuis detrimenti ſuſpicionem ab eo depellere, patefacto etiam per litteras animi ſui propoſito Epiſcopos ad Concilium mittendi, cuius hac tantùm rei gratiâ illos a ſe vocatos aiebat; quod vbi Tridentinis Legatis innotuit, eos ſollicitudine liberauit.

[e] Apparet ex reſponſis Legatorum ad Borromæum, præſertim 6. & 10. Iulij, & 3. Augusti 1561.

Verùm quantò magis effecta promiſſis præcellunt, tantò magis 3
Legatos exhilarauit Hiſpanorum Præſulum aduentus, quàm exhibita à Gallis promiſſa. Primus [f] ex Hiſpanis fuit Aciedus Moya de Contreras Epiſcopus Vicenſis, vir maturi conſilij, ac litteratus: hic 26. Septembris peruenit, regiaſque litteras oſtendebat, quibus iuſſus fuerat proficiſci, atque expeditè progredi. Narrabat præterea, eo breui tractu, quo per Hiſpaniam peregerat antequam Galliam ingrederetur, ſe nactum eſſe quatuor alios Epiſcopos Hiſpanos Tridentum euntes, quemadmodum poſteà [g] reipſa tum illi tum alij eiuſdem nationis illicò peruenere.

[f] Diarium Aduſi Seruantij, qui erat Amanuenſis Secretarij Maſſarelli; & epiſtola Legatorum ad Borromæum, 27. Septembris 1561.

[g] Diarium, & litteræ quæ ſequuntur.

Itali præ ceteris, quippe quos ob maiorem Tridenti propinquitatem, maioremque ſubiectionem Pontifici, par erat exteris exemplo eſſe, acriter extimulabantur à Pio; & quo libentius iter arriperent, inſtruebantur à Borromæo commendatitiis litteris ad Legatos, qui [h] ſeorſim iubebantur ſe cum illis omnibus tam comiter gerere, vt regionis non modò externæ, ſed etiam incommodæ moleſtia leniretur; tantumque ſtudij impenſum eſt, ne Tranſmontani, ad excuſandam tardiorem abſentiam ſuam, obiectarent complurium Italorum exemplum, vt Legati Pontifici [i] ſignificarint, oportere Tridentum accire eos etiam, qui Ferrarienſem Legatum comitabantur: aliter enim licuiſſet Gallis validiores afferre cauſas in Gallia perſiſtendi, quàm illis Epiſcopis, qui vix ibi vlli vſui erant, niſi ad ſplendidum comitatum. Atque Legatorum monita Pontificis iuſſio eſt ſubſecuta [k].

4

[h] Apparet ex reſponſis Legatorum ad Borromæum, 21. Iulij, & 10. Nouembris 1561.

[i] Litteræ Legatorum, 6. Iulij 1561.

[k] Apparet ex epiſtola Ferrarienſis ad Franciſcum Mariam Vicecomitem, actorem ſuum Lugduni, 1. Septembris 1561.

Maioris fuit ponderis eorumdem conſilium reuocandi Triden- 5
tum ab Aula Cæſarea Oſium Legatum, propterea quòd cùm Cæſar declaraſſet, velle ſe ad Synodum Oratores mittere, parum ibi agendum ſupererat; quod ſi quid etiam ſupereſſet, ad id ſufficere Delfinum Nuntium. At verò Tridenti præſentiam Oſij, per aliquod temporis interuallum antequam Synodus aperiretur, exiſtimari plurimum profuturam: quoniam licuiſſet tunc tribus ſimul Legatis præmeditatè deliberare multis de rebus ad Concilium ſpectantibus, & communicatis Pontifici ipſorum ſententiis, quid ille

ille vellet, cognoſcere, ſtatimque poſteà id exequi, vbi Synodus in opus deduceretur. Aliter enim (aiebant illi) ſi admotâ iam operi manu rerum tractatio ſubſiſteret, quò priùs illæ Pontifici ſignificarentur, eam prolationem inſtar frigidæ futuram, calefactis ac ferueſcentibus animis permoleſtæ; ſimulque inde rurſus excitum iri Lutheranorum calumniam, quaſi libera non eſſet Synodus, ſanctioneſque Romæ veriùs quàm Tridenti conficerentur: quæ calumnia, quamuis eſſet iniqua, cùm deberetur quidem libertati, vt Patres ſanctionibus ſponte conſentirent, ſed non vt illæ firmarentur abſque notitia conſenſuque Pontificis, qui Synodi caput erat; tamen quia nimis popularis videbatur incuſatio, oportere vt ipſa rei ſpecies amoueretur, poſtulante prudenti charitate, vt non modò ne pateretur malum, ſed ne id quidem quod aliis afferat offenſionem in malum. 1561.

6 Conſilium probauit Pontifex; [l] adeoque Oſius Tridentum reuocatus, peruenit die vigeſimo Auguſti [m], ac priuatim ingreſſus, domicilium comperit commeatu ad duos menſes inſtructum ex liberalitate primi Legati; in quo viro Principis opulentiæ Principis largitas adnectebatur, quarum coniunctio ad egregiam beneficentiam plurimum valet: at verò illa ſine altera, probroſa; hæc ſine illa, exitioſa.

[l] Ex epiſtola Legatorum ad Borromæum, 28. Iulij 1561.
[m] Diarium 20 Auguſti 1561.

1561.

CAPVT XIII.

Aduentus Simonettæ quarti Legati: & epiſtola manu Pontificis ſcripta, ab eo ad collegas delata. Notitiæ de Philippo Muſotto, Aſtolſo Seruantio, Gabriele Paleotto, Mutio Callino, Ægidio Fuſcarario, Petro Conſaluo Mendoza, Carolo Vicecomite; de varijs Principum Oratoribus; ac de aliis, è quorum monumentis Auctor hanc Hiſtoriam traxit in euentis enarrandis. Exortæ ac ſolutæ difficultates de facultate Epiſcopis concedenda exomij (vulgo Mozzettam vocant) geſtandi, ac de ſuperiori Sede, quam ſibi vindicabat Bracarenſis Archiepiſcopus, tamquam Primas. Altempſius quintus Legatus deſtinatus. Decreta in Senatu habita à Pio de electione Romani Pontificis futuri, Collegio debita, non Concilio: quòd non liceret Pontifici ſibi ſucceſſorem eligere; & de ſuffragio in Synodo cunctis abſentibus negato.

1 Legatorum conſilium de reuocando Tridentum Oſio, Pontificem impulit ad ſimile ſimili de cauſa conſilium de Simonetta Cardinali, quandoquidem Puteus iis affligebatur morbis, quibus paulò poſt anni ſpatium extinctus eſt. Quare extimulatus Simonetta nihil ampliùs profectionem retardauit, adfuitque Tridenti ineunte Decembri [a]. Detulit is ad collegas epiſtolam ipſis Pontificio chirographo ſcriptam: eius ſumma, quam proferemus, relata fuit à Philippo Muſotto, nobili Bononienſi, qui Seripando à ſecretis erat, in ſua compendiaria narratione Synodi, habitæ Pio ſedente. Huic Muſotto demandatum à Legatis fuerat, vt ex altero ad alterum deferret litteras ad ipſos miſſas, & reſponſionum exempla, adeoque de iis fuit ille probè conſcius. Per eam opportunitatem tria ille vtiliter egit, quò notitiam aliquam de tam memorabili conuentu relinqueret: vnum fuit ea hiſtorica narratio, quam memorauit: alterum, quaſi ephemeris quædam actorum cœtuumque, & harum vtrique finem imponit vitæ finis heri ſui Seripandi: tertium fuit, ſelectorum quorumdam commentariorum collectio, qui ea inter negotia confecti ſunt, plurimumque lucis afferunt ad introſpicienda rerum penetralia. Hæc omnia ad heredes peruenere; hi verò, dum Bernardinus Cardinalis Spada, qui me, vt iam memoraui, ad hoc Opus conficiendum potiſſimè permouit,

[a] Die 8. vt in Diario.

mouit, in ipſorum patria legationem exercuit, ea illi dono dedere; 1561.
gnari, huiuſmodi & non alterius generis munera eidem vel accepta vel acceptanda fuiſſe. Suauis aliquid alicubi indicat, à ſe luſtratam priorem ex hiſce tribus Opellis; ſed ſi eam ille luſtrauit, de induſtria præterit id quod in Concilij dignitatem redundat; & in reliquum, vtpote certioribus magiſque diſtinctis notitiis expers, parum feliciter hinc rerum narrationes deſumpſit. Etenim quemadmodum contingit, vt hæc grandium rerum compendia, ab ingeniis mediocris notæ confecta, ex defectu quà memoriæ quà cognitionis quà animaduerſionis, in pluribus prolabantur, in plurimis deficiant, in cunctis caligent; ita ſcriptum illud abſque collatione cum aliis narrationibus Suauem identidem in errorem induxit; atque vniuersè, vbi ille labitur, & non ex nequitia, animaduerto, idem ipſi contingere, fidenti huiuſmodi compendiariis libellis, quod accideret pictori, qui vellet vaſti corporis animantem referre, nonniſi eius effigiem conſpicatus in aliqua Belgica icuncula effictam.

2 Epiſtolæ, de qua diximus, verba [b], manu Pontificis ad Legatos ſcripta, præter ea quæ miniſtri, qui ſibi erat à ſecretis, charactere ſignificabantur, hæc erant: *Nos multis verbis non vtemur, quia facta peroptamus. Satis iam cunctos Principes præſtolati ſumus: adeoq; non eſt amplius differenda, ſed, implorata Dei ope, Synodus aperienda quamprimum; ac per omnem celeritatem progrediendum, Concilio Tridentino reſumpto, quod à nobis nulla ex parte ſiue Diuina, ſiue per humanam Eccleſiæ legem poſita, repudiatur. Noſtra verò mentis eſt, vt citiùs Synodus conficiatur, quæ deceat probum virum, probum Pontificem, probum Chriſtianum, poſito ſemper ob oculos Dei, Fidei, & noſtræ Catholicæ Religionis obſequio, communiq; Chriſtianorum beneficio, ſimul etiam huiuſce ſanctæ Sedis, & noſtrâ & veſtrâ dignitate. Noſtrum autem conſilium eò tendit, vt hanc Synodum abſoluamus, confirmemus, & exequamur; vnaq; exoptaremus vnitatem proborum omnium Catholicorum, perpetuamq; inter Chriſtianos pacem, quò nobis liceret melius Deo ſeruire, & cunctas noſtras vires aduerſus infideles conuertere; quod ſi efficere poterimus, ſemper alacriter libenterq; moriemur.*

[b] Epiſtola Archiepiſcopi Iadrenſis, 18. Decembris 1561.

3 Hæc epiſtola lucem ſimul affudit, ſimul animos ſuppeditauit Legatis, & non minùs Patribus, quibus promulgata eſt. Et iam vndique vireſcebat ſpes floridi fructuoſique conuentus. Aderant ibi præter Epiſcopos viri complures laude præſtantes: præſertim verò in familia Mantuani morabantur Franciſcus Burſattus, ac Fredericus Pendaſius[c], ille inſignis Iuriſperitus, hic eximius Peripateticus, ſed ſimul doctus Theologus, dignuſque æternis laudibus, quando

[c] In Actis Paleotti.

1561. ſuper Ariſtotelis philoſophia adinuenit fundamentum conſtituendi humani animi finem in æternitate ſpiritalium mentium, non abiiciendi ad belluarum mortalitatem cum Epicuro. Camillus Oliuus Mantuano à ſecretis erat, ſcribebatque pariter communes Legatorum litteras, quarum volumen extat apud me, quaſque in huius libri margine ſubinde proferam; ſed earum auctographa, aſſeruata in Archiuo Vaticano, perlegi, quò mihi licuit ingredi indulgente Innocentio X. facilemque parauit aditum comitas Conſtantij Centofloreni, qui in Pontificio cubiculo Præfectus, ſimulque eiuſdem Archiui cuſtos erat; ſed poſteà fluxis rebus valedicens, ſe mihi in religioſa familia ſocium dedit. Cùm enim mihi Archiuum adeunti ipſius præſentiâ ſemper opus eſſet, ſe ille ſæpiſſimè ſubtraxit aſſiduis arctiſſimiſque præcipui ſui muneris occupationibus, quò mihi meoque labori opitularetur. Et per eam opportunitatem mihi quoque licuit meis oculis haurire notitiam litterarum arcanarumque notarum, quæ ab Aula Romana ſubinde ſcribebantur Legatis, ſeu cunctis communiter, ſeu eorum cuipiam ſeorſim; multarum etiam aliarum reſponſionum, grauiſſimarumque ſcriptionum, præter ea, quorum (ſicut ea memorati litterarum voluminis exemplaria) iam potitus aliunde, potui cum auctographis conferre, nactus illa authenticis planè conſentanea.

Erant pariter in Concilio duo præcipui Pontificis adminiſtri, alter Romanæ Rotæ Duodecemuir, Gabriel Paleottus Bononienſis, 4
alter ex Aduocatis Senatus Cardinalium, Scipio Lancellottus Romanus; vterque Purpuram eſt promeritus, & conſecutus. Prior etiam ſummæ Tiaræ fuit proximus, & inclytus ſupereſt virtutum famâ & ſcriptorum doctrinâ; inter quæ, præter typis vulgata, accuratiſſimam conſcripſit narrationem eorum, quæ agitata ſunt in illo vltimo Synodi conuentu, cui ipſe interfuit; ea verò narratio poſtmodum ab heredibus dono tradita eſt Vrbano VIII. & ab ipſo data Franciſco Cardinali Barberino fratris filio. Hic illam mihi benignè communicauit vnà cum plurimis rariſſimiſque manuſcriptis, quæ tandem gemmæ ſunt, à ſtudioſa ſplendidâque ipſius auaritia tot annos, quibus rerum potitus eſt, accumulatæ. Sed prætereà facultatem obtinui legendi retinendique arbitratu meo Acta legitima Synodi, quæ in Ælia arce ſeruantur, mihi concredita iuſſu Alexandri VII. qui ampliorem quàm deceſſor mihi facultatem elargitus eſt vtendi tum illis tum aliis monumentis, vt multis in locis meum hoc Opus plenius concinnarem, a me iam ante ipſius aſſumptionem dedolatum. Nec minùs lucis mihi prætulit ephemeris exquiſita

ſita rerum omnium in Synodo geſtarum, aliarumque, quæ id temporis Tridenti contigere, mihi conceſſa inter complures Commentarios ab humanitate Marci Antonij Burgheſij, Sulmonenſium Principis: quæ ephemeris, confecta ab Aſtolfo Seruantio, tunc Maſſarelli, qui à ſecretis erat, adiutore, & qui poſteà ſub nomine Valentini in religioſa familia Reformatorum S. Franciſci adhibitus eſt à ſuo Ordine [d] ad obeunda varia Moderatoris munera, nobis palàm facit, ab homine mediocris facultatis opus non mediocris pretij confici poſſe, modò parem facultati ſolertiam intendere & norit & velit. Ad me notitiis locupletandum acceſſere monumenta Petri Conſalui Mendozæ, Salmaticenſis Epiſcopi, qui illic interfuit; mutuæ, & frequentes litteræ inter Ferdinandum Cæſarem, ac ſuos Oratores; nec minùs inter Galliæ Regem, Reginamque, ac ſuos; nec paucæ pariter Regis Catholici; volumen litterarum Florentini Oratoris ad ſuum Principem; aliud litterarum volumen Ægidij Fuſcararij Antiſtitis Mutinenſis ad Moronum, donec is eò Legatus acceſſit; aliud quoque volumen magis integrum, magiſque copioſum, auctographis litteris refertum, Mutij Callini Archiepiſcopi Iadrenſis ad Aloyſium Cardinalem Cornelium; quamplurimæ litteræ ad Borromæum conſcriptæ à multis Præſulum eius amicis, ac potiſſimùm à Carolo Vicecomite, Epiſcopo Vintimilienſi, anteà in Gallia Nuntio, adeoque Gallicorum negotiorum adminiſtro præcipuo: ex aliis quoque non minùs vberibus & auctoritate præditis monumentis ea deſumpſi, quæ mihi enarranda erunt de rebus loco quidem ſed non propoſito ſeiunctis; ac deinceps pro eo ac mihi primâ vice ſingula, de quibus dixi, monumenta producenda erunt, indicabo vbi & penes quem illa ſeruentur. 1561.

[d] Cuncta ſunt in fine dicti Diarij.

5 Iam verò à digreſſione, quæ ſi extra ſeriem, certè non extra finem narrationis fuit, reuertamur. Cùm Hiſpanienſes complures Epiſcopi Tridentum perueniſſent, duo contigere quæ aliquam turbarum anxietatem Legatis intulerunt. Primum, quò magis tenue [e], eò digniùs vt obſeruetur, quippe quod documento eſt, in maximis negotiis nihil adeò minimum offendi, quod per ea quæ ſecum fert, maximum effici non poſſit. Petrus Guerrerus Archiepiſcopus Granatenſis, vir magni ſed immobilis conſilij (de quo alibi mentio facta eſt, cùm idem Concilio ætate Iulij interuenit) petiit à Legatis ſuo ſuæque nationis nomine facultatem ibi vtendi breuiori palliolo, vulgo *Mozzetta*; affirmans, non alia de cauſa illud peti, niſi quia ægrè poterant ipſi dediſcere id cui ſemper aſſueuerant in ſuis regionibus, vbi mos eſt illius pallioli gerendi etiam extra Diœceſes.

[e] In epiſtola Legatorum ad Borromæum, 15. Decembris 1561. & in Actis Paleotti.

1561.

f Litteræ Borromæi ad Mantuanum, 29. Nouembris 1561.

Legati recens in mandatis habuerant, ne id vlli Epiſcoporum permitterent. Cauſæ erant[f]: primò, Quoniam id Italiæ conſuetudini aduerſabatur, vbi nunc illi Epiſcopi morabantur: ſecundò, Quia ceterarum nationum Epiſcopis in vſu non erat, adeoque indecorum fuiſſet diſcrimen, ſi eo ſolùm habitu conſpicui cernerentur pauci quidam Hiſpani: denique, Eò quòd in duabus poſtremis conuocationibus, quarum ritus retinendi erant, iidem ipſi Hiſpani ab eo abſtinuerant: Exemplum ab ipſis recenter adductum Epiſcoporum Regularium, quòd vbique locorum palliolum illud geſtarent, vim non habere, propterea quòd in illis id prærogatiua dignitatis non eſt, ſed teſſera religioſæ familiæ, & huiuſce rei causâ numquam vtuntur Carbaſinâ, quam vulgus Rocchettum appellat.

Noluerant tamen Legati prohibitionem vulgare; tum quòd experti eſſent, ſuauiùs ab Hiſpanis ſe obtinere quaſi comitatis gratiâ 6
id quod illis grauius accidiſſet, adiectâ obedientiæ vi; tum quòd paulò antè quàm vetitum illud ad eos perueniſſet, animaduerſo Hiſpanorum deſiderio, tametſi nondum accepto poſtulato, varias rationes Romam ſcripſerant ad conceſſionem impetrandam, perinde atque conſueuere Principum adminiſtri qui inſtant operi, & ad quos ſpectat neruis præſentibus cum ea difficultate decertare, quam remotâ ſolùm cogitatione ſuperare ſibi videtur Princeps, petere ſemper indulgentiora mandata, quia faciliora. Quocircà Hiſpanorum petitio, antequam ad eas litteras reſponſum eſſet, ipſis accidit intempeſtiua, dum neque iuſſa violare illis licebat, neque placuiſſet iis vulgatis per triſtia turbarum auſpicia conuentum inchoare. Sed accidit poſterâ die, vt Tridentum peruenerit tabellarius

g Montano, 6. Decembris 1561.

[g] Borromæi, per quem ſuperiori Legatorum epiſtolæ ea de re hæc reddebantur reſponſa. Pontifici, aiebat, haud moleſtum futurum Epomium vniuersè permittere cunctis Epiſcopis eo nomine, quòd quaſi munere quodam ac magiſtratu fungerentur, adeoque ipſis perinde ac in propriis Diœceſibus illo vti liceret; ſed ſuper eo Cardinalium ſententias auditurum: interim verò illud Hiſpanis haud interdicerent. Hæc reſponſio ſonare Legatis viſa eſt, à Pontifice reipſa illius vſum Hiſpanis concedi, & ſolùm ancipiti animo eſſe, num aliis etiam indulgendum. Quare ſollicitudine ſoluti, alacri animo facultatem exoptatam Hiſpanis dedere; quâ per ſummam lætitiam acceptâ, cœpere hi ſacras Synodi celebritates in templo frequentare[h], vbi nonniſi rarò anteà viſebantur. Verùm ea lætitia Legatis breuî peperit nouam triſtioremque ſollicitudinem. Etenim memoratæ epiſtolæ ſententia non ea erat, quam illis perſua-

h Extat in epiſtola Legatorum ad Borromæum, 12. Decemb. 1561.

perſuaſerat ſeu ambigua verborum textura, ſeu mendoſa cupidinis interpretatio; ſed ſolùm exponebatur propenſio Pontificis ad conceſſionem, & dilatio ſanctionis, cunctos æquè complexuræ; ita tamen vt Legati paterentur intereà illius vſum in Hiſpanis, abſque vlla facultatis comprobationiſque declaratione. Per idem tempus Romæ in generali Cardinalium cœtu expensâ re[i], ſtatutum eſt, vt palliolum illud, quod in aliis huiuſmodi functionibus non erat in vſu, ibi cunctis interdiceretur. Scripſit itaque Borromæus[k] ad Legatos: Quamquam Pontifex Cardinalibus inſinuaſſet procliuem animum quem gerebat Hiſpanis gratificandi, ſententias tamen concordes pro repulſa fuiſſe. Perpendiſſe Collegium, par non eſſe, vt in gratiam paucorum, etſi ſummi meriti Antiſtitum, conſuetus reliquorum omnium habitus variaretur, aut quibuſdam paucis alius à reliquis habitus indulgeretur. Vbi iam impetraſſent Hiſpanienſes ipſorum propriam habitus rationem, idem petituros fuiſſe Gallos, quibus in patria mos erat Carbaſinâ indutos incedere, itidem ac incedebant Legati. Proinde inductum iri quamdam indumentorum varietatem, prorſus indecoram illi æquabilitati, quæ Patribus erat in omnibus præ ſe ferenda. Præterquam quòd cùm Hiſpani tam acriter contenderent, vt ea Synodus antecedentium conuentuum continuatio declararetur, ipſis ſupra ceteros ſeruanda religioſè fuiſſe tum decreta tum ritus ſuperiores: nequiuiſſe Pontificem de re tam conſpicua, tam adſpectabili, decernere citra aut contra ſententiam Cardinalium: ceterùm ſe præſtò eſſe ad beneuolentiam ſuam erga tam egregios Antiſtites per alias maioris momenti gratificationes exhibendam. 1561.

i 11. Decembris 1561. in Actis Senatus.

k 14. Decembris 1561.

7 Hæ litteræ in moleſtiſſimam anxietatem Legatos coniecere. Etenim ſi priùs repulſam vix tolerabilem Hiſpanis præuidebant, tunc prorſus intolerabilem arbitrabantur: propterea quòd rei conceſſio & executio, quæ præceſſerant, adieciſſent eius ademptioni acerbitatem illam, quæ acriùs à rei poſſeſſæ, quàm à ſperatæ priuatione ſolet infligi. Prætereà, quantam exiſtimationis iacturam facerent Legati, ſi cogerentur in ipſo Synodi limine palàm facere, ſe tum per diſtortam intelligentiam, tum per incautam declarationem acceptæ iuſſionis offendiſſe? Quare iterùm Romam ſcripſere[l], ſummâ quidem efficaciâ, ſed obſequio temperatâ, adeoque validiore, dum promptos ad patendum animos exhibebant, etiamſi Pontifex perſiſteret in repulſa petitionis, quæ iam ipſorum magis quàm aliorum erat petitio. Sed ille[l], tametſi res ſancita fuiſſet conſenſu communi Collegij, ac præcipuè Cueuæ Cardinalis Hiſpani, qui contra

l Ex reſponſione Legatorum ad Borromæum, 3. Ianuarij 1562. & ex Actis Paleotti.

1561. contra petitionem ardenter diſſeruerat, ipſis tamen ſatisfacere maluit: in quo fortaſſe admiſſus error potuit fortunatus exiſtimari, quippe conducens ad eas turbas euitandas, quæ initio coaleſcentium cœtuum ſupra modum periculum procreant, ne aut illi diſſoluantur, aut opus præcipuum impediatur. Et reipſa Hiſpani conceſſione impetratâ lætiſſimi, ornati quidem Epomio ſemper prodibant, ſed ſimul [m] inuidiam ſingularis quaſi faſtus declinabant, ſimplici habitu Eccleſiaſtico, & ſine ſerico induti; ac ſimplici veſtimento eorumdem mores reſpondebant, ab ipſis, qui rem Diuinam faciebant, ſemper occupatis altaribus, & in reliquis ipſorum operibus egregiâ quadam pietate refulgente; quemadmodum etiam ex communi conſenſu in eorum ſententiis inſignis quædam doctrina promicabat. Sed ne [n] Itali præ illis habitu minùs ornati, minuſque conſpicui viderentur, conceſſum illis eſt, vt cùm Sacro intereſſent, aut Legatos inuiſerent, Carbaſinam geſtarent, quâ priùs nunquam vtebantur niſi in templo ad ſacras Synodi celebritates.

[m] Narratio Oratoris Veneti ad Rempublicam.

[n] Litteræ Archiepiſcopi Iadrenſis ad Cornelium Cardin. 16. Nouembris 1561.

Alterum quod accidit, ſic ſe habuit [o]: Bartholomæus de Marty- 8
ribus, Dominicanus, Archiepiſcopus Bracarenſis, ſibi ius tribuebat, tamquam Luſitaniæ vniuerſæque Hiſpaniæ Primati, præcedendi cunctis reliquis Archiepiſcopis, tametſi priùs Inſulas adeptis: & quamquam obiecta illi fuiſſent exempla Concilij ſub Paulo iam habiti, vbi Gothiæ, Hiberniæ, aliarumque regionum Primates inter Archiepiſcopos pro antiquitatis gradu conſederant; adhuc ille contendebat, non potuiſſe ab illis paucis inferri detrimentum vniuerſo Primatum ordini, quibus non minùs tribuenda eſſet ſedes ſuperior meris Archiepiſcopis, quàm tribuenda ſit Patriarchis. Quapropter, vt honor deferretur illi Præſuli, qui egregium dederat ſpecimen obedientiæ erga Pontificem, & ſtudij erga Concilium, ſicuti narratum eſt, & in quo ſimul honorabatur religioſus Rex, ac religioſiſſimum regnum; Moronus iuſſu Pontificis ſtuduit, nec ſine fructu, perſuadere Sebaſtiano Leccauelæ, ex eadem S. Dominici familia, Græco Naxi Archiepiſcopo, cui ſoli tunc lis intendebatur, vt Luſitano cederet: ſed non æquè facilem ſe præbuit poſteà Granatenſis, qui affirmabat, ſolum Toletanum eſſe Primatem Hiſpaniæ; eam controuerſiam agitari cœptam Honorij III. ætate, nondum fuiſſe vllâ deciſione diremptam.

[o] Cuncta extant in epiſtola Legatorum ad Borromæum, 14. Decembris 1561. & in Actis Paleotti, & in iis quæ in arce Ælia ſeruantur in citato volumine: vbi duobus in locis fit de his mentio; præter varias litteras Archiepiſcopi Iadrenſis ad Cornelium Card. in autographis, quæ ſunt apud heredes Ridulfi Rinalducci Fanenſis, & Secretarij eiuſdem Cardinalis.

Pontifex initio [p] in Bracarenſem propendebat, reſeruato tamen 9
accuratiore cauſæ examine huiuſmodi rerum peritis. Deinde habito Conſiliariorum cœtu [q] ſignificauit, valdè ambiguam rem eſſe, ac

[p] Epiſtola Borromæi ad Legatos, 19. Nouembris 1561. [q] Epiſt. Borromæi ad Legatos, 29. Nouembris 1561.

1561.

ac nouæ trutinæ indigentem. Poſt hæc [r] ſcriptum fuit, rem à Pontifice deciſum iri in proximo conuentu, quem vulgo *Signaturam* dicunt; ſed non ita validas ampliùs videri Luſitani rationes, vt anteà viſæ fuerant, quoniam ne in Luſitania quidem recipi Bracarenſis Primatum probabatur, ac ſubinde oportuit iteratas dilationes concedi Oratoribus vtriuſque Regis [ſ], quorum vterque ſuum Præſulem tuebatur, temporiſque ſpatium poſtulabat ad eorum ius comprobandum, cùm eſſent magis ſolliciti, vt aſſolet in huiuſmodi litibus, ne causâ caderent, quàm vt vincerent. Romà verò inſinuatum eſt Legatis, vt interim iniicerentur moræ, & concordiæ ſtuderetur. Nihil ab illis omiſſum in cohortando Luſitano, vt qualibet à ſe conteſtatione præmiſsâ ſederet in loco, quem tempus ſuſceptæ tiaræ illi tribuebat ex vſu ſuperiorum conuentuum: at ille ſe aſſenſurum fuiſſe reſpondit, niſi iam ipſe ſuper eo ſcripſiſſet ad ſui Regis Oratorem apud Pontificem, ſignificans, præſtolaturum ſe deciſionem aut à Pontifice, aut ab ipſo Concilio, vbi fuiſſet inceptum; interim verò haud grauatè ſe à publicis functionibus abfuturum. Ita peractum eſt, Granatenſi ſolemnibus Synodi feſtis in templo conſidente: ad quod faciliùs ſe flexit Luſitanus; quoniam cùm fuiſſet agitatum de collocanda illi ſede ſupra Archiepiſcopos tamquam Primati, ſi non Generali totius Hiſpaniæ, certè peculiari Luſitaniæ, reſciuit ille, in arcanis narrationibus à reliquis ſuæ gentis Epiſcopis negari id quod pro ipſo aliunde non probabatur, nimirum, eâ illum prærogatiuâ inter Luſitanos gaudere, eiuſque iuriſdictionem aut honorem vmquam obtinuiſſe. Denique ex Legatorum ſententia iuſſit Pontifex per diploma [t] rationem haberi de ſolâ tiaræ acceptæ antiquitate. Eo diplomate [u] Bracarenſi à Legatis oſtenſo, illum impulerunt ad hortandum ſuis litteris Oratorem vt acquieſceret, ſicuti effectum eſt.

10 Legitur hoc diploma à Pontifice directum ad Legatos, appoſitis ſingulorum nominibus, inter quos Puteus abſens nominabatur; & præter quinque reliquos ſextus ipſis de nouo additus, ſed qui poſt dies aliquot Tridentum acceſſit. Is fuit Marcus Siticus Altempſius, Pontificis ſororis filius. Fuerat hic anteà promotus nominatione Canonicorum ad inſignem Conſtantiæ Sedem [x]; quod in Religionis emolumentum accidebat in vrbe prænobili, & periculis obnoxia. Et ſanè Pontifex induxit animum ad eum inter Synodi Legatos connumerandum [y], propterea quòd hinc infirma Putei valetudo eius acceſſum inſperabilem oſtendebat; hinc tametſi tunc in Altempſio peritia & doctrina deeſſent, ea ſuppleri poterant directione

[r] Litteræ Borromæi, 6. Decembris 1561.

[ſ] Litteræ Borromæi, 10. 15. & 20. Decembris 1561.

[t] Signatum eſt die poſtremâ Decembris 1561. & Legatis miſſum.

[u] Ex litteris Legatorum ad Borromæum, 8. 12. 15. 18. & 22. Ianuar. 1562.

[x] 24 Octobris, vt in Actis Senatus.

[y] 20 Nouembris, vt in Actis Senatus, & litteræ Borromæi ad Mantuanum.

1561. ctione collegarum; at verò in reliquum, præter coniunctionem ſanguinis cum Madruccio, præualida ad Germanos pertrahendos cenſebantur in eo patriæ communitas, ſuæque ibi familiæ atque Eccleſiæ amplitudo.

Iam verò Suauis adeò egregiam obtinet notitiam argumenti ſuæ narrationi propoſiti, vt affirmet, Simonettam & Altempſium electos ad legationem ambos vnà fuiſſe, ignorans electionem Simonettæ tot ante menſes peractam, & ſimul cum Oſij ac Seripandi electione, de qua vſque ad huiuſce tempeſtatis euenta locutus non eſt. 11

Nec minùs hallucinatur, dum narrat, petitionem contentionemque Bracarenſis Archiepiſcopi ortam fuiſſe in primo generali conuentu (de quo poſteà fiet mentio) cùm ibi recitatum eſt diploma, quo iubebantur antiquiores Archiepiſcopi præire Primatibus recentioribus. Enimuerò quò id ſibi perſuaderet Suauis, opus fuit, vt ipſe de induſtria oculos clauderet ad ea cuncta monumenta, quæ hac de re mentionem habent, quando in omnibus enarratur, contentionem excitatam ſedatamque multò anteà fuiſſe; adeoque in generali cœtu, quem diximus, nulla eius mentio habita eſt; quin huiuſmodi diploma non cauſa litigij, ſed effectus ſimul ac finis fuit. Hæc errata, quæ tam facilè deprehendi poſſunt, & de quibus, quippe nihil cauſæ fauentibus, nequitiam incuſare non poſſum, opinionem meam, quam ſuprà indicaui, validiùs ſemper confirmant; hoc eſt, Suauem alienis oculis legiſſe monumenta, ſuaſque narrationes conformaſſe ieiunis confuſiſque quibuſdam commentariorum ſummis, quæ ſolùm vſui eſſe poſſunt volenti non de rebus primùm edoceri, ſed earum reminiſci, cùm ibi auctor, rerum notitiâ anteà inſtructus, vnico obtutu breuiter relegat quidquid ipſe multo ſtudio in pauca contraxit. Secùs enim tam illæ tuto vſui ſunt rerum geſtarum narratori, quàm paruula deſcripti mundi mappula viatori, ne fallatur in viis.

Tria Decreta per eos dies à Pio in Senatu edita[a]: Vnum, vt ſi Sedes vacaſſet, noui Pontificis electio ad Collegium, non ad Concilium pertinere; perinde ac pariter in antegreſſis conuocationibus ſtatutum fuerat. Alterum, Vt intelligeretur, non licere Pontifici (id quod aliqui Doctores ipſi tribuerant) ſucceſſorem adiutorémve cum futura ſucceſſione ſibi deligere, etiamſi Cardinales omnes aſſentirentur. Tertium[a], Ne ius ſuffragij haberent in Concilio niſi qui illic aderant, iuxtà ac à Paulo III. ſancitum fuerat. Quibus Decretis ſubtractio poteſtatis firmabatur ſimul ac leniebatur in ſubditis, non minori ſubtractione in Principe; quandoquidem 12

a Prima duo 19. Nouembris 1561. vt in Actis Senatus.

a 5. Decembris 1561.

dem nec iniuſtus nec ſeuerùs habetur in ferendo aduerſus alios iudicio, qui aduerſus ſeipſum ſimul iudicat. 1561.

CAPVT XIV.

Euenta Religionis in Gallia. Colloquium Poiſſiacum inter Catholicos & hæreticos. Res à Legato geſtæ. Intenta & agitata ab Antonio Nauarræ Rege.

1 OMnium negligentiſſima ad Concilium adeundum videbatur ea natio, quæ opis ab eo accipiendæ, quâ ſeruaretur incolumis, erat egentiſſima, nimirum Gallica. Creſcebat in ea per incommoda Religionis monſtroſa deformitas[a]. Præſertim acciderat, vt Odettus Cardinalis Caſtilioneus, Bellouacenſis Epiſcopus, Præfecti maritimi frater, anteferens familiæ ſanguinem quem venis claudebat, Chriſti ſanguini quem veſte monſtrabat, hugonottus iam ferè palàm euaſiſſet. Conuentum habuerat apud S. Germanum Regina trium regni Ordinum: & quoniam orta erat inter ipſam & Regem Nauarræ de auctoritate contentio, timens altera, ne alter, quippe conſanguineus & indigena, vinceret, fertur præſidium maritimi Præfecti, eiuſque fratrum quæſiuiſſe, pollicita viciſſim, ſe illis exercitium ipſorum ſectæ indulturam. Magnus Cancellarius, domus Hoſpitalis dominus, præpotens adminiſter in Gallia, puero præſertim Rege, in rebus religionis hugonottorum factioni apertè fauerat: non tamen propterea ſtatutum erat, vt propria nationis Synodus cogeretur, cùm & hæretici & catholici, etſi diuerſa ex cauſa, eam obturbare ſtuduiſſent: catholici, quia non periculoſa modò religioni videbatur, ſed iniurioſa Concilio Oecumenico, quod iam extabat: hæretici, quia poteſtati iudicandi æquè ac catholici aſpirantes, ſatis intelligebant, eam ſibi ab Epiſcopis Galliæ in propria eius regni Synodo minimè conceſſum iri.

[a] Vide Spondanum, & ab eo citatos, an. 1561. à num. 12. vſque ad 23.

2 Decretum itaque eſt, vt colloquium iniretur Poiſſiaci, in vrbe S. Germano proxima. Ibi adfuit Rex, paulò antè Rhemis à Lotharingo Cardinali, Archiepiſcopo illius vrbis, coronatus, Regina, cunctique præcipui regni Proceres, quinque Cardinales vltra Legatum, quadraginta Epiſcopi, qui priùs apud S. Germanum ad regni Ordinum Comitia celebranda conuenerant, & varij vtriuſque partis Theologi. Illuſtre ſui ſpecimen dedere inter catholicos Claudius Eſpenceus laicus Pariſienſis, & Claudius Santes Canonicus Regularis, qui poſtmodum ad Concilium miſſus eſt, vterque Operibus editis clarus. Inter hæreticos duo præ ceteris celebrati, Theo-

1561. Theodorus Beza, & Petrus Martyr. Ex Gallicis Cardinalibus duo plurimum gloriæ ſibi peperere in religionis ſtudio, Turnonenſis, Purpurati Collegij Princeps, conſiliorum grauitate, & Lotharingus præter hanc etiam robore doctrinæ. Hi duo ſimul cum Guiſio nequaquam conſenſerant nouo Ordinum decreto, ne Cardinales, quemadmodum ſemper anteà conſueuerant, regij ſanguinis Principibus præirent, ambo cum fremitu è conuentu egreſſi. At verò Cardinales Caſtilioneus & Arminiacus ſe decreto ſubiecerant: & Borbonius, antehabitâ dignitati familiâ, declarauerat, ſe præcedere Condæo Principi fratri, iam hæretico, & in cuius gratiam hæc Apoſtolico Senatui inferebantur incommoda, ætatis non dignitatis cauſâ. Exitus colloquij fuit, qualis eſſe ſolet in huiuſmodi certaminibus, quòd neutra partium alteri concedat, & vtraque poſteà quamdam victoriæ ſpeciem ſibi arroget.

Narrat Suauis, ab Hiſpano quodam è Societate Ieſu, Legati 3
Theologo, contumelias in hæreticos fuiſſe coniectas, increpitamque arroganter Reginam, quòd ipſa iis agitandis articulis intereſſet, quorum examen non ad Principes laicos, ſed ad Pontificem Præſuleſque ſpectabat; id verò fuiſſe à Pontifice celebratum, collatumque cum veterum Sanctorum libertate. Habemus hinc Suauis vituperationem, hinc Pontificis commendationem. Par vtrique, niſi dedignetur Suauis, auctoritas tribuatur, & deciſionem committamus Gallicis ipſis ſcriptoribus, ſtudioſiſſimis propugnandi dignitatem poteſtatemque ſuorum Principum, ac præcipuè Spondano, ceterà [b] nihil verito Romanos Pontifices reprehendere. Obſeruetur, quanto ille cum honore & de homine & de re geſta loquatur. Fuit is Didacus Lainius, ſummus Societatis Ieſu Moderator, de quo frequens à nobis habita mentio eſt in duabus præteritis Concilij conuocationibus, longeque frequenter habenda erit in tertia; adeoque nihil aliud in præſentia de illius dotibus attingam. Nec Ferrarienſis Legatus, qui ex ipſius Suauis narratione reuerenter admodum circumſpecteque cum Regina ſe geſſit, paſſus fuiſſet, aut impunè ſiuiſſet, Theologum ſuum coram ſe in eo publico theatro arrogantius quidquam proferre in maieſtatem tam præcelſæ Reginæ, ſicut è contrario gratum meritò ipſi fuit, vt ille fidenter ac neceſſariò Reginam admoneret obſequij ac reuerentiæ quâ colendus eſt Deus. Et reuerà tum admonitionem tolerauit Regina, tum etiam poſteà ab huiuſmodi colloquiis abſtinuit; tametſi detrimentum ab hoc vnico colloquio illatum adeò ingens fuit, vt eidem imputent ipſi Galli catholici licentiam, quam adepti ſunt hugonotti,

[b] Vide Spondanum anno 1551. num. 22.

notti, palàm ſuperſtitionem ſuam profitendi, cùm anteà inter caueas eam occultarent. 1561.

4 Gualterius Nuntius[e] ex his indiciis infeliciſſima quæque præcinebat, eratque politicis Gallis ſuſpectus, quaſi inuaderet in ipſorum ſenſa de Religionis negotio, eaque Hiſpanicis miniſtris patefaceret, & eorum violentis conatibus eadem perturbaret: atque eò Galli deuenerant, vt eius tabellarios retinerent; ſibi inducentes in animum, occultam aliquam rerum tractationem cum Philippo Rege in litteris repertum iri. Is itaque non ampliùs illi miniſterio idoneus, quamuis vitio non ſuo, reuocatus eſt à Pio, ſuffectuſque ipſi Proſper Sanctacrucius, qui viuente Iulio acceptus Gallis fuerat, & tunc in Luſitania morabatur, vti ſuprà oſtenſum eſt. Gualterius, qui dum diſcederet, Pontificem de quibuſdam rebus celeriter edocendum cenſuit, iter maturare noluit, & ne ſuſpiciones augerentur in Gallis, hominem qui ſibi à ſecretis erat, Romam ſedulò præmiſit. Huic iniunxit, vt exponeret Pontifici peſſimam rerum conditionem, & imminentia diſcrimina tum Eccleſiæ tum Regi: ad rebus conſulendum ſibi aliud non occurrere, niſi vt priùs certò exploraretur, veréne moleſta eſſent Regi Catholico Galliæ turbamenta, an potiùs per artem regnandi placeret illi ex finitimæ ſiluæ flammis cinerem elicere, quâ ſuus ager pingueſceret. Vbi anteferretur ab eo huic politicæ vtilitati ſeu ſtudium Diuinæ gloriæ, ſeu charitas cognationis, ſeu prouidentia (propria Hiſpanorum dos) iacturæ, quam propinquum illud incendium minitabatur, ſi Belgium ex vno latere inuaderet, ex altero vltra Pyrenæos fauillas immitteret, extimularetur ad ſuas admouendas vires, quò ſeditioſi reprimerentur, & Carolus verè regnaret, liber ab eorum perfidia, qui in regali miniſterio traditâ ſibi auctoritate abutebantur ad ſua commoda promouenda, & Sceptrum ac Tiaram abiicienda: id ſi fieret, poſſet educere Pontifex è vagina ſacræ poteſtatis arma vnà cum Philippi Regis copiis aduerſus hugonottorum petulantiam; quæ tantum animi Gallis catholicis adderent, tantumque hæreticis detraherent, vt ſicca fortaſſis & incruenta victoriam obtinerent.

[e] In documentis à Nuntio datis Secretario ad Pontificem miſſo, ſignatis 8 Octobris 1561. inter ſcripturas Burgheſiorum.

5 Maiori vtebatur diſſimulatione Legatus, qui vti natus Princeps, ita Principum negotia interiùs callens, ſatis intelligebat, quantum per belli vocabula ſpes attollitur elatione fragoris, tantumdem eam decipi exitus inanitate, quippe quæ raro poſſunt in opus deduci, & etiam deducta rariſſimè proſunt. Hoc ſententiarum diſſidium inter Legatum & Nuntium, à mentibus, prout fieri ſolet, ad animos tranſgreſſum, priùs mutuam in conſiliis communicandis fidu-

1561.

[d] In epiſtola Legati ad ſuum Actorem, è S. Germano, vltimo Decembris 1561.

ciam extinxerat, mox offenſionem excitauerat. Quamobrem Ferrarienſis [d] ſuſpicatus eſt, ſtudia Gualterij prius per litteras, deinde coràm apud Pontificem ſibi aduerſari, tametſi Borromæus ſponte contrarium teſtificatus fuiſſet; imò, quandoquidem ſuſpicio, vermium more, dulci nutritur, Legatus eas teſtificationes interpretatus eſt (quippe excuſationes non petitas) tamquam veræ offenſæ argumentum. Sed apertiùs aduerſabantur Legato Hiſpani, ac potiſſimùm Orator Vargas, quaſi fauenti commodis Antonij Nauarræi apud Pontificem, eumque cohortanti ad ſuam operam impendendam, quò ſuaderetur Regi Catholico, vt Antonio redintegraret compenſarétve regnum dotale; quod à Philippo eiuſque miniſtris recuſabatur, aientibus, ab Antonio Religionem mercimonio haberi, ſuamque animam Eccleſiæ venalem licitari, dum ſe catholicum futurum pollicebatur, ſi terrenum ſibi pretium rependeretur. Quapropter nequaquam par eſſe, vt homini, qui nullam Deo fidem ſeruabat, nouæ ditionis fieret acceſſio; vtque conſilium tam ſacrilegum ipſi lucroſum euaderet, aliis illecebroſum ad imitandum. Quare Philippus Oratori Gallico, qui Nauarræi poſtulatis fauebat, dicebatque, ab illo miſſum iri hominem ad eam rem ibi tranſigendam, reſponderat [e]: Cùm Antonius Chriſtianus eſſet Princeps, primo loco conſulendum ab eo eſſe Diuinæ gloriæ, quæ tunc valde premebatur, & valdè poterat eius auctoritate releuari. His ab eo peractis, agi poſſe de humanis emolumentis; ſed antequam id fieret, laborem aduenturi nuntij fruſtrà futurum: quamquam non idcircò ab eius miſſione ille deſtitit.

[e] Dictum fuit Granuellano à Commendono, vt in eius epiſtola ad Borromæum, 19. Octobris 1561.

[f] Epiſtola Amulij Romà ad Seripandum Tridentum, 15. Octobris 1561.

Et ſanè videbatur Pontifex eadem ac Philippus ſentire [f]; cùm 6.
propterea recuſaret ſuis commendationibus promouere legationem Carſij, Romam ab Antonio ad id miſſi, ac deſtinati poſteà (quod effectum eſt) in Hiſpaniam. Sed Ferrarienſis aliâ trutinâ rem expendens, ratiocinabatur, parum ſinceram Antonij Religionem ipſius dumtaxat animæ nocituram: at verò per profeſſionem, quam ille haberet, ſiue catholici ſiue hæretici, præſertim dum ipſe Galliam adminiſtraret, allatum iri fortaſſe incolumitatem aut exitium cunctis illis prouinciis, & magna ex parte populis Chriſtianis, qui cum ipſis connectebantur. Si honeſte pretio redimitur vita temporaria vnius amici, ſceleſtâ graſſarorum auaritiâ exaturatâ, quantò ſanctiùs id effici ad comparandam ſempiternam vitam tot centenis millibus hominum, tum in præſentia tum in poſterum? Idcircò nitebatur omni ſtudio Legatus eum ſibi amicum intimumque reddere, iiſdemque artibus vtebatur cum vxore

Ioanna,

Ioanna, cuius ingenium imperioſum ac ferox in viri debilitatem 1561.
dominabatur.

7 Porrò die quodam accidit[g], vt cùm Legatus colloqueretur cum Galliæ Nauarræque Reginis, Nauarræa diceret, ſe interfuiſſe concionibus cuiuſdam ex nouis concionatoribus, quo non mediocriter oblectata fuerat, præſertim ob modeſtiam, vt qui ab omni in catholicos aculeo abſtinuerat; ac Legato pariter placiturum, ſi ab ipſo audiretur: tum verò vehementiſſimis precibus id illa ab eo petiit, ſimulque Galliæ Regina idipſum nihilo ſegnius poſtulauit, affirmans, publicam audiri querimoniam, quòd nimia Pontificiorum auſteritas in recentium ſententiarum ſectatores, eſſet in cauſa, cùr illi obdureſcerent: quodnam artis genus eſſe, ſibi homines fugiendo conciliare? Anceps admodum hæſit Legatus. Hinc (quemadmodum planè ipſe ſcribit) nouerat, mortales ad opera dimetienda adhibere normam præcraſſam, hoc eſt, non formam reputantes, quæ in ipſis operibus eſt finis interior, ab agente ſibi propoſitus, quia illum non introſpiciunt; ſed ſolam materiam, quæ eſt ipſum opus exterius, quia illud ob oculos habent: adeoque præuidebat, complures facinus deteſtaturos tamquam profanum, tametſi ſuopte ingenio prauum non eſſet, & ab religioſo operantis animo religioſiſſimi formam ac naturam acciperet. Hinc ſatis callebat conſuetas affectiones conditionis muliebris atque regalis, quarum altera in cupiditatibus ardentiſſima, altera in repulſis iracundiſſima; ſimulque intelligebat, quanti eſſet emolumenti vtriuſque Reginæ gratia, quarum potentiæ id temporis Galliæ ſtatus nitebatur. Maluit denique id, quod ſalutem putabat, rumori anteferre, ſeque concionem auditurum ſpopondit; pactus, vt pariter vtraque Regina intereſſet alteri, quam poſteà ipſius Theologus habiturus erat. Adfuit itaque concioni in priuata quadam aula; cauitque, ne vllo exteriori indicio communicaret præcedentibus concionantis precibus, quò ab illius religione abhorrere videretur. Dicentis modeſtia Reginæ teſtificationi reſpondit; ſed virtus dicendi longè infra expectationem accidit: vnde Legatus lætitiæ argumentum deduxit, cùm inde compertum haberet, magiſtrorum causâ nihil eſſe metuendum, niſi eorum tenuitati robur addidiſſet animi perturbatio, & vtilitatis cupiditas in diſcipulis. Elapſo biduo Reginæ vocatæ ſunt ad conuiuium à Legato, ac poſt prandium in quodam ſacello viri Cœnobitæ concionem audiuere; quæ vt multò maiori nobilium auditorum, etiam ex hugonottis, frequentiâ habita eſt, ita præteritam æquauit modeſtiâ, & eloquen-

tiâ

[g] In epiſtola Legati ad Borromæum, 14 Nouembris 1561. & in volumine litterarum apud Spadam Cardin. & in altero penes me, quæ continent litteras reliquas Ferrarienſis, quas producam.

1561. tiâ ac doctrinâ multis partibus ſuperauit, communiq́ue plauſu ac-
cepta eſt.

Miſerat per eos dies Romam Legatus Nichettum Abbatem, ſi- 8
bi à ſecretis[h], qui Pontificem plenè doceret de rerum conditioni-
bus, & mandata magis certa ac libera reciperet: ad quæ perficien-
da duæ linguæ diurno compendio plus valent, quàm annuo circui-
tu duo calami. Sed præſagiens animo Ferrarienſis criminationes,
quas ſibi erat excitura audita poſtmodum à ſe concio, tum id quod
egerat, tum eius cauſam ad Borromæum accuratè perſcripſit: &
Sanctacrucius recens Nuntius, qui diuturnâ emollitus experientiâ,
placidiora quàm Gualterius ſenſa gerebat, ſcripſit, narratum ſibi
fuiſſe à Principibus viris[i], nihil magis profuiſſe ad leniendum in-
clinandumq́ue animum Ioannæ Reginæ ad partem Catholicam,
quàm exhibita humanitas in ea inuiſenda, eiuſq́ue concionatore
auſcultando. Sed Pontifex[k], qui ad eum vſque diem Legatum de-
fenderat, etiam in Purpuratorum Senatu multis accuſationibus
reiectis, eiq́ue ſignificarat, ſuauitatem ſibi magis quàm ſeueritatem
probari, tunc[l] liberè palàm fecit Ferrarienſis Procuratori, poſtre-
mum illud factum ſibi ægrè fuiſſe; dicens, Negotia Religionis tra-
ctanda non eſſe eâdem normâ quâ politica: Galliam, vt ipſe con-
ſpiciebat, adeò præcipitem agi, vt iam de ea deſperaret. Proinde
ſtudium à ſe adhibendum eſſe potiſſimum, ne ſaltem clades ingrue-
ret, quæ conſcientiam ſuam apud Deum, & Apoſtolicam Sedem
apud homines labefactaret; eâ gratiâ opus eſſe ſeueritate, vbi etiam
ex aliorum nequitia, temporumq́ue calamitate, ea inutilis ad impro-
borum emendationem præuideretur. At Legatus quò ſe purgaret,
ac Pontificem de multis rerum capitibus certiorem redderet, binas
ſcripſit grauiſſimas epiſtolas; alteram, aliquanto fidentiorem aper-
tioremq́ue, ad Actorem ſuum[m]; alteram eodem die ſignatam, &
ſuo ſcriptam chirographo, ſed formulis remiſſioribus, ad Borro-
mæum, quarum ſummam hîc referam, quippe idoneam ad edo-
cendum lectorem de variis euentibus notatu dignis, quos hîc ex-
ponendos ſimul omnes ſepoſui ad breuitatis claritatiſq́ue compen-
dium; quæ duo emolumenta rerum coniunctio ſecum affert.

Agebat in primis ille grates Pontifici, quòd ipſum liberè mo- 9
nuiſſet: addebat, vti veriſſimum erat, aliâ normâ eſſe tractandas
res Religionis, aliâ res politicas; ita id à ſe etiam tum ſeruatum
fuiſſe, niſi perſpexiſſet in præſentia non modò alteris alteras eſſe
permixtas, ſed religionem merum eſſe colorem extimum, vtilita-
tem verò politicam, eſſe ſoliditatem intimam. Idcircò ſe ſibi per-
ſuaſiſſe,

[h] 4. Nouembris, vt apparet ex eius epiſtola ad Pontificem, ſcripta eodem die.

[i] Ad Borromæum, 15. Nouembris 1561.

[k] Conſtat ex duabus litteris Legati ad ſuum Actorem, 10. & 18. Decembris 1561.

[l] Ex eiuſdem epiſtola ad ſuum Actorem, vltimo Decembris 1561.

[m] Epiſtola modò citata.

ſuaſiſſe, optimum fore conſilium, ſi beneuolentem in omnes animum præ ſe ferret, & palàm ipſis faceret, maximum commodum, etiam politicæ vtilitatis, ex eo illis expectandum eſſe, quòd partibus Catholicorum adhærerent. A ſe quidem, cui præ manibus opus aderat, non videri res Religionis in Gallia ita collapſas, vt de iis eſſet deſperandum; quo caſu ſe minimè prætermiſſurum generoſam illam agendi rationem, quæ Pontificem ac ſeipſum liberaret ab omni nota, ſiue conſcientia ſiue exiſtimatio ſpectaretur; ſed vnicam planè viam ne res deſperaretur, à lenitate aperiri: id vnum ſe cupiiſſe à Deo ſibi conceſſum iri, vt nimirum poſſet perſpicere Pontifex, quò res euaſura fuiſſet, vbi eius Legatus oppoſitam agendi rationem adhibuiſſet. Verùm quando id oculorum acie non poſſet à Pontifice conſpici, poſſe quidem certè coniici ex fructuum experimento, quos in ſimili rerum conditione aliorum miniſtrorum aſperitas pepererat: ſatis à ſe animaduerſum iri temporis opportunitatem, quâ ſibi illa agendi ratio eſſet vſurpanda; ac tunc quidem eò maiori animi fiduciâ id ſe præſtiturum, quò clariùs eius antegreſſa comitas comprobaret, eò ſe adduci conſcientiæ neceſſitate, non ingenij acerbitate: quæ perſuaſio efficit, vt ſeueritas & leniùs exaſperet, & validiùs medeatur. Non abſque ſenſu doloris à ſe cerni, ſolùm habitos in pretio quoſdam miniſtros, qui in eorum Principum, apud quos morabantur, offenſionem incurrebant, haud expenſo, quanta eorumdem Principum eſſet indignatio propter eiuſmodi æſtimationem, ab eiuſmodi merito profectam. Peculiari aliquo experimento comperiſſe Pontificem, quo pacto huius generis adminiſtris fructu vacua res ceſſiſſet; & alioqui cùm ipſe Pontifex ſemel ab Hiſpania Reuertam amouiſſet, quòd is videretur Hiſpanorum animis nimium indulgere, ſed cognouiſſet, eumdem poſteà, ob gratiam quam apud eos idem obtinebat, ſupra ceteros agendis rebus idoneum reddi, hominem denuò ab eo remiſſum in Hiſpaniam. Non eſſe ſpem omnem abiiciendam de infirmo corpore, eò quòd graui febri laboret, vbi adhuc viget robore, quemadmodum Gallia vigebat: ſe quidem eius ſanitatem haud ſibi polliceri, niſi poſt plures ac periculoſos paroxyſmos; ſed ſimul confidere (niſi deſtitueretur curatione, eius ingenio conſentaneâ) ab ea vim morbi ſuperatum iri. Nec in eo ſitam eſſe prudentiam, vt ſemper infauſtiſſima præcinantur; quod ſi ita foret (ſcribebat ille) Noſtradamus in ſuis horribilis vaticiniis omnium prudentiſſimus eſſet habendus: nec valere ad eam infelicem præſagitionem confirmandam, quòd afferri poſſet, ſe nondum obtinuiſſe, vt ipſe facultates ſuæ legationis exerceret, 1561.

1561. & Epiſcopos Galliæ nondum ad Concilium conueniſſe; alterum ſiquidem nec Reginæ matris, nec Regis Nauarræ vitio, qui eas comprobarant, contigiſſe, ſed ſolùm Gallici Conſilij repugnantiâ, ſemper in iuriſdictionis capitibus difficilis, & tunc ex hominibus hæreſi contaminatis magna ex parte conflati. Ceterùm ex præſtita ſibi tum à Regina tum à Nauarræo licentiâ, vt illis facultatibus vteretur, palam fieri, eos qui ſupremum regimen exercebant, auctoritatem Apoſtolicæ Sedis venerari. Non ceſſare Legatum rem pariter vrgere, non ſui commodi gratiâ, ſed quò huiuſmodi facultates ſibi eſſent vſui, ad plurimos per beneficia cauſæ publicæ conciliandos.

Hîc verò adigi me ſentio, vt à ſumma litterarum, quam proſequor, digrediar, ad detegendam non modicam errorum, nequitiæ, mendaciorum congeriem, quam offendi in Suauis hiſtoria. Narrat ille: Cùm Cancellarius Legati facultatibus ſubſcribere recuſaret, ipſis eius loco ſubſcripſiſſe Reginam viduam, Regem Nauarræ, & præcipuos Galliæ magiſtratus: Cardinalem verò, ad hanc ſubſcriptionem impetrandam, ſuo codicillo pepigiſſe, illis ſe nequaquam vſurum, atque à Pontifice remedia adhibitum iri *cunctis abuſibus & incommodis, quæ in Sacerdotiorum collatione, ac diplomatum confectione Romæ committebantur; quibus ille rebus cumulatiſſimè contentus fuit, intentus magis ſuæ dignitati conſeruandæ, quàm verè promouendis eius emolumentis, qui ipſum legarat.* Cuncta planè merum mendacium, apertiſſime reuictum à laudato volumine litterarum Ferrarienſis. Ibi certiorem ille facit [a] Borromæum, ſe tandem fuiſſe conſecutum facultatum comprobationem, quâ maximopere lætatur, exprobratque felicem rei exitum obtrectatoribus ſuæ præteritæ agendi rationis, & infauſtis vaticinationibus de futuro. Scripſerat quidem anteà, optari à ſe eam poteſtatem, quâ ad promouendam cauſam vteretur, & tunc nullam huiuſmodi codicilli ſponſioniſque, quam Suauis appingit, mentionem habet: quæ certè latere Pontificem nequiiſſet, cùm præſertim is animaduerteret, numquam exerceri à Legato eas facultates, quibus exercendis inhiare ſe ſcripſerat ad commiſſæ ſibi cauſæ emolumentum; & quâ promiſſione compertâ, planè ridicula euaſiſſent & lætitiæ ſignificatio & exprobrationis aculeus; nec ſolùm illi dignitas non conſeruata, ſed dedecus adiectum fuiſſet. Præterquam quòd quo pacto ille ſcripto ſe obſtringere potuiſſet, fore vt Pontifex obiectis abuſibus remedium admoueret, quandoquidem ne rei quidem notitia, nedum eiuſdem Pontificis mandatum præceſſerat. Ac denique vbi id peractum fuiſſet,

[a] Litteræ 10. & 17. Ianuarij, & alteræ in reditu Nichetti Abbatis.

fuiſſet, curaſſétne vmquam Regina, quemadmodum curauit[o], deferendum ab Otatote ſuo ad Pontificem luculentiſſimum obſequij argumentum, quòd Legati facultates tum à Regio tum à communi Conſilio fuiſſent admiſſæ, tametſi turbarum motus oppoſita quæque ſuaderent? 1561.

Pergit ſcribere: Legatum huiuſce rei gratiâ induci ſe paſſum fuiſſe ad hortandum Pontificem, vt is Euchariſtiæ ſumptionem ſub vtraque ſpecie Gallis indulgeret: ac poſtmodum adiicit, illum inſinuaſſe, ducenta capitum millia per eam conceſſionem acquiri poſſe; id ab Oratore Gallico efflagitatum, ad id Pontificem principio ſe pronum oſtendiſſe, ſed poſteà in Senatu die decimo Decembris contrariis rationibus à Patribus fuiſſe dimotum. Tot errata, quot dicta.

[o] Extat in inſtructione impreſſa in libro Gallico, cui titulus, *Inſtructiones, litteræ, &c. ad Synodum ſpectantia*, citato, ac ſæpius citando, ſignata 20. Ianuarij 1561. tradita Lanſaco Oratori, Romam proficiſcenti.

11 Decimo Decembris ne Senatus quidem habitus eſt. Epiſtola Legati cum hoc aliiſque Reginæ poſtulatis eadem ipſa eſt, quam recitandam ſuſcepimus, & in cuius tenore ea poſteà narrabimus; hæc poſtremo Decembris ſignata eſt, quo tempore facultatum comprobatio nondum contigerat, ſicuti priùs vidimus. Ibi verò non modò ille non hortatur, vt Communio ſub vtraque ſpecie concedatur, ſed conqueritur de iis Gallis, qui Reginæ illam depinxerant tamquam conceſſionem conuenientem Pontifici; qui tam longè abfuit vt ſe in id procliuem oſtenderet, quàm clare in hac hiſtoria conſpici poterit, quo pacto ſemper ille flagrantibus Cæſaris precibus apertè reſpondit, nolle ſe ne latum quidem vnguem progredi ea in re, quam alia Concilia iam agitauerant, abſque nouo Concilio. Tunc verò conqueſtus eſt cum Oratore Galliæ, quòd is aduerſus quàm verum erat ſibi petitionem expoſuiſſet, tamquam concorditer comprobatam ab Epiſcopis, qui Poiſſiaco conuentui interfuerant, & vniuersè ab Eccleſia Gallicana; de qua conditione Legatus Pontifici ſignificauit, rem non ita eueniſſe, ſed errorem, in quem lapſa fuerat Regina, in eo niti, quòd Lotharingus Cardinalis vnà cum compluribus Præſulum, cùm Reginæ referret quæ in conuentu ſtatuta fuerant, ſignificarat, huiuſmodi conceſſionem Pontificis plurimum ſolatij allaturam fuiſſe innumeris probæ mentis hominibus, plurimumque confirmaturam complura capita in eo regno nutantia.

12 Iam verò cùm iam meo muneri ſatisfecerim in edocendo lectore de Suauianis erratis, ad proſequendam epiſtolæ, de qua diximus, ſummam regredior. Pergebat Legatus oſtendere, neque pariter, ad deſperandum de Gallia, vim ineſſe alteri argumento Romæ producto,

1561. ducto, hoc eſt, nondum Epiſcopos ad Synodum acceſſiſſe; ipſum ſanè concurſum ad Concilium, qui erat quaſi teſſera quâ Catholici ab hæreticis diſcernebantur [p], eſſe potiſſimum à Pontifice intendendum in illis Prouinciis, habendumque pro potiſſimo indicio ſimul ac præſidio viuentis in eis Catholicæ Religionis, cùm reliqua contingentes quaſi conditiones cenſeri poſſent. Gallorum autem cunctationem ex nimia Antiſtitum deſidia naſci (quod etiam prius ſcripſerat) non ex modica dominantium Religione. Etenim cùm iam diu Regina ſex Epiſcopis profectionem indixiſſet, numquam eos paſſos eſſe à patriæ commoditatibus ſe diuelli. Diſplicere ſibi officia ab Oratore Vargas impenſa, ne Pontifex Nauarræi negotia complectererur, ac per id confirmari perſuaſionem in quibuſdam infixam, Hiſpanis cordi non eſſe Galliæ commoda; quandoquidem id reipſa erat in cauſa, cur Galliæ mala inſanabilia eſſent putanda. Legatum, quod ad ſuum agendi tenorem ſpectabat, præſtolari reditum Nichetti Abbatis, & cum eo notitiam certam de voluntate Pontificis, cui ſe paratum eſſe ſuam agendi rationem extemplò conformare. Quod ſi etiam aptiorem ibi cenſeret Pontifex alium Legatum, gauiſurum ſe quòd Pontifici obſequium & commodum vndecumque proueniret; ſed etiam ſperare, per ipſos rerum euentus ſibi abundanter repenſum iri quidquid ipſe gratiæ apud Pontificem & opinionis apud alios amiſiſſet. Si hactenus quæ ipſe egerat magnoperè non profuerant, duo perpenderentur: alterum, ea maxima damna, quæ accidere potuiſſent aliâ initâ ratione, exemplo Britanniæ comprobata: alterum, quàm parum auxilij offendiſſet ipſius legatio, ſpectatis tum eo qui prouincias, ad quas miſſus fuerat, adminiſtrabat, tum iis qui cuſtodes aderant Religionis, cuius tutela ſibi committebatur. Quod ad primum caput attinebat, medico parum vſui eſſe ſalutarem paratam apud ſe medicinam, vbi eam recuſat ægrotus, nec ad ipſam ſumendam cogi poteſt: id tunc in Regina contingere, quæ ad reprimendos hugonottos cuncta ſubſidia recuſabat vel à Pontifice vel aliunde oblata, quò apertè in hæreticos irrueret, quà ſexus imbecillitate, quà imperij ſui minuendi timore: non poſſe per vim eò ipſam compelli, quippe cui omnem opem Germaniæ Proteſtantes aſſiduè offerebant; adeoque periculoſum eſſe, ne ſollicitationibus ſuccumberet, vbi ſentiret ſe nimium à Pontifice premi. Satis non eſſe ad hoc diſcriminis euitandum, quòd videretur huiuſmodi conſilium Reginæ perniciosum futurum: ſæpè perturbationem animi haud parere prudentiæ; & eum qui ſe à cane appetitum conſpicit, quò morſum declinet,

[p] Epiſtola Legati ad Borromæum, ex S. Germano, 30. Ianuarij 1561.

clinet, interdum in apertum exitium ruere: confidere tamen Legatum, Catharinam paulatim, & non coactam ab impetu, adhæſuram eſſe vtilitatis gratiâ illi conſilio, quod, ſolo Religionis ſtudio ſuadente, tunc recuſabat. Sed hoc eſſe beneficium, quod à futuro tempore ſperari poſſet, non conditionem propitiam præſentis, nec ſe meliores in conditiones incidiſſe, ſi Eccleſiaſtici, Præſuleſque Galli ſpectentur. Eorum multos Gubernatoribus dixiſſe, Concilium eſſe quamdam laruam, nec vmquam niſi in pollicitationibus apparentibuſque proſpectum viſum iri; par futurum fuiſſe, vt Pontifex indulgeret poſtulatis Reginæ, quibus hugonottis ſatisfieret, & quorum ſyllabus Legati litteris eo die ad Borromæum mittebatur: eos haud vehementer obſtitiſſe conſilio, vt, tamquam de ritibus legis Eccleſiaſticæ, & non diuinitus præceptis, relaxaretur obligatio ſacris imaginibus vtendi; tolleretur ſupplicatio, quâ Corpus Chriſti circumfertur; & concederetur Calicis vſus laicis Euchariſtiam ſumentibus, quæ petitio erat potiſſima ex ibi recenſitis. 1561.

13 Ita Legatus. Et hæc eius ſenſa in præcipuo negotio, de quo deliberandum erat, hoc eſt in beneuolenter habendo Rege Nauarræ, admotis & auribus & fauore ad ea quæ in ipſius rem poſtulabantur, Philippi Regis ac Pontificis ſimul iudicio comprobata ſunt. Etenim reuerſus id temporis ab Aula Hiſpanica Gallicæ Reginæ Aulicus, reſponſum retulit [q], Regem ſuperiore ſeueritate mitigatâ, cognitoque apparatu noui conuentus, proximo Ianuario habendi, in quo hugonotti omnem moturi erant lapidem ad publica templa obtinenda, daturum magni pretij compenſationem Antonio, dummodo ipſe Catholicæ Religioni fauiſſet, eiuſque incommoda propulſaſſet: Pontifex quoque commendauerat nouo Nuntio Alexandro Criuello, magnæ prudentiæ viro, qui poſt militarem & coniugalem vitam Eccleſiaſticæ militiæ nomen dederat, tutelam Antonij apud Philippum. Et ſanè Antonius [r] reipsâ ſua vota fiduciamque præcipuè collocarat in Pontificis gratia, cuius auctoritate vt amiſſa fuerat Nauarra, perinde ſe recuperaturum eamdem ſperabat, quique nullâ ſuâ iacturâ ex illius reſtitutione maximum perce piſſet emolumentum in mutuis Antonij ſtudiis ad commodum Religionis, cuius ipſe Principatum gerebat. Legatus animaduertens, id ſummoperè conducere ad felices ſui negotij ſucceſſus, incredibile eſt quàm aſſiduè & quàm ardenter in ſingulis litteris ad hoc patrocinium Pontificem ſtimulauerit. Et iam tum ineſcatus Antonius ſuauitate verborum, quæ ab Hiſpania ſonabant [ſ], egit de vxoris miſſione ad dotalem ipſius ditionis principatum; eâque profe-

[q] Ex epiſtola Legati ad Borromæum, 6. Ianuarij 1561.

[r] Ex Legati ad Borromæum litteris, 27. Ianuarij 1561.

[ſ] Epiſt. Legati ad Borromæum, è S. Germano, 17 Ianuarij 1561.

1561. ctâ, de interdicto, quo hæretica concio in Aula ſua vetaretur. Et in conuentu poſteà coacto mirificè iuuit, ne hugonotti ſua poſtulata impetrarent. Quare tametſi plerique ex publicis Conſiliariis ad ea propenderent, fuere tamen reiecta, quoniam priuatum Conſilium, cui Antonius præerat, aliter iudicauit. Proinde decretum eſt, vt hugonottis & templa iam extructa denegarentur, & ne ſibi propria extruerent iidem prohiberentur; ſimulque cogerentur quæ ab Eccleſiis eripuerant reſtituere, concionibus dumtaxat diſſimulatis, modò extra oppida haberentur, & abſque vi ac tumultu; idque per tacitam tolerantiam, & vſque ad Concilij ſanctiones.

Funeſtiſſima de hoc conuentu præſagierant Romæ quotquot in Legatum ob remiſſas rationes agendi vociferabantur: & quamquam ipſe meliorem de illo ſpem conſtanter feciſſet, tamen tantum anxietatis conceperat, vt habuerit in animo illic intereſſe tamquam Regis, vt reipſa erat, Conſiliarius, ſperans, ſuffragia ſua ſuarum dotium pondere plurimorum robur habitura. Sed vituperatio, quam Romæ communiter patiebatur auditæ concionis cauſâ, ipſum cohibuit, tametſi non parum ſolatij ille poſtmodum hauſerit ex narrationibus Nichetti Abbatis ad ſe reuerſi. Hæ fuere, verum eſſe, ipſum ab Aula vniuersè damnari quà parum religioſi animi, quà nimis politici, quà parum circumſpecti, nimiſque creduli; ſed Pontificem ac Borromæum Cardinalem ipſius defenſores fuiſſe. Hinc non modicè Legati animus recreatus, cùm ſibi viderentur reliqui omnes in ea cauſa priuatam perſonam gerere, accuſatorum negotium haud ſatis callentium, & in his duobus tantummodò auctoritatem ineſſe legitimorum iudicum, qui cauſæ acta probè perſpexerant. 14

Proſperum conuentus exitum comitata eſt deſtinatio legationis ad Pontificem [t], ad quam elegit Regina Lanſaci dominum: cumque is eques eſſet ex Ordine S. Michaëlis, plurimumque æſtimationis ſimul ac fidei obtineret, palàm inde fiebat, velle Reginam in obſequio Pontificis concordique cum eo voluntate perſiſtere, aduerſus eorum vaticinia, qui rebus diffiſi, ratique Reginam quaſi deprauatam, & Galliam quaſi deperditam, Legatum lacerauerant, quòd cum illis tamquam cum viuentibus corporibus ageret, & non potiùs eas reiiceret tamquam cadauera iam corrupta; haud certè memores prouidæ legum iuſſionis, quâ plurium horarum mora præcipitur in humandis defunctis, ne quiſpiam, qui fortaſſe viuat, ad mortem trahatur, dum pro mortuo abiicitur.

[t] Litteræ Legati ad Borromæum, 17. Ianuarij 1561.

CAPVT

CAPVT XV.

1561. 1562.

Conſilium inter Tridentinos Legatos de rebus primo loco proponendis. Apertio Concilij decreta, ſed vſque ad decimum octauum Ianuarij dilata, & qua de cauſa. Studia Hiſpanorum, quò declararetur, ea Synodus eſſe continuatio, & non noua celebratio: quo pacto id compoſitum. Primus Cœtus generalis decimaquinta Ianuarij: huiuſmodi cœtuum ritus.

1 QVamquam ob adductam ab Eſtenſi Legato cauſam, ſiue ob alias, Gallici Præſules deeſſent; ea tamen erat Tridenti frequentia, earumque nationum & Inſularum, vt inchoari poſſet functio cum dignitate; vtque ſi protraheretur, aleret ſuſpiciones ne illa ſpecioſam quaſi ſcenam oſtentaret. Et quidem erat opinio, validiorem longinquis ſtimulum fore, vbi per aliorum anteceſſionem certi redderentur nequaquam ſe decipi, quàm per expectationem nequaquam ſe deſpici. Illic itaque coëuntes quatuor Præſidum cœperunt in opus deducere id quod priores duo Romæ propoſuerant tamquam opportunum, quò inchoationem collegæ per id temporis anteuerterent, nimirum, deliberare de iis quæ mox in Concilio ſancienda erant, & Romam eorum notitiam præmittere. In quo duo efficaciùs Borromæo commendarunt [a]: alterum, vt res in arcano lateret, ne huiuſmodi communicatio, ſi per infortunium manaret in vulgus, calumniarum illi fomitem ſuppeditaret: alterum, vt cùm Pontifex articulum quempiam proponeret Cardinalibus vt de ea deliberarent, ſi qua forte animaduerſio Legatorum ipſi placeret, eamque Collegio vellet exponere, proponeret vt ſuam, quò illos ab inuidia & arrogantiæ nota ſubduceret, quaſi auderent eos edocere, qui ſapientià ipſis præcellebant.

[a] Litteræ ad Borromæum, 28. Decembris 1561.

2 Porrò inter capita coram Pontifice ſtabilienda, primum in executione, & ſummum in momento videbatur, quænam argumenta eſſent à Legatis proponenda Concilio, quæ ab ipſo ſtatim agitarentur. In epiſtola recitata, quæ Pontificis manu exarata à Simonetta [b] perlata fuerat ad collegas, confirmatur iuſſio, ſicuti vidimus, prætericæ Synodi proſequendæ, habitis pro iam firmatis eiuſdem ſanctionibus; qua de re iam vſque ab initio Pius certum fecerat ſcripto Philippum Regem. Sed quoniam illius quod prodeſt pluribus, & pluribus videtur noxium, oportet Principem auctorem eſſe, ſed auctorem non apparere; id per eam induſtriam agendum erat,

[b] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 12. Januarij 1562.

vt

1561. 1562.

vt in Pontificis onus non cederet, quòd in primo theatri illius actu hæreticos tum Germanos tum Gallos abalienaſſet à qualicumque cogitatione illuc accedendi. Quare ad huiuſmodi odium querelamque vitandam, Legatis animus non erat, vt proponeretur ab ipſis[c] continuatio eorum capitum Fidei, quæ ab anteacto conuentu non ſancita ſupererant: id enim nouum fuiſſet indicium, quaſi vellent vt quæ decreta iam fuerant, intacta perſiſterent. Initum principio inter ipſos conſilium fuit, vt progrederentur in Indice inchoato prohibitorum librorum, ſcribendaſque curarent à Pontifice litteras cohortationis plenas, quò indicaretur id fieri Pontificiâ auctoritate. Sed poſteà ab eo conſilio reſiliere, vtpote animaduertentes, vnà cum auctoribus eorumdem hæreſes obliquè damnatum iri, adeoque eo etiam pacto illarum ſectatoribus occludi; vt ita dicam, Concilij fores, dum illud aperiretur. Exiſtimarunt igitur, ſignificaruntque Pontifici, ſatius eſſe, vt argumentorum electio Patrum arbitrio committeretur: certum ſiquidem erat, ab his deciſionum continuationem electum iri. Atque ita quod intendebant potiſſimùm obtenturi erant, ſimulque ſubmoturi omnem querimoniæ titulum de Pontifice, quippe qui illius rei iuſſor non eſſet, & edituri luculentum ſpecimen libertatis impertitæ Concilio cum plauſu nationum, & Patrum alacritate.

[c] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 14. Decembris 1561.

Antequàm hiſce litteris reſponſum eſſet, epiſtolam accepere[d], 3
quâ huiuſmodi propoſitio in ipſorum iudicio reponebatur; nec minùs ſe flexerat Pontifex, vt eorum arbitrio concederet prorogationem inceptionis per aliquot dies[e], decretæ priùs ab ipſo in Senatu[f] ad ſacrum Epiphaniæ diem. Etenim factâ illis ſpe, breuî Oratores Cæſaris peruenturos, operæpretium duxerunt, ſi eâ breui morâ in fronte noui ædificij huiuſmodi decoris incrementum mercarentur. Fallitur proinde Suauis, vbi affirmat, Simonettam in aduentu ſuo nactum fuiſſe noua mandata, ne priùs Concilium aperiretur, quàm denuò id Pontifex ſignificaret; ipſum autem illi moræ conſenſiſſe petente Cæſaris Oratore. Reuerà nec ea tunc mandata fuerant, nec prorogatio poſteà ſtatuta mandato Pontificis, ſed ſolo eius permiſſu habita eſt. Quin cùm ipſe poſteà Legatis iniunxiſſet[g], ne rem protraherent vltra diem decimum ſeptimum Ianuarij, recenter à Paulo IV. dicatum Romanæ Cathedræ S. Petri, idipſum illis arbitrarium redditum eſt. Verumtamen Legati noluerunt ampliùs procraſtinari, tametſi nondum Oratores acceſſiſſent, veriti ne cunctatio nimia videretur; & iam aderant ſupra centum Præſules, qui ſatis inchoationem nobilitarent. Monita quædam ſcripto ſingu-

[d] Conſtat ex epiſtola Legati ad Borromæum, 4 Ianuarij 1562.

[e] Epiſt. Legatorum ad Borromæum, 28. Decembris 1561.

[f] 19. Decembris, ex Actis Senatus.

[g] Ex duabus epiſtolis Legatorum ad Borromæum, 8. & 15. Ianuarij 1562.

ſingulis Patribus præmiſere Legati[b]; Vt primum Concilij Tridentini Decretum cuſtodiretur, de modeſtia & pietate in cunctis actionibus exhibenda: Vt in templa conuenientes ſilentium ſeruarent, adeò vt Cærimoniarum Magiſtri ea quæ ſui eſſent muneris abſque ſtrepitu peragerent, &, quoad fieri poſſet, per nutus potiùs quàm per verba: Vt Præſules à nimia epularum lautitia abſtinerent, & ſobriâ parcâque menſâ vterentur, Scripturæ lectionibus conditâ, inſtar Agapes, ab antiquis Synodis permiſſæ; recolentes memoriâ, à Redemptore in fine Cœnæ inſtitutam Euchariſtiam fuiſſe, vt oſtenderet, Chriſtianorum cœnas ita temperatas habendas eſſe, vt ipſi poſteà ad celebranda Sacramenta idonei reperiantur. 1562.

b Literæ Archiepiſcopi Iadrenſis, 17. Ianuarij 1562. & monitorum exemplar, miſſum Romam ad Paulum Filonardum.

4 Hic fuit poſtremus ad aperiendam Synodum apparatus. Sed antequam id perficeretur, moleſta remora interiecta eſt ab Archiepiſcopo Granatenſi. Is in primis Simonettæ ſignificauit, ſe inaudiuiſſe, velle Præſides ambiguis vti vocibus, vnde diſcerni non poſſet, cùm res primò proponeretur, an noua hæc Synodus eſſet, an antiquæ continuatio; idcircò, ne ipſe improuisò caperetur, palàm à ſe fieri, dubiam hac in re ſententiam diplomatis, in cauſa fuiſſe vt ab Hiſpania perdifficulter ac tardiùs Epiſcopi mitterentur, & in Regio Conſilio fuiſſe à compluribus repugnatum, quamquam per literas Regi declararet Pontifex, velle ſe Synodum Synodi anteactæ continuationem eſſe. Adhæſiſſe ſe in Conſilio Pontificis voto, confiſum, promiſſis rem illicò reſponſuram: proinde ſi principio hic articulus dilucidè non liqueret, nec ſe nec reliquos Hiſpanos quieto animo poſſe perſiſtere. Reſpondit Simonetta: Voluntatem Pontificis conſtantem perdurare; ſed quemadmodum Diploma eam loquendi rationem vſurpauerat ne deerrantes alienarentur, atque vt Cæſari ſatisfieret, cuius quoque ſatisfactionem Rex Catholicus fratris filius poſtulabat; ita tolerandum ab ipſis eſſe, vt generalis pariter vocum ſignificatio ſeruaretur duos adhuc menſes, vel vt minùs per primam integram Seſſionem, ne Patrum auſteritati exprobrari poſſet, quòd ob intempeſtiuum vnius vocis vſum, prouinciarum ſanitas & vtilitas Synodi peſſum irent. Viſus eſt quieuiſſe Guerrerus: ſed paucis pòſt diebus cum eodem poſtulato omnes quatuor Legatos adiit coram Madruccio, & efficaciori modo, illud poſteà ſeparatim Simonettæ ac Seripando iterauit: Quæ ad Deum ſpectant, clara in luce peragenda eſſe; à vocum ambiguitate fictionis ſuſpicionem ingenerari: cùm ipſe ſuaſerat in Hiſpania, vt ad Synodum pergeretur, in os ſibi à multis obiectum fuiſſe: *Quid ſi Tridenti comperies, continuationem præteritæ Synodi non intendi, vin' pergere*

 conſe-

1562. *confeſtim rediturus?* Ab oppoſita Cæſaris petitione non tolli, ſed augeri neceſſitatem apertæ declarationis: etenim cùm altera Hiſpanis innotuiſſet, vnde vmbris animi offundebantur, altera iis abſtergendis opus eſſe: tunc magis oportere formulis vti, quæ rectam ſententiam euidenter ſignificent, cùm alioqui de diſtorta poteſt eſſe ſuſpicio. Breuiter; id ſi committeretur, nec ſe nec alios nationis ſuæ retineri poſſe, quominùs conuenientes conteſtationes haberent. Reſponſio iterata eſt: Si pia de cauſa ea declaratio in Diplomate fuerat omiſſa, in gratiam tam benemerentis Cæſaris, & quò hæretici conciliarentur, ad quos Pontificis charitas ſeſe inclinauerat tot Nunciorum miſſione, ex eodem reſpectu confici, opportunum eſſe, eâ declaratione dies aliquot ſuperſedere. Quidnam Gallos dicturos, qui breuî adituri erant, vbi noſcerent, in articulo tanti momenti, adeoque ab ipſis oppugnato, ſe breui interiectâ morâ nequaquam auditos? Si Guerrerus vellet nationis nomine conteſtari, mandatum ad id ab ipſo producendum eſſe: ſi proprio nomine debitam à Synodo reſponſionem ſibi præſtolaretur, nec à Legatis exiſtimari, cunctos Hiſpanos Præſules in ipſius ſententiam ituros.

Statuerant inter ſe Legati conuocare nihilominùs generalem 5
cœtum, & ibi ſi Granatenſis conteſtaretur, cauſam committere alteri conſeſſui poſtridie habendo, in quo proculdubio petitio & conteſtatio fuiſſent repulſam paſſuræ. Sed nimis ægrè ferebant, initia Synodi factura fuiſſe & famæ & felicitatis iacturam per conteſtationes, & fortaſſe per ſeceſſum quaſi vnius integræ nationis. Studuerunt idcircò crudos illos humores concoquere ſolertiâ quorumdam Italicorum Præſulum, qui erant Hiſpanienſibus intimi,[1] ſimulque vnius ex Hiſpanis, Romæ & concordiæ ſummopere ſtudioſi, qui fuit Antonius Auguſtinus, alibi à nobis laudatus, priùs Romanæ Rotæ Duodecemuir, & tunc Verdenſis Epiſcopus. Horum operâ pridie veſperi denuntiati conuentus, Granatenſis, aliique duo ex Hiſpanis Seripandum adierunt, & vniuerſæ nationis ſuæ nomine ſignificarunt, ſe conſenſuros, ſed quatuor poſitis conditionibus: Vt in aperienda Synodo nullum proferretur verbum continuationi contrarium; Vt Synodus ſecundùm Diplomatis tenorem aperiretur; Vt continuaretur, cùm primum opportunitas obueniret; Vt in fine Pontifex confirmaret cuncta Synodi Tridentini Acta tum iam habita, tum habenda.

[1] Epiſt. Legatorum ad Borromæum, 15 Ianuarij 1562.

Seripandus nolens aut ſibi promiſſionem abſque collegis arrogare, aut oſtenſâ dubitatione vmbras augere, præſentemque animi 6
propen-

propenſionem peruertere, certos Hiſpanos reddidit, inter ipſos ac Legatos ad eam vſque diem nullum de re, ſed ſolùm de modo diſcrimen fuiſſe; allocuturum ſe collegas, ac die poſtero reſponſa ipſis grata, vti ſperabat, redditurum. 1562.

Quocircà Idibus Ianuariis, cùm in Aula Præſules conueniſſent, præſtoque eſſent ad deſtinatum conſeſſum habendum, acciti ſunt Hiſpani ad Præſidum conclaue, non ſolùm quò per eam honoris ſignificationem mulcerentur, ſed quò pernicioſus rumor extingueretur, qui eos tamquam membra iam à corpore ſeiuncta vulgabat. Seripandus ipſe diſſeruit: queſtus eſt de agendi modo ab illis adhibito, tamquam exempli nocentis externis, quibus innoteſceret: ſpopondit cunctas quatuor conditiones expletum iri; & inſuper oſtenſa ipſis eſt eadem epiſtola, quam ad collegas Simonetta detulerat, vbi ipſi Pontificis characteres eius voluntatem, illorum Præſulum voto conſonam, oculis patefaciebant.

7 Granatenſis, beneficio impetrationis expectatione maioris cumulatus, id quod egerat excuſauit, enarrans, litteris regiis, per quas miſſus fuerat, imponi ſibi vt ad Synodi continuationem iret: non tamen illas protulit, quamuis affirmaret, eas à ſe in ſinu ſeruari. Præſides tum ad confidenatim præ ſe ferendam, tum ad colligendam eorum concordiam, formam Decreti, ad imminentem Seſſionem parati, cum ipſis communicarunt, à quibus libenti animo comprobata eſt, propoſitâ dumtaxat tenui alicuius voculæ mutatione [k], potiùs ad oſtentationem ſubtilitatis & attentionis, quàm quòd ad rei neceſſitatem facere cenſerent. Quæ animi fidentia, à Legatis aliam ob cauſam exhibita Hiſpanis Epiſcopis, fortis poſtea veluti clypeus ipſis euaſit in diuturna validâque pugna cum iiſdem, tunc minimè præcogitata, nec niſi cum exitu Concilij in exitum deducta, ſicuti in loco palàm fiet. Vſque adeò ſemper potis eſt caſus, etiam vbi ſummum prudentiæ adhibetur; quinetiam vſque adeò prouidæ mentis eſt, vti opportunitate aliena iudicia ſibi conciliandi, quo tempore flexilia ſunt, ſeu ad eorum poſteà poſſeſſionem firmiter retinendam, ſeu ad opponendam futuræ ipſorum repugnantiæ validiſſimam auctoritatem, quæ cuiquam obiici poſſit, hoc eſt ſuam.

k Epiſt. Seripandi ad Amulium, infrà producenda.

8 Dum huiuſmodi contentionem narrat Suauis, quantum narrat, tantum deerrat. Dicit, eam contigiſſe in primo cœtu generali; Hiſpanorum poſtulatis obſtitiſſe Commendonum Zacynthinum Epiſcopum, vt qui, cùm in Germania fuiſſet Nuntius, omnium optimè contrariam Cæſaris voluntatem callebat: ibi poſteà fuiſſe compoſitas voces de articulo exagitato, ac poſteà nauatam operam ad De-

1562. cretum dictandum. Enimuerò ex Actis, & ex litteris Legatorum, oppoſitum in ſingulis animaduertitur; nimirum, controuerſiam extitiſſe ac deſiiſſe antequam cœtus haberetur; Zacynthinum ne Tridenti quidem id temporis adfuiſſe, vt conſtat ex Epiſcoporum catalogo; qui primæ illi Seſſioni interfuere, triduo poſt eum cœtum celebratæ; quinimò adeò non potuit haberi à Commendono ſermo in eo conuentu, Idibus Ianuariis celebrato, vt ipſe Tridentum non peruenerit è Germania, vbi Nuntium egerat, niſi tertio Martij, nec ante diem ſeptimum eiuſdem menſis publicè verba fecerit, iis quæ ipſe in ſua legatione egerat expoſitis[m]. Denique Decretum non poſt ſed antè conuentum dictatum eſt, & etiam ante concordiam cum Hiſpanis, quod illis oſtenſum fuit ad argumentum fiduciæ, dum componebatur concordia, & antequam haberetur conſeſſus.

[l] Epiſt. Epiſcopi Mutinenſis ad Moronum, 5. Martij 1562.

[m] Litteræ Commendoni ad Borromæum, 8. Martij 1562.

Poſt eam concordiam confeſtim conuocatus eſt cœtus in Aulam ædium vbi primus Legatorum degebat, in quo duæ ſupra centum 9
Tiaræ præter Purpuratos Patres conuenere. Ingratum non erit, ſemel hìc rei ordinem rituſque cognoſcere. Supra reliquos conſidebant[n] Legati, in ſedibus ex villoſo ſerico in medio theatro collocatis, ſupra podium modicè eminens; ac prope illos aſſidebat Madruccius: ad eorum dexteram, ſed in humilioribus ſubſelliis; locus dabatur, cùm interueniebant, Oratoribus Eccleſiaſticis laicorum Principum; ad ſiniſtram eorumdem laicis Oratoribus. Cùm Procuratores aderant Eccleſiaſticorum, profanas ditiones obtinentium, ſeu Cleri alicuius Prouinciæ, ſi huiuſmodi Procuratores eſſent Præſules, ſecundùm Præſulum ordinem conſidebant, haud habitâ muneris ratione. Inter Præſules, quibus ſcamna parabantur, antecedebant Patriarchæ, poſt illos Archiepiſcopi, tum Epiſcopi, pro antiquitate: ſubſequebantur Abbates Infulati; poſt quos Regularium Ordinum ſummi Præſides, qui poſtremi erant inter ſuffragatores.

[n] Acta Paleotti, & epiſtola Archiepiſcopi Iadrenſis.

Quo in loco, quoniam alibi Suauis, ſicut obſeruabimus, Dida- 10
cum Lainium, Societatis Ieſu ſupremum Moderatorem, quaſi ſuperbum & contentioſum calumniatur, illic mihi repoſitâ per certiora argumenta confutatione, ſatis ſit, in tranſitu ea planè verba producere quæ à Paleotto Cardinali in ſua narratione conſcripta ſunt. *Didacus Lainius, Ieſuitarum Præſes Generalis, doctrinâ ac pietate ſpectabilis, dum ambigebatur de loco ipſi tribuendo aut inter Regulares aut inter alios, maluit modeſtè ac prudenter extra ordinem, ac ſeorſim ab aliis collocari omnium infimus, quàm ſeu publicè ſeu priuatim quidquam de loco contendere.*

Poſt

11 Poſt Ordinum Regularium Præſides, Romanæ Rotæ Duodecemuir ſedebat, qui abſque iure ſuffragij interdum à Legatis conſultus, quid ſentiret promebat, ac ſententias notare conſueuerat, quod non minus cuique liberum erat. Succedebant Aduocati Vaticani Conſiſtorij, Promotor Concilij, & ſi quis ſupererat, cui extra ordinem interueniendi facultas à Pontifice data fuiſſet, qualis conceſſa fuit Abbati Luſitano & in ſui Regis & in ſuorum promeritorum gratiam; omnium verò poſtremum gradum tenebant Eccleſiaſticorum Procuratores, niſi digniori ad interueniendum titulo cohoneſtarentur. 1562.

12 Conſidentibus itaque hoc ordine congregatis, Mantuanus Præſidum primus conſuetam S. Spiritus precationem recitauit, vnà verò graui breuique oratione congratulatus eſt, quòd tempus à Pontifice tam exoptatum aduenіſſet ad eam Eccleſiæ opem ferendam. Cauſas retulit cur Pontifex Synodum conuocaſſet, eiuſque poſteà inchoationem diſtuliſſet: Patres cohortatus eſt ad opem Diuinam ſibi impetrandam precibus ac ieiuniis; & à Maſſarello recitari iuſſit ordinem in ſupplicationibus ceteriſque ſolemnibus Seſſionum ritibus ſeruandum, ac duo Decreta Seſſioni proximæ parata.

13 Primum erat huiuſmodi: *Placétne vobis, ad laudem & gloriam Sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ad incrementum & exaltationem Fidei & Religionis Chriſtianæ, Sacrum, Oecumenicum, & generale Concilium Tridentinum, in Spiritu Sancto legitimè congregatum, ab hodierno die, qui eſt* XVIII. *menſis Ianuarij anni à Natiuitate Domini* M. D. LXII. *Cathedra Romanæ beati Petri Apoſtolorum Principis conſecrato, ſublatâ quacumque ſuſpenſione, iuxta formam & tenorem litterarum ſanctiſſimi Domini noſtri Pij IV. Pont. Max. celebrari, & in eo ea, debito ſeruato ordine, tractari, quæ, proponentibus Legatis ac Præſidentibus, ad horum temporum leuandas calamitates, ſedandas de Religione controuerſias, coercendas linguas doloſas, deprauatorum morum abuſus corrigendos, Eccleſiæ veram atque Chriſtianam pacem conciliandam, apta & idonea ipſi ſanctæ Synodo videbuntur?*

14 In ſecundo Decreto ſecunda Seſſio præſcribebatur die vigeſimoſexto Februarij, qui incidebat in quintam feriam poſt ſecundum ſolemnis ieiunij diem Dominicum. Madruccius, cui prima in ſuffragando vox erat, Pontificem, eiuſque vigilantiam pluribus commendauit. Cuncti primum Decretum comprobarunt: in ſecundo vnus aut alter quæſiuere, quibus de rebus interim agendum eſſet; ac ſummo Legatorum reſpondente, de iis ſermonem in aliis cœtibus habitum iri, cuncti pariter conſenſere. Poſtremò lectum

 eſt

1562.

o Acta arcis Ælia.

p Per Diploma 14. Februarij 1562.

eſt Pontificium Diploma de Primatibus, & quædam Præſidum declaratio; quæ poſtea o, cùm per ſe minùs valida videretur ad ſeruanda illæſa cuiuſcumque iura, a Pio confirmata eſt p; quòd non ideò mens ipſi erat vllum inferre detrimentum Primatuum Priuilegiis, ſed ea omnino illibata relinquere; cui Bracarenſis aſſenſus eſt per debitas priuſque compoſitas conteſtationes, non quidem præſens (quippe morbo præpeditus) ſed per Ioannem Xuarium Epiſcopum Conimbricenſem, illius in eo actu Procuratorem. Ita verè affirmari potuit, in ea prima celebritate ſimul nihil effectum, ſimul partem operis maximam; quemadmodum maxima pars eſt dramatis ipſa ſiparij diductio.

CAPVT XVI.

Noua cum Hiſpanis concertatio ſuper iis primi Decreti verbis, Proponentibus Legatis. *Prima, ſeu decimaſeptima Seſſio. Seſſionum ritus tum proprij tum communes; ibique aduerſus producta verba quorumdam repugnantia.*

a In Actis Paleotti.

GVerrerus, qui inter Hiſpanos vti gradu & Theologicâ doctrinâ, ita pariter auctoritate præcellebat, dum animo reuoluerat [a] verba primi Decreti, *Proponentibus Legatis*, argumentum deſumpſit nouæ concertationis, quam nuper prænuntiauimus, & cœpit obſtrepere. 1 Præſides re compertâ, Maſſarellum, qui à ſecretis erat, ad eum pacandum miſerunt, reuocandumque ipſi in memoriam id quod actum fuerat, nimirum, Decretum illud ad verbum & priuatim à Legatis oſtenſum fuiſſe, ac iterum poſteà ab eodem auditum in generali conuentu, & vtrâque vice ab ipſo comprobatum. Sed nihil his ille commotus reſpondit: Angelorum, non hominum eſſe conditionem, per primam intelligentiam obiecta perfectè comprehendere: ſibi, ſic ex improuiſo tenorem Decreti auſcultanti, non occurriſſe incommodum, vti poſteà eumdem excogitanti, eas voces eſſe nouas & inuſitatas in Synodis ſuperioribus, aptas ad præbendum argumentum hæreticis confirmandæ criminationis, quaſi Concilium non eſſet liberum, atque ad eos peruicaciùs retinendos, ne illuc adirent, cauſantes, vocem ipſis interdictum iri non ad iudicandum modò, vti poſtulabant, ſed etiam ad loquendum. Ad hæc Maſſarellus, non eas ibi voces fuiſſe appoſitas animo ſui cuiquam iuris abrogandi: ſi res eſſet integra, potuiſſet quidem de Decreto variando agi; ſed cùm illud propoſitum

compro-

comprobatumque à generali conuentu fuiſſet, ampliùs non licere ipſum mutare, niſi maior ſuffragantium pars id in Seſſione poſtularet. 1562.

2 Sed Granatenſis, repugnantiæ tenax, ad Seripandum perrexit, vt inceptum vrgeret [b]. Is reſpondit; Videri opiniones Guerreri inter ſe pugnare, quando ille in eam particulam offendebat, potiſſimùm; vt idem dixerat, ne retraheret hæreticos à Concilio, in quo fas ipſis non eſſet proponere; & ſimul tam vehementer efflagitabat, vt ea Synodus præteritæ continuatio declararetur, cunctis Decretis ſuperioribus confirmatis. Quod idem foret, ac hæreticos, quippe iam diſertè damnatos, à Synodi limine arcere; at verò tributâ Legatis proponendi poteſtate non auferri Synodo poteſtatem iudicandi, adeoque damnandi abſoluendíve cuiuſcumque, prout cenſuiſſet; ac proinde non redigi hæreticos in eam deſperationem, in quam ob expetitam à Granatenſi declarationem incidiſſent. Denique cùm hic nulli cederet adductæ rationi, obtulit ſuam operam Legatus, quâ rurſus ante Seſſionem partes vniuerſi conuenirent, ibique denuò de negotio deliberarent; quod tamen à Guerrero reiectum eſt, ſiue ad euitandam in primo ſui operis orſu inuidiam excitatæ ab ipſo tam inſignis commotionis, ſiue quòd ſpes ipſi non eſſet ad exitum perueniendi cum dignitate & cum fructu. Verùm experimento compertum eſt, duos hoſce nodos ab eo interiectos, duoſque prætereà, quos idem ſubinde innexuit, fuiſſe penè quidquid ardui ac negotioſi ea diuturna ac memorabilis actio paſſa eſt.

[b] Litteræ Seripandi ad Amulium, 8. Januar. & 28. Februarij 1562.

3 Illuxit præſcriptus Seſſioni dies, & manè ad auroram omnes [c] conuenerunt ad Templum S. Petri, cui dies ille feſtus erat. Hîc, pro ſuo cuiuſque gradu ſingulis ornatu ſuo indutis, cœpta ſupplicatio eſt ad Ædem maximam. Omnium primi incedebant Canonici, ſacra Lipſana geſtantes; poſt illos Abbates; ſuccedebant Epiſcopi, Archiepiſcopi, & Patriarchæ; quòd ſi tunc interfuiſſent Oratores Eccleſiaſtici, eos continenter fuiſſent ſubſecuti: agmen Cardinalibus antecedens eo die claudebat Mantuæ Dux, qui celebritatis ſpectator acceſſerat; poſt illum, quippe dignitate præcellentes, ibant Madruccius & Legati, non alio inter eos diſcrimine, niſi quod Madruccius tiaram albo ſerico, hi verò aureo textili contectam gerebant. Proximè poſt ipſos locus erat Oratoribus laicis, tum Generalibus religioſorum Ordinum Præfectis, Romanæ Rotæ Duodecemuiro, Aduocato, Promotori, Magiſtratibus Ciuitatis, ac multis nobilibus. Hæc ſupplicationis pompa primâ vice fuit adhibita ad illuſtriùs Synodum inaugurandam; in ſubſecutis Seſſionibus

[c] Acta Paleotti, & Diarium Magiſtri cærimoniarum, 18. Ianuarij 1562.

1562. bus ad templum maximum rectà itum eſt. Ibi poſteà ſedendi ordo ſeruatus, qui cœtuum ordini reſpondebat. Legatorum princeps eo die ſacrificium decantauit, quod ipſi primum ſolemne fuit, cùm paulò antè in ea vrbe Sacerdotis & Epiſcopi Ordines ſuſcepiſſet [d]: in reliquis poſteà Seſſionibus varij Antiſtites ſacris operati ſunt. Habebatur latina concio, quæ Legatorum arbitratu alicui Patrum demandabatur; & eo die perfunctus eà eſt Gaſpar à Foſſo, ex Ordine Minimorum, Rhegienſis Archiepiſcopus: poſt hæc variæ preces habitæ ex Rituali; quibus abſolutis (vbi contingeret) Oratores Principum ſolemniter admittebantur; legebantur tradita ipſis mandata; res ab iis propoſitæ audiebantur; ac reddebantur reſponſa vrbanitatis quidem, non item negotij; cui lux plurima numquam congruit.

d In Diario Seruantij.

Poſtmodum eo die Maſſarellus è ſuggeſtu recitauit Diploma Pontificis, quo Synodus conuocabatur, & litteræ quibus deſtinabantur Legati. Tum Archiepiſcopus qui concionatus fuerat, eà vice illud egit quod pro munere ſpectabat ad Antiſtitem ſacrificantem, cùm gradum inferioris Præſulis habebat, nimirum, prouolutus in genua ante Legatos, ab ipſorum manibus paginam accepit, in qua ſancita iam Decreta continebantur, eaque poſteà è ſuggeſtu elatà voce recitauit, adiecitque: *Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi Domini, & ampliſsimi Patres, placéntne vobis hæc omnia?* & reſpondentibus Cardinalibus, *Placent*, qui à ſecretis erat, cum ſcribis Concilij ſingulorum ſententias colligebat, ſeu voce ſeu ſcripto datas, prout ipſi mallent. Idem illicò eas ad Legatos referebat, qui vel altà voce pronuntiabant, *Decretum comprobatum eſt ab omnibus, nemine diſcrepante: agendæ ſunt Deo grates:* aut vbi ſententiarum eſſet varietas, dicebant: *Decretum eſt ab omnibus comprobatum, aliquibus exceptis, qui aliquam mutationem vellent.* Statim verò qui à ſecretis erat legebat elatà voce ſententias Patrum diſcordantium, vbi ſcripto redditæ non fuiſſent; quod interdum fiebat ad ſpeciem diſcordiæ minuendam. Legebantur ſubinde ſchedulæ ab ægrotantibus miſſæ, dummodò hi Decreti illius examini interfuiſſent: dein ad alterum Decretum gradus fiebat, ita tamen vt vnicum ea quæ Fide credenda eſſent complecteretur, & vnicum item ea quæ ad diſciplinam ſpectabant. Poſtremò Promotor abſentium contumaciam accuſabat, iubebatque ſcribas omnes præſentes, quæ peracta fuerant, in tabulas publicas referre. Hymnus in Dei laudem canebatur, & impertità Legatorum benedictione dimittebatur conuentus. 4

Huiuſmodi erat vniuerſalis Seſſionum ritus. In hac verò prima 5

ita

ita res habuit: Primo Decreto recitato ſinguli abſolutè dixerunt, *Placet*, exceptis iis qui ſequuntur: Granatenſis ſchedam dedit in hanc ſententiam: *Ea verba, Proponentibus Legatis & Præſidentibus, mihi non placent, vtpote noua & non neceſſaria, nec opportuna, præſertim his temporibus. Idcircò peto, vt Concilij ſcriba meam hanc ſententiam referat in Acta ſimul cum Decreto, & authenticas mihi tabulas tradat.* Franciſcus Blancus, Epiſcopus Aurienſis, ſchedulam protulit aduerſus eadem Decreti verba, & tamquam inſolita, & tamquam ſonantia reſtrictionem indecoram Conciliis Oecumenicis, & tamquam non poſita in Diplomate, cui aperiendæ Synodi Decretum erat conformandum. Andreas à Cueſta, & Antonius Corromerus, Legionenſis alter, alter Almerienſis Epiſcopus, dixerunt, *Sibi placere Decretum, modò Legati id proponerent, quod Concilio viſum eſſet dignum vt proponeretur.* Dein vniuersè comprobatum fuit alterum Decretum, quo futura Seſſio die 26. Februarij indicebatur. 1562.

6 Huic ſolemni functioni interfuere[e], præter Cardinales & Mantuanum Ducem, centum & ſex Epiſcopi, quatuor Abbates mitrati, quatuor ſummi Regularium Præpoſiti. Defuerunt Oratores Principum: qui enim ex illis prior acceſſit, Tridentum peruenit eâ planè horâ, quâ in Æde maxima Patres aderant. Hic fuit Georgius Draſcouizius, ex Croatia, Quinque Eccleſiarum Epiſcopus, filius ſororis[f] interfecti Georgij Cardinalis Martinuſij, de quo alibi dictum eſt, Orator Cæſaris, quatenus Hungariæ Regis. Videtur tam ſublimium dramatum ſcena nondum ſuum iubar & maieſtatem obtinere, donec in eam prodeat qui regiam perſonam agat.

[e] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 19. Ianuar. 1562. & Acta; quamuis aliqui numerum cum aliqua varietate recenſeant.

[f] Epiſtola Archiepiſcopi Iadrenſis, 12. Februarij 1562.

CAPVT XVII.

Suauis mendacia de memorata Seſſione.

1 HViuſce Seſſionis imaginem expingit Suauis conſuetis ſibi mendaciis maculoſam. Narrat, Legatos poſt erectum generalem dediſſe operam Decreto formando: ſed cùm animaduerterent ex priuatis colloquiis, Epiſcopos reipſa omnino animum adieciſſe ad ampliandam iuriſdictionem ſuam, & ad Pontificiam minuendam, ſtuduiſſe per eam artem illud concipere, vt hinc libertas proponendi Patribus adimeretur, hinc ratione tam occultâ idipſum fieret, vt vix intelligi poſſet; ac propterea poſt plurimum ſtudij ea verba poſuiſſe, *Proponentibus Legatis.* Immanis enimuerò falſitas! Sicuti diximus ex litterarum Actorumque teſtimonio, non modò Decretum iam disertè formatum cum verbis memoratis per-

1562. lectum fuit ante triduum in publico conuentu, ſed priùs etiam priuatim oſtenſum fuerat Granatenſi, eiuſque ſociis, quò ab ipſis expenderetur. Præterea, tametſi & ipſe Granatenſis & reliqui tunc illud concorditer comprobaſſent, obſtacula tamen ab eo poſtmodum obiecta ſunt, & ante Seſſionem euulgata; adeoque potuit à ſingulis ea de illis haberi ratio, quæ cuique videretur, antequam ſententias pronuntiarent.

Nec tunc primùm Legati eam ſibi prærogatiuam tribuebant, vt 2
ipſi ſolùm proponerent: ſed Montanus Cardinalis eamdem profeſſus fuerat, & conſtanter ſuſtinuerat [a] Paulo III. ſedente: cumque idipſum illi obiiceretur, hoc pacto videlicet reliquorum linguas ligatum iri, qui rem aliquam agnoſcerent propoſitionis indigam, & à Legatis neglectam; ipſe reſpondetat, Cuicumque ſic exiſtimanti licere illud exponere per opportunitatem ſuæ proferendæ ſententiæ de alio argumento. Ea verò forma libertatis poſteà experimento patuerat non commentitium quid, aut animo tantùm cogitabile, quod ad opus deduci non poſſet; ſed ſeruata ſemper fuit in Concilio, in quo, quoties & quo tempore illud perſtitit, viſum eſt licere cuilibet expromere quid ſentiret, etiam in Legatos & in Pontificem; nullo iis, qui ſententiam erant dicturi, iniecto fræno, per exemplum illius ſurdæ pœnæ vel vltionis, iis qui dixerant, diſſimulanter inflictæ. Quod palàm fuit in Braccio Martello, Fæſularum Antiſtite, audentiſſimo, ſicuti vidimus in huiuſmodi contentionibus cum Montano tunc primo Legato qui poſteà Romanus Pontifex Iulius III. hominem remuneratus eſt. Ceterùm apud ſe quiſque perpendat, quænam oriretur confuſio in cœtu plurimorum capitum, quorum ſingula (pro eo ac omnium mos eſt, præſertim imperitantium) prudentiam ſibi arrogant ad humanum genus reformandum, ſi eorum ſingulis daretur poteſtas proponendi, & in diſceptationem vocandi extra ordinem quidquid ipſis in mentem veniret. Quandonam vmquam conuentus abſolueretur? quando grauiſſima Decreta, maximeque fructuoſa perficerentur? Non ſolùm in conuentibus vnius capitis auctoritati ſubiectis, cuiuſmodi ſunt Concilia, ſed in iis etiam qui habentur in plurium dominatu, hæc proponendi poteſtas ad paucos coarctari ſolet; cùm contingat in qualicumque hominum multitudine, vt plus minúſve inſit aliquid plebeium, adeoque ignorantiæ, audaciæ, loquacitatis, & perturbatæ affectionis. Id autem obſeruatum fuit ab Amulio Cardinali [b], expertiſſimo Senatore magnæ Reipublicæ liberæ, dum hac de re ſcribens ad Seripandum, hæc verba vſurpauit: ***Ita ſit in Senatu Veneto,***

[a] Vide librum 8. cap. 4. & librum 9. cap. 7.

[b] Litteræ Amulij ad Seripandum, 18. Februar. 1562.

neto, qui moderatiſſimus eſt, & in aliis conuentibus magno conſilio delibe- 1562.
rantibus, vbi pars aliqua, hoc eſt, pauci proponunt, & cuncti decernunt [e]: & in comperto eſt, has rationes plurimi fuiſſe habitàs ab illis Patribus, quandoquidem in tanta ſuffragatorum frequentia, qui natione varij, omneſque, vti fert natura, de libertate ac poteſtate ſolliciti erant, tot Patres Decretum illud vnanimes exceperunt, duobus tantùm Hiſpanis refragantibus.

e Hæc Venetorum conſuetudo laudatur, & comprobatur multis rationibus, & exemplis Athenienſium, aliarumque prudentium Rerumpublicarum à Bodino, lib. 4. ſuæ Reipublicæ, cap. 3.

3 Duobus inquam ſolis, propterea quòd alterum Suauis mendacium eſt, quatuor modò nominatos Hiſpanos omnes eiuſdem fuiſſe ſententiæ in reprobando Decreto, cum in hoc ſolus Aurienſis cum Granatenſi conuenerit; ſed Epiſcopi Legionenſis & Almerienſis ſibi probari Decretum reſponderunt, modò Legati proponerent id quod videretur Concilio dignum vt proponeretur; quod honeſtiſſimum erat: ſiquidem vbi non vnus tantummodò ex Patribus, ſed Synodus, hoc eſt, ipſorum plerique in conuentu petiiſſent à Legatis vt aliquid proponeretur, quis dubitat id ſilentio prætereundum non fuiſſe?

4 Expendendus nobis ſupereſt modus, quo Suauis affert ſummam latinæ concionis, habitæ ab Archiepiſcopo Rhegino. Diuinæ prouidentiæ laus eſt, vt fraus neſciat eſſe cauta, adeoque diu ſe obtegere nequaquam poſſit. Hæc oratio, & omnes reliquæ in Concilio recitatæ, extant in volumine typis peruulgato [d], & tamen audet tàm crebrò Suauis earum ſententiam adulterare, contaminare, & obſcurare apertâ malignitâte. Id in multis oſtendimus: in hoc idem confirmemus; de quo ſic ille: *Dixit, auctoritatem Eccleſiæ minorem non eſſe verbi Diuini auctoritate: ab Eccleſia Sabbatum, à Deo iam inſtitutum, in diem Dominicum fuiſſe commutatum, ſublatamq; Circumciſionem, ab ipſo Deo diſertè imperatam: hæc præcepta non Chriſti prædicatione, ſed Eccleſiæ auctoritate fuiſſe mutata. Cohortatus eſt Patres, vt laborem conſtanter inirent contra Proteſtantes, certi, quemadmodum Spiritus Sanctus nequit errare, ita ipſos decipi non poſſe.*

d Louanij edito, anno 1567.

5 Cuncta ſunt adeò mutilata ac diſtorta, vt per ea pulchrum corpus monſtri ſpecie depingatur; cùm enim autographum conflatum fuerit ſincerâ doctrinâ, formiſque decentibus, expicta imago illud refert aut in re malè ſanum, aut certè in modo deforme. Thema propoſitum à Rhegino, fuit Auctoritas Eccleſiæ & Conciliorum, & eorum firmitudo quæ ab ipſis ſancita iam erant. Et quoniam hæretici contendebant, ſolam credendi vel operandi normam eſſe ſacram Scripturam; dixit ille, vti ſacræ Scripturæ, ita etiam Eccleſiæ auctoritatem à Deo eſſe, & per mutuam inter ſe conuenien-

1562. uenientiam alteram ab altera confirmari: in Scriptura legi: *Qui audit, aut deſpicit Eccleſiam, ab ipſo audiri, aut deſpici Deum*; atque ab Eccleſia viciſſim agnoſci veras Scripturas pro Diuinis, eaſque ab apocryphis diſcerni, & venerandas præcipi; adeò vt ſcripſerit Auguſtinus, Euangelio ſe crediturum non fuiſſe, niſi illud auctoritas Eccleſiæ comprobaſſet. Tot hæreſes, quas, vt affirmauit Apoſtolus, fore neceſſe erat, & quarum vnaquæque Scripturam pro ſe proferebat, non niſi Eccleſiæ auctoritate fuiſſe proſcriptas. Et hoc de Fide: de Legibus verò, Haberi in ſacris Litteris duo præcepta adeò inculcata, Circumciſionis, & Sabbati: neutrum illorum à Chriſto per ſuam prædicationem fuiſſe ſublatum, cùm ipſe dixiſſet, *ſe non veniſſe legem ſoluere, ſed adimplere*: poſteà tamen vtrumque irritum auctoritate Eccleſiæ fuiſſe redditum, & quòd irrita iam eſſent dubitari non poſſe, cùm Apoſtolus apertè affirmet, *Si circumcidamur, nihil nobis prodeſſe Chriſtum*: manifeſtam igitur conſpici poteſtatem Eccleſiæ vel in mandatorum mutatione. Si hæreticis eſſet in pretio Scriptura, Eccleſiam quoque, eiuſque Præſules in pretio futuros: neque his opponi effatum ſacræ Paginæ, *Omnis homo eſt mendax.* Verum eſſe, homines cùm ex ſe ipſi loquuntur, mentiri; ſed cùm vnà conueniunt, & articulos Fidei agitant, tametſi diſcordent, interdum dum illos expendunt, vbi tamen ſententiam ferunt, non ipſos quidem loqui, ſed Dei Spiritum, qui loquitur in illis; adeò vt Apoſtolorum exemplo in definitionibus Synodorum aptè ponatur: *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis.* Ex quâ ratiocinatione collegit: *Quare ſanctiſſimi Patres, cùm veſtræ ſanctiones præcipuè Spiritui Sancto ſint tribuendæ, profectò Spiritus ille veritatis vt fallere non poteſt, ita non patietur vos falli.* Hæc Archiepiſcopi diſſertatio numquam qualis reuerà fuit agnoſceretur in Suauis narratione, in qua videtur Orator auſus fuiſſe Scripturam Eccleſiæ in omnibus æquare, haud reputans, eam eſſe Diuinum oraculum, illam verò Diuini oraculi interpretem: ab altera induci Sacramenta, & eiuſdem Eccleſiæ poteſtatem conſtitui; ab altera nihil effici poſſe vltra fines à Dei verbo illi præſcriptos. Nec minùs ibi videtur, in immunitate ab errore, abſque vllo diſcrimine homines Spiritui Sancto æquiparaſſe; equidem memini affirmari à S. Hieronymo [e], *Accuſare auaritiam & latro poteſt.* Sed itidem memini Tullium docere, ſummâ opus eſſe innocentiâ in eo qui alterum accuſat. Quare perabſurdum eſt, quòd ſcriptor, qui omnes & vel ipſam Eccleſiam vult eſſe mendaces, cùm ipſe mendaciſſimus ſit, apud multos veridicus habeatur.

[e] Epiſt. 2. ad Nepotianum.

CAPVT

CAPVT XVIII.

Propoſita à Legatis in cœtu generali ad ſecundam Seſſionem, de Indice librorum qui damnari poſſent: de citandis iis ad quos id ſpectabat; & de concedenda fide publica ſecuritatis, offerendaque venia hæreticis. Suauis animaduerſiones in librorum prohibitionem.

1 TAmetſi Romam Legati ſcripſerant, confectionem Indicis librorum futuram fuiſſe auctorum ſimul ac ſententiarum proſcriptionem, adeoque deterritum iri eorum aſſeclas ab adeunda Synodo vt ibi audirentur; animaduerſum poſteà fuit, quodcumque examen, quod in articulis Fidei ſuſciperetur, Legatos adacturum ad citiùs declaranda tamquam firma ſuperiora Decreta: vnde ſiue id Pontifici, ſiue Concilio tribueretur, præcipuum idem incommodum redundabat, nimirum impedimentum ne aberrantes reducerentur. Opus Indicis eſſe diuturnius, adeoque ſpatium temporis ab eo concedi voto Cæſaris, ad minora ſtudia tandem experienda: quin poſſe hinc nouam opportunitatem captari eos inuitandi ad accuſatas ſcripturas rationibus ſuis propoſitis defendendas. Quare comprobatum Romæ fuit, vt huiuſmodi labor Patrum arbitrio proponeretur. Et quoniam Paulus IV. ſolerti ſtudio ſelectorum hominum, librorum pernicioſorum Indicem ad id vſque temporis promulgarat, vnde videbantur reuocanda à Concilio non eſſe ad nouum iudicium auctoritate ſuâ, ea de quibus Sedes Apoſtolica cognitionem habuerat; ex Legatorum conſilio, de quo nuper diximus, Diploma Pontificium confectum eſt, quo Patres ad hunc laborem inuitabantur.

2 Anſam hinc arripit Suauis ad inducendum parergon de conſuetudine librorum prohibendorum, potiùs hiſtoricum quàm dogmaticum, ſatis habens iacere ſemina ad fructum idonea, quem ipſe intendit in mente lectorum maturari; ſed de eodem argumento (quò res pernoſcatur) diſſeruit ille in quodam tractatu de ſacra Inquiſitione, detracto ibi velamine tum auctoris nomini, tum ſententiæ. Equidem id proſequar quod pertinet ad rem quam molior, cùm haud me latear, ad librum alterum confutandum, adhibitum fuiſſe ſtylum altioris dexteræ [a]. In primis, pro certo ille aſſumit, conſuetudinem interdicendi vſus librorum, præſertim ſi Fidei non aduerſentur, eſſe recentem in Eccleſia, & diuturno tempore nullâ

[a] Liber manuſcriptus Franciſci Cardinalis Albizi in Opus vulgatum à Suaui, cum vero ipſius nomine, de Inquiſitione.

1561. nullà alià lege fuiſſe Chriſtianos obſtrictos ad abſtinendum ab huiuſmodi lectione, niſi naturali, ſiue ne ſe periculo lædendæ pietatis exponerent, ſiue ne tempus tererent infructuoſe. Placet mihi hæc pro veris admittere. An in tot aliis rebus compertum non eſt, nouas edi leges prudenter à quauis ſapienti Republica, per quas interdicitur vniuersè tamquam ſcelus grauiſſimum id quod ſuapte naturâ malum non eſt, niſi in quibuſdam conditionibus, in quibus ipſius naturæ præſcripto vetitum eſt, ſed poſteà deprehenditur experientiâ in aliquo regimine, & aliquâ ætate, abſque huiuſmodi generali interdicto ſæpe & compluribus inde occaſionem præberi committendi id quod naturâ malum eſt? Exploretur antiquitas, an breuioris teli geſtatio ſine vllius offenſa, fuerit culpa, vniuersè capitali ſupplicio æquè ac homicidium punita, quemadmodum in variis regionibus hac tempeſtate punitur. Minimè certè: & tamen hæc recens telorum prohibitio nequaquam veluti immoderata ſeueritas improbatur; quin laudi vertitur Magiſtratibus à cordatis viris, tamquam à charitate profecta, quippe quâ ſubditi ſubtrahantur periculo ſubeundæ acerbioris ſeueritatis; cùm experimento liqueat, pauciores in delictum prolabi, paucioreſque reipſa ſupplicij acerbitati ſuccumbere, vbi hic ipſe telorum vſus delictum eſt, quàm vbi permittitur, & ſolùm vulnera per illud inflicta prohibentur & plectuntur. Etenim poſito iam ſeuero interdicto, facile ſingulis eſt, dum pacatum animum gerunt, abſque huiuſmodi telis incedere; vnde fit, vt improuiſæ rixæ innocentes euadant: contrà verò, vbi conceſſum, adeoque conſuetum ſit ea tela geſtari, quæ ad inopinatum ac lethale vulnus infligendum inſtrumenta ſunt, difficillimum planè eſt impetum iræ à nouo vſu coërceri.

Ita proportione contigit in lectione librorum. Minor eſt noxarum frequentia in locis, vbi præter eam lectionem, quæ tamquam 3
perniciosa ex ſe aut otioſa cognoſcitur, adeoque naturæ lege prohibetur, in noxam pariter generatim migrat, ob Eccleſiaſticam Conſtitutionem, lectio prauorum librorum, quàm vbi eadem lectio noxa non eſt. Etenim plura & grauiora peccata vitantur, dum innumerabiles homines, ex obedientia ab huiuſmodi libris abſtinentes, viuunt expertes damni, in quod ipſos imprudenter pertraheret ea lectio, quàm quæ committuntur eò quòd aliqui curioſitate pellecti legem tranſgrediuntur: nec ſatis eſt, vt experientia docet, id ſingulorum conſcientiæ committere, ita vt per ſe quiſque perpendat, an huiuſmodi ſit liber qui lapſus periculum creet, vnde ſibi naturali lege nefas ſit illo vti. Hoc periculum numquam niſi ſerò cognoſcitur,

tur, & per noxium experimentum: quidnam multa Opera contineant, complures ante ipſorum lectionem ignorant. Præterea nimia eſt hominum fiducia ſuæ tum ſcientiæ tum potentiæ; ſibi quiſque perſuadet, ſe à nullo impoſtore deceptum iri, à nullo viſco oblitum iri. Hiſtoriæ, quæ narrant quod reipſa extitit, & fabulæ, quæ ob oculos ponunt quæ ſæpè contingere conſueuerunt, exemplis abundant, quibus docemur, quanta ſit hominum ante opus confidentia, quantâ in opere ipſo debilitate ſuccumbatur. Præterquam quòd prauorum librorum interdictio duo ſimul affert emolumenta: alterum, quòd metus huius notæ, ſuis paginis inurendæ, complures cohibet ab iis ſcribendis, euulgandiſque: alterum, quòd eadem iniecta venditioni prohibitio, typographos retinet ab ipſis imprimendis, & bibliopolas à coëmendis. Hinc fit, vt ſeges maligna ex cultorum penuria paulatim rareſcat & areſcat, & ſtyli torcularia & officinæ alliciantur ab vtilitatis eſca, ad ſe in Operibus vtilibus exercenda. 1562.

4 Cur autem vetita huiuſmodi fuerint vſitata, atque aucta poſtremis temporibus, duo ſunt in cauſa: Multiplicatus auctorum ac lectorum numerus; & acceſſio facilitatis tum alteris ad libros ſpargendos, tum alteris ad comparandos.

Quod ſpectat ad numerum, adeò diffuſa ſunt litterarum ſtudia iam altero cum dimidio abhinc ſæculo, vt maior forſitan in præſentia ſit eorum copia qui libros ſcribere, quàm anteà qui intelligere poſſent. Luſtrentur eruditæ lucubrationes eorum, qui ſcriptorum ſyllabos per ætates ſingulas digeſſerunt, eritque in comperto, à cunctis ſimul Operibus, ex quo cœpit Eccleſia è cryptis prodire vſque ad annum milleſimum quingenteſimum, modicam partem confici, ſi cum iis conferantur, quæ poſt illud tempus prodiere.

5 Quod ſpectat ad facilitatem, vſus typorum poſt annum milleſimum quadringenteſimum cœptus, & frequentiſſimè poſt milleſimum quingenteſimum adhibitus, effecit, vt cùm anteà vnius libri ſemen meſſem redderet triplam, nunc centuplam reddat, & tanti nunc æſtimetur pretium triginta librorum, quanti olim vnius libri: præter illicium, quod affertur legenti à claritate ac fidelitate impreſſorum characterum ſuper tricas & menda manuſcriptorum. Porrò conſuetum rationique conſentaneum eſt, vt quibuſdam certis nouiſque legibus arceantur pernicioſa quæque, quorum vſus in dies creſcit. Cùm igitur librorum vſus ſit adeò dilatatus, iique animaduertantur adeò potentes ad influendum per oculos in ſinum, quemadmodum ethnici quoque legiſlatores obſeruarunt, & Plato potiſſi-

1562. potiſſimùm in ſua Republica; num fortè conducibile non erat, vt Eccleſia longè depelleret à ſuis filiis eas paginas, quæ ab ipſa agnoſcuntur ad corrumpendum idonea, conceſſo per cautionem prudentem eorum vſu iis tantummodò, quibus ſacrorum Magiſtratuum iudicio vitalis ineſt calor ad conuertendos cibos etiam noxios in ſuccum ſalubrem? Quòd ſi quis obiectaret, in iis interdictis tum indicendis tum relaxandis interdum errari, apud ſe reputet, id eſſe commune cuiuis Reipublicæ, cunctis Magiſtratibus, legibus vniuerſis; nec propterea pronuntiandum eſt, oportere vt huiuſmodi poteſtas eradatur ex hominum cœtibus, & more belluarum viuatur.

Obtrudit nobis Suauis, fuiſſe poſteà proſcriptos libros, qui fuerant anteà comprobati Pontificiis litteris, cuiuſmodi fuere, quos Leo X. appoſuit Eraſmi Notis in Nouum Teſtamentum, priùs à Pontifice viſis. Per hanc Suauis argumentationem crederet vnuſquiſque, litteras illas fuiſſe definitionem ex Cathedra, quæ eiuſmodi Notarum doctrinam tamquam probam legitimè pronuntiaret. At reuerà fuit [b] vrbana quædam reſponſio ad ea quæ auctor ad Pontificem ſcripſerat, reconcinnatum videlicet à ſe, melioremque in formam redactum fuiſſe librum, ab ipſo iam anteà in lucem editum, ac Pontifici dedicatum, ac velle ſe iterum illum vulgare: in qua reſponſione Leo id ſibi gratum oſtendit, affirmatque, vti Opus in prima forma laudem ſibi vniuersè compararat, perinde, multoque ampliùs id ſperandum in ſecunda. Quod fortaſſe à Pontifice, ſeu veriùs ab eo qui erat ab epiſtolis, ſcriptum fuit, nonniſi particulâ quâdam Operis, vt accidit, delibatâ. 6

[b] Data 12. Septembris 1518. & impreſſa Moguntiæ apud illum librum à Ioanne Schoeffer, anno 1522.

Mirum eſt, cur potiùs Suauis non damnet proſcriptionem libri à Machiauello editi, quòd primò in lucem prodierit cum priuilegio per Clementem VII. typographo conceſſo, cuius priuilegij diploma ſolet ab hæreticis, amatoribus ac buccinatoribus illius impiæ doctrinæ, fronti voluminis affigi. Perinde quaſi in quibuſuis litteris, quas Pontifex ſignat in huiuſmodi genere, poſſit ipſe res ibi ſcriptas recognoſcere vel ſuis oculis, vel hominum peritiſſimorum diligentiâ; & quaſi, tametſi hoc ipſum præceſſerit, tempus perſpicilia non ſuppeditet, ad id poſteà diſcernendum ſecundâ vice, quod primâ deprehenſum non fuerat. Quænam Reſpublica non agnoſcit, interdum aliquid noxium à ſe conceſſum, aliquid perperàm comprobatum fuiſſe, eaque reuocare non conſueuit? 7

Prorumpit tandem in rabidam declamationem Suauis aduerſus proſcriptionem earum opinionum, quæ aduerſantur Pontificis iuriſdi- 8

riſdictioni, collatæ cum poteſtate ſiue laicorum Principum, ſiue 1562.
Synodorum, ſiue Epiſcoporum; & ſubdit: *Numquam pulchrius arcanum repertum eſt ad Religionem adhibendam, vt homines reddantur excordes.* Noſſe peruelim, an non proſcribantur à laicis Principibus ea volumina, quæ ab ipſis pernicioſa ſuæ iuriſdictioni cenſeantur, collata ſeu cum aliis Principibus, ſeu cum ſubiectis ſibi Dynaſtis, ſeu cum generalibus Ordinibus, ſeu cum quocumque mortalium. Cùm igitur contra ſeditioſas illas molitiones illi non negligant propria ipſorum arma, quæ ſunt mulctæ temporariæ; cur Romano Pontifici propria ipſius tela, quæ ſunt pœnæ animis intentatæ, otioſa relinquenda ſunt contra libros ſeditioſos iuriſdictioni ſuæ, ſupra cunctis reliquorum Principum ſacroſanctæ, & cuius contemptus ſolet primus eſſe gradus ad prolabendum in hæreſim? Nec idcircò quilibet è ſcriptoribus Pontificali poteſtati minùs fauentibus interdicitur; cùm inter Doctorum libros minimè vetitos in hoc argumento conſpiciatur magna opinionum diſſenſio, quæ omnes admittuntur vel vt probabiles, vel ſaltem vt tolerabiles: ſed illæ dumtaxat prohibentur, quæ putantur intolerabiliter iniurioſæ auctoritati Pontificis, Chriſti vicem gerentis.

9 Quòd ſi obiiciatur iterùm, poſſe nonnumquam ex immoderata animi affectione in hoc excedi; idem repeto quod ſæpè in re ſimili reſpondi, periculum huiuſmodi eſſe commune, planeque ineuitabile cuilibet ſupremæ poteſtati, quæ propterea in cauſa propria iudex ſit: & tamen neceſſe eſt, huiuſcemodi poteſtatem extare; aliter inter eos qui præſunt numquam ad ſummum perueniretur, ſed procederetur in infinitum. Iam verò ſi per id quod meritò fit in hoc genere à laicis Principibus, dici non poteſt, reuerentiam legum adhiberi ab ipſis ad homines reddendos excordes, quin potiùs ad reddendos quietos obſequenteſque, pro eo quod opus eſt publicæ tranquillitati; cur incuſandi erunt Pontifices, quaſi per hæc interdicta *adhibeatur ab ipſis Religio, vt homines reddantur excordes?* Conferantur acumen, doctrina, eruditio eorum qui in rebus ad pietatem ſpectantibus obediunt Pontifici, cum reliquo hominum genere. Conferantur fideles huius ætatis, cum iis qui ante vſum harum prohibitionum vixerunt: & deprehendetur, num ea vetita abuſa fuerint religione tamquam opio, quo homines redderentur excordes. Númne ob huiuſmodi librorum interdictiones ignorant Principes laici, quantum ipſorum ſceptris à quolibet ſcriptorum tribuatur? Quid? tempore coacti Concilij, cùm iura Synodo & Epiſcopis, ex coniunctione inter ſe præualidis, à ſcriptorum opi-

1562. nionibus attributa, poterant maiorem Pontifici ſollicitudinem incutere, nónne facultatem Patribus ille ſponte conceſſit legendi cunctos ſcriptores, adeoque diſpiciendi, quantum ipſis comparatè ad Pontificem tribuant poteſtatis? Sed quid mirum, quòd Suauis ita loquatur? Eâdem vſus eſt arte primus impoſtor, vt ſubditos inſtigaret ad violationem primi præcepti, quod legitimus Princeps impoſuerat, aſſerens impoſitum fuiſſe ne ſcirent bonum & malum.

CAPVT XIX.

Variæ Patrum ſententiæ de tribus capitibus quæ Legati propoſuerant.

SAtis hîc Suauis ratiocinationem, non item narrationem im- 1
pugnaui. Patrum opiniones de tribus articulis, quos Legati propoſuerant, illi tam infeliciter innotuere, vt, ſeu illos ipſarum auctoribus is aſſignet, ſeu illarum ſummam referat, ne ſemel quidem rem tangat; & erratorum multitudine planè cogor imitari quod in communibus militum delictis vſurpatur, vbi ſolùm decimus quiſque plecti conſueuerat. Curioſior lector, ſi libuerit, ea diſtinctè deprehendat, conferens cum Suauiana noſtram narrationem, deſumptam ex Actis tum quæ in Ælia arce aſſeruantur, tum præcipuè quæ à Paleotto conſcripta ſunt, cuius erat, quippe in Romana Rota Auditoris, cunctas ſententias adnotare. Duo in tranſitu perſtringam errata in rebus, quæ tunc omnibus in comperto erant: Quamdam opinionem adſcribit ille Gregorio, Eremitarum S. Auguſtini ſummo Moderatori; & tamen hic Moderator nec huiuſmodi opinionem protulit, nec appellabatur Gregorius, ſed Chriſtophorus. Narrat, Altempſium Legatum quinto die Februarij perueniſſe Tridentum; & eò peruenit trigeſimo Ianuarij, vt liquet ex cunctis Diariis: quin extant litteræ Legatorum ad Borromæum, ab illo quoque ſignatæ ſecundo Februarij.

Iam verò ad narrationem. In eo quod primo loco propoſitum 2
fuerat, ſpectabatque ad Indicis conſtitutionem, Marcus Antonius Elius, de quo non ſemel dictum eſt, quique tunc poſt Purpuratos Patres primus ſententiam dicebat, vtpote Hieroſolymitanus Patriarcha, opus commendauit, quippe quod vtramque laudabilis rei conditionem ſingulariter complectebatur, vtilitatem & arduitatem. De vtili palàm fecit, quantum prodeſſet libros ſinceros à contaminatis ſecernere, ad conſeruandam pietatem; de arduo perpendit, quâ doctrinâ, quâ ſolertiâ, quo labore opus foret in cenſoribus,

quibus ferendum eſſet iudicium non de moribus paucorum ciuium 1562.
ſibi æqualium, ſed de ſcripturis omnium ingeniorum, quas illa à quacumque præterita ad præſentem ætatem tranſmiſiſſent. Itaque videri ſibi, à Legatis habendum eſſe Patrum delectum, qui tanto molimini pares forent.

3 Daniel Barbarus, Adiutor Aquileienſis Patriarchæ, monuit, Indicem Pauli IV. correctione plurimâ indigere, cùm eodem modo proſcriberet opus licentiæ iuuenilis, & opus hæreticæ prauitatis. Æquè perniciosum eſſe regimini & quòd crimina ſint impunita, & quòd inæqualia crimina ſint æquè punita.

4 Granatenſis [a] ab ea occupatione Patres dehortatus eſt, quippe longiſſima, & quæ Synodum diſtraxiſſet ab altioribus negotiis, magiſque indigentibus ipſius proximâ curâ; cui Bragarenſis adiecit, poſſe id committi Academiis, Bononienſi in Italia, Pariſienſi in Gallia, Salmanticenſi in Hiſpania, Conimbricenſi in Luſitania, vetitis iiſdem Academiis intereà ne quempiam inter Academicos cooptarent, quò ad maturandum ſtimularentur.

[a] Extat in notis Tridento miſſis ad Paulum Filonardum, Neapolitani Cardinalis Secretarium.

5 Donatus Laurentius Epiſcopus Arianenſis dixit, difficultatem omnem induſtriæ cedere, nec eum conuentum ſeu mentis vigore, ſeu virtutis præſtantiâ eiuſmodi eſſe, vt ipſi magni laboris molimina, dummodò magni etiam emolumenti, conſentanea non forent: poſſe difficultatem minui, accerſitis eorum nonnullis, qui deſtinati fuerant à Paulo IV. aut conquiſitis ope Pontificis adnotationibus eâ tempeſtate confectis.

6 Ægidius Fuſcararius Mutinenſis Antiſtes hoc pacto diſſeruit: Nullam eſſe arduitatem, quæ ſuperari non poſſet, vbi duo ſeruarentur, à magiſtris ad eam minuendam tradita: Si ſcilicet obices tollerentur, & vires multiplicarentur. Primum effectum iri, tum iis libris abſque noua trutina prohibitis, quos tamquam hæreticos concors opinio deteſtabatur; tum abſque cenſura relictis iis, quos antiquitas apocryphos quidem agnouerat, ſed non prauos, quale erat Euangelium Nicodemi: ſolùm igitur expendendos eſſe dubios, & poſt recentes hæreſes conſcriptos. Alterum haberi poſſe, aduocatis extra Concilium eruditis viris, qui operam ad id conferrent, & conquiſitâ rei notitiâ eorum ope, qui Pauli ætate in eo negotio deſudauerant: in ferenda ſententia, quantum fieri poſſet, petendam eſſe normam à ſanctis Patribus: exempli causâ, ab eo quod affert S. Hieronymus in epiſtola ad Tranquillinum, cur Origenis libri permitterentur; & à S. Auguſtino in procemio ad Pſalmum centeſimum vigeſimum ſextum, vbi rationem reddit, cur Deus voluerit,

1562. vt Diuinæ Litteræ legerentur in Eccleſiis ſub nomine Salomonis, qui ex effrænata libidine in idololatriam incidit, & reprobatus eſt.

Marcus Laureus, Epiſcopus Campaniæ, in eamdem quam proximè retulimus ſententiam iuit, excepto librorum Origenis exemplo, adductâ diſpari ratione, propterea quòd tum ille, tum Tertullianus, non habebantur pro hæreticis dum viuebant, quemadmodum recentiores, de quibus tunc agebatur. Addidit, aggrediendum non eſſe à Synodo librorum omnium iudicium, ſed eorum dumtaxat, qui notam hæreſis haberent; reliquos qui numero excedebant, committendos eſſe pluribus priuatis minuſque occupatis cenſoribus. 7

Vincentius Iuſtinianus, generalis Prædicatorum Magiſter, auctor erat, vt inter ſelectos ad formandum indicem nec Religioſorum Ordinum ſummi Præſides, neque Regulares apponerentur, atque ad Academias ſcriberetur, vt confectos à ſe indices Tridentum mitterent. 8

Chriſtophorus Patauinus, generalis Eremitarum Gubernator, exiſtimauit, nouum ab initio indicem conſtruendum non eſſe, ſed indicem Pauli reformandum, cuius conflationi à ſe quoque admotam manum dicebat; affirmabatque, peractum id fuiſſe exquiſitâ diligentiâ, extractis è Vaticana Bibliotheca voluminibus, inſpectis aliarum Prouinciarum indicibus, diuisâque rei curâ inter plurium Religioſorum Ordinum Theologos: vt opus illud numeris omnibus abſolueretur, ſolùm deeſſe nitorem aliquem maioris claritatis, adiecto ſingulis libris interdictis auctoris nomine & cognomine, & vulgationis anno: interdum enim horum defectu contingebat, vt ſcripta innoxia nocentium pœnam ſubirent. Quoſdam etiam ex libris eſſe, qui inter bona plurima mali aliquid continebant, & hos emendandos quidem eſſe, non omnino refellendos; cùm ea ſit terrenarum rerum conditio, vt is, qui mallet omne bonum quod purum non eſt eliminare, & non potiùs illi deſæcando ſtudere, genus humanum omni bono priuaret. 9

Singularis fuit ſententia Petri Contareni Paphenſis Epiſcopi, quæ à Suaui multis aliis tribuitur, non autem illi, qui ſolus eam propoſuit, ſoluſque propugnauit. Is itaque, vtpote non mediocri affectus beneuolentiâ erga Paulum, cui familiaris intimus fuerat ante Pontificatum, & à quo poſteà Tiaram acceperat, ſuadebat, vt nulla fieret in indice Pauli mutatio: eſſe veriùs recentium ingeniorum intemperantiam, quàm Religionis ſtudium, velle deceſſorum opera reformare, non quò illa meliora redderentur, ſed quò ipſi præſtan- 10

præſtantiores oſtentarentur. Cauerent, ne ſanctiones maiorum illi reuocantes, poſteros ſtimularent ad ipſorum exempla ſequenda in eorumdem Decretis abolendis. 1562.

11 In altero capite, vbi ſententiam rogabantur Patres de iis citandis, qui ex huiuſmodi proſcriptione poſſent dedecus pati; quamuis Alfonſus Roſſettus Comaclenſis Epiſcopus arbitraretur, id vrbanitatis boniquc publici gratiâ conuenire, aliique dicerent, iure deberi; oppoſitum tamen exiſtimauit Ioannes Baptiſta Caſtanea Archiepiſcopus Roſſanenſis, qui poſt annos plurimos ſedit in Pontificali Solio, Vrbanus Septimus nuncupatus. Eius verò ſententia doctiſſimis rationibus confirmata eſt ab Auguſtino, à Boncompagno, & ab aliis communiter; ita fuiſſe à Gelaſio Pontifice obſeruatum in Canone *Sancta*, poſito in diſtinctione decima quinta; atque ita oportere, cùm de auctoribus damnandis non ageretur, ſed ſolùm de lege ſtatuenda, per quam aliquis illorum commentarius à noſtra Republica, quippe ipſi pernicioſus, remoueretur: fieri poſſe vt ſimul artifex ſit innocuus, ſimul eius opus in aliqua regione ſit noxium; adeoque illius regionis rectores opus meritò excludant, artifice non acceſſito ad ſuam cauſam dicendam.

12 De tertio, quod in concedenda fide publica ſecuritatis verſabatur, Epiſcopus Aſſaphenſis, & alij quidam volebant, vt ea concederetur hæreticis, adiectâ conditione, *dummodò ad pœnitentiam, non ad certamen venirent:* alij, vt ſaltem obligarentur ad temperandum ſibi à contumeliis ac maledictis etiam in priuatis colloquiis. Verùm Ludouicus Beccatellus Archiepiſcopus Raguſinus, & cum eo plerique ex conuentu, cohortati ſunt Patres ad omnem laxitatem tum in deſpondenda illis ſecuritate ſine vlla reſtrictione, tum in iiſdem inuitandis ad reſipiſcendum cum certa veniæ promiſſione. Omittendum etiam eſſe in illis aduocandis odioſum *hæreticorum* nomen, ne ipſa inuitatio videatur contumelia quæ illos repelleret. Neque cuiuſcumque vocis causâ, quæ in Sanctos ac Romanum Pontificem ab illis proferretur, in eos animaduertendum eſſe ſuprà quàm cum phreneticis ageretur.

13 Perquàm prolixè [b] Patrum ſententiæ dictæ fuerant, pro eo ac vſuuenit præſertim in præcelſis conuentibus, cùm auiditas vt audiantur nondum eſt per vſum exaturata, nec per defatigationem hebetata. Quare in quodam conſeſſu ſolùm triginta Patres totius temporis ſpatium expleuere; adeoque opus fuit, vt non ſemel conuentus iteraretur. Denique, pleriſque conſentientibus, vt aliquibus indicis cura demandaretur, dareturque hæreticis fides ampliſſima

[b] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 2. Februarij 1562.

1562. tuti acceſſus, Legati petierunt à Patribus, vt librorum cenſores deſignarent, & eos qui futurum Decretum digererent; ſed cùm ipſis communi voce electio fuiſſet iniuncta, ſelegerunt octodecim ex Patribus ad Indicem elaborandum, tradità facultate tum ipſis minores etiam Theologos adhibendi, tum reliquis, ſuggerendi quod cuique in id conferre videretur.

Legati, cùm confectum Decretum expendendum fuit, quò prolixitatem conſuetam impedirent, præceperunt in ipſo opere, vt cuncti ſententias dicerent in eo conuentu, etiamſi hora protrahenda eſſet. Id effecit, vt complures, anteà rati ſibi non futurum ea dicendi locum, adeoq; imparati conuenientes, ex neceſſitate verba parciùs fecerint; alij verò ex voluntate, diuturnæ functionis tædio affecti. Quapropter ſecundâ noctis horâ ſuum quiſque ſermonem abſoluerat. 14

Præter varia minutiora, haud memorabilia, quæ prætermitto, Madruccius maiorem in Decreto claritatem poſtulauit, & communem conſenſum traxit non ſine quadam inuidia, dum Patres eius ſententiam comprobantes, auctoris laudes frequenter & copiosè intermiſcebant. 15

Granatenſis ad priſtinum Hiſpanorum poſtulatum rediit, vt Synodo titulus imponeretur, *Vniuerſalem Eccleſiam repræſentans.* Sed Roſſanenſis efficaci ratiocinatione, à reliquis approbatâ, id confutauit: cupiit tamen in Decreto ſecuritatis exhibendæ ordinem aptiorem, quod etiam probatum eſt.

Sed labor illius tunc reformandi fuit ſine fructu. Etenim Hiſpani, tametſi principio illi conſenſerant, poſteà expoſuerunt, eam veniæ promiſſionem, ad eos extenſam in quos inquirere iam cœpiſſent Inquiſitores[c] (quemadmodum Legati pro conceſſa ſibi à Pontifice poteſtate exequi habebant in animo) futuram fuiſſe permoleſtam Philippo Regi, qui vſque ad id temporis illius formidati Tribunalis fræno ſubditos ſuos in obedientia continuerat: ſi frænum hoc relaxari cœpiſſet, ingentem cladem imminere, ſicuti teſtificari potuiſſent præſertim quatuor ex ipſis, diu Inquiſitorum munere perfuncti. Ea itaque ratio[d], ne laxarentur habenæ, quas Fidei Tribunal in Hiſpania regebat, ac pariter in Luſitania, cuius par erat cauſa & poſtulatio, tantum roboris habuit apud Patres & Legatos, vt eâ permoti ſecuritatis concedendæ formam retardàuerint. Etenim ſimul neceſſarium vt fieret, ſimul fieri non poſſe videbatur, vt eiuſmodi voces excogitarentur, quæ ex vna parte nihil detrimenti illis Tribunalibus afferrent, ex altera cunctos homines, & ipſos etiam hæreſiarchas ſecuros redderent. Nimirum ea corpora 16

c Litteræ Legatorum ad Borromæum, 31. Iulij, & alteræ 18. Auguſti 1562.

d Litteræ Legatorum ad Borromæum, 15. Februarij.

corpora curationis difficillimæ ſunt, quæ duos graues patiuntur morbos, medicamentis contrariis indigentes. 1562.

CAPVT XX.

Duo Ferdinandi Oratores excepti. Controuerſiæ, priùs Luſitani cum eorum altero, dein Patrum cum vtroque, compoſitæ. Tertij priuatus acceſſus. Eorum poſtulata, præſertim de prorogatione Seſſionis indicendæ. Variæ ſuper eo ſententiæ. Litteræ Oratoris Vargas ad Hiſpanos.

1 INter hæc operoſa negotia miſcebantur varia ſolemnium rituum ſpectacula, quæ ſimul oculos exhilarabant dignitatis ſplendore, ſimul animos rerum ſignificatione refouebant. Poſt acceſſum Draſcouizij peruenit poſtremo Ianuarij Antonius Muglizius Morauus, Pragenſis Archiepiſcopus, alter ex Oratoribus deſtinatis à Ferdinando quatenus Cæſare. Draſcouizius quò ſolemnem vnà cum illo haberet ingreſſum, [a] extra vrbem perrexit; & vtrique obuiàm proceſſerunt Legatorum familiæ, & ipſorum nomine quinque Epiſcopi: ſed ea voluptatis dulcedo ſollicitudinis amaritiem peperit. Excipiendi erant hi Oratores pro more in Cœtu generali: ſed cùm interim perueniſſet ad tria paſſuum millia prope Tridentum Ferdinandus Martinus Maſcaregna, Sebaſtiani Regis Luſitaniæ Orator, ſignificauit, par non eſſe priùs Draſcouizium quàm ſe exceptum iri, tum quòd ille legitimum ſui Principis mandatum non produxerat, tum quòd illi, perſonam gerenti non Cæſaris, ſed Regis Hungariæ, præferendus erat Orator Regis Luſitaniæ, qui maiorem ſeipſum Ferdinando exiſtimabat, eo ſolùm Regno ſpectato.

[a] Extat in narratione Secretarij Seripandi.

2 Legatis non modicam moleſtiam afferebant huiuſmodi litigia, à quibus ipſi trahi poterant in neceſſitatem ineuitabilem priuandæ Synodi integrâ natione, inanis cuiuſdam honoris causâ. Proſpicientes etiam animo longè difficiliorem litem [b], imminentem inter Oratores duorum maximè potentium, maximeque æmulorum Principum, litteras ad Pontificem dederant, vt ad huiuſmodi contentiones illius mandata in promptu haberent: ſiue, vbi viſum ipſi fuiſſet illo ſe odio non onerare, eiuſdem certè conſilio non carerent: vnaque illi ſuggeſſerunt, ne deciſionem litis inter Galliam & Hiſpaniam conuentui committeret; cùm enim citra omnem comparationem Hiſpanorum aſſeclæ numero præſtarent, lata fuiſſet ſententia

[b] Duæ litteræ 28. Ianuarij, alteræ & aliæ 2.5.& 9.Februarij 1562. Legatorum ad Borromæum.

1562. tentia contra Gallos, cum ipſorum indignatione & auerſatione implacabili. Sed in oborta controuerſia, de qua nunc ſcribimus, quinque ex Patribus deſignarunt, qui tribus de rebus deliberarent: Admittendus ne Draſcouizius eſſet, magis authentico mandato, quàm effectricibus fidei litteris ab eo non producto; An illum par eſſet ante Luſitanum excipi; Vtri ex illis locus dignior tribuendus. Erant Patres deſignati, Elius, Caſtanea, Auguſtinus, Boncompagnus, & Paleottus.

Hi de primo articulo conſenſerunt: quamuis enim Draſcouizius mandatum non haberet ſcribæ notâ ſignatum, tamen ipſæ Cæſaris litteræ ipſum appellabant conſtituebantque ad Synodum Oratorem, idque alia præualida argumenta ac teſtimonia confirmabant. 3

De ſecundo: eumdem prius quàm Luſitanum admittendum eſſe, quoniam prior acceſſerat, idque pro conſuetudine Aulæ Romanæ.

Tertium videri implicatiorem, & eiuſmodi, vt minimè oporteret Concilio manum ad eum extricandum admouere, ſed potiùs rationem excogitare, quâ vtrique ſatisfieret: fuiſſe de hoc etiam diſceptatum in conuentu ætate Iulij habito; ſed conſilium tunc initum, vt nimirum Oratores laici in cœtibus medij ſederent, & è regione Legatorum, in præſentia opportunum non cenſeri; ſatius exiſtimari (idque poſtmodum obſeruatum eſt, ſicuti iam diximus, narratione præuertentes ritus generales Cœtuum & Seſſionum) vt Oratores Eccleſiaſtici ſederent ad dexteram ſupra reliquos Eccleſiaſticos[c]; ſed in ferendo ſuffragio ſeruarent ordinem Tiaræ ſuſceptæ, vt qui illud vt Epiſcopi non vt Oratores ferebant; laici verò ad ſiniſtram ſederent, atque in cunctis functionibus cunctos Eccleſiaſticos non Oratores antecederent, exceptis quibuſdam Eccleſiæ celebritatibus, in quibus Epiſcopi Pontificales veſtes ac mitras gerebant, quemadmodum proximo Cinerum die agendum erat. Etenim quod attinebat ad huiuſmodi functiones, decretum eſt, vt omnes Epiſcopi & Abbates mitrati ad Altare ante laicos Oratores accederent: ſimiliter etiam in iis ſolemnibus ſupplicationibus, in quibus Epiſcopi non quotidiano, ſed Pontificali habitu induebantur, Oratores, quos diximus, poſt Præſides incederent, qui locus in aliis ſupplicationibus Oratoribus Eccleſiaſticis dabatur: hi verò incederent poſt vniuerſum ordinem Epiſcoporum ante Legatos, qui locus in ſupplicationibus ordinariis laicis Oratoribus tribuebatur; de quo ordine aliquid priùs[d] ab ipſis Patribus litigatum fuerat. Etenim tametſi Elius, qui primus erat ex Patriarchis,

[c] Vide Acta Paleotti, & fuſiùs in capitibus firmatis in Ephemeride Seruantij.

[d] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 9. Februarij 1562.

chis, ſimulque vnus ex deſignatis ad concordiam, non aſſentiretur modò, ſed etiam iudicaret, concedendum Oratoribus Eccleſiaſticis, vt reliquos Præſules non Oratores antecederent: tamen Venetus & Aquileienſis Patriarchæ auerſum animum præ ſe tulerunt; ſed cohortantibus Legatis tandem aſſenſi ſunt: ac poſteà eidem vniuerſali ſanctioni Oratores acquieuerunt. 1562.

4 Dies ſextus Februarij excipiendis Ferdinandi Oratoribus eſt deſtinatus. Sed, cùm iam in ædibus primi Legati adeſſent cum ampliſſimo comitatu, ſicut in huiuſmodi actionibus mos erat, noua quæſtio coorta eſt: etenim expoſuere, fuiſſe ſibi à Cæſare imperatum, ne cuiquam niſi Legatis loco cederent, adeòque ſe ſupra Madruccium collocandos exiſtimare. Reſponſum ipſis eſt: Ferdinandi mandata fuiſſe in ea re ad verbum deſumpta ex primis mandatis, quæ Carolus Quintus ſuis Oratoribus dederat, quo tempore Concilio non aderant Cardinales præter Legatos, adeoque cùm ea duo nomina eoſdem ſignificabant; ſed poſteà Caroli Oratores Cardinalibus Tridentino & Giennenſi ibidem ceſſiſſe. Nec ea omnia ad Oratores permouendos ſatis erant[e]; niſi (quando Patres in conſeſſu præſtolabantur, & Oratores in alio conclaui adhuc obfirmati perſiſtebant) ad eos accedentes Oſius & Simonetta, illud ſibi onus aſſumpſiſſent, vt Ferdinandus id ratum haberet; quod euenit[f]. Statutis itaque ritibus, duo Epiſcopi miſſi ſunt à Patribus, Oratores deducturi; & is ſemper eſt habitus ritus. Illi coram omnibus, qui cum ipſis ingredi vellent, introducti, litteras detulere; & Draſcouizius orationem habuit obſequio, religione & promiſſis refertam. Dein digreſſis Oratoribus, & cunctis externis, Maſſarellus paratam iam reſponſionem recitauit, Patrumque ſententias petiit. Cuncti aſſenſere, præter tres Luſitanos, qui Draſcouizium excipiendum eſſe negabant. Poſteà reuocatis Oratoribus perlecta eſt ab eodem Maſſarello reſponſio, quæ Cæſaris commendatione, actiſque Cæſari gratiis affluebat. Denique à ſcribis in publicas tabulas relata res eſt.

e In epiſtola Archiepiſcopi Iadrenſis, 9. Februarij 1562.

f Cæſaris litteræ Pragâ 22. Februarij 1562.

5 Die poſtero vrbis portam intrauit Orator Luſitanus[g]. Illi obuiàm extra portam iuerunt duo Epiſcopi, Præſidum nomine, & ſupra quadraginta, ex libera vrbanitate, quippe illi nationi beneuoli. Poſtridie[h] ritu debito in conuentu exceptus eſt: & altero die[i] admiſſus eſt Sigiſmundus Fonus, ex Tridentinis Proceribus, vir egregius religione ac prudentiâ, qui ſecundus Orator Cæſaris erat, adeoque Muglizij collega. Ante aduentum illius, qui abſque noua pompa ingreſſus eſt, noluit collega negotium aggredi: poſteà de-

g Diarium, 7. Februarij.

h 8 Februarij

i Die 9. Februarij.

1562.

k Litteræ Legatorum ad Borromęum, 14. Februarij.

l Oratorum articuli, & Legatorum reſponſa, extant in Diario, 18. Febr. 1562. & fuſius in documentis datis à Cæſare Oratoribus, 1. Ianuarij eiuſdem anni, quæ ſunt in principio voluminis litterarum citandi.

cimotertio Februarij ambo ſimul quædam à Legatis periere [k] nomine Cæſaris & voce & ſcripto: vnde coacti ſunt Præſides ad ea Pontifici ſignificanda per certum curſorem, vt reſponſionem acciperent ante poſtremum conuentum, qui ad conueniendum de Seſſionis Decretis cogendus erat. Poſtulatorum hæc erat ſumma:

Quò [l] omnis obtentus adimeretur Proteſtantium pertinaciæ, abſtinerent Patres à quouis vocabulo *Continuationem* ſonante.

6 Vt prorogarentur notabili temporis interuallo doctrinarum examina; imò, cùm Oratores multorum Principum nondum aduenisſent, ne ipſa quidem Seſſio celebraretur: aut vbi Patres id recuſarent, ſaltem in argumentis generalibus ea inſumeretur.

Cùm præſenſiſſent Oratores, velle Synodum Indicem librorum proſcribendorum conficere, poſtulabant, ne id temporis Auguſtana Confeſſio prohiberetur: ea ſiquidem offenſio non modò perpetuam in Proteſtantibus auerſionem animorum excitatura erat, ſed eos in acerbiſſimam vltionem prouocatura.

Vt omni ſtudio ſeruarentur arcana Decreta, antequam in Seſſionibus euulgarentur.

Vt fides publica tuti acceſſus promulgaretur, quâ Proteſtantes quam poſſet ampliſſimam ſecuritatem facilitatemque obtinerent.

Aiebant denique, Se iuſſos à Cæſare fuiſſe, Legatos quandocumque vocarentur adire, nec quidquam illis adiuuandis & conſilio & operâ parcere.

7 Reſponſionis ſententia fuit: Synodum, quò Cæſari ſatisfieret, per eos dies Continuationis vocabula minime vſurpaturam.

Seſſionem iam decretam omitti non poſſe, ſed impenſum iri in res quæ animos non perturbarent.

Curaturos ſe Seſſionis futuræ moram, quoad fieri poſſit, protrahendam.

Interdictionem Auguſtanæ Confeſſionis id temporis ne in mentem quidem ipſis veniſſe, cùm Index, qui tunc extruebatur, nonniſi ad exitum Concilij vulgandus eſſet.

Tabulas ad ſecurum omnium aduentum cum omni laxitate formatum iri.

Grates à ſe agi Cæſari ob ipſius ſtudium, quo ſuis Oratoribus iniunxerat, vt præſentem Legatis opem ſuppeditarent.

Silentium verò de Synodi arcanis impensè Patribus in cœtu inculcatum eſt [m].

m 17. Februarij, ex Diario.

n Litteræ Archiepiſcopi Iadrenſis, 20. Februar. 1562.

8 Omnis ſollicitudo ambiguitaſque Legatorum redigebatur ad poſtulatam moram. Etenim Cæſariani [n] contendebant, eſſe priùs expe-

expectandum exitum conuentus Cæſarei in Germania celebrandi, 1562. in quo Ferdinandus experiretur extrema quæque ad Proteſtantes emolliendos flectendoſque ad Concilium. Quoniam autem Oratores animaduertebant, prolationem ad incertum terminum nec peti debere, nec poſſe impetrari, eam ad certum poſtulabant; ſed ita remotum, vt interim Comitiorum exitus ſperari poſſet. Intelligebant Legati, quanti Ferdinandi ſatisfactio referret, & cuiuſmodi eius animi ſinceritas eſſet: ſed nulla ſuppetebat ipſis ratio Hiſpanos ſedandi, cunctationis impatientes in confirmandis ſuperioribus Decretis, & Synodo continuanda; neque pariter ſedandi Gallos, qui niſi ſtatim ab Oecumenica Synodo rebus conſuleretur, ad propriam ſuæ nationis ſe conuertiſſent; ac denique cunctos ſedandi, qui intolerantes incommodi, diutiùs otioſi diffluxiſſent, ſicuti bellatores voluntarij conſueuere, cùm apud tentoria ieiunis armis detinentur. Idcircò argumentum aliquod exquirebatur tractandum intereà, quod placeret Patribus, conduceret ſanis, & ægrotis non officeret; ſed quodnam illud eſſet, inter ſe minimè concordabant.

9 Nouus ipſos inceſſit metus impingendi in noua certamina in proximo cœtu, ad Seſſionis apparatum habendo. Etenim ° reſoluere quæ ad Granatenſem ſcripſerat Orator Vargas. Hic plurimis de Pontifice interiectis laudibus, ſemperque ob oculos politis Regis auctoritate ac voluptate, de Hiſpanis Epiſcopis querebatur, quòd conſtantes non perſtitiſſent in poſtulanda declaratione continuationis Synodi, & vſurpatione tituli ſæpiùs recantati: ſed præter cetera, quòd voces illas permiſiſſent, *Proponentibus Legatis*, amplificatâ importunitate ſiue Catholicorum ægrimoniâ, ſiue hæreticorum ſuſpicione ſpectatâ. Eapropter ipſos hortabatur, vt errata corrigere ſtuderent, in proxima Seſſione re in opus deductâ; id vbi alio pacto perfici non poſſet, ſecederent à conuentu: quod ſi huiuſmodi conſilium nimis acerbum videretur, ſaltem prolationem obtinerent vſque ad Oratoris aduentum, aut abrogationem eorum quæ detrimentum attulerant: quamquam ea, dicebat ille, ſuapte naturâ pro irritis eſſent habenda; nam apertio Synodum antecedit, & quidquid per eam actionem fit, Synodi opus non eſt, neque vim obtinet, quippe à non legitima iuriſdictione profectum. Vſque adeò doctrina, vbi cum animi perturbatione ſociatur, potis eſt mentem iis erroribus deprauare, qui numquam à ſola inſcientia dimanaſſent.

° Literæ Legatorum ad Borromæum, 16. Februar. 1562.

10 Non tamen Hiſpanienſes iis adhæſere conſiliis, præter paucos, iique ſolùm in eo quod ad titulum ſpectabat, ſicut memorabitur,

1562.

p Litteræ Archiepiſcopi Iadrenſis, 23. Februarij 1562.

cùm ab illis nec æquitas in re propoſita, nec ſpes in euentu cernere-
tur. Sed teli aciem hoc ipſum hebetauit, quòd à Vargas demandà-
tum fuerit negotium Granatenſi[p], quaſi nationis anteſignano. Nam
ſi Guerrerus auctoritate doctrinâque pollebat, alij claritate generis
eum ſuperabant, dote nimirum, quæ reliquis antecellit ſuorum
æſtimatione poſſeſſorum, præſertim verò Salmaticenſis Antiſtes
Petrus Conſaluus Mendoza, Ducis Infantadi frater, & ex prima-
riis Hiſpaniæ Proceribus; vnde inter hos duos, dum Oratorem Lu-
ſitanum in vrbis ingreſſu comitabantur, æmulatio orta fuerat:
cùm enim Mendoza ad ſiniſtrum Oratoris latus incederet, ante-
quam ad vrbis portam peruenirētur, & Guerrerus ad dexterum; vbi
eò deuentum eſt, quo agmen ordinatim procederet, aduocatus eſt
ad honoratius Oratoris latus Hieroſolymitanus Patriarcha, vtpote
digniſſimus inter Præſules; cumque Guerrero inde recedenti Men-
doza locum haud offerret, neque ille auderet ſibi poſcere, ante
Oratorem equitare maluit, quàm in ſecundo poſt illum ordine.

q Extat in narratione Secretarij Seripandi.

Quocircà Zambeccarus Sulmonenſis Epiſcopus[q], vir ſolers apud
multos Hiſpanorum Antiſtitum, ſtuduerat, ſicuti medicus aſſolet,
humore vitioſo ad opus ſalutare vti, eoque pacto à ſignis Granaten-
ſis illos abducere. Præterquam quòd ij etiam qui minori tumebant
ſpiritu, ſi vellent illum ſibi Principem ſponte conſtituere, nolebant
tamen vt idem ſibi Princeps ab alio imponeretur, multoque minus
à Vargas, cui, ſicut alibi ſignificauimus, multum auctoritatis apud
nationem mediocritas natalium minuebat. Quamobrem delatis ad
Granatenſem Vargæ litteris, alij Hiſpani pronuntiare non ſunt ve-
riti, habituros ſe quo debebant obſequio rationem regiæ volunta-

r In productis litteris 23. Februarij.

tis; ſed in animo non habere ductum ſequi *Licentiati* Vargæ[r]. Li-
centiati enim vocantur apud Hiſpanos, qui peractis diſciplinarum
ſtudiis merentur quidem lauream, ſed quò ſumptibus pro ea obti-
nenda immodicis parcant, inferiori titulo contenti ſunt.

ſ Litteræ Legatorum ad Borromęum, 21. Februarij 1562.

t Conſtat ex dictis litteris 23. Februarij.

Poſtquam igitur impetrarunt Hiſpani, ne quid inferretur detri- 11
menti ſanctæ Inquiſitionis Hiſpanicæ Tribunali[ſ], cunctationi reſti-
terunt potiùs, quàm articulis à Vargas commendatis inſtiterunt.
Proponebatur à Legatis mora vſque ad diem decimum quartum
Maij, in quem dies octauus poſt Redemptoris Aſcenſionem inci-
debat[t]: atque ita contrahebant aliquid de flagitata à Cæſarianis
trium menſium prolatione, ſimulque protrahebant permiſſum ſibi
à Pontifice vſque ad Kalendas Maias. Hiſpanis adhærebant aliqui
ex Luſitanis, & complures ex Italis in mora damnanda: Proteſtan-
tes fuiſſe toties expectatos in antegreſſis conuocationibus, tot offi-
ciosis

ciosis rationibus inuitatos tum à ſedente Pontifice, tum à deceſſo- 1562.
ribus: eorum gratiâ ampliùs ſubſiſtere, aut ſimplicitatem mentis, aut animi vilitatem videri: peſtilentibus morbis efficaciſſimum eſſe remedium remedij celeritatem: cunctatione poſſe inſanabiles reddi multas Catholicas nationes, ad eam vſque diem modica ex parte corruptas; alias verò nationes miſerum iam deſperationis argumentum euaſiſſe, neque per hanc quaſi formidoloſam lentitudinem eas ad emendationem allici, ſed in peruicacia confirmari.

12 Contra verò Draſcouizius, Quinque Eccleſiarum Antiſtes, ſe dixit locuturum non tamquam Oratorem Cæſaris, ſed tamquam Præſulem: Si Patres Concilij Diœceſes ſuas in Germania poſſediſſent, haud ignoraturos fuiſſe ingens quod imminebat diſcrimen, vbi & fructu vacui redirent, & id eorum impatientiæ poſſet adſcribi.

13 His Mantuanus adiecit, animaduerti à ſe, duo eſſe quæ multos commouebant, inutilitatem, & otium cunctationis. Quòd ad primum attinet, ingens emolumentum ex eo trahi quòd Cæſari ſatiſfieret, & ipſorum cauſa purgaretur apud homines, qui animaduerterent, capitali hæreticorum in ipſos odio à ſe fuiſſe reſponſum pari charitatis ac manſuetudinis exceſſu: etſi nihil aliud, certè quòd liquidò cognoſceretur, perditorum cladem eſſe irreparabilem, nec oportere vt ampliùs eius vitandæ causâ Catholico corpori inferretur incommodum; nec tenuem ex ea mora fructum collectum iri. Quod de otio dicebatur, minimè dubitarent, ne ſeu negotij penuriâ, ſeu Præſidum ſocordiâ ipſorum intereà virtutem inexercitatam relinquerent.

14 Plerique Patres his rationibus ceſſere. Granatenſis conatus ſuos iracundè iterauit ad optatam inſcriptionem conſequendam. Cùm enim Caſtanea, dum eam refellebat, tumidam appellaſſet, Guerrerus locum protulit octauæ Synodi Oecumenicæ, vbi dicitur: *Loquere Domine, quia hic eſt vniuerſus orbis:* & indignabundo ſupercilio ſubiecit: *Non eſt igitur tumidus hic titulus, ſicuti quiſpiam dixit.* Sed hoc ad profuſionem iræ profuit, non ad victoriam: quamquam reuerà multis in pugnis ipſa victoria nonniſi erumpentis iræ voluptate prodeſt.

1562.

CAPVT XXI.

Seſſio ſecunda, ſeu decimaoctaua. Diſſidium inter Luſitaniæ & Hungariæ Oratores ob loci prærogatiuam. Sententiarum varietas. Seſſionis Decreta; & de his animaduerſiones adducta à Suaui.

a Diarium, & Acta Paleotti, præterea quæ habentur in arce Ælia.

DIe vigeſimo ſexto Februarij manè [a] conuenerunt Patres in 1
Ædem maximam. Diuinam Hoſtiam obtulit Hieroſolymæ Patriarcha: latinè dixit pro concione Antonius Caucus Patrarum Archiepiſcopus, & electus Corcyre. Tum litigium moleſtum ſuperuenit. Cum enim recitaſſet Maſſarellus, qui à ſecretis erat, duo Ferdinandi mandata, alterum ad Muglizium & Tonum Oratores Cæſareos ſpectans, alterum ad Draſcouizium, illius Oratorem vt Hungariæ Regis, peteretque ſubinde à Maſcaregna ſui Regis mandatum vt ipſum legeret; illud ſe daturum Luſitanus negauit, conqueſtus, per eam antehabitam lectionem, Hungariæ Regem ſuo Regi fuiſſe prælatum. Deſcendit tunc è ſuggeſtu Maſſarellus, adiitque Maſcaregnam, affirmans illi pro certo, per eam actionem haud intendi vllius prærogatiuæ declarationem, ſed pro more Aulæ Romanæ mere fuiſſe prius lecta ea mandata, quæ prius ab Oratoribus tradita fuerant. Sed quidquid Maſſarellus, ac deinde Promotor, Legatorum iuſſu conati ſunt, in irritum cecidit. Maſcaregna nec Italicæ linguæ nec Latinæ peritus, neceſſe habebat, vt quæ ab illis miniſtris proponebantur exciperet per interpretes Luſitanos, quaſi per canales qui liquori vim adimebant: nam pro multorum errore, quibus videtur ſtudium erga ſui Principis dignitatem in eo ſitum, quòd ipſi profiteantur eum fuiſſe deſpectum, & non potiùs, quòd ab omni deſpectu illæſum tueantur, illorum Præſulum ſuaſiones ad Oratorem languidas eneruéſque deferebant, planéque correctas, ſeu veriùs corruptas contrariis ipſorum conſiliis. Quapropter Maſcaregna, depoſita tunc natiuâ ſingularique humanitate, oſtenſâ poſtmodum & exercitâ ſemper, ſicut in poſterum liquebit, erectâ perſtabat fronte, fixiſque oculis, nec alium niſi ad repulſas edebat motum, vultu infenſis modis protenſo. Statuerunt Legati duos Præſules mittere, qui hominem ad meliorem mentem reuocarent, eius idioma callentes, atque ipſi intimos: hi fuerunt Pompeius Zambeccarus Epiſcopus Sulmonenſis, qui Iulij ætate in Luſitania fuerat, & ſemper beneuolentiam & conſuetudinem cum ea natione retinuerat; & Gaſpar Caſalenſis Auguſtinianus,

nus, Epiſcopus Leirienſis in Luſitania. Submoto importuno famulorum interpoſitu, confeſtim illi impetrarunt ab Oratore, vt mandatum ſuum traderet, dummodò Maſſarellus è ſuggeſtu publicè declararet, in lectionis ordine nonniſi de traditionis antiquitate habitam fuiſſe rationem. 1562.

2 Sed quoniam ſuſpicio exterorum propria eſt, & anxietas æmulorum, Draſcouizius, qui ex aduerſo Maſcaregnæ ſedebat, audieratque cum indignatione tumultum, vmbras contraxit, quaſi detrimento ſibi eſſet id quo litigator oppoſitus ſe contentum oſtendebat; adeoque contradixit & huic actui, & cuiuis alij, qui haberetur vt ſatisfieret homini, vt ille dicebat, contentioſo & faſtuoſo. Tunc Madruccius è ſella proſiluit, & ad Draſcouizium accedens, oſtendit, progreſſum operis, & non peruicaciam in eâ vana contentione, eſſe reipſa ſolidum in Cæſarem obſequium. Sed non priùs euanuerunt vmbræ Draſcouizij, quàm pari de cauſa redierunt ad Luſitanum; qui mutatus dixit, eminentiorem ſui Principis dignitatem adeò eluceſcere, vt ne in ambiguo quidem eſſet relinquenda. Legati defeſſi, perplexi & pertæſi, accerſierunt ad ſe Auguſtinum, Caſtaneam, Boncompagnum, & Paleottum, vt ex eorum ſententia illi tam obſtinatæ controuerſiæ finem imponerent. Tunc denique Zambeccari ſolertia vtriuſque partis duritiem emolliuit, & poſt duas horas moleſtiſſimæ cunctationis, lectum eſt Maſcaregnæ mandatum, & functio continuata.

3 Variæ poſteà Pontificis litteræ recitatæ de Indice, de Stationibus Tridenti conceſſis in quadragenario ieiunio pro conſuetudine Romana, de ſuperiori Epiſcoporum loco abſque Primatum reſpectu, confirmatâ per id Præſidum declaratione, de qua diximus. Inde primum Decretum perlectum huiuſmodi ſententiæ.

4 *Sacroſanctá Oecumenica, & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu Sancto legitimè congregata, præſidentibus in ea eiſdem Apoſtolicæ Sedis Legatis, non humanis quidem viribus confiſa, ſed Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui os & ſapientiam Eccleſiæ ſuæ daturum ſe promiſit, ope & auxilio freta, illud præcipuè cogitat, vt Catholicæ Fidei doctrinam, multorum inter ſe diſſidentium opinionibus, pluribus locis inquinatam & obſcuratam, in ſuam puritatem & ſplendorem aliquando reſtituat; & mores, qui à veteri inſtituto defluxerunt, ad meliorem vitæ rationem reuocet, corq́; patrum ad filios, & cor filiorum ad patres conuertat. Cùm itaque omnium primum animaduerterit, hoc tempore ſuſpectorum ac pernicioſorum librorum, quibus doctrina impura continetur, & longè lateq́; diffunditur, numerum nimis excreuiſſe; quod quidem in cauſa fuit, vt multæ cenſuræ in variis prouinciis,*

1562. *uinciis, & præſertim in alma vrbe Roma, pio quodam zelo editæ fuerint; neque tamen huic tam magno ac pernicioſo morbo ſalutarem vllam profuiſſe medicinam; cenſuit, vt delecti ad hanc diſquiſitionem Patres, de cenſuris librisq; quid facto opus eſſet, diligenter conſiderarent, atque etiam ad eamdem ſanctam Synodum ſuo tempore referrent; quo facilius ipſa poſsit varias & peregrinas doctrinas, tamquam zizania, à Chriſtiana veritatis tritico ſeparare; deq; his commodiùs deliberare, & ſtatuere, quæ ad ſcrupulum ex complurium animis eximendum, & tollendas multarum querelarum cauſas magis opportuna videbuntur. Hæc autem omnia ad notitiam quorumcumque deducta eſſe vult, prout etiam præſenti Decreto deducit: vt, ſiquis ad ſe pertinere aliquo modo putauerit, quæ vel de hoc librorum, & cenſurarum negotio, vel de aliis, quæ in hoc generali Concilio tractanda prædixit, non dubitet à ſancta Synodo ſe benignè auditum iri.*

Quoniam verò eadem ſancta Synodus ex corde optat, Deumq; enixè rogat quæ ad pacem ſunt Eccleſiæ, vt vniuerſi communem matrem in terris agnoſcentes, quæ quos peperit, obliuiſci non poteſt, vnanimes, vno ore glorificemus Deum & Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti; per viſcera miſericordiæ eiuſdem Dei & Domini noſtri, omnes, qui nobiſcum communionem non habent, ad concordiam & reconciliationem, & vt ad hanc ſanctam Synodum veniant, inuitat atque hortatur; vtq; charitatem, quod eſt vinculum perfectionis, amplectantur; pacemq; Chriſti, exultantem in cordibus ſuis, præ ſe ferant, in quam vocati ſunt, in vno corpore. Hanc ergo non humanam, ſed Spiritus Sancti vocem audientes, ne obdurent corda ſua, ſed in ſuo ſenſu non ambulantes, neque ſibi placentes, ad tam piam & ſalutarem matris ſuæ admonitionem excitentur & conuertantur. Omnibus enim charitatis officiis ſancta Synodus eos vt inuitat, ita complectetur.

Inſuper eadem ſancta Synodus decreuit, fidem publicam in congregatione generali concedi poſſe, & eamdem vim habituram, eiuſdemq; roboris & momenti futuram, ac ſi in publicâ Seſsione data & decreta fuiſſet.

Decretum cunctis probatum eſt, excepto Granatenſi, qui vnicus 5
inter Hiſpanos titulum poſtulabat toties à nobis memoratum. Quare falſum eſt, quod narrat Suauis, Archiepiſcopum Calaritanum, & Hiſpanorum pleroſque Granatenſi ea in re conſenſiſſe: quin pro infortunio mendacis ſcriptoris Calaritanus Archiepiſcopus ne interfuit quidem illi Seſſioni, ſicut conſtat ex Actis. Duo vel tres ſuffragio ſuo quaſdam parui momenti conditiones addidere; & præter eos Iacobus Gibertus à Noguera Hiſpanienſis, Alifanus Epiſcopus, dixit ſibi diſplicere vocem illam, quòd diſſidentium inter ſe opinionibus Catholica doctrina fuiſſet inquinata.

Recitatum poſteà fuit ſecundum Decretum, quo Seſſio prænun- 6
tiabatur

tiabatur decimo quarto Maij. Illud pariter cunctis placuit, ſubla- 1562.
tis duodecim, pleriſque Hiſpanis aut Luſitanis, qui conditionem aliquam deſiderabant; alij, *vt interim aliquid ageretur*; alij, *vt interim morum emendationi daretur opera*. Solus Ioannes Beroaldus Panormitanus ſanctæ Agathæ Epiſcopus ſcriptam dedit ſchedulam, in qua temporis contractionem poſtulabat, oſtendebatque, dilationem hæreticis conciliandis infructuoſam, & Catholicis noxiam fore.

7 Hîc ſuam ad conſuetudinem relabitur Suauis, & ea deſcribens quæ homines de primo Decreto perpendebant, hæc habet: *Ab omni hominum genere reprehenſum eſt. Exquirebatur, quo pacto Synodus eos vocabat, quorum intereſſet cognoſcere quæ in Synodo agenda erant, ſi ea ignorabantur, & antehac omnia præter expectationem acta fuerant? quiſnam diuinaſſet quid eſſent propoſituri Legati, quando ne ipſi quidem ea ſciebant, quippe mandata Româ præſtolaturi? Similiter iis, quorum referebat librum aliquem illæſum haberi, quinam poterat innoteſcere in eum quidpiam agitari? Generalis citandi ratio, & incertum cauſæ genus cunctos adigebat vt Tridentum adirent: nemo ſiquidem erat ad quem res aliqua non ſpectaret, de qua poſsibile admodum eſſet vt ageretur. Vniuersè concludebatur, ſpecie quidem homines citari, ſed reipſa illos excludi.*

8 Si Suauis has adeò falſas cauillationes alicui ex infenſis hæreticis tribueret, fieri poſſet, vt eius narratio credibilis euaderet; ſed cùm in omnium ore generatim eas collocet, coniecturam præbet ad negandum, in vllius ore illas extitiſſe. In primis tam diſcrepat à vero, res anteà peractas præter expectationem fuiſſe, vt cuncta multò priùs fuerint ordinata quàm decreta, quemadmodum non ſolùm liquet ex Actis monumentiſque, ab Hiſtoria noſtra productis, ſed ex ipſa Suauis hiſtoria magna ex parte colligitur. Forma in rebus Fidei vſque ab initio ſtabilita & vulgata, hæc fuit: Verbum Dei, Infantium iuſtificatio, Iuſtificatio adultorum, Singula Sacramenta. Et in rebus ad diſciplinam ſpectantibus: Tollere abuſus à prædicatione verbi Diuini, & Sacramentorum adminiſtratione; Eccleſiaſticorum vitæ, & rectæ Paſtorum electioni leges præſcribere; Ad manſionem in ſuis Eccleſiis eos cogere; Auferre eius impedimenta, & detrimenta quæ in ſuis bonis & functionibus pateretur Eccleſia. Huiuſmodi fuerat vſque à principio rerum forma, non quidem abſcondita, ſed expoſita cunctorum notitiæ; & pro ea forma fabrica poſtmodum erecta. Quin etiam habita fuerat ſubinde, rudi ſaltem ratione, longa priùs quædam prænotio earum rerum, de quibus in qualibet proxima futura Seſſione ſanciendum eſſet. Quid autem illud eſt: *Ne ipſi quidem Legati ea ſciebant, quippe mandata Româ præſto-*

1562. *lantes?* Neſciebant quidem examuſſim peculiares articulos citiùs tardiúſve agitandos, perinde ac ipſe Pontifex neſciebat, nec ſcire poteſt vllus homo prudens, tametſi ſupremus Princeps, in iis quæ ſancienda ſunt ex conſilio incertarum rerum incidentium: ſed ſub vniuerſali quadam ratione, quæ ſatis erat, penè dixerim, Quis ex lippis & tonſoribus ignorabat expendendas eſſe nouas opinationes, inductas à Luthero, à Zuinglio, aliiſque Eccleſiæ inobſequentibus, & damnatas in diplomate Leonis, & in cenſuris Catholicarum Academiarum? Quamobrem nemo erat hæreticus adeò rudis, cui lateret, ſuam doctrinam ac ſectam eſſe in Concilio diſcutiendam. Similiter cuinam ex vulgo incompertum erat, parari proſcriptionem earum corruptelarum, quæ in viris rebuſque Eccleſiaſticis obſeruarentur?

Quod attinet ad interdictionem librorum. Si Suauis mens erat, per ea quæ obiectat, probare, deliberari forſitan potuiſſe de aliquo volumine proſcribendo, idque ab eius auctore ex vi vniuerſalis admonitionis haud præuideri; hoc equidem fuiſſe poſſibile fateor, tametſi difficile vt contingeret, ſed in rem noſtram non cadit: difficile inquam; cùm enim declararet Synodus, velle ſe recognoſcere Indices ad id vſque temporis editos, tum proprios in prouinciis, tum vniuerſales Romæ, facile non erat librum nocentem reperiri, qui tot tribunalium virgam cenſoriam ſubterfugiſſet. Huc accedit, vt diximus, neque id ad rem eſſe, quandoquidem, ſicuti Suauis ipſe paulò anteà retulit, Patribus numquam in animo fuit, ſeſe obligare ad eos auctores citandos, quorum libri expendebantur, quod neque pariter efficiunt Principes laici, cùm eos prohibent tamquam bono ciuili Reipublicæ contrarios: quod ſi hoc opus foret, prægrauarentur tribunalia intolerabili onere prolixitatis & litium; quod pariter locum habet in proſcriptione doctrinarum: ideoque cùm illæ tamquam hæreticæ ab antiquis Synodis reiectæ ſunt, numquam mos fuit vt earum fautores citarentur. Cuius rei cauſa in aperto eſt: Vocatio in ius non exigitur niſi in controuerſiis de facto, in quibus agitur de aliquo homine damnando aut in ſeipſo aut in bonis; reo namque ſemper poteſt in illis cauſis ſuppetere aliqua defenſio de facto, quam Iudex ignoret, cùm fieri non poſſit, vt quiſquam hominum certus ſit, ſibi quodcumque ſingulare factum innoteſcere, cuius notitia ad alicuius litis deciſionem conferret. Haud ita ſane in controuerſiis de mero iure; Ius enim ex Legum peritorum doctrina ſuâ naturâ notorium eſt. De reliquo, vniuerſalem illam admonitionem ſingulis inutilem non fuiſſe, quod Suauis poſtulat, palàm eſt. 9

Quicum-

Quicumque habebat in animo defendere aut impugnare nouas doctrinas; quicumque cupiebat nouitatem aliquam in Eccleſia, & præſertim reuocationem ſeu relaxationem legis Eccleſiaſticæ, prohibentis, exempli gratiâ, vſum Calicis, aut Sacerdotum coniugium, cognoſcebat ex vi denuntiationis illius, ſe non fruſtrà Concilio adfuturum: quicumque auctor aut defenſor fuiſſet alicuius ex libris per vulgatos indices proſcriptis; qui haberet in votis, vt in his prohibitionibus aliquid declararetur aut mutaretur; quicumque vellet huiuſmodi indices ſuſtinere, ſeu curare vt aliud prætereà ſcriptum interdiceretur, vtiliter admonebatur ab ea vniuerſali denuntiatione. 1562.

10 Pergit per ironicam laudem dicere: *Inter hæc illaudata, laudabilem nanciſcebantur ingenuam Synodi confeſſionem, quòd præterita librorum proſcriptiones religionem animis iniecißent, & querelarum cauſam præbuiſſent.* Studens nempe Synodum ita carpere, quaſi eadem ipſa palàm faceret, Indices huiuſmodi pernicioſos & iniuſtos fuiſſe. Sophiſticam planè conſecutionem! Quænam excogitari poſſet multarum rerum vniuerſalis interdictio, quæ multis angorem conſcientiæ non excitet, multis querelarum occaſionem? Num Suauis nactus eſt vmquam eas leges vllius Principatus, quantumuis prudentiſſimi, quæ ab hoc nocenti effectu eſſent immunes? Profectò ne ipſa quidem Synodus in ſpem venit Indicis conficiendi, qui eſſet hac praeditus, quæ obtineri nequit, immunitate. Sed quoniam facile eſt aliorum labores perfectiorem ad formam redigere experientiæ documento, & iudicio plurium peritorum hominum, in vnum conuenientium, quorum quilibet, auditis omnibus, omnium ſcientiam in eo argumento reddit ſuam, confidit Synodus, effecitque, vt ſuperiores Indices exactiùs elaborati prodirent in poſterum, eâque formâ, quâ minuerentur & anguſtiæ conſcientiæ & tituli querimoniæ.

11 De fide ad ſecuritatem data, dicit Suauis, vmbras hæreticis affuſas ab ea reſtrictione, quòd illam liceret Synodo extra Seſſionem concedere, cùm haud diſcerneretur quid intereſſet inter Seſſionem & Congregationem, niſi quòd in altera iidem homines cum tiara, in altera ſine tiara conuenirent. Enimuerò noua, quantum conſpicor, hæc ratio eſt, propter quam quiſpiam vmbras contrahat: ex eo nimirum, quòd in conceſſionibus, & ſecuritatis tabulis ſibi impertitis, adhibeatur cura vmbras omnes procul expellendi per cautiones redundantes, & fortaſſe minimè neceſſarias. Sed dum ita loquitur Suauis, non eum ſe prodit, quem legum ſcientiâ præſtantem eius Vitæ ſcriptor depingit. Prætermitto ſcribarum tabulas, &

1562. ſententias Iudicum, huiuſmodi cautionibus refertas. Verùm quod ad rem propoſitam ſpectat, quæ notior regula quàm hæc; Vbi conſtituitur Iudici aut à iure aut à conſuetudine certus quidam ſolemnis ritus & præſentia in tribunali, eius acta, alio modo alióve in loco edita, iudiciali ac legitimâ auctoritate carere? Atque hinc eſt quòd Iudices pronuntiare ſoliti ſunt, *Prout in ſchedula*, ſeu per alias eiuſmodi formas, quò intelligatur, ſententiam fuiſſe pro tribunali prolatam. Nónne compertum erat, à Concilio numquam extra Seſſionem fuiſſe confecta Decreta; & cùm oportuerat etiam tumultuosè illud aut transferri aut ſuſpendi, Patres opus eſſe cenſuiſſe, vt Seſſio celebraretur, tametſi expers conſuetæ dignitatis? Cur igitur dubitari ſaltem non potuiſſet, datam extra Seſſionem ſecuritatis fidem ratam non eſſe? Contra verò certum erat, à Concilio legitimè congregato per Seſſionem, adeoque iuriſdictione pleniſſimâ inſtructo, poſſe iiſdem Patribus, & aliis etiam qui accederent cum iure ſuffragij, in Seſſione facultatem tribui conficiendi illius peculiaris Decreti vel extra Seſſionem. Sed Suauis dum hæc pro vmbris habet, ſimilem ſe patefacit infortunatis illis antri Platonici habitatoribus, qui luci ac veritati humeris obuerſis, res omnes ſolidas quaſi vmbras conſpicabantur.

HISTORIÆ CONCILII TRIDENTINI

LIBER DECIMVSSEXTVS.

ARGVMENTVM.

T*ABVLÆ promulgatæ ſecuritatis hæreticis conceſſæ. Aduentus Oratorum Regis Hiſpani, Catholicorum Heluetiorum, & Florentini-Ducis. Controuerſia de loco inter hos poſtremos in concordiam adducta. Delegati ab Eccleſiaſticis Hungariæ. Philippi Regis ſenſa. Res geſtæ in Aula Gallicana ad Religionem ſpectantes. Duodecim articuli de reformanda diſciplina propoſiti. Contentiones de obligatione reſidendi, & eius causâ turbamenta inteſtina & externa. Miſſus ad Pontificem Pendaſius. Acceſſus Oratorum Venetorum, ac Boiorum; & inter eos de prærogatiua diſſidium. Litteræ Philippi Regis ad Oratorem Vargam, cum querimonia de Legatis, quòd nondum declarabatur Synodi* continuatio, *quodque appoſita fuerat primo Decreto particula*, proponentibus Legatis; *& rationes à Legatis ad Regem redditæ. Noui conatus Marchionis Piſcariæ, vt declararetur à Legatis* continuatio; *& promiſſum declarationis ſcripto impetratum. Temporis ſpatium poſtulatum à Cæſarianis, quò Ferdinandum admonerent: & Seſſio prorogata tum petentibus Oratoris Gallici litteris, tum etiam poſteà Cæſarianis. Mandata Legatis à Pontifice reditu Pendaſij tradita. Inſimulationes Romæ iactæ in Mantuanum & Seripandum; & ab hoc*

ſcriptæ pro vtroque vindicationes. Aduentus Oratorum Galliæ, & mandata ipſis tradita. Eorum oratio mordax, poſteà ſcripto temperata; & reſponſio illi reddita. Vicecomes miſſus ad Concilium à Pontifice. Variæ inter Legatos ſuſpiciones. Obices à Cæſare & Gallis iniecti declarationi continuationis. Diſertum Pontificis mandatum vt ea fieret. Anguſtiæ idcircò Legatorum, & ſuſceptum ab ipſis non obtemperandi conſilium, mittendique Romam Altempſij, qui facti neceſſitatem oſtenderet. Nouæ litteræ, quibus negotium in Legatorum iudicio reponitur. Piſcarij conſenſus. Conſilium inter Hiſpanienſes Epiſcopos conteſtandi, ſed in opus non deductum. Seſſio quarta, ſeu vigeſima, habita quarto Iunij, cum prorogatione Decretorum vſque ad decimum ſextum Iulij. Triginta ſex Patrum repugnantia.

CAPVT PRIMVM.

Securitatis hæreticis præſtandæ forma compoſita, & promulgata. Dubitatio de oblata illis venia. Tranſitus miniſtri, à Bauariæ Duce Romam miſſi. Duodecim articuli de reformanda diſciplina ad examen propoſiti.

1562. STATIM poſt Seſſionem demandatum eſt Caſtaneæ, 1
Auguſtino, Boncompagno, & Paleotto, vt formam promittendæ hæreticis ſecuritatis concinnarent. Duo in eo difficilia obuerſabantur: alterum, vt adhiberentur verba, quæ omnem ſuſpicionem ab hæreticis diſiicerent, ſimulque nullum afferrent Eccleſiæ detrimentum: alterum, ac potiſſimum, quòd neque hinc placebat eam reſtringi ad ſolam Germaniam, ſicut in Iulij Concilio effectum fuerat (ita ſiquidem melioris quàm ceteri conditionis redditi eſſent qui conuenerant in Auguſtanam Confeſſionem, & incuria ſimul oſtenſa fuiſſet de multorum populorum ſalute, grauiter indignantium) neque hinc probabatur vniuerſalis omnium comprehenſio, propter cauſas à nobis recenſitas; neque etiam, retento generali nomine aliarum nationum, exceptio quarumdam nominatim, cuiuſmodi eſſet Hiſpanica, Luſitana, & Italica, quam ſacra Romana Inquiſitio per ſeipſam regebat. Etenim hæc aperta inæqualitas ſpeciem nec deco-

ram nec rationi conſentaneam præ ſe tuliſſet. Itaque viſum eſt, quò priori difficultati, hoc eſt, verborum amplitudini conſuleretur, deſcribendas eſſe voces è tabulis fidei, ad ſecurum acceſſum datæ Iulij tempore, Carolo Quinto petente, quas ſuo loco retulimus, quippe quæ laxiſſimæ erant; & quod ſpectabat ad ſecuritatem, deſumptæ è ſimilibus ſecuritatis tabulis, quas Concilium Baſileenſe Bohemis conceſſit: & tunc aliqui Proteſtantium illis confiſi Tridentum venerant, vbi & plenam libertatem, & placidiſſimam comitatem experti ſunt. Sed quod attinebat ad alteram difficultatem, quoniam ea tunc de tuto aduentu fides data fuerat nationi Germanicæ nominatim, adiecta eſt noua extenſio ad alios reliquarum omnium nationum homines, in quibus impunè erat hæreſim prædicari. Hæc verò ſecuritas his formulis conceſſa rationi ſatis congruens cenſebatur, cùm longè conuenientius videretur, exhibere tutum ad nos acceſſum ei qui domi ſuæ libertatem poſſidet, quàm ei qui ob noxam contumaciæ erga nos exul & vagus vitam agit. Præterea ratio habita eſt, quam Beccatellus Raguſinus Archiepiſcopus ſuggeſſerat, de non appellandis hæreticis iis quibus fides dabatur, ſed mitiori vocabulo dicebantur, ij qui nobiſcum in Fide non conſentiunt, & qui aliter ac docet ſancta Romana Eccleſia ſentiunt. Conſilium ſupererat capiendum de iis, quos verba illa generalia minimè complectebantur; ij videlicet, qui cùm in regionibus nati fuiſſent, in quibus interdicta erat quæuis religio diſcrepans à Catholica, huiuſmodi crimine apud ſacros Quæſitores rei, tametſi libertate non carerent, patriâ tamen carebant. Sed quoniam ad id & maturiore conſilio, & abſolutiore facultate opus erat, adiectum fuit promiſſæ ſecuritatis formæ ex limitatione prædicta nominandi, in perpetuum occluſum iri aditum aliarum prouinciarum hominibus qui vellent reſipiſcere: ſed cùm eos admittendi ratio nondum eſſet ſtatuta, id in aliud tempus conficiendum reiici. 1562.

2 Fuerunt hæc Decreta propoſita in cœtu, ſecundâ die Martij, ac poſtmodum quartâ[a]. Thomas Stella Dominicanus, tunc Iuſtinopolitanus Antiſtes, de quo ſæpè à nobis habita eſt mentio in Concilio ſub Paulo Tridenti ac Bononiæ celebrato, haud libenter huiuſmodi ſecuritatis formæ aſſentiebatur, dicens, hæreticos eſſe vulpeculas quæ fraudes agunt, & viperas quæ venenum iniiciunt, adeoque periculoſam eſſe indulgentiam, per quam ad nos propinquarent, & in ſinum ingrederentur. Varia commemorauit exempla, quæ Lutheri tempore nec pro dignitate nec pro vtilitate Eccleſiæ contigerunt. Cenſebant aliqui, decorum non eſſe, ſecurum aditum non poſtu-

[a] Acta Paleotti, & literæ Legatorum ad Borromæum, 2. & 5. Martij.

1562. poſtulantibus offerre, & fortaſſe recuſaturis, ac deſpecturis. Alij cupiebant vt capitum numerus limitaretur, ne tam ingens eſſet, vt inde violentia timeri poſſet; quemadmodum Bohemis quoque reſtrictus fuit à Synodo Baſileenſi in quarta Seſſione. Et mirum ſanè fuit, huiuſce reſtrictionis auctorem etiam fuiſſe Muglizium Oratorem Cæſareum, Archiepiſcopum Pragenſem, qui auditis quorumdam ea de re dicteriis, reſpondit, Suam à ſe proferri ſententiam non tamquam ab Oratore, ſed tamquam à Præſule, quem decebat anteacti Concilij exemplum ſequi.

Sed Quinque Eccleſiarum Epiſcopus dixit, ſummæ ſibi admirationi eſſe, quòd vni eidemque rei propoſitæ obiicerent obſtacula 3
opiniones inter ſe ex diametro oppoſitæ; alij enim ſecuritatis tabulis repugnabant, quippe infructuoſis, quòd acceſſurus eſſet nemo; alij, quippe periculoſis, quòd exercitus conuolaturus timeretur; ſed neutrum reipſa euenturum. Fuit etiam qui putauit, certum temporis ſpatium eſſe præſcribendum, quo elapſo data ad tutò veniendum fides ceſſaret, ne liberum foret hæreticis eâ indulgentiâ abuti per cunctationem & contemptricem oſcitantiam: & aliquis propoſuit, vt conditioni apponeretur, dummodo ſe abſtinerent à prædicandis tradendiſque doctrinis à Catholica diſcrepantibus.

Verùm Granatenſis graui oratione obiecta omnia exceptioneſ- 4
que confutauit [b]: eorum exemplum, quæ peracta fuerant ætate Iulij III. & Carolo Quinto petente, ſatis eſſe omni dubitationi abſtergendæ. Conſilia ſuper his habita à Principibus ac Patribus illius temporis, rectè probare, conuentui in præſentia coacto prudentiùs eſſe rem geſtam imitari, quàm de integro illam expendere; præſertim cùm variatum quidquam non eſſet ſeu re ſpectatâ, ſeu ratione quâ tuti redderentur hæretici: de re, prauitatem ipſorum ſemper eamdem perſtitiſſe; & quantumuis grauis ea foret, Concilium inſtar balnei ſalutaris eſſe, quo vel peſtilentiâ correpti erant inuitandi; ibi vulpes poſſe fraudulentiam deponere, & viperas venenum. De ratione id quod alioqui fortaſſe arbitrarium fuiſſet, eo exemplo neceſſarium euadere; vnius litterulæ mutationem ſatis futuram ad obuoluendos multis nubibus illos animos diffidentes; nec in huiuſmodi mutationibus quidquam emolumenti conſpici. Quid prodeſſet limitatio promiſſæ ſecuritatis ad certum hominum numerum? Poſſe quemlibet in animum inducere, ſi ſatis virium ſuppetiiſſet hæreticis ad opprimendos ibi Patres, haud præſtolaturos fuiſſe opportunitatem indultæ ſibi ſecuritatis ad rem conficiendam. Patrum fiduciam in Catholicorum Principum ſtudio collocandam,

b Acta Paleotti, & litteræ Archiepiſcopi, 5. Martij 1562.

dam, quorum viribus ea vrbs & circumſepta erat & munita, qui- 1562.
que numquam in quouis euentu Synodum deſeruiſſent, aliorum violentiæ prædam. Amplioris eſſe dignitatis, eam ſecuritatem concedere interminatam, quàm ad tempus finitum; cum par non eſſet, vt Concilium ſibi obſtringeret auctoritatem ad finem operis procedendi, quotieſcumque hoc opportunum exiſtimaſſet. Similiter fruſtrà conditionem præſcribi, ne hæretici ſuas hæreſes ibi prædicarent aut docerent. Iam exponi per formam ſecuritatis anteà traditæ id ad quod ea concedebatur, nimirum, vt venirent ad proponendas diſputandaſque ſuas opiniones coram Concilio; non igitur ad eas in populo diſſeminandas, turbaſque de Religione excitandas. In eadem forma contineri, quâ ratione puniendi eſſent, ſi delicta per id merita patrarent. Cui autem dubium eſſe poſſe, vnum ex his criminibus fore tamquam iuri Gentium contrarium, diffuſum contagium, & ſeditiones excitatas in domo hoſpitis, qui eos excipit? Hæc ſententia communiter comprobata eſt, & Promotor Concilij eam illicò iuſſit in tabulas à ſcribis referri.

5 Dum Patres è conſeſſu abituri erant, nuntiatum ipſis eſt, adeſſe foris Conſiliarium quemdam Alberti Bauari Ducis, & petere vt audiretur: quem adduci iuſſerunt. Is litteras protulit, quæ ſibi fidem conciliabant: tum expoſuit, Se à Duce Romam miſſum ad tranſigenda negotia Religioni conducentia in eius ditionibus. Nefas illi Principi viſum iri, ſi per eam opportunitatem ampliſſimis illis Patribus obſeruantiam ſuam non exhiberet: Oratoris miſſionem ab eo protrahi, quòd nondum ſibi præſtò eſſet Theologus, qui ſibi par illi operi videretur; ſed ſperare, ſe breuî id facturum. Concinnè ab eo, qui erat à ſecretis, reſponſum eſt. Et Legati deinde cum litteris ad Pontificem commendatitiis illum dimiſere[c].

c Ad Borromæum, 6. Martij 1562.

6 Publica ſecuritatis promiſſio, de qua diximus, Tridenti vulgata eſt die octauo Martij[d], & affixa valuis Eccleſiæ primariæ; curatumque eſt, vt deinceps in variis Prouinciis ea vulgaretur per Nuntios Apoſtolicos illic degentes. Ipſam præcipuè miſerunt Legati ad Ferrarienſem Cardinalem in Galliam, duabus ipſi litteris conſcriptis: alteris, quæ regio Conſilio poſſent oſtendi; per has petebatur, vt exemplaria traditæ ſecuritatis, typis excudi, ac promulgatio in cunctis Galliæ prouinciis permitterentur: alteræ arcanæ erant, quibus Legato ſignificabatur, non fuiſſe ibi Galliam nominatam, ne fortè Gallos id pungeret, quaſi ipſorum patria videretur hæreſis impunitæ tuta ſtatio declarari; ſed ipſe vnumquemque planè certum redderet, mentem Patrum fuiſſe, vt illud etiam regnum voces vniuer-

d Acta, & Diarium.

1562. ſales complecterentur; cùm ſatis illi cognoſcerent, temporum conditionem ibi tuliſſe, vt profeſſio ac prædicatio ſine ſtrepitu nouæ doctrinæ, ſupplicio non plecterentur.

Hìc nauiter hallucinatur Suauis, dum ait, ibi Galliam diſertè 7
memoratam non fuiſſe, ne regium Conſilium offenderetur, ſi palàm affirmaretur, eſſe in Gallia homines Regi rebelles; cùm alia longè ſint, eſſe ibi ſubditos Regi rebelles, & hæreſim ibi eſſe impunitam; quemadmodum nunc reipſa Rex rebelles non habet, & tamen in eius ditionibus Caluini hæreſis libera eſt; & è conuerſo, cùm hiſce poſtremis annis populus Neapolitanus à ſuo Rege deſciuerat, non ideò illic hæreſis libertate potiebatur. Grauius errat in recenſendis variis conſiliis habitis, an Græci, Angli, atque Scoti eſſent nominandi. Etenim neque Acta publica, nec priuata Paleotti aut Salmaticenſis Epiſcopi [e], nec Legatorum litteræ ad Borromæum, nec plures epiſtolæ, arcanis minutiſque rebus refertæ, quæ ſunt apud me, de Tridentinis deliberationibus, ac præcipuè de hac ipſa, ne vmbram quidem continent eorum, quæ hìc variis pigmentis ſuis à Suaui confinguntur.

[e] Infrà citabitur vnde habita ſint.

Tertium ſupererat caput, de venia iis offerenda, in quos Fidei 8
tribunalia inquiſierant. Hìc pariter Suauis miſerè labitur, vbi narrat, à Legatis, iam conſciis Pontificiæ mentis, huic veniæ repugnantis, eius auctoritate nequaquam periclitationi commiſsâ, negotium eò fuiſſe deductum, quò ipſi ad obſequendum Pontifici cupiebant; cum tamen, antequam id noſſent, ait ille, fuiſſent inter ſe diſcordes, cùm propenderet primus Legatus ad vniuerſalem veniam offerendam cuiuis hominum, qui ad eam petendam illic ſe ſiſteret; huic verò tam largæ indulgentiæ Simonetta repugnaret. Vtrumque falſum eſt. Legati ad eam vſque diem mentem Pontificis ignorabant, adeoque ad Borromæum ſcripſerunt [f], Spectare ſe inituros rationem aliquam conſulendi Inquiſitionibus, Hiſpanicæ & Luſitanicæ; ea verò erat, quemadmodum poſteà declararunt, [g] deſtinatio quorumdam Præſulum Tridenti morantium ad ſingulas haſce nationes, qui pro rerum cōditionibus eas cauſas cognoſcerent, ferrentque ſententiam, an poſſet impertiri venia abſque eorum Tribunalium offenſione; atque pio iudicio illorum Præſulum aut concedendum eſſe reis veniam, aut eoſdem remittendos ad ordinarios ipſorum iudices: quod & ſecuta omnis detrimenti ea Tribunalia reddidiſſet, & ſimul nanciſcendæ ibi gratiarum aræ ſpem multis feciſſet. Sed quod ad Romanam Inquiſitionem ſpectabat, vniuerſæ Italiæ cauſas complectentem, aiebant, Nullum ſibi conſilium in mentem

[f] 5. Martij 1562.

[g] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 11 Martij 1562.

mentem venire, niſi priùs à Pontifice auctoritatem directionemque accepiſſent; & ex altera parte compertum ſibi eſſe, complures ad pœnitentiam pronos futuros, ſi clementiæ certi forent. His addebant; Communiter Patres ſentire, huiuſmodi clementiam exercendam eſſe; cùm talis charitas congruere videretur tum dignitati ſolemnis Concilij, ad fidelium ſolatium coacti, tum conditioni temporum, quæ potiùs ſuadebant vt exules reuocarentur, quàm vt iidem per deſperationem in rebelles conuerterentur. Ex quo falſa pariter deprehenditur alia conditio à Suaui narrata, hoc eſt, ſententiarum diſcrepantia inter Præſides in hac deliberatione, quando in litteris communi nomine conſcriptis non ſolùm omnes indulgentiam ſuadebant, ſed etiam teſtati ſunt, ita Patres vniuersè ſentire[b]: quin perſiſtere in hoc ſuo conſilio ſuſtinendo, etiam poſtquam Pontifex contrarios in ſe ſenſus patefecit, & in ſuos illum traxiſſent, niſi repugnantia eorum, de quibus dictum eſt, Tribunalium obſtaculum obieciſſet. Quapropter receſſum fuit ab ea quam meditabantur ad nationes omnes extenſione. Sic itaque ſe res habuit. 1562.

b In citata epiſtola 23. Martij.

9 Pontifex eo plane die[i], quo Tridenti promulgata eſt conceſſio publicæ ſecuritatis, pro regionibus in quibus conſcientiæ libertas erat, per Botromæum ad Legatos ſcripſit, videri ſibi, excogitari penè non poſſe voces ita temperatas, quibus ſimul dignitas Concilij ſeruaretur, quò liceret tutò accedere cuiuſcumque nationis hominibus, ſimul omnis ratio haberetur quam bonum publicum poſtulabat: ſed quoniam oportebat huiuſmodi ſecuritatis tabulas aliquo tandem modo formari, hunc à ſe optimum cenſeri: Vt, quod in Legatis erat, tutus aduentus omnibus concederetur ſine vlla coarctatione; ita tamen, vt ſolùm ſecuritas indulgeretur ad acceſſum, ad commorationem, & ad diſceſſum; quo pacto nihil inferretur obicis Fidei Tribunalibus ad cauſam agendam in reos, ſiue in cuſtodia detentos, ſiue contumaces: quandoquidem hinc ſatis erat, vt innoteſceret ſontibus, ſe habituros Tridenti eamdem libertatem, quam in aliis terris profugi obtinebant, & quâ manus Iudicum in eorum regionibus minimè ligabantur; hinc verò S. Inquiſitionis Tribunalia, Luſitanica & Hiſpanica, nihil conqueri poſſent, cùm ea ſecuritatis promiſſio maiorem libertatem reis non concederet eâ, quâ reipſa fruebantur profugi per Galliam & Germaniam.

i Epiſt. Borromæi ad Legatos, 8. Martij 1562.

10 Quod ſpectabat ad Romanum Tribunal; volenti animo conſenſurum eſſe Pontificem, vt promulganda ſecuritas tam ampla, tam indulgens, tam efficax foret, quàm Legatis placeret; idemque opta-

1562. turum fuiſſe, vt de reliquis Fidei Tribunalibus per alia regna fieret: ſed in præſentia rationibus præualidis ſe retineri, ne illa arctius obligaret. In eamdem ſententiam litteras iterari iuſſit paucis poſteà diebus[k]: Videri ſibi, ſatis eſſe memoratam formam, vtpote vſurpatam ſedente Iulio, tametſi pro ſola natione Germanica: non igitur opus eſſe cauſarum cognitionem à Synodo ſuſcipi, neque ſontes abſolui: verumtamen non idcircò clementiæ ſinum occludi iis, qui ex animo reſipiſcerent, vellentque ad Deum regredi; ſed id pro rerum ſingularium conditionibus eſſe à Legatis ſignificandum Pontifici, & ab eo reſponſa præſtolanda. Quod attinebat ad S. Inquiſitionem Romanam, adhibebantur verba ſuperioris epiſtolæ, quam attulimus, ſed cum obtecto quodam quaſi receptu, hoc eſt, Pontificem in eo haud futurum fuiſſe difficilem, *quantum erat in ſe* (quo indicabatur, S. Inquiſitionis Cardinales ægrè id pati) ſed ſperati tunc ſufficere ſuſceptum conſilium: nihilominùs integrum negotium à ſe committi iudicio Legatorum; quibus eiuſmodi mandata mira videbantur, aientibus, A ſe non percipi ad quod emolumentum inuitabantur ij, in quos inquirebatur, per conceſſam publicè ſecuritatem, ſi reduces ad frugem ac pœnitentes excipiendi indulgenter non erant pio Eccleſiæ ſinu; cùm ij non ad diſceptandum, nec ad obſiſtendum, ſed ad retractandos errores, planeque reſipiſcendum acceſſuri erant. Pontifex has rationes probauit, reſcripſitque[l], reſponſum à ſe redditum fuiſſe in modum conſilij ab ipſis petiti, non reſtrictionis: placere ſibi rationem propoſitam pro reis huiuſmodi in Luſitania & Hiſpania, modò tam id circumſpectè ageretur, vt illis prouinciis fieret ſatis, & de Romano Inquiſitionis Tribunali omnem ipſis libertatem concedi. Ita negotium tunc proceſſit. Verùm Præſides, ſeu voluntatem accedendi, ſeu reſipiſcendi quidem certè in ſontibus haud conſpicatos, ſeu inſuperabilem difficultatem expertos in Luſitaniæ Hiſpaniæque Tribunalibus, nec ratos, honorificentius ea quàm Romanum habenda eſſe, haud comperio ad laxiorem declarationem fuiſſe progreſſos.

k Litteræ Borromæi ad Legatos, 14. Martij 1562.

l Borromæus ad Legatos, 14. Aprilis 1562.

Oratores Cæſarei, contenti publicâ ſecuritatis fide Germaniæ conceſsâ, duos interim libellos Legatis porrexere[m]. Poſtulabant in altero, vt Synodus publicis litteris Proteſtantes inuitaret; in altero, vt Clero Germanico diſciplinæ leges præſcriberet. Exploratum priùs eſt à Legatis, an mandatum Principis, an priuatus Oratorum ſenſus libellos dictaſſet; & hoc poſterius nacti ſunt quod ad prius poſtulatum ſpectabat: ſed de altero ancipites fuere; quod multos poſt dies compertum eſt profectum à Cæſare[n]. Illis acceptis, reſpon-

m Litteræ Legatorum ad Borromæum, 5. Martij 1562.

n Litteræ Legatorum ad Borromæum, 17. Martij 1562.

reſponderunt, Videri haud poſſe cum dignitate Concilij Proteſtantes inuitari, ob eas cauſas, quæ ætate Pauli III. Synodum ab eo cohibuerant, cùm idipſum in conſilium adductum fuit; eoque magis, quòd poſteà Pontifex, cùm per ſuos Nuntios tam ſingulari humanitate rem tentaſſet, contumelias à multis retulerat, à cunctis repulſam. Si Concilium ipſum ſuo nomine inuitamenta iteraſſet, occaſionem illis porrectum iri ad obfirmandam potiùs petulantiam, quàm ad amplexandam pœnitentiam. Verumtamen vbi Cæſar id peteret, temporumque conditioni conſentaneum exiſtimaret, eâ Legatos reuerentiâ proſequi Ferdinandi ſenſus, vt re Patribus ſignificatâ omnem operam daturi eſſent, quò Cæſaris votum expleretur. Cùm autem paucis pòſt diebus redux è Belgio Commendonus Tridento tranſiret, ad patriam iturus [o], Præſides habuerunt in animo, quod ipſi propoſuerunt, illum ad Ferdinandum legare, quò de rebus Concilij eum edoceret, exploraretque illius animum de proceſſus celeritate, ac de toto negotio. Sed Pôntifici ea legatio probata non eſt [p], quippe plurimum fragoris, plurimumque difficultatis allatura; opportunius id peragi poſſe operâ Delfini Nuntij, ibi degentis. Sed reipſa Cæſar factus ab Oratoribus certior de ipſorum poſtulato, vt inuitarentur hæretici, & de Legatorum reſponſo, illo improbato, hoc probauit [q].

1562.

[o] Litteræ Legatorum ad Borromęum, 16. Martij 1562.

[p] Conſtat ex litteris Legatorum ad Borromęum, 27. Martij 1562.

[q] Litteræ Ferdinandi ad Oratores, Pragâ, 30. Martij 1562.

Ad alterum Cæſarianorum libellum, de reformanda Germaniæ diſciplina, reſponſum à Legatis eſt: Cùm in Concilio præter Oratores Cæſareos nullus earum regionum Præſul, nullus Orator aut Procurator adeſſet, haud videri, quo pacto aut agitari res poſſet cum plena rerum notitia, aut ſtabiliri cum certa ſatisfactionis ſpe.

11 Placuit tamen, vt aliqua expenderentur [r] ad conſulendum vniuerſali emendationi. Huius autem ſupra modum cupidus erat Seripandus; is nimirum, qui cum purpuræ ſplendore retinebat vitæ integritatem, quam ſemper ſeruarat inter ſepta religioſa, ratus, à noua dignitate aditum ſibi non laxari ad faſtum augendum, ſed ad pietatem promouendam: quare datum ipſi negotium fuerat, vt à variis Præſulibus, piis & cordatis, exquireret, quæ ipſorum iudicio opportunius eſſent corrigenda, quò Eccleſia renideret, & aduerſariorum linguæ retunderentur. Emendationis modulum ſtatim ille confecit, cuius vnà cum illo architecti crediti ſunt Mutius Callinus Archiepiſcopus Iadrenſis, Iulius Paneſius Dominicanus Archiepiſcopus Surrentinus, vterque Brixienſis, Ludouicus Beccatellus Archiepiſcopus Raguſinus, Ægidius Fuſcararius Epiſcopus Mutinenſis, & Hieronymus Galeratus Mediolanenſis, Epiſcopus

[r] Cuncta in Actis Paleotti.

1562. pus Sutrinus, ex Moroni Cardinalis ſorore genitus. Modulum detulit Seripandus iis, qui ſibi auctoritatis ſocij erant, celato ipſis eorum nomine, qui ſibi laboris ſocij fuerant; illi verò eius cognitionem Simonettæ commiſerunt, vtpote Iuris Pontificij, Romanorumque Tribunalium peritiſſimo. Is in conſilium vocauit Caſtaneam, Boncompagnum, Paleottum, & Ioannem Baptiſtam Caſtellum Bononienſem, Concilij Promotorem, qui Ariminenſis Antiſtes poſtmodum fuit, & poſtremis vitæ annis Galliæ Nuntius, plurima edidit Religionis exempla; nequaquam Auguſtino accerſito, ſicuti in ſimilibus negotiis conſuetum erat, propterea quòd innotuerat, Hiſpanos meditari propriam ſuorum ingenium emendationem Synodo proponendam.

Præcipua inter delectos Patres dubitatio fuit, num ducendum eſſet initium à rebus grauioribus, & ad Aulam Romanam ſpectantibus, an à minùs ponderoſis, & cuicumque Diœceſi communibus. 12
Ad priora Seripandus eos hortabatur, vt ipſa Concilij frons palàm omnibus faceret, fabricam conſtrui ex marmore ſolido, non ex tela, & aſſeribus colore fucatis, perinde ac ſcenæ fabricantur. Ita maledicorum linguas hebetatum, animoſque compluribus additum iri ad Concilium adeundum, iam certis, operæpretium labori futurum; eoque id animoſiùs effici poſſe, quòd Pontifex Paleottum ad Concilium mittens, ſæpiùs ei diſertè dixerat, velle vt illic omnis adhiberetur libertas ad ſuam Aulam, & etiam ad ſeipſum reformandum in iis quæ in Eccleſiæ rem cenſerentur. Verùm contrà diſſerebant alij: Ea quæ plus arduitatis haberent ac momenti, indigere maiori frequentiâ omnium nationum; ne, dum vellent oſſa luxata componere, deformius quiddam conflarent: abeſſe Germanos, deeſſe Gallos; quo pacto igitur poſſe Patres reddi certos, quid hæc aut illa natio deſideraret in Aula Romana, & in ipſo fonte Eccleſiaſticæ diſciplinæ, & quæ morum emendatio eſſet illis ſatisfactura? Eorum igitur aduentum expectandum eſſe, & interim propoſita capita ad Pontificem perſcribenda, quò ea maturè perpenderet. Non licere ipſis fidenter agere in huiuſmodi deliberationibus, niſi priùs cognito illius iudicio, qui cùm ſupremum Reipublicæ regimen teneret, omnium optimè Rempublicam calleret; & niſi priùs accepto illius explicito conſenſu, qui cùm ſummam auctoritatem poſſideret, numquam in rebus maximis ſufficientem dabat, niſi cùm peculiarem dabat. Non deeſſe per id temporis argumenta vtilia, tametſi minora, ad inſumendum tempus cum fidelium profectu & cum fructu, ſed abſque periculo: Arti ac pruden-

tiæ

tiæ imitandam eſſe Naturam, quæ nonniſi per gradus ad opera ſumma progreditur. Hæc ſenrentia potior fuit. Equidem diiudicare nequiuerim, laudabilior ne illa fuerit: ſaris comperi, eam illaudatam; multumq́ue ademiſſe fidentiæ, bonæq́ue opinionis erga Legatos ac Pontificem, donec experimenro ſuſpicionum falſitas comperta eſt. Onerabatur præ ceteris Simonerta, quem ferunt[f], in ſuo Datarij munere fuiſſe gloriatum de fructibus pecuniariis, per ſe ſuo Principi auctis, nimiumq́ue inhiaſſe ſuis emolumenris in illius Aulæq́ue Romanæ commodum. Vtcumque res habeat, conſilium tunc initum eiuſmodi fuir: quare ſtatutum eſt, vt duodecim capita in hanc ſententiam proponerentur. 1562.

[f] Extat in narratione Nicolai à Ponte, Oratoris Veneti apud Concilium.

13 1. Perpenderent Patres, quæ rario eſſet habenda quò cuncti Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & qui procurarionem animarum exercent, ſuis in Eccleſiis reſiderent; nec inde diſcederenr, niſi ex cauſis honeſtis, neceſſariis, & Eccleſiæ Catholicæ conducentibus.

2. An opportunum videretur, ne cui ſacri Ordines traderentur, niſi titulo Beneficij; cùm compertum eſſet, multas fallacias committi in ſuſcipiendis Ordinibus titulo patrimonij.

3. Pariter, an expedirer, vt nec Ordinem conferentes, nec ipſorum miniſtri ac ſcribæ, quidquam caperent ob Ordinis collationem.

4. Num concedendum Epiſcopis, vt ex Præbendis, ad ſeruiendum non obligantibus, poſſent ſtatuere diſtributiones quotidianas in illis Eccleſiis, in quibus aut nullo modo erant, aut ita tenues, vt negligerentur.

5. An illæ Parœciæ, quæ ob ſuam amplitudinem indigebant pluribus Sacerdotibus, diuidendæ quoque eſſent ab Ordinario in plures titulos.

6. An è conuerſo Beneficia curata, quæ idoneos ad victum commeatus non ſuppeditant, multa in vnum debeanr coaleſcere.

7. Quia multi Parochi ob ſcientiæ penuriam, prauamq́ue viuendi rationem, parum erant idonei, & deſtruebant poriùs quàm ædificabant, peioreſq́ue eorum erant vicarij, num oporteret vt Epiſcopus adiutores illis deſtinaret, certo fructuum prouentu iis attributo.

8. An concedenda eſſet Epiſcopis facultas transferendi in Eccleſias matrices Sacerdotia & ſacella à tempore diruta, quæ ob inopiam reparari nequirenr.

9. Num ſtatuendum, vt Beneficia commendata, etiam regularia,

1562. laria, inuiſerentur & corrigerentur ab Epiſcopis.

10. An ſtatuendum, vt matrimonia clandeſtina in poſterum irrita eſſent.

11. Quæ conditiones declarandæ eſſent vt neceſſariæ, ne matrimonia eſſent clandeſtina, ſed in facie Eccleſiæ contracta.

12. Plurimum eſſe cogitandum, quid expediret conſtituere de abuſibus non modicis Quæſtorum.

Inter articulos recitatos duo illi de matrimonio clandeſtino libenter incluſi fuerunt[t], non ſolùm ob vtilitatem ipſius rei, ſed quia inde argumentum ſuppetebat committendum, ſicut effectum eſt, minorum Theologorum ſtudio, quorum ibi non modica erat frequentia, & qui ſi Iuriſconſultos exercitos, ſe verò otioſos ſpectaſſent, vel triſtati vel diſperſi fuiſſent; cùm verum ſit effatum Philoſophi, Idem eſſe viuere, ac agere; vnde is, cui nihil agendum datur, aut pro lapide aut pro cadauere haberi videtur. 14

[t] Litteræ Legatorum ad Borromęum, 12. Martij 1562.

Scriptum hoc Oratoribus Cæſaris communicarunt[u] Legati, antequam conuentui proponerent, pro eo ac fuerant ab illis generatim rogati. Illud ab Oratoribus probatum eſt. Poſteà rem animo recolens Simonetta, quaſi futurarum commotionum præſagus, admonuit, ob primum illud caput de manſione apud proprias Eccleſias timendum eſſe, ne pelago committerentur, cæcis ſcopulis referto; adeoque ſibi opportunius videri per ea tempora illud omitti: eâque vſus eſt ſuaſionis efficaciâ apud collegas, vt omnes de illo prætermittendo conuenirent; ita tamen vt id priùs Cæſarianis ſignificaretur, ſicut de ſcripto effectum fuerat. Rem itaque Cæſarianis ſignificarunt Legati die vndecimo Martij, cùm eſſent ingreſſuri conuentum, cauſati, declarationem de tam graui argumento ſeruari maiori conſeſſus frequentiæ: ſed Oratores acriter reſtitere, obiectantes, eo ſublato capite nihil ſuperfuturum niſi minutum aut leue; & iam ab ſe miſſum ad Cæſarem fuiſſe exemplum ſcripti quod cum ipſis Legati communicarant ac ſtabilierant: ac proinde Cæſari, qui emendationis ſtudio tam vehementer flagrabat, rem illam viſum iri figmentum quoddam atque ludibrium. Nec Oratores de Ferdinandi mente falſi ſunt, cùm ille, vbi primùm duodecim proponenda capita luſtrauerat,[x] reſcripſiſſet, à ſe libenti animo ea comprobari: dein comperto Legatorum conſilio de primo capite omittendo, admirationem, animíque moleſtiam indicauit, collaudatis[y] Oratoribus quòd rem obturbaſſent. Quocircà ex iis, quæ poſteà ſecuta ſunt, addiſcere Legati potuerunt, omnem deliberationem habendam eſſe, quamdiu opus in plena deliberantis facultate verſatur. 15

[u] Litteræ Legatorum ad Borromęum, 9. Martij 1562. & Acta Paleotti.

[x] Ad Oratores Pragâ 30. Martij 1562.

[y] Litteræ 5. Aprilis.

Tunc

16 Tunc itaque non auſi Præſides eam iuſtæ querimoniæ cauſam præbere Cæſarianis ac Cæſari, ſcriptum cum omnibus articulis ad Patres detulere: cumque cognoſcerent, id multis ſuam infra expectationem ac votum videri poſſe, Mantuanus, cuius erat proponendi munus, ſtuduit eloquenti procemio rem amplificare. Poſtquam teſtatus eſt ſuam Collegarumque propenſionem ad reſtituendam collapſam Ordinis Eccleſiaſtici diſciplinam, ardoremque propenſis ipſorum animis iniectum ab inflammatis ac frequentibus Patrum poſtulationibus, ſubiecit, exordiri ſe ab illis articulis, de quibus accuratam Synodi conſiderationem expetebat: ne grauarentur ſuperſedere iudicio de rei æſtimatione, tantiſper dum opus iam abſolutum aſpiceretur. Quiſquis, inquit ille, vnum alterúmve corporis humani membrum diuiſim à reliquo ſpectaret, non poſſet illud digno in pretio habere, donec animaduerſo poſteà diſpectoque integro illo admirabili naturæ ædificio, proportionem atque vtilitatem inſpectarum anteà partium cum ipſo toto conferret. Similiter in quauis Republica in emendatione morum, & in ſingulis operibus, in quibus harmonia ac proportio inſit, diiudicari non poſſe, quanti ſit habendum adnexum reliquis id quod per ſe ſolum nullius pretij videtur, niſi obuerſetur ob oculos totum conflatum. Quis vnicâ inſpectâ tunicâ, vnicâ membranâ arbitraretur eas eſſe tanti momenti ad actus planè diuinos, nempe videndi aut intelligendi? Omnino conditionem eſſe partis, quatenus pars eſt, vt nihil boni aut oſtendat aut habeat niſi reſpectu totius. 1562.

CAPVT II.

Acceſſus Oratoris Hiſpani, Heluetici, ac Florentini. Lis inter duos poſtremos compoſita. Aduentus Procuratorum Hungarici Cleri. Senſa Philippi Regis expoſita ab ipſius Oratore.

1 AVidè prætolabantur Patres multorum Principum Oratores, qui dignitatem ſimul auctoritatemque Synodo conferrent. Sed ſubinde ſunt experti, ingentis eſſe lucis, vt quantum clarificet, tantum adurat ac percellat; cùm ex ea ſæpè litigia exorta fuerint, à quibus ipſi adigebantur ad tam infortunata iudicia, vt quidquid diiudicaſſent, ipſorum maxima eſſet iactura. Prior adfuit [a] Ferdinandus Franciſcus Aualus ab Aquino, Piſcariæ Marchio, & Mediolani Moderator, à Rege Catholico Tridentum legatus, ne id officij ampliùs protraheretur; non ita tamen, vt liceret Aualo ibi conſiſtere. Obuiàm illi prodiere nonaginta planè Præſules,

[a] Diarij 14. & litteræ Legatorum ad Borromęum, 16. Maij 1562.

1562. ſules, & omnes Principum Oratores, præter duos Eccleſiaſticos Ferdinandi, quos non mittere ſatiùs viſum eſt Legatis, propterea quòd renata cum Hungarico fuiſſet Luſitani contentio: nec ſolus Hungaricus retineri poterat; quia videretur is loco ceſſiſſe Luſitano, niſi eius abſentia cohoneſtata fuiſſet aliquo titulo, qui communis foret alteri, citra controuerſiam Luſitanum præſtanti, cuiuſmodi erat Muglizius. Eà igitur habitâ ratione Legati dixerunt, ſatis eſſe, vt Hiſpano obuiàm iret alter ex Oratoribus Cæſareis, ille ſcilicet, qui, vtpote laicus, Auali conditioni congruentior videbatur. Quare Piſcarius inter Tonum ac Maſcaregnam medius vrbem ingreſſus eſt, quem excepit hoſpitio Mantuanus octo ipſos dies, quos illic Aualus moratus fuit.

b 15. Martij in Diario.

Poſtridie Tridentum peruenerat [b] Ioannes Strozzius, Orator 2 Coſmi Florentini Ducis, ad quem complures Concilij Patres, quà familiarum, quà Eccleſiarum illi ſubiectarum causâ, attinebant; adeoque cùm eius erga Religionem ſtudio, tum erga Pontificem beneuolentiâ non parum ab ipſo res Concilij ſunt promotæ: & volumen litterarum, quas Strozzius [c] ad Ducem ſcripſit, à me perlectum, ſingulares ad meum Opus mihi rerum notitias ſuppeditauit. Supra ſexaginta Patres illi accedenti extra Tridentum obuiàm proceſſerunt, & equitanti comites ad latera fuere Elius Patriarcha, & Epiſcopus Mendoza.

c Inter ſcripturas Barberinorum.

d 16. Martij.

Dies poſterus aliâ legatione ſolemnis fuit [d]. Duos illa complecte- 3 batur ab Heluetiis miſſos: erat alter Melchior Luſſus, Oratoris nomine deſtinatus à ſeptem Pagis Catholicis, qui poſteà mandatum etiam accepit à Pago Claronenſi, Catholicis & hæreticis mixto, ſed prioribus in ea præpotentibus. Alter erat Ioachimus, Abbas è ſancti Benedicti familia, qui Præſulum Clerique perſonam gerebat. Poſteà verò ſuperuenit alter Abbas, Procurator Epiſcopi Sedunenſis, & quarumdam Canonicarum Regularium. Curatum eſt, vt honorificè exciperetur Orator, ſexaginta ferè Epiſcopis illi obuiàm Tridento egreſſis, & hoſpitium præbitum ſumptu Pontificis, quemadmodum agi ſolet cum ea natione, vbi religionis causâ è patriis ſedibus ipſius miniſtri legantur: vt proinde oportuerit eo temporis ſpatio, quo ille Synodo adfuit, ducenta ſcuta in menſes ſingulos eidem ſuppeditare [e], haud minori ſummâ contento. Similiter pro more nationis, quamuis Italicè noſſet, per interpretem loquebatur.

e Conſtat ex litteris Borromæi ad Legatos, 18. Februarij, & 2. & 15. Aprilis 562.

Eodem die in generali conſeſſu Hiſpanicus Orator exceptus eſt; 4 vbi protulit litteras ac mandata Regis, in quibus Synodus diſertè nomina-

nominabatur[f] *Continuatio*, non ſine Cæſarianorum moleſtia; habitaque eſt eius nomine oratio conſueta à Galeazzo Brugora, Mediolanenſi, Fiſci Procuratore. Reſponſio illi reddita a Synodo, Ioannis Beroaldi Epiſcopi S. Agathæ opus fuit. Poſtquam autem Aualus breuiter egit cum Legatis de iis quæ paulò pòſt narrabimus, Tridento diſceſſit; cùm illi neceſſe foret ad ſuam adminiſtrationem regredi, tametſi nondum præſtò eſſet aduentus Comitis Lunenſis, cui legatio continua apud Concilium commiſſa fuerat.

1562.

f Litteræ Archiepiſcopi Iadrenſis, 16. Martij 1562.

5 Poſt biduum ab excepto Hiſpanienſi Oratore[g] admiſſus eſt in conuentum Florentinus; dein poſt duos alios dies[h] Heluetius. Sed confeſtim inter eos certamen coortum eſt, quod Legatos non modicè perturbauit[i]. Etenim Heluetius ex mandato ſuorum Magiſtratuum locum proximum poſt Oratores Venetos, vbi ij adeſſent, ſibi poſtulabat, adeoque ſuperiorem quouis alio, qui Venetis eſſet conceſſurus, qualis erat Coſmi Ducis Orator. Sed hoc Strozzius recuſabat: è contrario prænuntiabat Heluetius, ſe, id niſi obtinuiſſet, pro eo ac ſibi deberi exiſtimabat, illicò diſceſſurum. Deſperarunt Legati, poſſe hominem quietum effici, niſi fieret eidem ſatis; gnari quàm delicati, & ad iram proni ſint Rerumpublicarum adminiſtri, ac præcipuè Tranſmontanarum & popularium. Intelligebant, Heluetiorum abſceſſum tanto futurum fuiſſe gaudio hæreticis, quantæ fuerat mœſtitiæ eorumdem acceſſus; & ex altera parte, nec facile neque conducibile futurum, cauſam Heluetio adiudicare: non facile, quoniam complures Duci ſtudebant, non ſolùm quotquot erant Antiſtites illi addicti, ſed etiam ex Neapolitanis & Hiſpanienſibus, vxoris ergô: non conducibile, quia potuiſſet per id tanti Principis Italici animus alienari, cuius gratia magni eſſe ponderis cenſebatur, quò per ſuffragia Italæ nationi coniuncta haberetur æquipondium in viribus externorum, qui videbantur interdum minùs æquè ac moderatè aduerſus illam ſentire. Quapropter ſtatuerunt Præſides curſorem tabellarium ad Pontificem mittere, quò per amicitiam, quâ Pius cum Coſmo iungebatur, ſtuderet illi ſtatim perſuadere, ne huiuſmodi æmulationem inſumeret; & vbi Dux aliquem in eo moleſtiæ ſenſum experiretur, hunc ipſum bono Chriſtianæ Reipublicæ donaret, quod ſanè plus illi gloriæ plauſuſque peperiſſet, quàm quæuis prærogatiua, ex victoria de huiuſmodi æmulo reportata. Intereà per opportunitatem ſacratioris Hebdomadæ, dierumque feſtorum Paſchatis, de induſtria Legati cœtum retardarunt, qui certaminis campus fuiſſet, donec reſponſio redderetur, quæ cita fuit, & ex ſententia. Coſmus, prudenti ac modera-

g Die 18.

h Die 20.

i Litteræ Legatorum ad Borromæum, 16. & 18 Martij 1562.

1562. to animo Princeps, ſatis gnarus, quantum odij apud omnes Catholicos ſibi conflaretur, ſi eius causâ Synodus amiſiſſet obſequia illius potentis ac vacillantis Reipublicæ, mandauit [k] Oratori, ne ſolemnibus functionibus intereſſet; ſed cum tempus ad eas celebrandas aduentabat, per honeſtè quæſitam occaſionem Tridento diſcederet, & propinquis in locis moraretur.

k Ex reſponſo Legatorum ad Borromæum, 30 M rtij 1562.

Alia ſuperuenit legatio admodum honorifica, & nihil moleſta, 6
ſicuti eæ quæ præceſſerant. Die ſexto Aprilis [l] excepti ſunt Ioannes Coloſuarius Dominicanus, & Andreas Dudizius Sbardellatus, Epiſcopi Canadienſis, & Titinnienſis, qui communi nomine Præſulum Clerique Pannoniæ aduenerant. Neceſſariam Primariorum abſentiam excuſarunt, quòd ipſi ſuas Eccleſias diuexatas tueri cogerentur, ſuas omnes res in Concilij arbitrio reponentes, pollicitique promptam illius ſanctionibus obedientiam. Orationem recitauit Sbardellatus, nomen, quod ob ſubſecutam hæreſim & ipſi & Antiſtitum ordini ignominioſum ſuperfuit: non propterea meritâ illum laude fraudauerim in dicendi lepore; vnde effectum eſt, vt nulla alia oratio à Legatis adeò commendata reperiatur: quare ſcripſerunt [m], ab illa, tametſi maximè prolixa, ita eius venuſtate Patres fuiſſe deceptos, vt quamquam integrum ſpatium, etiam negotio deſtinatum, conuentui ademptum fuerit, id illi neutiquam animaduerterint; quod ſanè perrarò contingit auditoribus ſenſu delicatis, temporiſque præparcis. Reſponſum eſt, commendari à Patribus ſtudium Primariorum erga Religionem; eorum res, Concilio ab ipſis commendatas, curatum iri, & gratiorem ſibi futurum fuiſſe illorum Præſulum aduentum; ſed cùm publicæ neceſſitatis causâ detinerentur, & Oſij Legati teſtificatio id confirmaret, eorum excuſationes à Synodo admitti, præſertim quòd ſperaret, illic non minùs quàm ſi Concilio adeſſent, eos rem Eccleſiæ promoturos.

l Ex Diario.

m Ad Borromæum, 6. Aprilis 1562.

Neque ſolùm in ſpecioſa vrbanitatis officia tempus inſumptum 7
fuerat: Aualus, cùm Tridento proficiſceretur, Regis epiſtolam Legatis dedit, pietatis ſtudium & obedientiam omnino ſpirantem, quâ illi non mediocriter lætati ſunt, eius exemplo ad Pontificem tranſmiſſo [n]. Orator edoctus ab ipſis fuit formam agendique rationem, ad eum vſque diem obſeruatam [o]; & non modò abſque querimonia, ſed cum laude reſpondit. Affirmauit, in mandatis ſibi traditis nihil ineſſe, excepto Continuationis capite, quod præteritis ipſorum actis diſcordaret; & quod ſpectabat ad futura, diſertis ſibi iuſſis impoſitum fuiſſe, vt ipſe iis omnibus aſſentiretur, quæ aut cauſæ publicæ vniuersè conducerent, aut propriæ Pontificis: quin

n Epiſtolæ Legatorum ad Borromæum, 23 Martij 1562.

o Eorumdem litteræ ad eumdem, 16 Martij 1562.

vbi

vbi cenſeret Synodus, cunctationem aliquam profuturam, Regem minimè repugnare; ita tamen, vt Aualus Hiſpanis Patribus palàm fecerit, mentem Regis non eſſe, eorum conſcientiis[p] onus imponi: proinde ſi moram opportunam exiſtimarent ad præſtolandos Germanos alioſque Hiſpanienſes, qui propediem acceſſuri erant, id Regi moleſtum haud futurum; ſin minus, & in eo & in reliquis omnibus proſequerentur quidquid Eccleſiæ conducibile putarent. Verum Antiſtites illi nihil magis oderant quàm dilationem, vt quæ ipſis adimebat priuata ſuarum ſedium commoda, nec honorificis momentoſiſque publicæ auctoritatis exercitationibus ea compenſabat. Quare firmum præ ſe gerebant animum ad progrediendum: & quemadmodum in rebus magis odioſis fœdiſſima ſemper ſpecies obtenditur, aiebant moueri Regem ad prolationem à Cæſaris poſtulatis, & à Cæſare illam peti non ex fiducia flectendi Proteſtantes ad Concilium in futuris Comitiis, ſed ex cupiditate eos ſibi alliciendi ad electionem à ſe conquiſitam, quâ eius filius Romanorum Rex conſtitueretur; & ad quam exiſtimabat eos non facile adductum iri, ſi Tridentinis proſcriptionibus, eius conſenſu habitis, illi denuò percellerentur. Quicumque moleſtè fert Principis actiones, lenire ægritudinem ſolet, eas ambitioni vertendo; ſiue id fiat ex veriſimilitudine inſimulationis, ſiue quia, cùm Politica quædam ſit ars quam perpauci probè callent, ſibi quiſque arrogat facultatem eius concipiendæ, ſuoque arbitratu exprimendæ. 1562.

[p] Extat in epiſtola Oratoris ad Coſmum Ducē, 26 Martij 1562.

CAPVT III.

Cæſaris & Gallorum intentio. Res agitatæ in Aula Gallicana de Religione & Concilio.

1 EX eo etiam acerbior huiuſmodi morâ Patribus videbatur, quòd Draſcouizius, qui eam ardentiſſimè flagitabat, ſimul aiebat[a], Comitia non ante Auguſtum menſem eſſe celebranda. Idcircò Legati parabant miſſionem curſoris ad Delfinum Nuntium, quò is clauum illum validis ictibus intruderet; ſed ea neceſſe non fuit. Iam ille ex ſuperioribus Legatorum Pontificiſque mandatis expoſuerat Cæſari, quàm eſſet & difficilis & importuna Epiſcoporum diuturna ibi retentio cum Eccleſiarum ſuarum detrimento, & abſque vniuerſali expetito adiumento. Id nonniſi cum eorum indignatione, probroque Reipublicæ Chriſtianæ fieri poſſe. Quare Ferdinandus reſpondit[b], Se recti deſiderio, & æquis rationibus impulſum, petiiſſe vt res protraheretur; ſed vbi Patres ob

[a] In epiſtola Oratoris ad Coſmum Ducem, 9. Aprilis 1562.

[b] Literæ Delfini ad Legatos, 30. Martij, viſæ ab Oratore Florentino, vt is in prædicta epiſtola teſtatur.

 alias

1562. alias æquiores rationes id noxium putarent, ſuis certè conſcientiis obtemperarent. Et ſanè etiam ante huiuſmodi officia, Cæſar abiectâ tandem ſpe flectendi ad Concilium Proteſtantes, per ſeipſum cognouerat, par non eſſe, vt bonum illud, quod fieri poterat, amitteretur, quò illud expectaretur, quod fieri non poſſe planè videbatur; & idcircò ſuos ad Oratores ſcripſerat [c], ſibi iam ſatisfactum fuiſſe, quòd Synodus cùm aperiretur, abſtinuiſſet ab odioſo vocabulo Continuationis, quodque in prima Seſſione dogmata non attigiſſet, quò facilior Proteſtantium acceſſus redderetur, quibus conceſſæ à Patribus ſecuritatis formam ſibi ſummoperè probari: in poſterum lentiùs ſe gererent Oratores in procuranda huiuſmodi deciſionum mora. Quod ſi Patribus ſatiùs videretur progredi, eorum iudicio ipſi acquieſcerent.

[c] Litteræ Cæſaris ad Oratores Pragâ, 13. & 21. Martij 1562.

Maior ac mordacior fuerat ſollicitudo ad id vſque temporis, de iis quæ intendebantur & agebantur à Gallis; non quidem quòd Pontifex tam ægro iratoque in eos eſſet animo, quàm is qui depingitur à Suaui: hic enim, gnarus iram à deſpectu excitari, libenter ac ſæpè Pontifices inducit iratos, quò deſpecti credantur. Certum eſt, in cunctis reſponſionibus & Gallici & Tridentini Legati ad Borromæum animaduerti, ſignificatam ab eo ipſis fuiſſe animi alacritatem in Pontifice ob recentes illius Aulæ nuntios, quippe multo tolerabiliores iis, quorum timorem incuſſerant vniuerſales præſagitiones priùs decantatæ. Adhuc tamen animis pendebant Legati, quòd ne vnum quidem illinc adeuntem Concilium viderent, quodque etiam Ferrarienſis cohortatus eos fuiſſet [d] ad neceſſarium quaſi conſilium, quo exoptatus hugonottorum miniſtris color auferretur ne illuc accederent, vt ibi quæcumque Continuationis declaratio vſque ad Synodi exitum declinaretur. Sed epiſtola Regis ad Inſulæ dominum, eius Oratorem Romæ, peruenit, ob quam Pontifex magnoperè gauiſus eſt, eiuſque exemplar [e] ad Legatos miſit. Dicebatur ibi, Regem haud laborare, an Continuatio, an noua Denuntiatio Synodus inſcriberetur, nec magni pendere hæc ſubtiliora, de quibus audiuerat Tridenti diſceptari; vnde colligi à Pontifice, inter adminiſtratores Galliæ, & Proteſtantes, eam coniunctionem non intercedere, de qua dubitabatur, præſertim ob neſcio quam legationem inter illos poſtremò ſuſceptam; ex qua coniunctione obex maximè formidabilis proſpero Concilij progreſſui ac ſucceſſui imminere potuiſſet. Metum inquam huiuſmodi hæc regia epiſtola mitigauerat: etenim in comperto ſatis erat, nulli rei aduerſari acriùs Proteſtantes, quàm anteactæ Synodo, eiuſque continuationi. 2

[d] Litteræ Ferrarienſis ad Borromæum.

[e] Exemplar eſt in epiſtola Borromæi ad Legates, 1. Martij 1562. cui ipſi 19. reſpondent.

nuationi. Adiecerat ibi Rex, eſſe ſibi in animo, Concilio commit- 1562.
tere controuerſias quæ de Religione naſcebantur; adeoque per ea
verba illius auctoritatem ac legitimam efficaciam agnoſcebat.

3 Sed non propterea hæc epiſtola ſpinam omnem è Legatorum animis euellit. Obſeruarunt ipſi, priores voces, recitatas de nominatione huiuſce Concilij, alligatas eſſe huiuſmodi conditioni, *dummodo fructus, quem Rex ſperabat, & cuius indigebat ipſius regnum, poſſet inde prouenire.* Quapropter cùm innoteſceret, religionis tumultus in Galliæ regno non minùs oriri ex opinamentis diuerſis de articulis iam deciſis in conuocationibus prius habitis, quàm de pendentibus, potuiſſet Rex per eam conditionem velle ſignificare, vt illic denuò de rebus iam definitis diſceptaretur: & eidem interpretationi altera particula ſubiacebat, cùm dilucidè videretur ea loqui de controuerſiis religionis, in eiuſdem Regis ditione feruentibus. Quare cùm ipſe vellet ea Synodo reponere, adeoque vellet, vt de ipſis Synodus diſputaret, videbatur hinc velle, vt de quæſtionibus ſemel deciſis diſceptaretur. Verùm tametſi Legati in hanc perſuaſionem deueniſſent, & cum eorum præſagio præſagium Pontificis concordaret[f] (quod palàm diſſimulauit, ne Gallis oſtenderet ſe in ſuum detrimentum ea verba interpretari) reuerà tamen Gallicæ Religionis negotia meliori, quàm ſpes fuerat, procedebant viâ.

f Litteræ Borromæi ad Legatos, 29. Martij. 1562.

4 Et quemadmodum apud quemlibet euentus ipſe, maximæ tandem auctoritatis, iudex eſt actionum; ita plurimum id valuit ad abſtergendum in animo Pontificis quidquid turbidi in Galliæ Legatum contractum erat. Quamobrem & per ſe coram illius Actore[g], & per litteras, Borromæi manu ad illum ſcriptas, ſincerum erga ipſum in ſe animum patefecerat; per ſpeciem tamen eum commendantis, quòd conuentui tamquam Regis Conſiliarius non interfuiſſet, ſicuti iam in ancipiti illum fuiſſe narrauimus, ad Catholicam ibi cauſam ſuſtinendam: ipſum monuit, ne vmquam quauis de cauſa ſe trahi ſineret in huiuſmodi conuentus; id quippe ſiniſtris hominum ſermonibus nimis eſſet obnoxium. Quod monitum cùm Ferrarienſis interpretaretur quaſi vrbanam tacitamque reprehenſionem, quòd interfuiſſet colloquio Poiſſiacenſi, voluit ipſe pariter tacitè ſe purgare, reſponditque, Semper ſe obtemperaturum; ſed vbi grauiſſima incidiſſet neceſſitas, ſibi perſuadere, prudentis eſſe conſilij, diſcrimen ſubire obloquentium in ſe linguarum, quò mala deuitarentur, quemadmodum ipſe iam egerat, cùm colloquium illud habitum eſt; de quo exquiri poterat à Doctoribus Catholicis, quantum ibi roboris ex ipſius aſpectu illi traxiſſent.

g Apparet ex epiſtola Legati ad Vicecomitem, Actorem ſuũ, & ex altera ad Borromæum, 23. Februarij 1562.

Rex

1562.

Rex Nauarræ & voce & operâ non deſiſtebat fauentem Catholi- 5
cis animum præ ſe ferre[h], ſpe ſcilicet delinitus, quòd eâ ratione impetraturus eſſet à Philippo Rege, Pontificis impulſu, expetitam à ſe compenſationem, ſimulque legationem Auenionenſem fratri ſuo Carolo Cardinali, qui eam enixe cupiebat, & cui poſt Concilium eadem fuit conceſſa. Quamobrem Pontifex, confirmatâ per litteras[i] Carolo ſuâ illi gratificandi voluntate, omnem interim mouebat lapidem, vt Farneſius Cardinalis, qui tunc illam legationem gerebat, eam per aliquam compenſationem haud grauatè relinqueret; & mandata Nuntio Criuello iterabat ad rem Antonij Regis promouendam, in quem Philippus & adminiſtri propenſionem animi præ ſe gerebant. Ille verò, vtpote ſupremus rerum adminiſtrator, iuſſionem vulgauit[k], quâ indicebatur cunctis nouæ ſectæ aſſeclis Lutetiæ Pariſiorum, vt arma deponerent, atque inde diſcederent quotquot ibi negotio non dabant operam: qui verò famulabatur Regi, ad tribunal ſe ſiſteret: vt proinde reipſa Condæus Princeps, Antonij frater, ratus ſuam infra conditionem eſſe ſe ſiſtere, ſatius habuerit cum quingentis viris illius factionis inde ſecedere.

h Variæ litteræ Legatorum ad Borromæum, 23. Februarij, & 14. & 18 Martij, & 6. Aprilis 1562.
i Cuncta conſtant ex dictis litteris, & ex aliis eiuſdem Legati eo tempore.
k Litteræ Legati ad Borromæum, 28. Martij 1562.

Quin in quodam regio colloquio[l] eò progreſſus eſt Antonius, vt 6
diceret, tot Religionis turbas in Gallia nequaquam fore, ſi Tribunal Inquiſitionis ibi, iuxtà ac in aliis regionibus, haberetur. Quo illic audito, Caſtilionenſis Cardinalis, tetrâ fece iam tinctus, in ea reſponſa prorupit, Qui huiuſce rei auctor eſſet, næ illi emolumenta Galliæ cordi non eſſe. Sed alter per acrimoniam imperantis repoſuit, Emolumenta regni multò impenſius à ſe curari, qui regij ſanguinis gradum, ac ſucceſſionem in coronam obtinebat, quàm ille, qui vtroque prorſus carebat. Et quoniam compertum erat, illius hominis in Aula præſentiam ſuſpectam eſſe in rebus religionis[m] tum Pontifici tum Philippo Regi, effecit vt inde diſcederet, quò ex huiuſmodi præmiſſa bona conſecutio deduceretur nouæ miſſioni, hominis à ſe in Hiſpaniam Legati.

l Litteræ Legati ad Borromæum arcanis notis, 8. Martij 1562.
m Litteræ arcanis notis Legati ad Borromæum, 8. Martij 1562.

Vxor quoque Regis Antonij diſceſſerat[n]: & quamquam illa ex 7
atroci in Fidem Catholicam odio prohibuiſſet Henrico, ſuo inter liberos primo, intereſſe Sacro, adiectâ pœnâ, à ſe illum neque pro filio neque pro herede habitum iri; pater tamen eum catholicè educandum edocendumque curabat. Noua præterea parabatur affinitas, profutura conciliandæ Antonij multorumque Galliæ Procerum gratiæ, ad proſperum Concilij progreſſum: ea erat coniugium[o] quod agitabatur, ac poſteà confectum eſt, inter eiuſdem Antonij ſobrinam, viduam relictam Ducis Niuoduni, amplæ ditionis heredem,

n Eiuſdem ad eumdem litteræ, 6. Aprilis 1562.
o Litteræ prædictæ, 21. Februarij.

redem,

redem, & Ludouicum Ducis Mantuani fratrem, & nepotem ex fratre Cardinalis, in quem, tamquam primum inter Synodi Præſides, illius moliminis præcipua gloria recidebat. In Pariſienſi pariter Conſilio ingens religionis ſtudium deprehendebatur, auctum ex ſanctione habita in Conſilio regio [p], ne cuipiam alterius ſectæ liceret regij adminiſtri munus obtinere. Quapropter iidem ipſi, qui in Pariſienſi Conſilio claudicauerant, tam conſtanter poſteà pedem defixerant in præſcripta illis rectè agendi ratione, vt idem Conſilium veritum non fuerit repugnare regiis iuſſionibus de promulgando anteacti conuentus edicto, tametſi hugonottis præparcè indulgeret, ſicuti narratum eſt; inſtiteritque diuturnâ perſeuerantiâ, vt omnis agendi facultas ſeu voce ſeu manu illis omnino adimeretur, concionibus armiſque interdictis. Ad quæ reſpondebat Regina, optimum id futurum, vbi fieri potuiſſet; ſed quod fieri nequit, ſolùm bonitatis fucum præ ſe ferre. Quare per laborem plurimum illa tandem Pariſienſe Conſilium ad imperatam promulgationem pertraxit [q].

1562.

p In iiſdem, & ſubſecutis litteris.

q Litteræ Legati ad Borromæum, 8 Martij 1562.

8 Pro ea ſtudij in Fidem Catholicam menſura, erat animorum propenſio in Concilium ad eam ſuſtinendam coactum. Luſtranda Reginæ Legatus obtulerat Decreta primæ Seſſionis [r], & quæ ſecundæ decernenda proponebantur: cumque illa per opportunitatem inuiſendi Legati ægrotantis (quemadmodum ſæpè conſueuerat) illi ſignificaret, à poſtrema illa ſanctione, de concedendo per fidem publicam ſecuro ad Synodum acceſſu, ob quamdam particulam ibi poſitam, *dummodò ex corde redeant*, iniectam fuiſſe ſuſpicionem, quaſi mens eſſet, illis dumtaxat ſecuritatem concedi, qui per pœnitentiam reſipiſcerent, à Legato certa de oppoſito reddita eſt, cùm ea conditio ad veniam, non ad ſecuritatem referretur; quod in ipſis datæ ſecuritatis tabulis eò delatis Regina poſtmodum comperit, iuſſitque eas illicò [ſ] promulgari, ac typis imprimi. Prætereà, quamquam Angliæ Regina feruidis illam officiis inſtigaret ad retardandam ſuorum miſſionem ad Concilium, ne validior flamma ſuccenderetur [t], ipſa tamen numquam aggreſſionibus ceſſerat; quin eò legationem iam inde vſque ab exitu Februarij demandarat Lanſaco, qui tunc Romæ Regius Orator degebat, cuius electioni Legati etiam hortamenta protuere. Etenim cùm ad eam legationem deſtinarentur varij Proceres, qui variis excuſationibus ſe labori ſubduxerant, viſum eſt Legato, certius rem perfici poſſe, ſi ea miſſio committeretur eiuſmodi viro, qui cùm iam eſſet in Italia, adeoque commodis negotiiſque familiæ minimè compeditus, operi præſtò foret.

r Litteræ Legati ad Borromæum, 23. Februarij 1562.

ſ Epiſtola Legati ad Borromæum, 13 Aprilis, miſſa 28. 1562.

t Variæ Legati litteræ ad Actorem ſuum, & ad Borromæum, præſertim 27. Februarij 1562.

1562.

foret. Accidit tamen, vt per vias, dum is rediret in Galliam, litteras[u] acceperit: quare cœptum iter proſequi voluit, quò luculentiùs de hac præterita legatione rationem redderet, & mandata caperet de futura. Quod quibuſdam anſam ad dubitandum præbuit de iuſſione aut ſimulata aut reuocata; ſed contrarium patefecit euentus: ille ſiquidem optimis de mente Pontificis[x], Synodique proceſſu narrationibus habitis in Aula, illuc medium circiter Aprilem miſſus eſt.

[u] Epiſt. Legati ad Borromæum, 6. Aprilis 1562.

[x] Epiſt. Ferrarienſis ad Borromæum, 15. Aprilis, & reterra vſque ad 28.

9 Pontifex litteras ſuas ad Reginas Angliæ & Scotiæ ſcriptas arcanò miſerat ad Legatum[y]; ita tamen, vt illis vtendum ipſi non eſſet, niſi præuideret, eas laudem ab effectu, non dedecus recepturas: ipſe vero reſcripſerat, ſe de Scota ſibi polliceri, præſertim accedentibus apud eam officiis Guiſiorum, non quidem ab illa miſſum iri ad Concilium vllum hominem vniuerſæ Scotiæ nomine, cùm illic omnis in aperto religionis vſus ſublatus fuiſſet, ſed proprio Reginæ nomine; non æquè de Angla ſe confidere. Verum eſſe, ab eius Oratore in Gallia, quamuis hæretico, animum præferri, ad mittendos ad Synodum illius regni homines pronum[z]: cumque iſte Reginæ ſuæ id ſuaderet, ad quod à Galliæ Regina pariter impellebatur, petebat viciſſim, vt operâ Gallicæ Reginæ ac Legati, Synodi progreſſus retardaretur, donec Eliſabetha certum conſilium ſuſcepiſſet. Hæc Legatus.

[y] Litteræ memoratæ 23. Februarij, & 13 April. Legati ad Borromæum.

[z] Litteræ Legati ad Borromæum, 28. Martij, & 8. April. 1562.

10 Et in ea poſtulanda mora firmiùs hæſit Galliæ Regina[a]; quoniam Lotharingus Cardinalis, qui ad Aulam venerat, illam comprobauit. Quare Gallia, quæ Pontificem etiam tunc ad Concilium, eiuſque maturationem ſupra reliquas nationes ſtimularat, conteſtata, ſi res protraheretur, neceſſitatem ſibi conſulendi per propriam nationis Synodum; nunc, cùm illi Pontifex indulſiſſet, celeritati reſiſtebat, moraſque flagitabat. Hinc licet vnicuique intelligere, quænam ſit conditio Pontificum erga Principes laicos, non ſolùm inter ſe diſſidentes, vt proinde ineuitabilis ſit alicuius ex ipſis indignatio; ſed ſibi ipſis repugnantes, vt idem breui tempore velint ac nolint: adeoque cum vtraque contradictionis pars effici nequeat, ſemper quidquid mali contigerit, bonique defuerit, tribuatur alteri partium quæ facta eſt, fingaturque omnis ſalus ac felicitas in altera quæ prætermiſſa.

[a] Prædictæ Legati litteræ.

11 Galliæ Præſules crebros ſtimulos à Regina Legatoque ſibi adhibitos ſenſerant[b], vt ad Synodum pergerent; ſed ſine fructu. Voluit tandem primus omnium opus aggredi ciuitatis primariæ Paſtor Anaſtaſius Bellaius, Pariſienſis Epiſcopus, qui Tridentum peruenit decimo-

[b] Ex variis litteris Legati ad Borromæum.

decimoquarto Aprilis; ſed in turbulenta incidit tempora, cum 1562.
Synodus præferuidis contentionibus æſtuabat, quæ multis hominibus, non modò præſentibus, ſed longinquis, offenſionis materiam ſuppeditarunt: quamquam reuerà eædem contentiones, poſtea perpenſæ ab animis, neque ex nimia commotione perturbatis, neque ex inopia peritiæ immoderatis, & idoneis ad diſcernendam exaggerationem famæ à rei veritate, poſſint in argumentum augendæ Religionis conuerti. Etenim diſcordiæ ac rixæ zizania ſunt, quouis tempore in Eccleſiæ campo germinantia, etiam ab Apoſtolo Paulo per ſuas obiurgationes indicata, & à Deo permiſſa viris perfectis ad patientiam, imperfectis ad animi demiſſionem exercendam, cunctis verò ad euidentem intelligentiam ſubiectionis, quâ vni Principi obtemperetur; cùm experimento compertum ſit, diſſenſionem vt in vno eſſe non poteſt, ita nonniſi ab vno accipere frænum poſſe. Et ex altera parte, quænam luculentior habeatur confutatio illius ſeruitutis erga Pontificem, ab hæreticis ac Suaui tam ſtudioſè appictæ huic Concilio, ad irritam eius Decretorum auctoritatem reddendam, quàm ex eo, quòd contentioſum ac tumultuans deprehendatur vel in iis, quæ in rem Pontificis erant; ita vt non Epiſcopi modò, ſed ipſi Legati inter ſe diſcordarent? atque id, etiamſi tanta cuique libertas eſſet, vt hinc Simonetta Legatus, hinc eius frater Piſaurienſis Antiſtes, eiuſdemque menſæ ſocius, ſibi acriter aduerſarentur? Proculdubio pax locum obtinere poteſt inter eos, qui ſolutas adhibent manus, ſed numquam bellum inter eos, qui catenis obſtrictas habent. Ad rei narrationem veniamus.

CAPVT IV.

Primum caput de neceſſitate reſidendi expenſum. Contentiones, animorum diſſidia, ac tumultus, ea de cauſa in Concilio excitata.

1 PRimus è duodecim articulis propoſitis, ſicuti memorauimus, erat de procuranda ab Epiſcopis, aliiſque Curionibus, manſione apud ſuas Eccleſias, ac de obſtaculis amouendis. Hoc argumentum compluribus occaſionem præbuit, per ferias ſanctiorum dierum, iterum cogitandi ac loquendi de quæſtione ſuſcitata, ſed omiſſa in Concilio Pauli III. (vtar interdum hac loquendi formâ, tametſi minùs propriâ, vtpote conſuetâ iis etiam, qui continuationem propugnantes, vnicum agnoſcebant in re Concilium, ſed variis illud vocibus ſignificabant, pro temporum & congregato-

1562. rum varietate) Præbuit, inquam, occaſionem compluribus iterum cogitandi ac loquendi de quæſtione id temporis excitata, Num eſſet ea manſio de Iure diuino; cùm exiſtimarent aliqui, eiuſmodi declarationem validiſſimum obſeruantiæ vinculum futuram: hoc enim pacto Pontifices Epiſcopos ad Aulæ magiſtratus, qui illos ſuis ab Eccleſiis deiungerent, aliaque negotia, non aſſumpſiſſent; neque neglexiſſent vnumquemque ad reſidendum cogere denuntiationibus ac pœnis, pro munere quod exercent, tamquam diuini Iuris executores ſupremi. Alij contrà cenſebant, hoc examen extra rem propoſitam euagari. Etenim ſiue manſio apud Eccleſias eſſet Iuris diuini, ſiue Eccleſiaſtici, procuſdubio & præcepta & omnino neceſſaria cognoſcebatur; ac proinde oportebat eos potiùs deliberare de ratione quâ obſeruaretur, quàm originem præcepti ſpeculari. Res non ſolùm ſpectabat ad ſingulos Epiſcopos, qui aderant Synodo, ſed ad reliquos omnes, qui Sacerdotium animarum curæ addictum aut poſſiderent aut ſperarent. Nec ea quæſtio præ ſubtilitate mediocria ingenia ſuperabat; ac præthereà ob ea quæ ſecum trahebat, videbatur ſapere politicam facultatem, quæ communiſſima theſis eſt ratiocinationibus hominis, animantis imperio nati. Quare his cunctis de cauſis cœperunt cuiuſuis conditionis homines priùs hac de re diſſerere, dein contendere, & per contentionis acumen nouas rationes animaduerſioneſque excogitare.

Acceſſit ad inflammanda diſceptantium colloquia, quòd illic in Oſij Legati domo aderat inter Theologos à Pontifice miſſos Franciſcus Torres Hiſpanus, qui ætate Iulij III. Commentarium ea de re ſcripſerat, Seripando dedicatum, tunc Archiepiſcopo Salernitano, per occaſionem [a], quòd Ioannes Petrus Caraffa [b], poſteà Paulus IV. à variis Theologis expendendum curauerat, quò certior fieret, num ſibi liceret in Aula degenti Eccleſiæ cuiuſdam adminiſtrationem retinere. Poſteà verò idem Torres ſcripto quæſtionem inierat cum Catharino, affirmante, manſionem pendere ab Eccleſiaſtica lege, cùm ille pendentem à Diuina cenſeret; hinc multæ ab ipſis opellæ ſuper ea controuerſia confectæ fuerant. Quamobrem Torres, nactus in officina ſua mercem conditioni temporis idoneam, libenter opportunitatem arripuit illius diuendendæ, factâ compluribus eiuſdem luſtrandæ poteſtate. Effectum itaque eſt, vt poſtremis illis diebus, qui vacabant conuentibus Tridenti, nonniſi ea de re mentes ac linguæ diſſererent, planeque pro ſtupido haberetur, qui ſe huius aut illius opinionis fautorem amatoremque peruicacem non fuiſſet profeſſus. Pontifex anteà commonitus à Simonetta [c], ipſi 2

a Hi omnes Commentarij, cum aliis de manſione, in volumine fuerunt impreſſi Venetiis anno 1562. per Iordanem Zilettum.

b Extat in eius Vita, ſcripta à Caracciolo.

c Ex litteris Legatorum ad Borromæum, 26 Martij 1562.

ipſi priuatim, & Legatis communiter ſignificarat [d], ſtuderent eam controuerſiam altercationis plenam declinare; præſertim quòd ea non ſpectabat ad morum reparationem, quæ ſolùm proponebatur, ſed ad dogmata, quibus ſuperſedendum eſſe conuentum fuerat. Poſteà cùm intelligeret, animos adeò inflammatos ad curſum ferri, vt ſi vellet eos retinere, ſubiturus eſſet diſcrimen ingentis fracturæ & infortunij, in quod is incurrit, qui tentat repentè currum ſiſtere ab equis volantibus pertractum; reſcripſerat [e], Vbi ex iniecto illi rei impedimento offenſio aut dedecus orirerur, in Legatorum prudentia à ſe cuncta omninò reponi.

1562.

d 18. Martij 1562.

e Tres litteræ Borromæi ad Simonettam, 1. & 8. Aprilis 1562. & habetur in Actis Paleotti, & in epiſtola Strozzij ad Ducem Florentiæ, 11. Aprilis 1562.

3 Interim cœperunt hominum ingenia nanciſci ſeu comminiſci in eo argumento profundas conſecutiones, quibus hinc detrimentum, hinc indemnitas iuriſdictionis Pontificiæ arguebatur. Etenim qui ſeueriorem ſententiam oppugnabant, quò aut ſtudium oſtenderent, aut gratiam promererentur, aut validum propugnatorem ſecum in fœdus adducerent, profitebantur, per contrariam opinionem vel intendi vel neceſſe fore Pontificis auctoritatem abiici: vbi enim declararetur obligatio reſidendi Iuris eſſe diuini, adimebatur Pontifici facultas, ab antiquiſſimo vſque tempore ab ipſo vſurpata, coniungendi in vno eodemque capite multa ſacerdotia, curam animarum afferentia, & admouendi Epiſcopos & Curiones aliis muneribus, pro ſuo arbitratu. Quapropter eò amplior Pontificis dignitas viſa eſt Legatis, ſi examen illud haud impedirent, quò ipſum calumniæ ſubducerent, quaſi vellet ſibi retinere poteſtatem, vetitâ declaratione veritatis.

4 Habitus eſt primus generalis conſeſſus poſt Paſcha, ſeptimo Aprilis [f], in quo credebatur auditum iri ſententias de primis quatuor ex propoſitis articulis. Sed ſermones habiti tam varij ac tam prolixi fuere, vt pauciſſimis Patribus diſſerendi ſpatium ſuppetierit. Primus articulus maioris prolixitatis argumentum fuit, præſertim cùm dicendi facultas ad Granatenſem deuenit, qui primo loco memoratam quæſtionem propoſuit, num Paſtores Iure diuino ad reſidendum obſtringerentur, aitque, niſi ea definiretur, cunctis offenſionem iniectum iri. Proinde audiendas eſſe ſuper ea Theologorum ſententias, qui tantâ frequentiâ atque præſtantiâ Deo fauente ibi aderant, vt per nullam vnquàm opportunitatem digniùs poſſet tam graue dogma conſtitui. In eo præcepto quippe, quod ex affirmantibus non ex negantibus erat, quamuis eſſet diuinum, admitti poſſe ſecundùm æquitatem exceptiones, hominibus ac temporibus accommodatas. Adiecit modos quoſdam, quibus res facilior red-

f De hac diſputatione, præter alias ſcripturas à nobis productas, extant multæ litteræ Archiepiſcopi Iadrenſis, 13. 16 & 20. Aprilis 1562.

 deretur,

1562. deretur, conceſsâ Epiſcopis integrâ auctoritate procurationi animarum profuturâ; præcipuè verò diminutis aut omnino ſublatis quarumdam noxarum exceptionibus, quibus vetentur in interiori foro confitentes abſoluere.

His itaque iactis à Granatenſi, primus ille ex articulis propoſitis quaſi pelagus euaſit, cui ſe cuncti dedere, velis remiſque progreſſi, & penè littoris obliti; atque in quinque capita diuiſus fuit. 5

In primo expenderentur iacturæ, ex neglecta manſione profectæ, eiuſque obſeruandæ neceſſitas.

In ſecundo, quænam eſſent eius impedimenta, & quo pacto remouenda.

In tertio, quibus pœnis tranſgreſſores eſſent deterrendi.

In quarto, quibus præmiis eius obſeruantia allicienda.

In quinto, quæ ratio ineunda, vt quæ illic ſtabilita fuiſſent, in opus deducerentur.

De primo capite plurima diſſerüerunt, diuertentes ac ſpatiantes per memoratam quæſtionem cum copioſiſſima teſtimoniorum & argumentorum caterua. Nec idcirco breues in reliquis quatuor fuere; quin à variis excogitatæ ſunt pœnæ tam horribiles non reſidentibus, tam amplæ immunitates reſidentibus, tam honorata ac tam commoda manſio, & prouentibus & poteſtate locuplex, tam exquiſita ac tam multiplicata ſtudia in Pontifice & propriis nationum Synodis, ad eius obſeruantiam exigendam, vt planè videretur nihil aliud inter mortales curandum, & in eo ſitam eſſe plenitudinem legis, felicitatem hominum, & certam fiduciam ſalutis æternæ. 6

In aliis aſſiduis conuentibus Patres expoſuere ſuos ſenſus de primis quatuor ex duodecim propoſitis articulis. Sed prolixitas in primo exagitando fuit in cauſa, vt [g] vndecim conſeſſus ægrè ſatisfecerint communi auiditati dicendi; & in proferenda ſuper eo ſententia, præter prolixitatem, in quibuſdam non defuit audacia. Etenim per occaſionem enumerandi obices, quibus Epiſcopi retinebantur ne reſiderent, acerbè declamatum eſt in cunctos iuriſdictionis actus, qui ſupra ipſorum Tribunalia exercentur, & in cuncta onera pecuniaria ſupra ipſorum reditus, quæ ab Aula Romana proueniunt; id ſemper aurium patientiâ tolerantibus Legatis, quippe qui arbitrabantur, cuncta eſſe minùs iniqua, quàm quælibet ſpecies ſubtractæ ſeu limitatæ libertatis. Lubet mihi retardare narrationem earum rerum, quæ in tribus reliquis articulis expendendis dicta ſunt, ipſaſque reponere coniungendas commemorationi ſubſequen- 7

[g] Litteræ Legatorum ad Borromeum, 15. Aprilis 1562.

ſequentium, qui poſteà perpenſi ſunt, nunc verò breuiter referre 1562.
ſententias vnice de illo dictas, cuius fragor, vt ita dicam, aliorum ſonum oppreſſit.

8 Suauis affirmat, ſententias ſuper eo triginta quatuor Patrum à ſe lectas fuiſſe, & duorum tantummodò ſummam affert, nimirum, Ioannis Baptiſtæ Bernardi Epiſcopi Adiacenſis, & Pauli Iouij Epiſcopi Nucerienſis. Equidem Bernardi ſententiam luſtraui [b], & nihil reperi ex iis quæ Suauis illi tribuit; hoc eſt, Quò manſioni conſuleretur, Epiſcopos remouendos eſſe à miniſteriis Principum laicorum; addens, his repugnaſſe Epiſcopum Quinque Eccleſiarum: ſed eius oratio fuit huiuſmodi: Reſidendi debitum extra controuerſiam eſſe, nec oportere ſubtiliora indagare. Eum igitur, quem virtutis amor, & conſcientiæ ſtimuli ſatis impellerent, non aliâ declaratione indigere, niſi eâ, per quam à ſua quiſque intelligentia docetur, non poſſe boni Paſtoris partes ſimul expleri, & ipſum à grege ſimul abeſſe. Illi etiam, qui animum gereret tam abiectum, vt terrore pœnarum eſſet extimulandus, ſatis fuiſſe proſpectum per impoſitas à Concilio ſub Paulo III. & per recentem Conſtitutionem ſedentis Pontificis. Id, nec quidquam ampliùs, habetur in hoc genere in Bernardi ſententia.

b Inter monumenta Barberinorum.

9 Sententia Iouij ad me non peruenit; non tamen Suauem abire ſinam abſque merita correctione, quòd ipſe curſim ac ſtudioſâ negligentiâ de illo refert: Id non eſſe definiendum, propterea quòd vera malorum in populo cauſa non erat Epiſcoporum abſentia; quandoquidem liquebat, Pontifices iam centum ipſos annos continenter Romæ perſtitiſſe, & exquiſito ſtudio populum probè erudiendum curaſſe, nec tamen meliùs moratam eam vrbem conſpici: quibus obliquis verbis mordentur Romani Pontifices, tamquam infructuoſi bonis moribus illius etiam vrbis, in quà continuò ipſi reſident. Profectò ſi Iouius ita diſſerüiſſet, craſſam indicaſſet obliuionem querelarum, quibus conqueſta eſt non inquam Roma, ſanctíue illius ætatis viri, ſed vniuerſa Italia, & quicumque ibi mortalium ſcintillam pietatis obtinebat, abſentiam Romani Pontificis, cùm Auenione morabatur, & funeſta mala, quæ idcircò contraxerat auguſta illa Vrbs, ac generoſa Prouincia, nondum trium ſæculorum labore omnino reparata. Quidnam aliud adeò intaminatam in Fide Catholica conſeruauit, inter tantam propinquitatem communicationemque regionum corruptarum, inter tam crebras excurſiones militum hæreticorum, inter tam apertum aditum confugio ex vna in aliam ditionem, ob ſuorum principatuum diuiſionem,

1562. nem, inter tantum acuminis & curioſitatis in ingeniis ſibi fidentibus, & auidis nouitatis, niſi Pontificum præſentia & vigilantia?

Ego verò minimè iactitabo, fuiſſe à me viſas viginti quatuor extenſas ex ſententiis in ea diſputatione prolatis. Licet tamen affirmare, à me plures fuiſſe perlectas, quas in ſuis monumentis Seripandus reliquit; hæ verò iis adiectæ, quæ inter commentarios Franciſci Cardinalis Barberini ſeruantur, ſunt propè triginta, præter omnium compendium, quod habetur in ephemeride Muſotti. Sed cùm Paleottus diligenter collegerit rationes vtrimque productas, eaſque, vt ſic loquar, in aciem explicauerit in duobus oppoſitis ſermonibus, harum ſummam referam per veracitatem ac ſimplicitatem narratoris, non per inuentionem ac pompam oratoris. Neque mirum cuiquam accidat, ſi inter huiuſmodi rationes taceantur potiores ad perſuadendum, Verum eſſe aut non eſſe dogma, de quo definiendo agebatur; tunc enim de eo magna non fuit inter Patres diſceptatio. Et quod aliqui ſentiebant, potiùs ſub conditione ab ipſis affirmabatur, quàm abſolutè, hoc eſt, ad memoratam definitionem procedendum eſſe, vbi Theologi articulo perpenſo illi parti fauerent; atque ita cenſuiſſe Epiſcopum Salmanticenſem, narrat ipſe in ſuis[1] monumentis, de quibus dictum eſt. 10

17. Aprilis, an.1562.

Itaque ab affirmante ſententia dicebatur: Liquidò patere, cuncta gregis mala originem trahere à paſtorum abſentia: his procul abſentibus, neminem adeſſe qui lupos arceat. Si huic incommodo conſulendum putaretur renouatione pœnarum, quas anteacta Concilia conſtituerant, fructum in eo antecedentium Conciliorum expendendum eſſe, nimirum, tranſgreſſionem atque contemptum. Stultum exiſtimari medicum, qui medicinam præcipit, eidem morbo ſæpiùs inutilem à ſe compertam: ſi pœnæ illæ grauioribus legibus augerentur, culpam auctam haud ſublatam iri. Eum eſſe ſtatum neceſſitatis, vt non hæc illáve pœna, ſed cunctæ deſpicerentur: remedium eſſe adhibendum, non quo dehoneſtarentur Epiſcopi quia non reſidebant, ſed quod eos cogeret ad reſidendum: quod non eſſet accuſatio mali, ſed neceſſitas boni. Duo eſſe fræna, quæ mortales coërceant ab improbis actionibus: timorem ſupplicij, & conſcientiæ morſum; prius, vt ille dixit, non eſſe diuturnum cuſtodem honeſti operis, cùm inſit multis fiducia, multis potentia ſubducendi ſe mulctæ. Et ſanè huius metu abſtinere ſe quidem interdum hominem ab opere, non item ab appetentia; adeoque à propenſione ad operandum, vbi à metu vacet. Alterum eſſe frænum adamantinum, vti nobilius, ita prorſus immune à fra- 11

cturâ;

ctura: nulla quippe humana celſitate huic æterno Iudici non ſubie- 1562.
cta. Iam verò nullius operis nos tam acriter ſentire à conſcientiæ noſtræ tribunali damnatos, quàm contumaciæ in præcepta ſupremæ. Sapientiæ, ſupremæ auctoritatis, ſupremæ bonitatis, hoc eſt Dei. In humanis legibus arbitrari nos ineſſe interdum errorem intelligentiæ, nonnumquam perturbationem voluntatis, ſemper penuriam cognitionis ac iuriſdictionis: vni Deo, tam malignum cuipiam animum non eſſe qui vitium tribuat, neque tam ſuperbum, qui neget obſequium. Proinde vbi Fide crederent animarum cuſtodes, obligationem illis iniunctam reſidendi, arbitrariam non eſſe ex alterius hominis ſeueritate, ſed immutabilem ex Dei lege, haud auſuros fuiſſe eam tamquam æquiſſimam non probare, tamquam ſacroſanctam non cuſtodire. Innatum eſſe in hominum animis, magis eſſe venerandam iuſſionem illam, cuius auctor eſt maximè venerabilis; idcircò maiori eſſe in reuerentia Regis mandata, quàm inferioris magiſtratus: ſed quemadmodum nulla ineſt proportio inter Dei prærogatiuam ſupra reliquos imperantes, & eam quam humanus quiſpiam ſuperior ſupra alterum obtinet; ita nullum incrementum obſequij legibus addici, aſcendendo à minori ad maiorem allatum auctorem, conferri poſſe cum eo quod ipſis accedit, ſi leges à Deo latæ declarentur. Eapropter Apoſtolum ipſum, quò grauius mandatis ſuis pondus adderet, interdum vti conſpicuis illis vocibus, *Non ego, ſed Dominus:* hoc pacto fuiſſe habitam cuſtodiam quarumdam legum quæ difficulter obſeruantur, cuiuſmodi eſt quæ peccatorum confeſſionem præcipit, & aliarum, quarum ratio difficilis redditur, qualis eſt quæ vſuram vniuersè prohibet.

12 Sed incaſsùm illic diſceptari, an eſſet definiendus articulus: non ampliùs conſultationi locum patere: poſtulari à multis Patribus, vt ea Synodus declararet, quodnam eſſet ipſorum debitum reſidendi, & à qua poteſtate profectum. Ad hanc poſtulationem obmuteſcere non licere Synodo, cuius erat, pro ſui muneris officio, Diuinam legem explicare. Num fortè quempiam hinc formidare, ne ligamen intolerabile paſtoribus iniiceretur, quo in ſuis Eccleſiis quaſi in compedibus immobiliter conſtringerentur, dempta illis vmquam abeundi poteſtate, quæcumque incidiſſet neceſſitas? At vanam hanc formidinem eſſe: Quia Deus reſidere illos iubeat, non hinc confici, ſine vlla exceptione id præcipi. Mandatum quoque peccata omnia confitendi, & mandatum non occidendi, eſſe Diuina; & tamen ſuas vtrique limitationes adeſſe. Alios pariter vereri,

1562. ne per huiuſmodi declarationem Romani Pontificis auctoritas minueretur. Sed quînam fieri poſſe, vt veritas alteri altera aduerſetur, quin vt fundamenti ſtabilitas ſuſtentato parieti rimas agat? Pontificiam auctoritatem eſſe parietem fundatum ſupra verbum Diuinum: non poſſe igitur huius firmitate illam infirmari. Quænam autem ſtultitia foret, ita ratiocinari: Manſio eſt à Deo imperata; ergo non licet Pontifici Paſtores extra ſuas Diœceſes euocare? Id ſanè perinde valeret, ac ſi hoc pacto argueretur: Coniunctio viri cum vxore à Deo præcepta eſt; non licet igitur Principi procul ab vxore virum mittere. Interdictam à Deo fuiſſe voluntariam Epiſcoporum abſentiam ab Eccleſia, non item neceſſariam, ſeu ex legitimo impedimento, ſeu ex legitimo mandato. Huius declarationis vtilitatem eſſe non extenſionem debiti, ſed eiuſdem confirmationem: & cùm complures tùnc ſibi blandirentur, tacitam legis relaxationem arrogantes, eò quòd ipſi tolerari ſuas extra Diœceſes viderentur; impoſterum (aiebant) neminem religioni ſibi non ducturum, quòd ipſe toleraretur; nec ob hominum tolerantiam in animum ſibi inducturum, ſe reum non eſſe apud contemptum à ſe legiſlatorem, videlicet apud Deum.

Pro contraria parte adducebatur: Si tunc vellent ſtatuere cuius eſſet iuris Paſtorum manſio, indiligentiæ damnatum iri cunctas veteres Synodos, quæ tam multiplici ſtudio proſpexerant, ne Paſtores ouilia deſererent, & tamen articulum illum ab Eccleſiæ primordiis ad eam vſque diem non in quæſtionem, nedum in Decretum deduxerant. Quin etiam damnatum iri Patres aliquot qui illic aderant, & Pauli III. Concilio iam interuenerant, vbi, cùm variis rationibus conſultum eſſet huius manſionis obſeruantiæ, propoſitum fuerat, vt inueſtigaretur ac decideretur ad quod Ius id ſpectaret; & tamen ſatius duxiſſe Concilium, ab eo periculoſo ſpinoſoque tramite gradum auertere: & merito quidem. Etenim vbi decideretur, Paſtorum manſionem in ſuis Eccleſiis à Deo fuiſſe præſcriptam, idque vt ea ſeruaretur, fotum iri per hoc ipſum contumacem doctrinam hæreticorum, qui auctoritatem omnis legis Eccleſiaſticæ inficiabantur, in Diuinis dumtaxat eam agnoſcentes; qui error in antegreſſa Concilij congregatione damnatus iam fuerat verbo, ſed nunc comprobari videretur facto, quando licuiſſet hæreticis gloriari, eoſdem ipſorum contemptores, agnoſcentes Eccleſiæ ſanctiones deſpici poſſe, ſolumque venerandas eſſe Diuinas: numquam induxiſſe animum ad obſeruandam manſionem, donec inter ſe conuenerunt, eam eſſe præſcriptam à vera Dei, non 13

ab

ab arrogata ſibi Eccleſiæ auctoritate. Præterquam quòd ab huiuſmo- 1562.
di deciſione quot ſiniſtras conſecutiones ſtuduiſſet deducere nimia animorum affectio, ſemper ſophiſmatum ac cauillarum amatrix? Cõplures illicò diſſeruiſſent: Qui finem amat, vult pariter quidquid ad huiuſmodi finem neceſſe eſt. Quare ſi Deus manſionem præceperat, hinc etiam præceperat quidquid opus eſt Epiſcopis vt poſſint honeſtè reſidere; ac proinde arguiſſent, eas omnes iuſſiones Apoſtolicæ Sedis, quæ tamquam huiuſce rei obſtacula proferebantur in medium, eſſe Diuinæ legi repugnantes, adeoque irritas, ſpoliantes illicò, quantum in ipſorum eſſet poteſtate, omni immunitate eos qui eſſent immunes, omni facultate Regulares, omni priuilegio Principes, omni iuriſdictione Romana Tribunalia, atque, vno verbo, tentantes ſub ſpecie Eccleſię reformandæ illam ſubuertere, & in perturbationem excidiumque pertrahere. Quis aditus malignitati & arrogantiæ laxaretur, ſi, quando Epiſcopus, aut ex propria ipſius neceſſitate, aut Romani Põtificis mandato e Diœceſi pedem efferret, liceret ſubditis æmuliſque illum accuſare quaſi prævaricatorem legis Diuinæ, ſimulq; inſimulare Pontificem ſeu iubentem ſeu permittentem?

14 Nec ex altera parte magnum obſeruantiæ fructum ex huius ſanctione dogmatis expectandum: tam idiotas non eſſe paſtores, vt ignorarent, cuncta legitima hominum præcepta eſſe tandem Dei præcepta: vult enim ac præcipit Deus, vt obtemperetur illi quem ipſe ſuperiorem ac legiſlatorem deſtinauit. Quin experientiâ perſpectum eſſe, magis prolabi Chriſtianos in tranſgreſſionem quorumdam mandatorum, quæ citra dubitationem Diuina ſunt, cuiuſmodi eſt illud, *Non concupiſces*, quàm aliorum, quæ ſine dubio Eccleſiaſtica ſunt, cuiuſmodi eſt vetitus vſus carnium duobus poſtremis hebdomadæ diebus, vetita Euchariſtiæ ſumptio poſt ſumptum cibum, & præſcripta præſentia Miſſæ ſacrificio diebus feſtis. Igitur non originem legis, ſed incommodum in ea ſeruanda, & commodum in violanda, duo eſſe certamina, quibus obedientia debilitatur; aduerſus hæc tamen eſſe pugnandum, adeoque efficiendum, vt per remunerationes conceſſas reſidentibus, & per ſupplicia denuntiata non reſidentibus, maius euadat commodum quod à reſidendi obſeruantia ſperatur, quàm quod aliunde prouenit à libidine non reſidendi; maiuſque pariter incommodum, quod ab eo timetur qui non reſidet, quàm quod alioqui toleratur ab eo qui reſidet.

15 Hos eſſe modos vſitatos, quibus ſapientes cunctæ Reſpublicæ quæſierunt & conſecutæ ſunt ſuarum legum cuſtodiam, non autem ſubtiliter indagando, an illæ per ſe an per alios ab auctoritate

1562. Diuina confectæ ſint; neque pariter per eam declarationem impe-
ditum iri multas ac laxas exceptiones, quæ reipſa concedebantur
legi à quorumdam interpretatione, vbi præmium ac ſupplicium
non adeſſet. Etenim quemadmodum tunc dicebatur Eccleſia non
intendiſſe in eo caſu obligare, ſimiliter impoſterum dictum iri, nec
Diuinæ fuiſſe mentis in eodem caſu obligare. Quod ſi vellent ali-
quid vltrà aut intendere aut declarare, nimirum, Paſtorum man-
ſionem non modò fuiſſe præſcriptam à Deo, ſed eſſe rationem in-
timam, minimeque ſeparabilem ab animarum cura, & ab obliga-
tione paſcendi, id manifeſtò falſum deprehendi. Curam hanc, pa-
ſcendique munus exerceri animi præſentiâ, non corporis: quot
Epiſcopos ob Diœceſum amplitudinem longiùs abeſſe ab aliqua
ipſarum parte, dum in altera reſident, quàm Epiſcopus anguſtæ
Diœceſis diſtet à qualibet ipſius parte, dum extra vniuerſam de-
git? Sed rem experimento conſpici: Antiſtites Germaniæ, Gal-
liæ, Scotiæ (omiſſâ Angliâ, vbi poterat id vitio verti violentæ do-
minantium nequitiæ) longè conſtantius perſtitiſſe apud ipſorum
ouilia, quàm Italici; & hos tamen meliùs curaſſe & aluiſſe gregem,
cùm illi ſiuiſſent vt grex à feris deuoraretur, herbaſque venenatas
depaſceretur. Prætermiſſis itaque ſuperuacaneis dubiiſque ſubtili-
tatibus, omne ſtudium adhibendum eſſe ad amouendos obices ab
hoc indubitabili mandato, efficiendumque, vt Epiſcopi Diœceſibus
adſint non ſolâ corporis præſentiâ, ſicuti res quædam inſenſibiles,
ſed ſicuti cæleſtes Intelligentiæ, quibus æquiparantur à ſacris Litte-
ris, operatione ac virtutis affectu.

k Acta Paleotti.

Animaduerſione dignum eſt [k], quòd inter Præſules, arctiorem 16
declarationem ardentius vrgentes, aderant complures, qui facto la-
xiorem ſententiam ſequebantur; ſiue id eſſet quòd neceſſitatem
optarent, ſiue quò voluntatem oſtentarent ad frugem redeundi.
Verùm poſt tot congreſſus ductâ ſententiarum ratione, ingens con-
fuſio & ambiguitas comperta eſt, definienda nécne res eſſet; tum
quia cùm hic articulus præcipuus non eſſet inter propoſitos, ſed
quaſi aduentitius, & adductus à Granatenſi, aliqui non plenè il-
lum agitauerant; tum quia, vti plurimi ſermonis eſt conditiones,
moderationes limitationeſque intermiſcere, perpaucæ ſententiæ
tam puræ prolatæ ſunt, vt pro alterutra partium connumerari po-
tuerint.

Romam interim Legati miſerant Fredericum Pendaſium, ex 17
Mantuani familia, ſicuti dictum eſt; qui diſtinctius quacumque
epiſtolâ & poneret ob oculos Pontificis ſtatum Concilij, & quid

Pontifex vellet de Concilio, reportaret. In quo duplex error Suauis deprehenditur; alter, dum affirmat, miſſum fuiſſe Camillum Oliuum (in quo commento poſteà hiſtoriæ ſuæ auctoritatem magna ex parte conſtituit) falſi conuincitur ab innumeris probationibus infrà adducendis, ſed in præſentia à litteris eâ tempeſtate ſcriptis nomine Legatorum [l], quæ non ſemel miſſionem Pendaſij memorabant, nec vmquam Oliui. Alter eiuſdem error eſt, quod affirmat, illum fuiſſe Romam miſſum poſt cœtum vigeſimi Aprilis, & poſt tumultum illic excitum, de quo dicemus. Sed è contrario verum eſt, hominem à Legatis ad Pontificem miſſum fuiſſe vndecimâ eiuſdem menſis, ſicuti liquet ex epiſtola, pridie illius diei ab ipſis ad Borromæum data, & ex mandatis, quæ is habuit, eo planè die ſignata quo iter aggreſſus eſt. 1562.

[l] 10. Aprilis ad Borromæum, aliæque plurimæ infra adducendæ.

18 Imò neque verum eſt, per mandata Pendaſio tradita [m] peculiariter agi de quæſtione manſionis, ſed in genere de negotio emendationis. Ea erant huiuſmodi: Animaduertiſſe Legatos iam tum ab initio cùm Tridentum venerant, Patrum animos ac vota conuerſa prorſus eſſe ad diſciplinam verè, ſincerè, ac reipſa reformandam. Hinc ſolùm ab ipſis ſperari remedium aliquod Fidei diſſidiis, quæ per definitiones ſanari non poſſe videbantur. Plurima fuiſſe vbertim definita in anteactis cœtibus ſub Paulo & Iulio, ſed abſque fructu; quoniam emendationes ſtatutæ, debiles ac tenues fuerant præ morborum grauitate, & præ mortalium expectatione; & illæ quidem cum executione perexigua, vnde illarum tenuitati tribuebantur hæreſis incrementa. Quò maior illuc acceſſerat Patrum frequentia, eò magis eam perſuaſionem excreuiſſe; nec deeſſe, qui ſtuderent eam diſſeminare, & in aliis inſerere: quod ob honorificam illius ſpeciem facile erat. Claras ab his voces iactari, Nec poſſe confici diſciplinæ leges quæ ſatis forent, manu Romæ Tribunalibus non admotâ: velle quidem eos intactum relinquere quidquid è mente Pontificis proximè proueniret; ſed velle ſimul nouas leges extendere ad Cardinales, & in omnes illius Aulæ magiſtratus, de quibus acriter conquerebantur. Capita quorum hactenus mentionem fecerant, eſſe Sacerdotiorum collationes, eorum præſertim, quibus dignitas & animarum cura adnecteretur; Prouocationes, ob quas complures abibant impunes; Nuntios; S. Petri fabricam; & breuiter, multitudinem impunitatum, quâ fiebat ne illâ ſuffulti ſuperiorem haberent aut correctorem. Flagrantiſſimum ab ipſis deſiderium præ ſe ferri, vt rebus conſuleretur per eas pactiones Paulo III. propoſitas à quodam virorum cœtu, ab illo ſelectorum [n], quæ

[m] Hæc 11. Aprilis tradita Pendaſio extant inter monumenta Seripandi, ſicuti ſyllabus 95. capitum de morum emendatione, cum reſponſis Pontificis ad marginem.

[n] Eos vide lib.4.cap.4.

1562. poſteà typis vulgatæ fuerant cum variis aduerſariorum commentis, multiſque in Apoſtolicam Sedem calumniis. Idcircò cenſeri opportunum à Legatis, vt Pontifex ipſis ſignificaret cuncta ſimul capita, de quibus deliberandum in Concilio ſibi videretur: ea enim ab ipſis diſtributum ac digeſtum iri per varias Seſſiones; adeoque ceſſaturas obtrectationes, quòd Româ expectarentur Decreta de cunctis Decretis Tridenti ſtatuendis: ac per eam opportunitatem ſyllabum 95. capitum ad Pontificem miſere, quæ collegerant ex variis partibus, vtpote ab Epiſcopis, viriſque religionis ſtudioſis expetita; non tamen factâ illic mentione de habenda declaratione, quòd manſio iuris eſſet Diuini. Addebant, ex pluribus indiciis conici, Tridenti auidè expectari Gallos, qui in hiſce controuerſiis conſenſuri eſſent cum Hiſpanis, & cum his pariter Luſitani, & Cæſaris Oratores, & ex Italis complures, vt proinde aut numero potiores euaderent, aut publicæ offenſioni foret, ſi Decreta ſancirentur ab vnica natione, cunctis reliquis per ſuos Præſules contradicentibus, videlicet Orbe Chriſtiano ferè vniuerſo.

Hæc ſecum detulit mandata Pendaſius. Sed interim non opinati tumultus inciderunt. Etenim cùm auditis omnium ſententiis per varios cœtus colligi nondum poſſet, quid tandem certi ſuper articulo magis agitato haberetur, Legati quò tum ipſi, tum reliqui ſincerius agerent, quædam in cœtu proponenda in hanc ſententiam digeſſere: *Quoniam multi Patres dixerunt, declarandum eſſe, an manſio ſit Iuris Diuini, alij de hoc verba non fecerunt, alij negarunt ad hanc declarationem deueniendum; quò Patribus ſeligendis ad formanda Decreta, liceat ea ſincerius formare, dicant Patres breuiſſimè per verbum Placet, aut, Non placet, velint nécne vt declaretur manſio eſſe Iuris Diuini, quò pro maiori ſuffragiorum ac ſententiarum numero digeri poſſint Decreta, pro eo ac in hac ſacroſancta Synodo ſemper vſitatum eſt; qui numerus in præſentia propter ſententiarum varietatem haud videtur liquidò conſtare. Dicant itaque tam clarè, tam diſtinctè, vt eorum ſententiæ perſcribi poſſint.* Hoc autem conſilium ſtudioſiſſimè occultarunt Legati, ne ij qui eſſent, ſeu vellent eſſe ambigui, rationem præmeditarentur, quâ perſiſterent in ancipiti. Verùm ſuſcepto conſilio omnino contraria res euenit. Deprehenſi Patres improuisâ moleſtâque neceſſitate ſe aperiendi, eam exiſtimarunt tamquam genus quoddam ſeu violentæ torturæ, ſeu inſidioſæ interrogationis. Quamobrem excitum eſt in conuentu murmur eiuſmodi, vt in tumultum abierit, quaſi libera non eſſet Synodus. 19

Madruccius, qui primus loquebatur, negauit ſe quidquam aliud 20
prola-

prolaturum, niſi, nolle ſe à ſua præterita ſententia recedere: & quamquam Auguſtinus, egregius Iuriſconſultus, eum remouere adductis rationibus niteretur, nihil tamen actum eſt, & viri dignitas obſtitit ne acriùs vrgeretur. Exemplum in eo toleratum complures alios docuit, & ad imitationem animauit; atque ij potiſſimùm, quibus articuli declaratio diſplicebat, pro virili conati ſunt progreſſum obturbare illius preſſæ ſuffragationis, à qua odioſum ſibi exitum metuebant. Dictis itaque ſententiis, nimis claré fuerant auditæ altercationes iracundæ, atque acerbæ querimoniæ: ſed id, in quo claritas quærebatur, obſcurius & incertius quàm initio permanſit. Quapropter Præſides cònſtantes in propoſito rei declarandæ, ne illius exitus inter duas factiones tam amplas, animoſque tam commotos, in ipſos regereretur, denuò iuſſerunt Patres rogari ſententias, duobus Maſſarello ſociis additis, Patriarchâ Hieroſolymitano, & Archiepiſcopo Granatenſi, ad rem maiori auctoritate ac ſecuritate firmandam, ac tandem poſt longum laborem ſententiæ ad hoc deductæ ſunt. Propè ſeptuaginta voluere, vt articulus abſoluté definiretur. Dixi, propè ſeptuaginta: nam inter illius partis fautores connumerati ſunt duo ex Abbatibus Benedictinis, quorum tria ſimul ſuffragia pro vnico habenda eſſe, in Concilio Pauli III. decretum fuerat, ſicut ibi narrauimus: & alij quoque dubiè locuti; adeoque quot omnino eſſent, affirmari nequit: quod Suauem excuſabilem reddit, dum in eo ſexaginta octo ſuffragatores affirmat, aduerſus quàm narrant complures. 1562.

21 Sed excuſandus non eſt cumulus aliorum errorum rem ipſam peruertentium, dum ait, triginta tres definitioni obſtitiſſe; cùm reuera fuerint triginta octo, ſeu triginta nouem, excepto tertio Abbate Benedictino, à duobus ſociis diſcordante, qui ſuffragium integrum non conflabat: ac prætereà triginta medios ſubſtitiſſe, quorum alij dixerint, Probari ſibi definitionem, dummodò Pontifici placeret; alij, ſibi non probari, niſi eidem placeret; cum ij medij reuerà non ita dixerint; ſed aliqui, *placere ſibi articulum definiri, quæſito priùs Pontificis ſenſu*: alij, *ſibi non placere illum definiri, non petito priùs Pontificis ſenſu*. Nec ij ſimul triginta ſolùm, ſed triginta quatuor fuere; ex quibus Suauiani errati emanat conſecutio, ipſi facto contraria, hoc eſt, pleriſque merè placuiſſe definitionem; ſed reuerà pauciores fuere. Affirmaui, hanc erratorum congeriem excuſari non poſſe in Suaui: etenim tametſi in connumerandis alterius opinionis aſſeclis ob perplexam & ambiguam dicendi rationem variauerint & aberrauerint in ſuis monumentis multi qui tunc Tri-

denti

1562. denti aderant, ſed aut cœtibus non interuenerant, aut accuratiùs rem non indagarant; omnibus tamen veritas, quæ ad rem ipſam ſpectabat, innotuit: adeoque omnes ita ſententiàs enumerant, vt maior ipſarum pars noluerit definitionem, niſi priùs quæſitâ Pontificis ſententiâ. In eo concordant Acta Paleotti, Seruantij Diaria, litteræ Oratoris Florentini, ad ſuum Principem ſcriptæ eodem conſeſſus die, narratio Muſotti, & Salmanticenſis Epiſcopi Commentarij. Hæc teſtimonia Suauem falſitatis notoriæ ſatis conuincunt: vt enim meri falſi reuincatur, ſatis eſſet diſtincta notatio ſingularum ſententiarum, à Maſſarello, qui Concilio à ſecretis erat, in eodem cœtu confecta, cùm is præſcripſerit indubitatas pro indubitatis, dubias pro dubiis, non integras pro non integris, quales erant Abbatum ſententiæ: cui notationi ad amuſſim reſpondent quæ in ſuis Actis à Muſotto & à Paleotto relictæ ſunt; ſolùm hæc dubias ſententias aut in vnam aut in alteram partem ſimpliciter redigit: denique Maſſarellus ita ſcribit: *Quæ omnes ſententiæ à me, qui à ſecretis eram, clarâ voce lectæ ſunt, & à ſingulis comprobatæ; quarum ſumma eſt huiuſmodi: Pro parte affirmante ſexaginta ſex, pro negante aut ſimpliciter, aut cum aliquo additamento, aut re in ſanctiſsimo Domino noſtro repoſitâ, vnus ſupra ſeptuaginta. Inter hos non connumeratur Madruccius Cardinalis, nec Epiſcopi Ilerdenſis & Baduenſis* (duo priores dictam anteà à ſe ſententiam confirmarunt, tertius non dixerat placere ſibi vt definiretur, ſed vt promulgaretur, manſionem eſſe Iuris Diuini) *neque Abbates: & Epiſcopus Ilerdenſis poſteà voluit, vt ipſius ſententia inter affirmantes numeraretur, adeoq; ſunt ſexaginta ſeptem.* Hæc notatio non ſolùm extat in legitimis Actis Concilij, ſed habetur vnà cum aliis Commentariis etiam originariis illorum conuentuum in quodam libro olim Ioannis Baptiſtæ Argenti Romani, qui Concilio adfuit, & à ſecretis erat Patriarchæ Aquileienſi; qui liber exhibitus mihi eſt ab humanitate nobilis & eruditi Comitis Frederici Vbaldini, qui Purpuratorum Collegio à ſecretis fuit.

Hæc interpretatus Suauis, dicit ſubtilius, illud diſcrimen, nempe, alios velle ſi placeret Pontifici, alios nolle ſi non placeret, inde ortum fuiſſe, quòd ita quiſque arbitrabatur ſe melius Principi deſeruire. Verùm ſciendum eſt, non ſolùm, ſicut indicauimus, eos non ita locutos, ſed ſeruiles homines dici non poſſe tales, quales inter ceteros erant duo Patriarchæ, Aquileienſis & Venetus, Daniel Barbarus & Ioannes Triuiglianus, quorum prior fuerat electus Adiutor Grimanico Patriarchatu à Paulo IV. dum is Reipublicæ ſuæ Orator in Anglia morabatur; fuitque vir eximiâ litteraturâ: alter 22

ex

ex adminiſtratione Ordinis Caſſinenſis euectus fuerat, Republicâ nominante, ad eam ampliorem dignitatem: & præter hos Antonius Coccus Archiepiſcopus Corcyrenſis, Martinus Corduba Epiſcopus Durtanenſis, Archiepiſcopus Panormitanus, aliique viri præcipui è Siciliæ ac Neapolis Regnis; & Abbas qui Heluetici Cleri perſonam gerebat. At verò inter eos, qui abſolutè declarationem petierunt, complures numerabantur, quos multò magis ea de Pontifice ratio permouiſſet, præcipuè aliquot Epiſcopos Pontificiæ ditionis: exempli gratiâ Sutrinus Reatinus Eſinenſis, tum tres ſupremi Præſides Ordinum Mendicantium, qui peculiari quadam ſubiectione Apoſtolicæ Sedi obſequuntur, & Epiſcopus Piſaurienſis, frater, vt obſeruatum eſt, Simonetræ, & Paſtor ciuitatis ſubiectæ Principi, qui non ſolum Pontifici ſubditus erat, ſed eius nepoti arctiſſimo conſanguinitatis nexu coniunctus. Sed techna eſt nequiter inſoleſcentium accommodata, vulgò vilem reddere, quaſi ſeruilis animi, reuerentiam minorum erga maiores. 1562.

CAPVT V.

Varij ſermones de narrati cœtus euentu. Acceſſus Oratorum Venetorum. Dilata eorum exceptio, & qua de cauſa. Negata Grimano Patriarchæ audientia. Epiſtola Oratoris Gallici, Seſſionis prolationem poſtulantis.

1 TAntum abfuit, quòd res in Pontifice repoſita gratum illi obſequium foret, vt veriùs in tricas inexplicabiles ipſum coniecerit. Etenim quemadmodum & ſuâ & communi Patrum ſententiâ ſcripſit [a] ad Coſinum Orator Florentinus, odioſum videbatur, nolle Pontificem vt ad declarationem procederetur, quando longè pluribus illa fuerat abſolutè probata, quàm abſolutè improbata: & inter eos qui eam probarant, ferè omnes erant ex nationibus ab Italica diſtinctis, præſertim cùm à multis ea cenſeretur efficaciſſimum adiumentum ad collapſam diſciplinam reparandam; vt proinde ſi Pontifex illam reiiceret, linguas obtrectatorum vellicaret, vociferantium, Eccleſiæ reſtituendæ ac reformandæ ipſum deeſſe. Contrà verò ſi declarationem eligeret, non leuia id afferebat incommoda, offenſionem partis non modicæ, & quæ ſibi perſuaſerat, in ea ſuſtinenda ſententia Pontifici ſe magis fauere: quare vbi ſe victam ipſius voluntate animaduerteret, facilè potuiſſet animi propenſionem in alienationem indignabunda conuertere:

[a] In litteris memoratis ad Coſmum Ducem.

1562. re: præterea, minùs decoram rationem conſtituendi dogmatis per Fidem credendi, quod plenam animi firmitatem exigit, tot Patribus contradicentibus. Accedebant ſiniſtræ conſecutiones, quas compertum erat à multis atræ bilis ingeniis tamquam liquidas, tametſi falsò, deduci ab ea poſitione: ac denique, vbi cetera defuiſſent, iacturam emolumenti, quod Pontifici proueniebat & in beneuolentia & in exiſtimatione, ex eo quòd ipſe ſolius operis cunctis accepti auctor eſſet, nimirum conuocandi ſuſtinendique Concilij, auctoritate ſuâ litigiis, quæ ibi excitarentur, minimè interiectâ.

Quod egerant Præſides, perinde ipſis contigit, ac illi qui medius eſt inter duos aduerſis affectionibus percitos; ab vtraque nimirum partium reprehendi. Qui declarationem oderant, conquerebantur, quòd per eam improuiſam percontationem in quæſtione tam ardua voluiſſent Concilium ad abortum adigere, fœtum matureſcere haud permittentes: qui oppoſitam ſententiam tuebantur, voti minimè compotes, adhibitam ad id rationem damnabant: quare non defuit, qui conſilium, quod ad faciliùs rem conficiendam ſuſceptum fuerat, quamdam quaſi artem illius impediendæ fuerit interpretatus,[b] dicens, Patres fuiſſe clarè locutos in ſuperioribus cœtibus, & à Legatis inductam nouam ſuffragationem, non quò ſententiæ clareſcerent, ſed quò reuocari poſſent. Verumtamen viri purgatiore mentis acie Præſidum conſilium commendabant tamquam ſincerum & rationi conſentaneum, & quo quodcumque aliud magis ſpecioſis[c] obnoxium criminationibus crederetur. 2

[b] Literæ Oratoris Florentini ad Colmum, 23. Aprilis 1562.

[c] Eædem literæ.

At verò conſilium à conuentu ſuſceptum maiori vituperationi ſubiacebat. Bellaius præſertim, qui recens è Gallia venerat, id ægro animi ſtupore mirabatur; Pontificis eſſe, conuocare, cogere, confirmare, ac terminare Concilium, in Patribus eſſe poteſtatem ac libertatem decidendi. Eadem cum Bellaio ſentiebat Muglizius Archiepiſcopus, & eius fortaſſe calamo iidem ſenſus Cæſari ſunt impreſſi, cùm illum de re geſta docuit. Hic enim in reſponſis[d] non mediocrem ea de cauſa moleſtiam animi præ ſe tulit, ſcripſitque, poſſe hinc argui quàm frigido animo eſſent Patres ad reformandam Eccleſiam, & quàm exili libertate potirentur. Certum eſt, Muglizium haud ſibi temperaſſe, quin hanc ſuam mentem depromeret non ſine quadam aſperitate, Superioris inſtar, in cœtu ſubſecuto, caſtigaretque potiùs quàm admoneret Patres immoderatæ altercationis, ac ſuſceptum conſilium reprehenderet, quaſi libertati Synodi pernicioſum. Sed non vnus ſolùm ex Epiſcopis illi reſpondit, 3

[d] Epiſtola ad Oratores, Pragâ, 9. Maij 1562.

mode-

moderatâ quidem, ſed ponderoſâ ratione ab eo poſtulans, vt maiorem in loquendo conuentus rationem haberet, ſimul etiam oſtendit, libertate ſe neutiquam ſpoliare eos, qui in rebus arduis & malignis ob contrarias inter ſe rationes ac ſententias ſponte confugiunt ad illius iudicium, quem Deus vniuerſæ Eccleſiæ rectorem conſtituit: idem nonnumquam vſurpari à cunctis cordatis conuentibus erga ſuos Principes ac Magiſtratus. 1562.

4 Nec turbida illa commotio intra cancellos arcani circumſpecti ſe coërcuit. Primus quidem Præſidum ad finem memorati conuentus grauiſſimis verbis Patres commonefecerat, ne tumultum excitum vulgarent, prout Eccleſiæ dignitas, proximorum charitas, & priuata pariter ipſorum exiſtimatio poſtulabat: Idcircò in more poſitum eſſe, vt huiuſmodi conſilia clauſis foribus habeantur, quò patefactâ ſolùm formoſâ ſpecie prudentis apparatus, ſubducatur populorum aſpectibus quidquid venerationis detractum fuiſſet legum latoribus, adeoque legibus latis. Præter hæc prudentia Præſidum hortamenta, multi Patrum in exitu è conſeſſu calamitoſa illa diſſidia lacrymis deplorarunt, cupidiſſimi ea occultandi, quando facultas deerat impediendi. Sed in rebus magnæ hominum frequentiæ notis nimis arduum eſt arcanum: ſiquidem paucorum leuitas ſeu perturbatio, prudens multorum ſilentium inutile reddit. Atque ita tunc res accidit. Breuî cunctæ aures, ac dein ora Tridentinorum eo turbarum fragore ſunt oppleta: & paucos intra dies quot ferè litteræ inde profectæ ſunt, tot famæ linguæ concrepuere, quibus omnes orbis Chriſtiani prouincias rumor peruaſit; in quo pariter contigit id, quod tum in magnis torrentibus, tum in magnis caſibus euenire ſolet, vt in ipſorum curſu quocumque feruntur, externis acceſſionibus intumeſcant.

5 Neque ſatis habuit fama aut prudentiam carpere, aut mentem accuſare, aut amplificare detrimenta: ſed auſa prætereà eſt indecora quædam in capitibus maximè venerandis, & in ipſis Legatis comminiſci, quaſi Mantuanus ac Seripandus induſtriam & auctoritatem impenderint ad emendicandas ſententias declarationi fauentes, & ad oppoſitas Simonetta. Oſio & Altempſio minor in politicis rebus peritia, in altero ab ingenij ſimplicitate, in altero à penuria ætatis & experientiæ profecta, immunitatem ab huiuſmodi calumniis obtinuit. Sed Mantuanus, vir in quo minima inter dotes erat amplitudo natalium, plagas tam acerbas excepit, vt ſuæ dignitatis ſollicitus ſe flexerit ad varias teſtificationes à Patribus ſibi intimis comparandas, per quas inſimulantium falſitas retunderetur.

1562. tur. Et quoniam de Seripando tamquam certum ſerebatur à multis, id quod à quopiam ceu poſſibile putabatur; hoc eſt, cùm ipſe Concilio interfuit ætate Pauli III. ſummus Eremitarum Moderator, promotam ab eo fuiſſe omni conatu definitionem huiuſcemodi; cui tunc reiectæ, nunc eumdem, auctâ ſibi poteſtate perperàm vſum, ſtuduiſſe per immoderatam animi affectionem fauere: ipſe dedit operam, vt eius collegæ in ea Pauli III. Synodo, iureiurando teſtarentur, ex ore Seripandi ne nomen quidem huius quæſtionis tunc auditum fuiſſe. E conuerſo inſimulatus eſt Simonetta, quòd ob omnium oculos Pontificis gratiâ & vtilitate propoſitâ, impetratiſque litteris idem ſonantibus à Borromæo ad aliquot Præſules, conatus fuiſſet per hos nexus libertatem linguarum illis obſtringere. Sed, quemadmodum verum fuit, illum acriter repugnaſſe declarationi propoſitæ, & cùm eſſet apertiſſimo ingenio, millies deprompſiſſe quid ipſe ſentiret, & quibus niteretur fundamentis; ita tam ille fuit alienus à munienda ſententia ſua alio præter rationem præſidio, quàm clarè id patefacit narrata ſententiarum diſcordia inter ipſum ac fratrem, intactâ tamen animorum coniunctione. Idipſum proportione obſeruatum eſt in aliis Præſulibus, qui ſingulari beneuolentiâ Gonzagam & Seripandum proſequebantur.

Legati cùm intelligerent, nihil in ea re ſtatui poſſe, non accepto 6
priùs reſponſo Pontificis, ex conuentus voluntate deſignarunt in eodem cœtu Patres aliquot ex ſingulis nationibus, qui Decreta concinnarent de reliquis tribus capitibus iam expenſis, ſicuti dictum eſt; ſimulque denuntiarunt, vt ad ſex proximè appoſita perpendenda procederetur: duo ſiquidem poſtrema [e], de matrimonio clandeſtino, in id temporis reiecta ſunt, quo de Sacramento Matrimonij agendum eſſet, eorum interim examine ac diſputatione minoribus Theologis relictâ; hoc enim nomine appellabantur ij Theologi, quibus ius ſuffragij non inerat in generalibus cœtibus, quemadmodum in anteactis conuocationibus notauimus.

[e] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 20. Aprilis 1562.

Die qui memorabilem illum conflictum anteceſſit, Tridentum 7
peruenerant Oratores Veneti Nicolaus de Ponte [f] & Matthæus Dandolus, ambo ſpectatiſſimi Senatores. Obuiàm in ingreſſu habuere nonaginta quatuor Patres. Prior inceſſit in equo, medius inter Hieroſolymitanum Patriarcham, & Salmanticenſem Epiſcopum, alter inter duos Patriarchas, Aquileienſem & Venetum. Sed excepti non ſunt in generali conſeſſu ante diem vigeſimum quintum, Patrono illius Reipublicæ ſacrum. Cunctationis cauſa [g] non fuit, ſicuti viſum eſt Suaui, quò ſolemnior actio redderetur, eò feſtiuo

[f] Hic Orator fuerat apud Iulium III. ac deinde Dux Senatus, vt præſertim Gratianus narrat in Vita Commendoni.

[g] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 20. Aprilis 1562. & Acta Paleotti.

ſtiuo die actoribus accommodato; ſed quòd in litteris quas gere- 1562.
bant, ex eius errore qui ab epiſtolis erat, nominabatur Synodus iis vocibus, *Vniuerſalem Eccleſiam repræſentans*, eademque *præcedentis Continuatio* vocabatur; quorum alterum repudiatum iam fuerat, alterum conſultò nondum declaratum. Et inſuper Reipublicæ litteræ ſolùm erant ad conciliandam Oratoribus fidem; neque publica mandata proferebant, vt ipſi fauerent Synodo, eiuſque ſanctiones exciperent. Suboluit id Legatis per Dominicum Bolanum Antiſtitem Brixienſem, Venetum Patritium, cui ob egregias hominis dotes plurimum confidebant Oratores, nec Præſides minùs, adeoque ſemper & adhibitus & in pretio habitus ſingulariter in Concilio is fuit: huius proinde operâ effecere Præſides, vt Oratores curſorem tabellarium ad Senatum mitterent [h], & poſteà litteras ac mandata, quâ opus erat formâ, reciperent; quod euenit. Die igitur vigeſimoquinto, induti holoſetico raſo violaceo, Ducum more, per inſolitum ritum excepti ſunt in Æde maxima, tum quò auctior eſſet honorificentia, tum quòd iam incommoda hiſce conuentibus euaſerat [i] Aula primi Legati, ob auctam adeuntium frequentiam, & ingraueſcentem tempeſtatis calorem. Ac poſteà neceſſe fuit, vt hæc ſolùm cauſa poſterior prætenderetur, ibidem pariter coactis cœtibus, ad Oratores Cæſareos mitigandos, qui conquerebantur, honorificentiùs Venetos quàm Cæſareos exceptos fuiſſe. Perorauit de more Nicolaus de Ponte; qui poſtmodum inuſitatâ modeſtiâ orationis exemplar promere recuſauit, cauſatus, par eſſe, vt ea, quippe ſenis partus, vſus neceſſitati, non oſtentationis pompæ ſeruiret. Reſponſum illis redditum eſt, à Mutio Callino Archiepiſcopo Iadrenſi dictatum [k].

h Litteræ Legatorum ad Borromæum, 23. & 25. Aprilis 1562.

i Litteræ Archiepiſcopi Iadrenſis, 30. Martij, & 27. Aprilis 1562. & reſponſum Cæſaris ad Oratores, 9. Maij.

k Diarium Muſotti.

8 Iam verò quando de Venetis incidit ſermo, placet hîc reponere quod paulò anteà auditum fuerat, velle nimirum Grimanum Patriarcham Synodo ſe ſiſtere, purgaturum criminationes, quas alibi indicauimus [l]. Et ſunt qui affirmant [m], à Pontifice paratum animum oſtenſum fuiſſe ad id indulgendum: ſed poſteà ſiue ſui ſenſus ductu, ſiue ſuaſu Magiſtratuum Inquiſitionis Romanæ, impoſuit Legatis [n], vt denuntiandum Patriarchæ curarent, oportere ipſum non Tridenti ſed Romæ ſe ſiſtere, vbi cauſa pendebat non modò coram cœtu Cardinalium, de quo diximus, ſed etiam coram Pontifice, qui ſibi eam aſſumpſerat: illinc ab ipſo fugam fuiſſe arreptam ob ſuſpectos, vt aiebat, iudices, tametſi reuerà diffidendum ei non eſſet à viris illius Tribunalis; ſed ad omnem ſecuritatis amplitudinem ipſi polliceri Pontificem, ſe iudicium vniuerſo Purpuratorum

l Litteræ Legatorum ad Borromæum, 26. Martij, & 9. Aprilis 1562.

m Monumenta Muſotti.

n Litteræ Borromæi, & Pontificis ad Legatos, 18. Martij, & 21. Iunij 1562.

1562. ratorum Senatui commiſſurum. Reſcripſerunt Legati, ſe quam-
uis non admonitos ita reſponſuros fuiſſe; id forſitan affirmantes,
ne ſuſpicaretur Pontifex, ab ipſis ſuæ iuriſdictionis amplificatio-
nem appeti. Dein verò ſignificatum ab illis eſt, commonitum à ſe
fuiſſe Grimanum per Barbarum Patriarcham, illius Adiutorem, ne
accederet, idque proprio ipſorum quaſi motu, Pontificis nomine
haud interiecto; ſed innotuiſſe, Grimanum ab eo cōſilio illuc ac-
cedendi iam anteà diſceſſiſſe monitu Senatus, qui aduerſam Ponti-
ficis voluntatem detexerat, tametſi ab eodem Senatu decretum eſ-
ſet, iteratis precibus eam conciliare, cupientiſſimo vt tam præci-
puus Patritius innocens declararetur: quod ſperabatur, vbi illius ra-
tiones apud Iudices omnino nouos, & quacumque ſuſpicionis an-
ticipatione puros producerentur. Quid autem poſteà contigerit,
ſuo loco conſtabit.

Cœtus habebantur aſſiduè, quò perficerentur Decreta futuræ 9
Seſſionis, decimo quarto Maij indictæ [o]: ſed ſuperuenere litteræ
Lanſaci, ſignatæ die 14. Aprilis, ad Mantuanum [p] & ad Synodum
ſcriptæ, quibus ille electum ſe Oratorem ad Concilium ſignifica-
bat, adiectis duobus collegis, Rinaldo Ferrerio Præſide Pariſienſi,
& Guidone Fabro Conſiliario magni Regalis Conſilij; ſuique ad-
uentus feſtinationem pro viribus pollicebatur; ſed vbi non ſucce-
deret eius acceſſus ante ſtatutum Seſſioni diem, Patres rogabat, vt
tres quatuórve dies illam differrent. Propoſitum id à Legatis fuit
generali conuentui die 20. Aprilis; & poſt longam diſſertationem
tempus ad deliberandum captum eſt ad proximum vſque conſeſ-
ſum [q]. Ratio dubitandi erat, quoniam [r] hinc petitio videbatur æ-
qua & admodum moderata, cùm præſertim coacta fuiſſet Synodus
& petente Galliâ, & ad eam reparandam: hinc in dubium reuoca-
batur à Caſtanea, licerétne Patribus præſtitutum Seſſioni diem ex-
tra Seſſionem prorogare. Quod Granatenſis negauit, propreteà
quòd Seſſionis dies oportebat vt certus eſſet & notorius, & ſolem-
niter indictus, quò cuilibet, ad quem ſpectabat, in promptu foret
eam adire, adeoque priuatis cœtibus facultas illius mutandæ non
inerat; hoc enim pacto & occultus ille fuiſſet, & populus ab ante-
acta & non reuocata denuntiatione deceptus.

[o] Acta Paleotti, & arcis Æliæ, & litteræ Legatorum ad Borromæum, 25. & 28. Aprilis.
[p] Litteræ ad Mantuanum, extant in Diario Synodi.
[q] Litteræ Legatorum ad Borromæum, poſtremo Aprilis 1562.
[r] Acta Paleotti.

Hiſpani reſiſtebant communiter huic dilationi [ſ]: Res ab eo ſa- 10
croſancto conſeſſu ſolemni ritu firmatas abſque grauiſſima ratione
mutandas non eſſe; eam verò minimè videri in Seſſionis dilatione.
Quod ſi in emolumentum Galliæ id ceſſiſſet, ad Synodum delatum
iri ea de re poſtulata & à Catholicis illis Principibus, & ſimul
à Pon-

[ſ] Acta Paleotti, & Salmanticenſis Epiſcopi.

à Pontificio in Gallia Legato: Definiendum non eſſe in futura Seſ- 1562.
ſione, quemadmodum fortaſſis Orator exiſtimabat, vllum dogma, cuius gratiâ foret opportunum Gallos audiri: paratas fuiſſe valdè tenues de diſciplina ſanctiones, quæ ne minimam quidem illi regno variationem inducerent: neque pariter obiici poſſe, afferri ab Oratore aliquod magni momenti negotium prænuntiatæ Seſſioni. Etenim ſi huiuſmodi eſſet negotium, tam exiguo tempore maturari non poſſet; adeoque opus foret in alteram poſteà Seſſionem illud transferre.

11 Cùm in ea repugnantia conſentire videretur ea peculiaris natio, fama peculiarem etiam rationem eſſe interpretata eſt. Etenim vbi Seſſio abſque Gallici Oratoris interuentu haberetur, Piſcariæ Marchio, ad eam celebrandam Mediolano rediturus, Regiſque litteras ac mandata delaturus, in æmulum dignitatis haud impegiſſet. Verùm Lanſaco præſente durum certamen præuidebatur: adeò vt Ferrarienſis Cardinalis Pontificem monuerit [t], vt is omnem contentionem cunctationemque amouendam Oratori curaret de loco quem ſibi deberi in Synodo putabat; aliter Tridento abiturum illum extemplò ſciebat, eò deteriore rei conditione, quàm ſi neutiquam veniſſet, quantò nocentius rebus accidit, quòd poſt conſunctionem diſcindantur, quàm ſi minimè coniungerentur.

[t] Litteræ Borromæi, 6. Aprilis 1562.

12 At maior Patrum numerus ab Hiſpanis diſſentiebat: Æquum perſpicuè videbatur, morem gerendum eſſe Oratori petenti, vbi res liceret; neque vt cenſeretur illicita, Caſtaneæ dubitatio, & Guerreri ſententia pleroſque commouebat. Reſpondebant enim, in Concilij Seſſionibus non exerceri iuriſdictionem contentioſam, per quam quiſpiam in ius vocetur ad ſuam cauſam agendam. Atque ita fuiſſe conſuetum prorogare nonnumquam Seſſiones extra Seſſiones, quod in duodecima Conſtantienſis Synodi videre erat.

13 Temperamentum nihilominùs excogitatum eſt, & in cœtu 30. Aprilis cunctis probatum, quippe tum adductis vtrimque rationibus, tum efficaciſſimæ cauſæ, alteram ex partibus impellenti, ſed non productæ, conſentaneum. Id fuit, vt præſcripto die 14. Seſſio celebraretur, in qua ſolùm procuratoriæ Oratorum litteræ exciperentur, dilatâ in octauum poſtea diem Seſſione, in qua ſtabilita Decreta ſancirentur; quod etiam Cæſar laudauit, vbi reſciuit [u]. Sæpè rerum agendarum difficultas ex eo naſcitur, quòd duo ſumma capita, duo ſibi repugnantia pernicaciter velle videantur: at reuerà ſibi per ſe non repugnant, ſed tantùm diuerſa ſunt; & ideò contraria cenſentur, quòd noſtræ craſſæ mineruæ non videantur ea

[u] In producta epiſtola 9 Maij ad Oratores ſuos.

poſſe

1562. poſſe contingere niſi in duabus rebus ſibi contrariis. Quemadmodum ſi quis maximum frigus in aqua ſolùm conſideraret, & maximam ſiccitatem ſolùm in igne: ſed qui perſpicaciorem mentis aciem obtinet, rem quamdam iis affectam conditionibus comperit, in qua illa ſimul coaleſcant, ſicuti hæ quas diximus qualitates ſimul inſunt in terra.

CAPVT VI.

Bauaricorum Oratorum aduentus, eorumque difficultas cedendi Venetis. Expectatio Pontificiæ reſponſionis de manſione, ad Pendaſij reditum. Philippi Regis litteræ, poſtulantes vt Synodus declararetur Continuatio, & eradatur particula, Proponentibus Legatis; *& ab iis reſponſiones Regi redditæ.*

POſtridie peruenere Tridentum duo miſſi à Bauariæ Duce; 1 alter, cui Oratoris inerat titulus, Doctor Auguſtinus Paungatnerus, alter Ioannes Cauillonius, Theologus Societatis Ieſu: ingreſſi ſunt non priuatâ ſolùm ratione [a], ſed occultâ. Cùm hi Legatos inuiſerent, ipſis expoſuerunt, ſe in mandatis habere, ne Ducis Orator vlli Oratorum cederet, iis exceptis, qui à Regibus aut ab Imperij Septemuiris mitterentur, adeoque intra Venetos eum conſidere non poſſe. Reſponſum à Legatis eſt, Ab ea Republica duo regna poſſideri: ſed illi ſubdiderunt, Fortaſſe ſui Principis mentem eſſe, vt inter regios etiam Oratores Veneti comprehenderentur; non tamen ſui eſſe muneris ita rem interpretari, ad Ducem de eo perſcripturos. Interim ne in lites inciderent, ſe cupere ſua mandata producere in cœtu, à quo Veneti ne grauarentur abeſſe. Præſides Epiſcopo Brixienſi rem indicarunt, quam Patriæ ſuæ Oratoribus blande proponeret. Sed Epiſcopus id Venetis proponendum acriter diſſuaſit: ad primum enim rei ſonum tum in Oratoribus tum in Senatu peracerba commotio fuiſſet coorta. Quapropter conſilium ſuſceptum eſt, vt Oſius, qui ob exercitum Nuntij munus in Germania peculiarem amicitiam cum Principibus, aliiſque Catholicis illius nationis contraxerat, Bauaros rogaret, vt litteras per curſorem ad Ducem mitterent, ſignificantes grauiſſima incommoda quæ poſſent exciri, vbi ipſe hanc de loco æmulationem cum Republica Veneta capere vellet, atque vt eorum ſolemnis acceſſus tantiſper protraheretur, dum reſponſio Ducis perueniſſet, quam Legati ex amore concordiæ auidè præſtolabantur.

[a] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 4. Maij 1562.

Sed

1562.

2 Sed auidiùs præſtolabantur reſponſum Pontificis de manſionis articulo. Reſcriptum ipſis fuerat [b] per Pendaſium reducem, illud eos accepturos; ſed is infortunium paſſus eſt, quod Legatis rei notitiam retardauit: nam illi prope Mantuam ex equo prolabenti dexter humerus fractus eſt; quare neceſſe ipſi fuit illic quieſcere, & Legatos monere. Verùm illuc miſerunt Arriuabenum ex familia Mantuani, qui ab eo & litteras & documenta reciperet. Intereà non deſiſtebant Epiſcopi ad rem feſtinandam Præſides impellere per incredibilem anxietatem; quæ vti ſuſpicionis eſt parens, ita effecit, vt cùm Legati [c] à Paleotto concipiendum curaſſent Decretum ad propinquam Seſſionem, in quo vrbanitatis gratiâ per quamdam honorificam formam redderetur ratio nouitatis ac memoratæ prolationis, opus fuerit illud mutari. Dicebatur ſiquidem in exemplo conflato; Ad maiorem auctoritatem ac ſatisfactionem præſtolandos eſſe illos, qui ex aliis prouinciis in viam ſe dederant, quò poſteà promulgarentur cum ipſorum conſenſu Decreta iam ſtabilita de reformanda diſciplina: dein verò progrediendum, quàm citiſſimè poſſet, ad agitanda ea dogmata quæ ſupererant. Sed eorum complures, qui propenſum ad definiendam manſionem gerebant animum, vmbras contraxerunt ex hiſce verbis, ex quibus coniiciebant, illum articulum eſſe ſeponendum, adeò vt opus fuerit ipſis ſatisfieri magis vniuerſali Decreto. Atque in eo ſe concordes oſtendebant Cæſariani cum Hiſpanis, communi nomine rem poſtulantes; quibus adhuc ignorabant Legati quid reſponſi redderent, ob infortunium Pendaſij, qui moram ipſis inopinatam attulerat [d] ad mentem Pontificis pernoſcendam.

b In litteris Legatorum ad Borromæum, 4. 8. & 9. Maij: & in epiſt. Iadrenſis Archiepiſcopi, 11. Maij 1562.

c Epiſtola citata 8. & Acta Paleotti.

d Litteræ iam dictæ.

3 Non ita concordabant Hiſpani cum Cæſarianis, eſſet nécne declaranda in præſentia Synodi Continuatio: quin quantò acriùs alij calcaribus vtebantur, tantò fortiùs alij habenas inhibebant. Quare cùm verba in Decreti exemplo poſita cernerent, *Vt quàm citiſſimè poſſit agitentur ea quæ de dogmatibus expendenda ſuperſunt*, enixe petierunt, vt ea tollerentur, quippe Continuationem ſignificantia. Et animaduerſione dignum eſt, à Cæſarianis pro certo poſitum fuiſſe apud Legatos, Hiſpanos conſenſuros ne fieret de Continuatione mentio vſque ad exitum Concilij, eiuſmodi dilatione promiſsâ: & ex oppoſito, ab Hiſpaniæ Rege in quodam libello, quem mox proferemus, fuiſſe pro certo poſitum, conſentire Cæſarem, vt diſruptâ morâ Continuatio extemplò declararetur. Sed vtrumque confeſtim patuit falſum eſſe: nam Hiſpani eodem die quo Cæſariani hoc de ipſis affirmarant, Præſides rogauerunt, ne à parata

1562. Decreti forma ea verba tollerent vſque ad acceſſum Auali, qui expectabatur in horas. Is verò poſtea omnino contraria ſignificauit iis, quæ pro certis poſuerant Cæſariani, ſicuti dicetur; & ij viciſſim vt cùm maximè aduerſati ſunt cuicumque ſyllabæ Continuationem indicanti. Quamobrem dicatur oportet, ab animi affectione perturbari in hominibus non ſolum mentis, ſed ſenſus iudicium, planeque effici, vt in agendis negotiis ſæpè ſonus audiatur diuerſus ab eo qui profertur.

Quò res hæc pleniùs intelligatur, ſciendum eſt, per eos dies allatam fuiſſe Legatis epiſtolam Pontificis cum duobus libellis ad ipſum à Philippo Rege miſſis [e], in quibus de Legatis acerbe conquerebatur; in altero, propter particulam ab ipſis poſitam, *Proponentibus Legatis*; in altero, quòd moram interieciſſent in declaranda Continuatione. Reſcripſerunt illi epiſtolam Pontifici breuem & obſequentiſſimam [f] erga Regem, quæ Hiſpano Romæ Oratori poſſet oſtendi; ſimulque alteram epiſtolam ſatis prolixam ad ipſum Regem ſcripſere, Nuntio Criuello communicandam, qui pariter Philippi ſenſum primo Legatorum ſignificarat. In ea ſtuduerunt tria ſimul coniungere, ſummam in Regem reuerentiam, claram in ſe purgandis rationem, & intrepidam quamdam fiduciam in ſuſtinenda & Eccleſiæ poteſtate & Concilij dignitate. 4

[e] Litteræ Regis ad Oratorem Vargas, 22 Martij 1562. inter monumenta Burghefiorum; & 30 Martij eodem anno inter ſcripturas additas narrationi Muſotti.

[f] Litteræ Legatorum ad Pontificem, & Borromæum, 7. Maij 1562.

In priori Regis ſcripto memorata particula, *Proponentibus Legatis*, incuſabatur tamquam noua, & quæ Synodi libertatem minueret, offenſionem Catholicis inferret, & hæreticos ab acceſſu retraheret. Ipſi ad ſe purgandum expoſuerunt Regi, Mirari ſe, quòd aliqui tam ſiniſtris ſermonibus, rationibuſque tam friuolis ſtuduiſſent puriſſimam ac benigniſſimam Regis mentem ab ipſius famulis tam addictis alienare. Idcircò in primis oportere, vt Rex ſincere fieret certior de re geſta, quæ ſic habuit: Particulam illam, vnà cum tenore totius Decreti, fuiſſe priùs ab ipſis communicatam cum ſolis Hiſpanis Præſulibus, ad exiſtimationis ac fiduciæ argumentum, hoc eſt, cum Guerrero & Auguſtino, quorum prior cuncta plenè probarat, alter aliarum vocum mutationem poſtularat & obtinuerat, nullamque difficultatem de illa particula indicarat: fuiſſe poſteà Decretum propoſitum, & vnanimi conſenſu in cœtu generali receptum. Poſt hæc in Seſſione duos tantummodò ex Patribus repugnaſſe, duos alios conſenſiſſe ſub conditione, *vt Legati proponerent id quod Synodo dignum vt proponeretur viſum eſſet.* Intendi per eam particulam, aditum obſtrui malo dæmoni, ne per inquietum aliquod ingenium tentaret præteritas definitiones in contro- 5

uerſiam

uerſiam vocare, quod à multis adeò expetebatur, & ipſi Regi adeò diſplicebat. Quod ſi voces erant nouæ, in omni Republica, inter rerum humanarum varietatem fieri nonnumquam prudenter nouas ſanctiones. Proinde quoniam eâ tempeſtate Pontificalis dignitas ab hæreticis nouis machinis quatiebatur, opus eſſe, vt viciſſim à Catholicis nouis molitionibus communiretur. Verùm etiamſi nouitas ineſſet verbis, certè rebus eam non ineſſe. 1562.

6 In omni Conſilio, & in omni Republica rectè adminiſtrata proponendi partes non omnium, ſed magiſtratuum eſſe; aliter enim dotium varietas, & communis nouitatis appetentia, impatibilia incommoda perturbationemque concirent: cuiuſcumque Epiſcopi eſſe, quæ ad Eccleſiæ ſuæ bonum faciunt, proponere: Legatorum, qui Romanum Pontificem, Eccleſiæ vniuerſalis Epiſcopum repræſentant, quæ ad vniuerſale bonum conferunt; nimirum argumenta planè quæ recenſentur generatim in Decreto, in quo dictum fuerat, ea eſſe agitanda *proponentibus Legatis*: à ſe tamen ita moderatè hanc auctoritatem exercitam fuiſſe, vt cuncta rationi conſentanea, quæ ſibi à Patribus ſuggerebantur, propoſuerint in conſeſſu; quod ſi qua in re hanc ipſorum iuriſdictionem ſeuerè vſurparant, id vnicè in Regis commodum effectum eſſe. Etenim cùm priùs decreuiſſet Synodus publicam adeundi Concilij ſecuritatem offerri cunctis hæreticis, & iis etiam quos ſancta Inquiſitio in ius vocauerat, prudentes quoſdam Epiſcopos, videlicet Salmanticenſem, Durtuſenſem, & Pactenſem monuiſſe, hunc ortum iri graue incommodum Inquiſitioni Hiſpanicæ, regiæque adminiſtrationi, eaque de cauſa Decretum fuiſſe reformatum: & quamuis poſteà complures cupiiſſent, vt illud priſtinæ amplitudini redderetur, ipſos, ſuâ vſos auctoritate, noluiſſe rem vmquam proponi.

7 Nihil inde ſubtrahi libertatis Concilio: quemadmodum liquidò compertum erat; quandoquidem Legati non modò integerrimam decernendi Patribus reliquerant poteſtatem, quæ nobiliſſima ac celſiſſima pars eſt, & ea omnia propoſuerant quæ à pluribus ac potioribus expeti noſcebantur; ſed etiam paſſi fuerant, vt Archiepiſcopus Granatenſis (huius officiis videbatur credi ab ipſis, ex parte Regis animum in ſe commotum) auctoritate ſibi aſſumptâ, dum de alio argumento ab ipſis propoſito ſententiam diceret, ad aliam quæſtionem diuerteret, & in conſilium adduceret Synodi titulum, quò *repræſentans Eccleſiam vniuerſalem* appellaretur; & aliâ vice, vt declararetur, Paſtorum manſionem eſſe Iuris diuini, quæ iam fue-

 rant

1562. rant reiecta in Pauli III. conuocatione; ſe tamen permiſiſſe, vt de iis ſententiæ dicerentur.

De offenſione Catholicorum, mirum ſibi admodum eſſe, Catholicum vllum offendi ex eo, quod tam concorditer ab Oecumenica & ampla Synodo ſtatutum fuerat: huiuſmodi offenſionem ex Chriſti documento parui faciendam eſſe, propterea quòd ab iis oriebatur, qui cùm eſſent cæci, volebant aliorum cœcorum duces eſſe. Quod poſtremum opponebatur, de iniecta hæreticis difficultate adeundi Concilij, maiorem charitatis ſpeciem præ ſe ferre: ſed vtinam tantumdem ſolidæ veritatis obtineret. Vbi ſpes alioquin affulgeret eorum aduentus, præſtò eſſe Legatos non ſolùm ad nihil proponendum, ſed ne ad loquendum quidem; atque etiam, id ſi prodeſſet, ad non remanendum in Concilio. Sed quinam poſſe rationem hanc ante Regis oculos poni ab ipſius adminiſtris ac Præſulibus, qui ſimul tam inflammato ſtudio numquam ceſſabant vrgere, vt Synodus declararetur Continuatio; quod in comperto erat, ſupra cetera effecturum, vt hæretici non modò non adeſſent Concilio, ſed implacabili odio illud ipſum proſequerentur? 8

Tum ad diſſerendum de huiuſmodi declaratione progreſſi, de qua in altero Regis libello ſermo erat, dicebant: Tametſi fortaſſe in rem futura fuiſſet diſſimulatio ad aliquod tempus; tamen quoniam Regi ob ſingulare ſtudium religionis adeò cordi erat, eique promiſſa fuerat, & Cæſar (ita pro certo ponebatur in Regis ſcripto, & quo tempore Legati reſpondebant) aſſentiebatur, ſe in proximè futura Seſſione rem eſſe confecturos; non tamen ſuſpicione liberos, inde offenſionem aliquam ortum iri non ſolùm apud hæreticos, ſed etiam apud quoſdam Catholicos, qui ad eum vſque diem animis pendebant, & ancipites erant. Poſtremò Regem precabantur, ne fidem haberet contra ipſos & actiones Synodi, quibuſdam hominibus, qui Regiæ Maieſtatis obſequio priuata ſua commoda aut affectiones aut ſententias obtegebant. Quid repugnantius libertati Concilij, erga quam tam egregium ſtudium oſtentabant, quàm velle peruertere id, quod communi concordiâ, duobus exceptis, confectum erat? Quod fortius telum ad impugnandam firmitatem rerum, quæ Pauli ac Iulij ætate conſtitutæ fuerant, cuius gratiâ tam acriter ferueſcebant, quàm velle concutere rem, concorditer ab ipſis ſtabilitam in præſenti conuentu? Ne fineret Rex in ſplendorem glorioſiſſimi nominis ſui hanc maculam illabi, quòd ipſe arrogare ſibi voluiſſet poteſtatem in Synodis, & illius curſum retardare, quæ regij patrocinij fiduciâ coaluerat. Religioſiſſimos maiores 9

iores ſuos imitaretur, qui probè intellexerant, ipſorum partes eſſe 1562.
obſequi ac patrocinari Conciliis, non ea regere, nec turbare. Præcipuè verò proximum eſſe inuictiſſimi parentis exemplum, qui dum Tridenti Concilium habebatur, noluerat vnquam manum illi admouere, niſi in ope ferenda quò felicius procederet; & ſemel, cùm ipſe recto animo cuperet vt quædam ſtabilita Decreta retardarentur ad reducendos aberrantes, id per quamdam (quod ipſi laudi vertatur) reuerentiæ rationem effecerat. Eodem regnante Carolo poſitas fuiſſe in Decreto eas voces, *Proponentibus Legatis*, non priùs vſitatas; & tamen eum non modò illis non obſtitiſſe, ſed fauiſſe, tametſi fremerent hæretici in Eccleſiam contumaciùs. Legatos itaque ab ipſo par patrocinium petere, quod Aualus ipſius nomine ſpoponderat Synodo, & cuius gratiâ liceret Regi diuinum ſibi patrocinium ſperare ad omnem ſui diadematis proſperitatem.

10 Ad explendum hiſtoricæ veritatis officium, cuius eſt non ſolùm nihil ſimulare, ſed nihil diſſimulare, ſincerè animaduertere oportet, quemadmodum allatarum reſponſionum medulla nihil diſcrepabat à vero, ita poſtremis hiſce exemplis modicum ineſſe robur. Etenim ætate Pauli III. voces illæ, *Proponentibus Legatis*, propugnatæ ac retentæ fuerant [g] à Ceruino, repertis illarum veſtigiis non contemnendis in Synodis antea ctis. Et cùm Carolus aut diu inſtitit vt tardè procederet dogmatum deciſio, aut minatus eſt cuicumque tranſlationem molienti, perquàm moleſtè id ferebatur, & de ipſo plurimæ auditæ ſunt querimoniæ. Sed hominum mos eſt, mortuos commendare, & de viuentibus conqueri; idque genus quoddam artis eſt, imitantis amabilem quamdam naturæ dotem, quæ vt nos efficiat bonos, maiores noſtros expingit meliores.

g Vide lib. 6. cap. 12.

CAPVT VII.

Piſcarius Tridentum reuerſus. Eius poſtulata, præſertim de Continuatione declaranda. Ea Regi promiſſa à Legatis per litteras Aualo traditas. Mora à Cæſareis petita, vt Cæſarem de re commonerent. Seſſio tertia, ſeu decima nona, habita cum prorogatione Decretorum. Varia Suauis errata, & commenta.

1 LEgatorum moleſtia ob Philippi Regis querelas, mitigata ex parte acceſſu Piſcarij Mediolano redeuntis, qui quatriduo ante Seſſionem indictam peruenit [a], & ſenſa valdè moderata depromſit. Quod primo loco poſtulauit, fuit ne mutaretur Index li-

a Litteræ Borromæi ad Legatos, 11. Maij 1562.

 brorum

1562. brorum, ab Inquiſitione Hiſpanica confectus, quod ad ea regna ſpectabat; neque concederetur veniendi ſecuritas illius Inquiſitionis reis. In vtroque Legati ſignificarunt, opus non eſſe nouo ipſius poſtulato, cum iam in Regis gratiam ipſi ſanctionem anteuertiſſent.

Aliunde iiſdem compertum fuit, illum recuſaſſe Hiſpanis Epiſcopis adhærere in ipſorum poſtulatione tam feruida, quò manſionis obligatio declararetur; idque Legatis ſupra modum placuit. Etenim tametſi nondum exceperant litteras à Pontifice, traditas Pendaſio, nihilominùs ex aliis, quæ celeriùs Româ peruenerant, de mente Pontificis certi erant; quâ ipſis iniungebatur, vt quando Patres de illo articulo adeò diſſidebant & contendebant, cumque in quibuſdam conſpicerentur indicia moliminum, quibus per eam declarationem deducerent conſecutiones Apoſtolicæ Sedi pernicioſas, daretur opera, quantum per modos mitiores, Synodique libertatem liceret, vt in aliud tempus illius tractatio reiiceretur, donec æmulatione reſtinctâ, tranquilliori ratione, animoque ſinceriori res decerneretur. Quod arbitrabantur Legati ſe perfecturos, repoſitâ ſanctione articuli, cùm poſteà dogmatum examen habendum erat de Ordinis Sacramento, ad quod ſpectabat propria tractatio ordinis Epiſcoporum, & ligaminum, quæ cum eo copulantur? nec deſperabant, eam ſe moram pacificè impetraturos, dummodo præpotentis auctoritatis valida calcaria, ſibi latus vrgentia, non haberent, cuiuſmodi fuiſſet Catholici Regis per Oratorem auctoritas.

Nec prætermiſerunt Hiſpanienſes Epiſcopi toto perflare ſpiritu, 2
ad Aualum ſuis ardoribus inflammandum. Sed is cùm vel Mediolani inſuſurratum ſibi fuiſſet, hanc definitionem noxiam Regi futuram[b], cui multò minùs licuiſſet in poſterum Epiſcopos è ſuis ſedibus euocare, percontatus ea de re fuerat Martinum Aialam Epiſcopum Segouienſem, qui aliàs interuenerat Synodo, Acienſis tunc Antiſtes, & doctum librum ediderat de Traditionibus. Hic liberè faſſus illi fuerat, id verum eſſe; nihilominùs eiuſmodi ſe ſententiæ fauiſſe, quoniam cum ab Hiſpania proficiſcebatur, denuntiarat, nullam a ſe in Concilio rationem habitum iri regiæ vtilitatis. Quare cum Orator Tridentum perueniſſet hiſce ſenſibus imbutus, faciliores præbuit aures admonitionibus, quibus conatus eſt Oratorem præoccupare Simonetta, Regis ſubditus, & Mediolani natus. Hic ob oculos illi poſuit, per eam definitionem imminutum iri Sedis Apoſtolicæ poteſtatem, in quam hæretici vnicè collimabant;

[b] Ex epiſtola Simonettæ ad Borromæum, 14. Maii 1562.

bant; imò potiùs non vnicè, cùm in regiam æquè poteſtatem machinam molirentur, quemadmodum in Germania & Gallia cernebatur. Indignum planè videri, quod à duobus Hiſpanicis Epiſcopis Pariſienſis in fœdus adductus fuerit ad hanc expeditionem, tametſi ex ipſis alij fuiſſent id deteſtati, cuiuſmodi fuerat Salmanticenſis. 1562.

3 His itaque perſuaſionibus quaſi humeſcens Orator, ineptus euaſit ad ignem concipiendum ex accenſis cohortationibus complurium ſuæ nationis Epiſcoporum. Sed non modica ſupererat Legatis difficultas, ab eo iniecta de Continuatione declaranda: in id omnes ille neruos intenderat, cum ipſam non ſolùm vellet exercitam re, ſed verbis expreſſam, quæ in præſentia operibus efficaciora cenſebat, & promiſſis nequaquam acquieſcebat; quin Tridentum venerat pollicitationum antecedentium, quæ iam maturauerant, ſolutionem accepturus. Et quò res eſſet firmior, poſtulabat, vt leges quoque de diſciplina, latæ in Pauli ac Iulij Synodo, per captam poſteà opportunitatem in præſenti diſertè confirmarentur. Huic poſtremo poſtulato, quippe longinquiori, facile conſenſerunt Legati: ſed ſimul Oratori oſtenderunt, par non eſſe, vt Continuatio declararetur in ea Seſſione, quæ reipſa nonniſi prorogatio ad alium diem futura erat. Petiit tunc Orator, quòd & conceſſum eſt, vt ſaltem reponerentur in Decreto voces, quas Cæſarianis poſtulantibus abraſas eſſe iam diximus; & onus ſuſcepit illos ſedandi: ſed fruſtrà ſuſcepit, cùm illi conſtanter repugnarent cuiuis dicendi formulæ Continuationem indicanti.

4 Denique in eo conuenere Legati, vt in Seſſione omitteretur memorata particula: ſed ex altera parte (quemadmodum efflagitabat Aualus) Legati ſuam fidem obſtringerent in litteris, quas ipſi ad Regem ſcriberent, & Oratori traderent, ad eam declarationem in Seſſione, quæ ſubſequeretur, habendam. Quod à Legatis negati non poterat, poſito iam ſuperiori promiſſo, tum ipſorum, tum Pontificis, & tam diuturno tempore, quo ipſa rei executio incaſſùm dilata fuerat in gratiam Cæſaris, ad hæreticos Germaniæ præſtolandos. Huiuſce nouæ promiſſionis voluerunt Præſides vt Cæſariani quoque fierent conſcij, patefactâ ipſis neceſſitate rationum, quò Philippo Regi ſatisfieret. Hi verò in his anguſtiis eam certè dilationem petiere, quâ poſſent rem enatam per curſorem ſignificare Ferdinando, eiuſque reſponſum accipere. Quapropter conſtitutum eſt, vt futura Seſſio non celebraretur 21. Maij, ſicuti deſignatum fuerat, ſed quarto Iunij: & pro Seſſione indicta

14. Maij

1562. 14. Maij conflatum eſt à Paleotto Decretum prorſus ieiunum, quo dicebatur, Patres honeſtis de cauſis ſtatuiſſe ad quartum diem Iunij Seſſionem differre, in qua decretæ ſanctiones promulgarentur: interim verò Deum precari, vt ipſorum animos aurâ ſui Spiritus ſic afflaret, vt quod in ipſius gloriam cederet, perficeretur.

Habita igitur eſt 14. Maij Seſſio tertia, ſeu decima nona. Sacrificium ad aras obtulit Triuigianus Venetus Patriarcha; è ſuggeſtu latinè dixit Beroaldus Epiſcopus S. Agathæ. Excepta ſunt mandata Oratoris Hiſpanici ac Florentini, & Epiſcopi Canadienſis & Titinienſis, Pannonici Cleri nomine, ſeruato aduentus, non dignitatis ordine. 5

Hîc recenſenda congeſſi iuncta ſimul breuitatis gratiâ errata Suauis, & calumnias de rebus hac tempeſtate geſtis; iis tamen prætermiſſis, quæ ille comminiſcitur, ac diſputat de iam memoratis emendationis articulis, per eos cœtus expenſis: ſiquidem de hoc argumento in animo mihi eſt differere, cum promulgationem referam poſteà habitam earum legum, quæ tunc deſignabantur. 6

Oratione itaque ad reliquos illius errores reſtrictâ, initium ducam non ab eo qui grauiſſimus eſt ex argumento, ſed qui patefacit hominem imperitiſſimum eorum, quæ publicè contigerunt: cùm exceptio nulla ſit, quæ validiùs teſtem labefactet, quàm quæ rerum, quas ille teſtatur, ipſum neſcium demonſtrat. Dicit, in ea Seſſione Oratores Heluetiorum exceptos fuiſſe: at oppoſitum non modò certum, ſed notorium fit ab actis, à litteris Oratoris Florentini ad Coſmum, eodem die conſcriptis, à Diario, & à monumentis quotquot ſuperſunt aut illius ſolemnis actionis, aut etiam Seſſionis, quarto die Iunij ſubſecutæ, in qua reipſa Heluetij excepti ſunt.

Affirmat, publicum Bauarici acceſſum protractum fuiſſe, quoniam à Legatis ſpatium captum eſt, quo moneretur Pontifex de orta inter ipſum & Venetum æmulatione: & tamen nihil ſtudioſius Legati ſemper cauerunt, quod in ipſis fuit, quàm ne Pontificium nomen hiſce nexibus implicarent; quorum ſolutio poterat interdum diſſidij neceſſitatem afferre. Vera igitur cunctationis cauſa fuit ea quam memorauimus; ac poſteà cùm Ducis reſponſio Legatos adegit vt confugerent ad Pontificem, ipſius auctoritatem adhibuerunt non tamquam decidentis, ſed tamquam impetrantis tum apud Cæſarem, tum apud Bauariæ Ducem, quod ſuo tempore narrabimus. 7

Refert, Patres obſtrepuiſſe in conuentu, quòd in ea Seſſione manſionis 8

ſionis negotium non declararetur. Id minimè verum fuit; quin minimè fieri potuit, quandoquidem ex mandato conuentus fuerat rogatus Pontifex ſententiam ſuam, nec redditum ab eo reſponſum audiebatur. 1562.

9 Scribit, Oratores Cæſareos denuntiaſſe, ſe confeſtim diſceſſuros, ſi Concilium declararetur Continuatio; & Cæſarem in Germania fuiſſe pollicitum, nequaquam illud eiuſmodi fore, ſed nouam celebrationem. Vtrumque falſum: etenim ne veſtigium quidem huiuſce denuntiationis eo tempore reperitur ſiue in litteris Legatorum ad Borromæum, ſiue in iis quas Orator Florentinus ad Ducem ſcripſit, ſiue in aliis legitimis monumentis; nec mandata Cæſaris ea de re prius peruenere, quàm 26. die Maij, per litteras ſignatas die 22.[c] neque per ea mandata iubebantur Oratores Tridento diſcedere, ſed à functionibus abeſſe. Nec denique poterat Cæſar ſpopondiſſe id quod pernoſcebat à ſe præſtari non poſſe, & aduerſùm quàm Pontifex toties ipſi per ſuos Nuntios libelloſque declarauerat, quemadmodum in hoc volumine perſpicuum eſt.

[c] Conſtat ex litterarum volumine, quod alio loco citabitur.

10 Narrat, Aualum, commotum profectione, quam Cæſariani minabantur vbi Continuatio declararetur, & cohortationibus Mantuani, frigidiùs ſe geſſiſſe in ea declaratione poſtulanda: at omnino contrariè ſe res habuit. Aualus ſiquidem à Legatis promiſſum poſtulauit, ab ipſis ad Regem ſcriptum, ſibi traditum, & Cæſarianis oſtenſum, quo ſponderetur Continuationem in propinqua Seſſione declaratum iri.

11 Ait, opportunè Lanſaci litteras aduenìſſe, poſtulantes Seſſionis prorogationem, quò Mantuanus, cupidus gratificandi Cæſarianis, illis vteretur ad eam prorogationem proponendam. Anacroniſmi pluſquam poëtici, cùm Poëtis permittantur in rebus vetuſtis; ſed Suauis in recentibus illos fidenter vſurpat. Lanſaci litteræ peruenerant, & idcircò decreta fuerat prorogatio poſtremo die Aprilis; adeoque decem diebus antequam rediret Aualus, promeretque poſtulata Cæſarianis moleſta, cùm ille nonniſi die decimo Maij Tridentum peruenerit[d].

[d] Ex litteris Legatorum, & Oratoris Florentini, & ex Diario.

12 Hi omnes non malignitatis ſed temeritatis ſunt lapſus, vt qui nihil cauſæ per ſe intereſſent: ſed exiſtimauit Suauis intereſſe cauſæ, quòd ipſe rerum geſtarum peritiſſimus crederetur; ſuiſque coniecturis auſus eſt ea ſupplere, in quibus aliorum monumenta ſibi deerant, qui mos in ipſius opere perpetuus fuit. Et hîc mihi libet aliqua eiuſmodi delibanda lectori promere, quæ narrata prius argumenta ſuppeditant.

1562. Comperit ille, Oratores Heluetios ante Seſſionem narratam ad- 13
ueniſſe; & hinc non tamquam veriſimile, ſed tamquam à ſe compertum affirmauit, in ea fuiſſe illos exceptos. Quod non euenit, dato ab ipſis, in gratiam Legatorum[e], loco ſolemni acceſſui Florentini, cuius procuratoriæ litteræ ante litteras Heluetiorum recitandæ erant propter antecedentem illius aduentum, quique eam vrbanitatem ab Heluetiis merebatur, ne loci æmulationem eo die ſecum inirent, quando eius Princeps indulſerat, vt ipſe in reliquis functionibus & præteritis & futuris liberum illis campum concederet.

[e] Litteræ Mutinenſis Epiſcopi ad Mo onum, & Iadrenſis Archiepiſcopi ad Cornelium Cardin. ſcriptæ, 14. Maij 1562.

Compertum Suaui fuerat*, homines à Duce Bauariæ delegatos 14
ſuperſediſſe ingreſſu ante Patrum conſpectum, ob controuerſiam cum Venetis; & ratus eſt cunctationem accidiſſe, quòd Legati mandata Pontificis opperirentur, & audacter ſcribere non eſt veritus tamquam indubitatum id quod falſum erat.

Legit, Epiſcopos reſtitiſſe dilationi capitis de manſione; & hinc 15
non modò concepit animo, ſed auſus eſt affirmare, huiuſmodi repugnantiam in eo ſitam fuiſſe, quòd ipſi vellent eius Decretum in prima Seſſione; cùm reuerà per eam Epiſcopi aduerſati fuerint conſilio Præſidum, de quo diximus, ſtudentium illud argumentum transferre ad Sacramentum Ordinis: vnde qui[f] declarationem articuli cupiebant, in animum induxerant, eos velle potiùs ſepelire negotium quàm transferre.

[f] Reſponſum Legatorum ad Borromæum, 11. Maij 1562.

Reſciuit, Cæſarem, eiuſque Oratores obſtitiſſe declarationi con- 16
tinuandæ Synodi, comperitque in aliquo prætereà loco, ſemel idcircò minitatos illos fuiſſe ſe ſeceſſuros, quod mox narrabimus; & hinc animoſiùs pronuntiauit, & Ferdinandum oppoſita pollicitum in Germania, & Oratores ea de cauſa diſceſſum Tridento minitatos.

Animaduertit, tunc omiſſam declarationem; & per audaciam, 17
ſed etiam per errorem inde deduxit, Aualum remiſſiùs ſe geſſiſſe.

Innotuit ipſi Lanſaci poſtulatio de prorogatione; & hinc pro- 18
greſſus idem eſt, non ad credendum modò, ſed ad ſcribendum, à Mantuano, poſt petitionem Oratoris Hiſpanici, captam inde opportunitatem ad declarationem retardandam: & ignorauit, Lanſaci litteras fuiſſe priùs acceptas & exauditas, quàm Auali petitiones prolatas & auditas.

Parem confidentiam animosè Suauis exercuit in depingendis 19
ſenſibus dictiſque Pontificis; ſed per eam ſemper ſpeciem, quâ ille deformior appareret, ſeu rationis defectu, ſeu intentionis vitio,

ſeu, cùm ampliùs non potuit, agendi modo: quo felle quicumque 1562.
oculus non luſcus Suauianum atramentum vbique virere comperiet. At è contrario narrare oblitus eſt id quod typis editum habetur in Oratoris Gallici litteris, nimirum, Pontificem vnà cum Purpuratorum Senatu decreuiſſe, vt in articulo manſionis ſuam exerceret libertatem Synodus, admonitis ſolùm Patribus de ratione Sedis Apoſtolicæ, prout par erat, habenda. Nequit tamen diſſimulare Suauis duo præualida tela, quibus Pius vti ſolebat apud Principum miniſtros, ad retundendas inſimulationes ſubtractæ Concilio libertatis; quamquam ſtudeat ea rubiginoſa & hebetata, quantum in ipſo eſt, per ſuam narrationem proferre. Alterum erat, à quouis Principe laico, & cuiuſuis in Synodo iuriſdictionis experte, mandata tradi & ſuis Oratoribus illic degentibus, & ſuæ ditionis Epiſcopis, arctiora quàm quæ Pontifex, legitimus Concilij Princeps, mittebat ad Legatos ſuos, & ipſos Eccleſiaſticæ ditionis Epiſcopos. Alterum, multò liberiores & à Pio & à ſuis deceſſoribus manus Concilio fuiſſe relictas ad reformanda Tribunalia Pontificia, quàm à Principibus non Eccleſiaſticis ad reformanda ipſorum tribunalia in abuſibus Eccleſiaſticæ poteſtati repugnantibus. Hinc argueret vnuſquiſque, quis Concilio ſeruaret, quis adimeret libertatem.

20 Narrare pergit, ſuppeditatum fuiſſe ſubſidium à Pontifice Galliæ Regi in hugonottos tumultuantes, idque ab eo effectum, quò Regem Synodo propitium redderet. Id ſi Pontifex intendiſſet, pietati profectò & laudi vertendum illi eſſet: ſed Romani Pontifices per tot occaſiones Regibus Galliæ, aliiſque Catholicis Principibus opitulati ſunt aduerſus noſtræ Fidei hoſtes, dum nulla extaret Synodus, vt opus non fuerit Concilio tribui eam ſuppetiarum cauſam.

21 Sed intolerabiles præ ceteris calumniæ ſunt, quas ille congerit de morum emendatione. Dicit, Pontificem obſtrictum ſe cenſuiſſe ad aliquod illius ſpecimen exhibendum, pro eo ac ſpoponderat; idque ab eo confectum in Tribunali *Pœnitentiariæ*, vt vocant, *ſparſo rumore, breui quoque Cancellariam & Cameram reformandas.* Antequam progrediamur, in his poſtremò dictis ſiſtamus, ex quibus perſuadere ſibi quiſpiam poſſet, ſparſum huiuſmodi rumorem, fuiſſe quamdam veluti cantilenam ad conciliandum ſoporem. Diuturnæ comitatis impenſà opus non fuit, vt verbis Pontificis fides haberetur. Menſe nondum elapſo prodiere ſanctiones, quibus & Cancellaria, & Apoſtolicæ Cameræ Tribunal reformabantur, itidem ac anteà prodierat Romanæ Rotæ correctio: Pontificiorum di-

1562. plomatum codex, ad breuem ſed certam rei probationem legatur.

Subiicit, *In emendatione Pœnitentariæ, à cunctis expectari rectè compoſitaea quæ ſpectabant ad animarum ſalutem, ex quibus plurima ibi tractantur; verùm de pœnitentiis, de conſcientiis, ac de reliqua ſpiritus cultura, ne minima quidem mentio in eo diplomate facta eſt.* Quidnam Suauis intelligebat nomine *ſpiritus culturæ, reiq; ad animarum ſalutem ſpectantis?* Num fortè id quod in genere pertinet ad Sacramentum Pœnitentiæ? Nemo profectò eam præſtolabatur emendationem in munere *Pœnitentiariæ*, per quam emendationem Pontifex vellet admouere manum iis quæ communia ſunt cunctis in Orbe terrarum Confeſſariis, & quorum trutina & curatio ſpectabat ad Synodum, quæ ſuper his multa condiderat Decreta in Seſſione decimâquarta, ac poſteà multa quoque ſanciuit in Synodi proceſſu, de quibus infrà. Sed huc reuerà non ſpectat ſententia verborum Suauis, cùm hæc ille ſubdat: *Sed ſolum Pœnitentiariæ ſuſtulit facultates, quas illa exercebat in variis cauſis Sacerdotiorum, & in cauſis ſpectantibus ad externam Regularium diſciplinam.* Videamus, an hic ſcriptor is ſit, quem pudeat mentiri, ſaltem in rebus patentibus cuicumque oculos in fronte gerenti. Spectátne *ad conſcientiam, & ad culturam ſpiritus*, quòd Simoniaci, quamuis occulti, ita non poſſint abſolui, vt apud ſe retineant aut Sacerdotium, aut collectos ex eo prouentus, aut quidquam aliud è ſacrilega conuentione decerptum, quin ita etiam, vt perpetuò ſint inhabiles ad huiuſmodi Sacerdotium? Quòd voluntarius interfector nequeat abſolutionem conſequi, niſi cum ineptitudine perpetua tum ad ſuperiorem Ordinem obtinendum, tum ad quodlibet altaris miniſterium exercendum? Quòd ne in interiori quidem foro cuiuis fas ſit retinere fructus immeritò perceptos, eò quòd ipſe in Sacerdotium ſeſe intruſerit, ſiue quòd ſtatuto tempore Ordines non ſuſceperit, ſiue ex quocumque alio tituli defectu? 22

Ad enormiſſimam calumniam progrediamur. Scribit, à Pontifice ſublatas fuiſſe *Pœnitentiariæ* huiuſmodi facultates, *nihil pronuntiante, an id effectum eſſet, vt eas facultates, quæ Pœnitentiariæ auferebantur, aliis magiſtratibus impertiretur; an quòd ipſe abuſus minimè decentes, adeoq; exterminandos Româ putaſſet. Sed euentus ambiguitatem extemplò ſuſtulit: eadem enim à Dataria concedebantur, ac per alias vias, maiori dumtaxat ſumptu; atque hic ex emendatione fructus extitit.* Auctor hic ex eo confidentiam hauſit, quòd ſciret, à pleriſque non legi diplomata, nec tribunalium vſus cognoſci; promptamque fidem porrigi rebus, quæ fidenter narrantur, præſertim in eorum de- 23

decus,

decus, quibus dignitas ac potentia inuidiam pariunt. Hîc vnum 1562.
à lectoribus poſtulo, vt octauam horæ partem inſumant in ea Conſtitutione luſtranda, tum de ſubſecuta conſuetudine percontentur quemcumque hominum, mediocriter Datariæ vſus expertum. Auferuntur per hoc Pontificis diploma ſummi Pœnitentiarij poteſtati, commutatio ac derogatio poſtremarum voluntatum; coniunctio, ſuppreſſio ac tranſlatio Sacerdotiorum; conceſſio Sacerdotiorum, quæ ſunt addicta familiis, & vulgo Iuſpatronata vocantur, ex aliis titulis, quàm fundationis dotiſque attributæ; facultas Sanctimonialibus extra Cœnobium degendi, & eadem facultas Regularibus, niſi adſit Moderatorum conſenſus; declaratio irritæ profeſſionis in quibuſdam peculiaribus caſibus, & abſque quibuſdam certis probationibus ibi quæſitis; apoſtatarum abſolutio abſque iniuncta obligatione redeundi aut ad proprium ipſorum Ordinem, aut ad alium, haud minùs arctum, ſublatâ eiſdem ad obtinenda Sacerdotia facultate, aut ad vitam extra ſepta Cœnobij agendam, etiam per Moderatorum conſenſum; facultas ſuſcipiendi Ordines à quouis Epiſcopo, ſine veris ac iuſtis cauſis, ob quas illi ſuſcipi non poſſint à proprio Præſule; abſolutio à violata libertate, aut ab iniuſtè arrepta iuriſdictione Eccleſiaſtica, abſque iniuncta obligatione ſatisfaciendi læſo. Num fortè huiuſmodi conceſſiones facilè impetrabiles per Datariam aut per aliam viam ſuperfuerunt, adeò vt ſolus emendationis fructus extiterit, quòd maiori diſpendio illæ obtinerentur, quemadmodum audet affirmare Suauis? Num per hæc leuiter Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſultum?

24 Alia ſunt in eodem diplomate, & pauciora numero & pondere leuiora, quæ nec ea ſunt vt fieri non poſſint, nec eorum aliqua, maximè ardua vt per Datariam impetrentur; qualis eſt facultas ſuſcipiendi Ordines ante præſcriptam à Iure Pontificio ætatem; & dilatio ſiue vt quis conſecretur, ſiue vt ſacros Ordines accipiat vltra ſpatium præſcriptum Epiſcopis, Eccleſiarum rectoribus, & aliis prouentu Eccleſiaſtico dotatis; & facultas teſtandi alicui Religioſo: ſed etiam de his vnuſquiſque vir cordatus intelligit, quantò firmiùs perſiſtat integra diſciplina, ſi qua lex ſolùm rarò ac difficulter relaxetur, & proprio ipſius Principis beneficio, qui ex potentia intrepidus, ad repulſas non difficilis eſt, adeoque ad relaxandam legem exigit longe grauiores cauſas peculiaris conuenientiæ, quàm ſi huius ærarij clauis eſſet penes inferiores adminiſtros. Hi namque ſæpiùs, cùm eſt in ipſorum manu, facilè cuilibet illud aperiunt, quò beneuolos ſibi comparent; adeoque efficiunt, vt lex ampliùs non

1562. ſit lex, cuius eſt vt ſit norma; norma ſiquidem ea non eſt, quæ plerumque locum non habet. Exempli cauſâ: vnuſquiſque ſanæ mentis perpendat, quò deueniret Eccleſiaſtica diſciplina, ſi quod interdum impetratur à Pontifice, per *Datariam* liceret Confeſſariis in conſcientiæ foro concedere: quin ſanè ea pecuniæ ſolutio, quæ ad alicuius legis laxamentum habenda eſt, aut in Pontificis, aut in aliorum Principum Curia; quamuis obnoxia tot querimoniis vulgi, qui non animaduertit (cùm in omni principatu neceſſe ſit collationes imponi) nec æquiorem, nec ſuauiorem vllam eſſe, quàm quæ ipſis Principum beneficiis obtinendis imponitur: ea inquam pecuniæ ſolutio hac etiam de cauſa peculiare quoddam emolumentum confert. Etenim ipſa notabilis pecuniæ priuatio, poſt reliquas deuoratas difficultates, ad obtinendum diploma toleranda, legis ac diſciplinæ valida quædam ſepes eſt, quæ multos arcet à relaxatione quærenda. Sed hac de re penitiùs, cùm de coniugiorum laxamentis agemus. Enimuerò non eiuſmodi fuere prudentium virorum ſenſus de illa Conſtitutione, cuiuſmodi Suauis depingit: imò Gallicus Romæ Orator, cùm ad Lanſacum[g] Tridento deſtinatum ſcriberet, eam & à ſingulari religionis ſtudio profectam, & ad reformandam diſciplinam admodum efficacem affirmauit; aliaſque conſimiles id temporis editas à Pontifice connumerauit, quibus abolitum eſt munus Quæſtorum[h] ad S. Petri Baſilicam conſtruendam, aliaque pia opera (de quo pariter ad Legatos ſcripſit, idque poſteà Concilij Decreto perfectum eſt, vt conſtabit) adeò vt in poſterum omnes Indulgentiæ gratis impertirentur. Similiter ſublati ſunt Cardinalium regreſſus in renuntiationibus Infularum; idcircò ea reiecta, quæ propoſita fuerat in Senatu, Farneſij Cardinalis nomine, de Spoletina Eccleſia Fuluio Vrſino concedenda. Sed mirum non eſt, ſi quæuis egregia diſciplinæ reparatio nihili habeatur ab eo qui deſtructionem vellet: quæuis enim diſtantia vnius ſtatus ab altero, quippe finita, ſpeciem nihili præfert, collata cum diſtantia inter eſſe & non eſſe, quippe infinita.

g 9. Maij, 1562.

h Ex memoratis litteris Legatorum ad Borromæum, 17. Maij 1562.

CAPVT

1562.

CAPVT VIII.

Mandata Legatis tradita per Pendaſium à Pontifice; eorumque reſponſa. Senſa Pontificis, & Aulæ Romanæ.

1 QVinam reuerà Pontificis eſſet animus in reſtituenda diſciplina, liquet, ſi non aliunde, ex reſponſis Pendaſio traditis. Rediit tandem qui miſſus à Legatis fuerat, & ab illo ægrotante litteras acceperat, ac mandata per vocem habita; & erant huiuſmodi [a]: Quaſdam adnotationes ad nonaginta quinque capita propoſita is afferebat, à Pontifice confectas, qui, prioribus octoginta quatuor in Concilio ferè omnino repoſitis, vndecim poſtrema, ad ſua Tribunalia pertinentia, legibus quas ipſe ſanciret reformanda ſeruabat. Hoc poſito, ipſos in primis monebat [b], vt morum emendatio moderatè ſe haberet, ne aut in perturbationem potiùs Chriſtianæ Reipublicæ, quàm in remedium abiret, aut in abiectionem potiùs quàm in reſtitutionem Aulæ Romanæ, quæ Caput eſt, nec ſolùm leges dat reliquo corpori, ſed ipſum planè conſtituit. Quare ne facilè commouerentur ab iis quæ proponerentur à quocumque ac peterentur, cùm in humano genere nulla ſit maior copia, quàm eorum qui vellent humani generis eſſe reformatores.

[a] Extat in ſcripturis Setipandi, vt ſuprà.

[b] Cuncta ex litteris Legatorum ad Borromęum, 7. Maij 1562.

2 Ad id reſcripſere Legati: Quemadmodum optimum erat quod monebatur, ita ſe illius minimè indigere, cùm vnuſquiſque ipſorum per ſe cognoſceret, quàm id verè diceretur, adeóque paratus eſſet ad omnem curam, omnemque ſpiritum impendendum, quò Aulæ Romanæ ſplendor illæſus perſiſteret; nec arbitrari, ſe magnum in eo certamen offenſuros. Etenim quædam Romæ propoſita, & quaſi deſtinata ab Hiſpanis, vt in Concilium referrentur, ab ipſis etiam Hiſpanis tamquam falſa & commentitia reiici; & inſuper ab iiſdem pronuntiari, ſi quæ ſanctiones ſibi neceſſariæ viderentur Eccleſiis illius regni, nullum ipſos ſermonem de iis habituros, antequam cunctis Eccleſiis vniuerſè conſultum foret.

3 Secundo loco monebat eos Pontifex, vt cùm aliquod, quod ad ipſos Romanos Pontifices attineret, ſanciendum eſſet Decretum, ipſius nomine fieret cùm hac inſcriptione, in multis Synodis vſurpata: *Pius Papa IV. approbante ſacroſanctâ Synodo.*

4 Ad ea Legati: Eam inſcriptionem nonniſi cùm ipſi Pontifices adeſſent Conciliis, vſurpatam fuiſſe, ac proinde cùm deliberaretur de illius vſu Pauli III. tempore, poſt matura conſilia tum à Pontifice tum à Legatis prætermiſſam; quippe & euentum difficilem,

&

1562. & magnum ſtrepitum habituram; ſed à ſe cenſeri, opus non eſſe vt huic negotio conſuleretur, cùm ipſi tunc paratos ad id animos minimè cernerent, paratique iidem eſſent ad obſiſtendum; propterea quòd par non erat, vt Synodus, quippe quæ inferior, manum extenderet ſupra ſui Capitis auctoritatem. In quo patet, quantum libertatis Synodo ab eo vſque tempore à Pontifice conceſſum ſit, cùm ab ea quaſi leges accipere non grauaretur, dummodò, vt ſuam prærogatiuam illæſam præſtaret, ipſe legiſlator appareret.

Idem prætereà oſtendebat Legatis animi propenſionem ad Hiſpanicam Cruciatam auferendam: ſed optabat prudentem illorum operam, per quam ab aliquibus illius nationis Epiſcopis id Concilio proponeretur. 5

In hoc: Sibi quidem probari conſilium, modò res perfici poſſet citra Hiſpani Regis indignationem; ſed ſimul videri ſibi, fieri non poſſe, vt ad hoc poſtulandum Hiſpanienſes Antiſtites adducerentur: quamuis enim illi deſiderio in id ferrentur, & in priuatis colloquiis rem probarent, neminem tamen auſurum fuiſſe id petitione publicâ profiteri, & ad expeditionem claſſicum canere. 6

Tum illos hortabatur Pontifex, vt alacri eſſent animo, nec ſinerent vinci ſe magnanimitatis laude à Legatis, qui Synodo interfuerant ætate Caroli V. per ea tempora armis prævalidi; ſimul etiam omnem ſuam operam illis exhibebat apud Principes ad quietem tranquillitatemque Concilij. Ea cohortatio Legatos acriter pupugit, quaſi timiditatis exprobratio: quocircà reſponderunt, Oſculari ſe quidem ſanctiſſimi Patris pedes ob huiuſmodi hortamenta; ſed eo ſedente numquam ſe timoris cauſam offenſuros, oſtenſuroſque per quaſcumque rerum conditiones, quantam in ipſorum animis vim haberent ſtudium Pontificiæ auctoritatis, & emolumentum Eccleſiæ, ad quoduis humanum diſcrimen ſubeundum, longeque ſuperandos animi magnitudine Pauli III. Legatos; indicantes trepidum animum, quem illi præ ſe tulerant de ſtatione Tridentina: eâ ſiquidem trepidatione permoti videbantur, ad opportunitatem diſceſſus audacter amplectendam, atque ad peruicaciter repugnandum propoſitæ ſæpiùs remigrationi. In quo ſanè arbitror, idque ſuo loco non diſſimulaui, illos ſi non formidine, ſuſpicione ſaltem modum prætergreſſos. Pergebant Legati ſenſum punctionis patefacere, quem ciet in generoſis animis ſocordiæ inſimulatio; Ignorare ſe, verène id ſignificaret Pontifex, an ex notitia non vera; grates tamen à ſe illi perſolui ob præſtitam ad promouendum Concilium opem. 7

De

1562.

8 De manſionis articulo ſignificabat Pontifex, quando tanta erat diſſenſio & æmulatio, aliæque accedebant rationes, à ſe alterutrum optari; Vel vt diſputatio ſopiretur omnino, vel vt tantiſper protraheretur, dum æſtu deferueſcente, de re tamquam in Senatu, non tamquam in prælio deliberari poſſet: eâque proinde ratione, quæ nec alteris animi elationem afferret quaſi triumphus, nec alteris abiectionem quaſi clades.

9 Reſponſum eſt, Primum ex propoſitis conſiliis perdifficile ſibi videri; ſed alterum deſperandum non eſſe, dilatâ illius argumenti tractatione ſiue ad tempus incertum, ſiue ad Ordinis Sacramentum.

10 Adhortationem addebat ad animos inter ſe coniungendos; ſed adeò inflammatam, vt ſpeciem obiurgationis de oppoſito vitio præ ſe ferret.

11 Sed Legati: Videri ſibi, fieri non poſſe, vt vbi diuerſi ſunt homines, diuerſa interdum opinamenta non ſint; quod ipſis quandoque contigerat; ſed ne ſcintillula quidem aduerſæ voluntatis vmquam excitata, cùm omnes ad eamdem metam concordes tenderent, hoc eſt, ad Pontificis emolumentum, ad quod aliam alius viam aptiùs ducere exiſtimabat. Nullam inde moleſtiam Pontifici capiendam: à ſe tamen grauiſſimam capi, quòd eſſet in Concilio qui eiuſmodi ſententiarum varietatem interpretabatur tamquam diſſidia, ſeditiones, & Pontificis detrimenta, ſparſo rumore & illic & Romæ, vnde litteræ plurimæ offenſionis aduenerant, adeoque plurimæ moleſtiæ, iis qui ex animo Pontifici deſeruiebant.

12 Sed in eo res aliter ſe habebat ac plerique Legatorum ſibi perſuaſerant. Acciderat quidem [e], vt aliqui ex Patribus, definitioni de manſione refragantibus, Romam ſcripſerint, ad amicum alius, alius ad cognatum, ad herum nonnemo, tam funeſtas tragœdias excitantes de malis quæ illic imminerent, & quæ in Pontificem ſtruerentur, ac de Præſidum diſſenſione, perinde ac ſi quilibet Legatorum aut Patrum in eam declarationem propendens, eum vellet è Solio deturbare, & quaſi Vaticano proxima clades immineret. Hi nuntij adeò multiplicati, & in tantæ ſuſpicionis negotio, non modò turbam Aulicorum grauiter perturbarunt; ſed inter eam caliginem, quâ res longinquæ ſemper obuoluuntur, Cardinalibus etiam ac Pontifici vmbras offuderunt; docente prudentiâ, vbi res geſta eſt incerta, & negotium ſummum, minùs eſſe vitandam vehementem ſuſpicionem, quæ nos ad ſuperuacaneam quamdam cautionem expellat, quàm ingentem fiduciam, quæ nos ſôpiat in quadam periculoſa negligentia. Sed cauſa potiſſima, quæ Pio ſuſpicionem inio-

e Acta Paleotti, & narratio Muſotti.

1562. iniecit, fuerunt arcana monita aut ad ipſum perſcripta, aut ad Borromæum, non ſolùm à compluribus Epiſcopis, qui ſe ſtudioſiſſimos Apoſtolicæ Sedis profitebantur, ſed à Simonetta, pro eo ac infrà patefiet; vtpote ab homine, quem agnoſcebat à Pontifex magnâ fide, magnâ pietate, magnoque candore præditum, & adeò in legum ſcientia præclarum, vt quando is ita cenſeret, tamquam vera & non commentitia habenda eſſent ea pericula, quæ collegarum aciem laterent.

Quare Pontifex ad eam rem certum quemdam cœtum conſti- 13
tuerat, ſex Cardinalibus conflatum, qui ſummâ rerum experientiâ pollebant. Ex huius cœtus ſententia, poſt maturam deliberationem, ſtatuerat apud ſe Pontifex nouos Legatos addere, quibus & maiorem in concordiam veteres reuocarentur, & ipſe certior eſſet, illic adfuturos ſibi miniſtros iis affectionibus liberos, quarum vi trahimur ad ſuadendum nobis, amandumque tamquam verum id quod anteà pro vero habuimus ac ſuſtinuimus; eoſdemque ſolùm intentos ad Sedis Apoſtolicæ commoda. Ad quod etiam illum impulerat Simonetta. Huic proinde per Borromæum ſignificauit Pontifex [d], ſe ad id moueri præcipuè ipſius conſilio; eumque cohortatus eſt ad oppugnandum ore impauido quemcumque collegarum, qui Sedis Apoſtolicæ detrimenta tentaret. Ad tres huic legationi deſtinandos animum conuertit, ad Cicalam Cardinalem, à titulo S. Clementis appellatum, ad Burdegalenſem (tametſi non comperio de illo ſub initium fuiſſe cogitatum) & ad Nauagerum. Ex his prior, ſtudio religionis animique præſentiâ conflagrabat; adeò vt [e] Iulius III. cùm inito fœdere cum Carolo, ſyllabum ad eum miſit eorum Præſulum, qui in Collegium cooptati, potuiſſent in quouis euentu obſiſtere potentiæ, quam obtinebat ex numero Gallica factio, ſcripſerit eâ quâ ſolebat verborum efficaciâ, pectus à Cicala geri, quo in armatam aciem impetum faceret: & præterea Iuriſperitus eximius, & in Romanis Tribunalibus expertus inter primos habebatur, in quibus munus præcipuum adminiſtrat Apoſtolicæ Cameræ Auditor; nec minori potiebatur Concilij peritiâ, cui Paulo Pontifice cum auctoritate ac laude plurima interuenerat; & in eo patria quoque placebat, cùm Ligurum natio propenſo in Sedem Apoſtolicam animo eſſet: in eo proinde ac in Simonetta, ſuam fiduciam ſingulariter ſe collocaturum Pontifex ſcripſerat. Burdegalenſis ortus in Gallia, ab Æmilia originem trahens, cum eſſet Anguloſmenſis Epiſcopus, non modò piam, ſed etiam conſtantem animi religionem præ ſe tulerat; cui poſteà regium apud Pontificem Orató-

[d] 11 Maij 1562.

[e] In notatione tradita Petro Camaiano, 10 Octobris 1551. inter Borgheſiorum ſcripturas.

Oratorem agenti, vtriuſque gratiâ ſibi plenè comparatâ, ab altero quæſita purpura, ab altero collata fuerat, cùm eius operâ Concilij negotium inter eos tunc faciliùs tranſactum fuiſſet. Vnde ſpes erat, ibi quoque difficultates, quæ inter duos Principes de Continuatione ſuborirentur, ab ipſo pari ſtudio ac fiduciâ complanatum iri: & inſuper, ob variam eruditionem, videbatur ab eo poſſe res dirigi non minùs litterariis artibus, quàm ciuilibus. Nauagerus, ſublimis Reipublicæ Senator egregius, multis apud Reges legationibus excultus, ac Romanâ potiſſimum, quâ peritiſſimus illius Aulæ, ſimulque animo nauiter Eccleſiaſticus euaſerat, omnino idoneus habebatur ad ea tam procelloſa diſſidia ad concordiam reuocanda; ſed idoneus potiſſimùm ad benè inter ſe animatos coniunctoſque retinendos Venetæ ditionis Antiſtites, & numero non paucos, & æſtimatione conſpicuos. Pontifex itaque hoc conſilium firmiter ſuſcepit; tametſi moleſtiam præuideret ferè omnium veterum Legatorum, & præcipuè Mantuani, cui aduentu Cicalæ, Principis inter eos, prærogatiua erat amittenda. 1562.

14 Nec ſe cohibuit Pontifex, quin auſterè Legatos commoneret, variis litteris eodem die [f] ſuper ea re conſcriptis tum à ſe, tum à Borromæo iuſſu ſuo, illos offenſioni magnoque detrimento fuiſſe ob diſcordias inter ſe: & ob illius negotij tractationem ſuo ipſos muneri defuiſſe, dum permiſerunt importunam quæſtionem illam ſuſcitari, quæ vſque ab ætate Pauli III. euitata fuerat ac prætermiſſa; idque præſertim, cùm priùs nec inter ſe neque cum reliquis concordarent: licuiſſe ipſis in eo negotio voces extinguere in ore Cæſarianorum, poſtulatis ad eam vſque horam iteratis à Cæſare, vt dogmatum definitio retardaretur, cùm id dogmatis planè definitio eſſet: nouâ dein culpâ non vacaſſe, quòd cùm maior ſententiarum numerus huiuſmodi definitioni repugnabat, omiſerant Decretum conficere, tricis in Pontificem non reiectis. Adiecit Borromæus in litteris ad Mantuanum; Adigi ſe ab ingenti obſeruantia ac beneuolentia erga ipſum ad eum monendum: impulſum forſitan ipſum fuiſſe obtentu ſpecioſo conſcientiæ ac religionis à quibuſdam, qui illius amplitudini gloriæque inuidebant, quique ſi gradum ipſius obtinuiſſent, eiuſdem in agendo rationem haud imitati fuiſſent.

[f] Extat in litteris Borromæi ad Legatos ſimul, & ad Mantuanum peculiariter, & in epiſtola Pontificis ad Legatos ſimul, 11. Maij 1562.

15 Huiuſmodi obiurgationes, quæ ex ea parte in commune conſcriptæ ſatis videbantur vnicè Mantuanum ac Seripandum petere, aliquo pacto leniebantur, ac tolerabiles fiebant à Pontifice, quippe qui ſubiecerat; Quemadmodum ipſe libenter excipiebat quæ illi ſuggeſſerant, paratamque gerebant dexteram ad ea perficienda; ita

1562. ſe confidere, ab ipſis æquo animo ſua paterna monita acceptum iri. Sed recentium Legatorum electio ictus quidam erat, quo Borromæus exiſtimauit Mantuani patientiam victum iri. Quare in litteris ad eum ſeorſim ſcriptis incredibilem ea de cauſa ægrimoniam præ ſe tulit: Se, & Gonzagam Cardinalem, extrema quæque conatos, vt ab illo conſilio Pontificem dimouerent; ſed incaſsùm. Quamquam enim Pius ſingulari Mantuanum beneuolentiâ proſequeretur, ad quam in ſummis rebus exercendam per alias opportunitates præſtò erat; eo tamen inflammabatur Sedis Apoſtolicæ ſtudio, ac tam firmiter ſibi perſuaſerat, illius indemnitati opus tunc eſſe huiuſmodi conſilium ſuſcipi, vt ea ratio quamcumque aliam in eius animo peruicerit. Quidquid conari potuerat Borromæus ad tuendam Mantuani dignitatem, fuiſſe, vt Pontifex ſe ad id permotum illius petitionibus oſtenderet; atque hoc ipſum à Pio fuiſſe pro certo poſitum in delectorum Cardinalium cœtu, & in epiſtola, quam ea de re ad Legatos communem ſcribebat. Alteram prætereà Borromæus ſuo nomine ad Mantuanum ſcripſerat, perinde ac ſi per eam huiuſmodi ipſius poſtulato reſponderetur, quam ille, ſi vellet, honoris ſui gratiâ poſſet palàm proferre.

Pontifex igitur in epiſtola, quam diximus, ad Præſides ſcripta, 16
poſt narrata monita, & poſt alios ſtimulos ad celeritatem, quippe Eccleſiæ bono neceſſariam, addebat, Cognoſci à ſe, opus eſſe Concilio eximiis Pontificij Iuris Conſultis; atque ab efficacioribus primi Legati poſtulatis, vrgentis vt illò Puteus Cardinalis mitteretur, pro eo ac priùs deſtinatum fuerat, & in illius ægrotantis loco Cicala Cardinalis, adductum ſe fuiſſe, vt illius præſentiâ, quæ Romæ non mediocris erat emolumenti, ſe priuaret: velle pariter huic addere collegam Burdegalenſem, Iuris apprimè peritum, & Nauagerum, cuius in comperto erat præſtantia, quò poſſent in officio continere omnis nationis Præſules, & ad alia commoda conſequenda.

Ad has denuntiationes Legati communi nomine reſcripſerunt: 17
Suo Pontifex animo ſatisfaceret; vbi noui Legati acceſſiſſent, eos à ſe beneuolè & honorificè exceptum iri. At Mantuanus, in aliis quas ſuo chirographo exaratas mitteret, ſua ſe aperturum in eo ſenſa ſignificabat. Harum litterarum ſententia mihi eſt incomperta; ſed, quantum apparuit & narrabitur, veriſimile eſt, petitam tunc ab illo veniam fuiſſe in eo caſu abdicandi à ſe muneris, quod cum dignitate obire ampliùs ſibi non licuiſſet; cùm ſibi loco cedere Cicalæ oporteret, qui ſe in ordine Purpuratorum anteibat. Hæc autem præuiſa profectio illius ampliſſimi Legati[g] non modi-

[g] Acta Paleotti, & litteræ illius temporis Strozzij ad Coſmum, & duę Archiep. Iadrenſis, 18. & 21. Maij 1562.

modicam ægrimoniam iis inferebat, quibus vtilitas Concilij & nota erat & optata: præterquam quòd ea recentium Legatorum acceſſio videbatur incuſationibus expoſita, quaſi vellet Pontifex correctionem Eccleſiæ, à veteribus quæſitam, præpedire. 1562.

18 Antequam haſce litteras acciperent Præſides, iniunxerant octo Epiſcopis variarum nationum, qui iam deſtinati fuerant in memorato conuentu vigeſimâ Aprilis ad Decreta componenda, vt etiam Decretum de manſione clàm formarent; quo tamen ſimul definiretur ea iuris eſſe Diuini, ſimul & Epiſcopis temperata quædam abeundi libertas, & Pontifici debita relaxationum facultas relinqueretur. Quamobrem ita illi conceperant, vt cuilibet Epiſcoporum duo menſes in annos ſingulos concederentur, atque vt inſuper ad Pontificem ſpectaret, declarare in peculiaribus conditionibus rationes, quæ diuturniori abſentiæ ſatis eſſent; vtque in remotiſſimis regionibus, vbi obligatio præſtolandæ Româ reſponſionis intolerabilis accidiſſet, id à Metropolitis tamquam à Sedis Apoſtolicæ Delegatis suppleretur. Iam verò dum huiuſmodi Decretum, à deſignatis Epiſcopis traditum Legatis, & ab illis communicatum Caſtaneæ, Boncompagno, Paleotto, & Caſtello, ab iis expenditur, narratæ Pontificis litteræ perueniunt, & tam multæ prætereà Romæ conſcriptæ, quibus definitio propoſita incuſabatur, vt Præſides, quà eam ob cauſam, quà ob plurimorum ex Tridentinis Patribus repugnantiam, conſilium mutauerint, curaſque conuerterint ad obtinendam prudenti quadam ratione conſenſionem Patrum, de qua iam diximus, vt res protraheretur. Operam [b] ad id apud Hiſpanos petierunt à ſex Epiſcopis, qui & religionis ſtudio, & coniunctione ſententiæ de illo articulo magnam apud illos auctoritatem fidemque obtinebant, & à quibus ob integritatem animi, ac reuerentiam in Apoſtolicam Sedem, Legati ſinceram ſibi opem conferendam pollicebantur. Hi fuerunt Paneſius Archiepiſcopus Surrentinus, Naclantus Epiſcopus Clodienſis, de quo plura diximus in Pauli III., Concilio [i], Fuſcararius Mutinenſis, Bolanus Brixienſis, Sfondratus Cremonenſis, & Vrbanus de Ruuere Sauonenſis, Antiſtes Senogallienſis. Hi primo congreſſu in amaras querimonias prorupere ob calumnias in eo negotio Romam perſcriptas contra ſe, quorum ſinguli paratum reipſa profitebantur animum ad effundendum ſanguinem in Romanæ Sedis obſequium; deiñ negotium ſuſcepere. Sed Hiſpanienſes obdurati perſtiterunt [k], niſi adiiceretur conditio, vt in procemio Decretorum, quæ in proxima Seſſione promulganda erant, clarè ſponderetur, hunc articulum

[b] Epiſtola Legatorum ad Borromæum, 21. Maij 1562.

[i] Vide lib. 6. cap. 4.

[k] Literæ Legatorum ad Borromæum, 25. Maij 1562. & Acta Paleotti.

1562. lum poſteà definitum iri. Quod Præſides recuſarunt; quippe quod aduerſabatur conſuetudini & auctoritati Conciliorum, quibus omnino liberum ſit oportet, anteà ſeu poſteà de hoc illoque argumento agere, pro eo ac conditiones rerum ac temporum poſtulant. Polliciti tamen ſunt, id voce ſtatuere in generali conuentu. Quin duo Legati in animo habebant, ad concordiam faciliùs ineundam, ſcripto eam promiſſionem Hiſpanis exhibere: ſed Simonetta collegas monuit [1], eo exemplo ius quoddam conceſſum iri & Hiſpanis & reliquis omnibus, ad obtinenda ſemper promiſſa ſcripto ſibi tradita, non habitâ verbis fide, cum indignitate illius gradus; quare ab eo conſilio reſiliere. Quemadmodùm nemo ſibi magis officit in auctoritate negotiorum, quàm ſponſor fallax, ita nemo magis non lædit, quàm qui opinionem oſtendit quæ nos ſponſores fallaces exiſtimet, cùm adulterinæ ſuſpicione eam monetam infamet, quam in humano commercio ſingulis horis expendamus oportet.

[1] Præter Acta Paleotti epiſt. Iadrenſis, 25. Maij 1562.

CAPVT IX.

Rei geſtæ narratio: & ſui ac primi Legati purgatio à Seripando ad Borromæum ſcripta. Vtriuſque de Simonetta ſuſpicio.

DVm Tridenti hæc ſtudioſè agebantur, quò Pontificis mandata perficerentur, placuit Seripando facti ſeriem ad Borromæum perſcribere, quæ tum ſe, tum primum collegam plenè purgaret, ſimulque modeſtè refelleret quidquid fortaſſis in vtrumque appoſuiſſet Simonetta (de quo aliquam in ipſis coortam fuiſſe ſuſpicionem patet;) & in Borromæi prudentia reponebat, vt cum Pontifice ſeu tenorem integrum, ſeu partem illius communicaret, ſed cum reliquis ſilentium precabatur. 1

Initium ſumpſit ex eo, quòd poſt ſecundam Seſſionem Cæſariani moram in dogmatum trutina efflagitabant, obtentâ ſpecie, quò Præſules expectarentur ex variis nationibus, ex quarum aliis nondum quiſquam peruenerat, ex aliis perpauci, atque vt interim de diſciplina ageretur: ſe illis obſtitiſſe, ratum hæc duo argumenta numquam eſſe ſeiungenda. Veruntamen à Pontifice fuiſſe iuſſos Præſides Cæſarianis gratificari; cùm ab eo præſcriptum ipſis fuiſſet, ne finerent admoueri manum emendationi Aulæ Romanæ, quam ipſe per ſe corrigere habebat in animo. Demandatum ab ipſis fuiſſe Caſtaneæ, Boncompagno, Paleotto, & Caſtello, vt ab Epiſcopis exquirerent rerum capita, quæ ſinguli notarant ad reliquum Eccleſiæ ſpectantia reformandum, & correctionis indiga cenſerentur. Ab his quatuor poſteà relatum fuiſſe, aliud quidquam non audiri,

diri, niſi quæ ſedentibus Paulo & Iulio fuerant agitata. Intereà à nonnullis Italiæ Epiſcopis ſyllabum ferè nonaginta capitum ad ſe delatum, qui per ipſum in præſentia Romam tranſmittebatur. Porrò quò per argumentum idoneum Patribus ſatisfieret, & Seſſionis dignitati conſuleretur, à ſe, petentibus deſignatis quos diximus Patribus, ſelecta fuiſſe octodecim ex tot capitibus, quæ ſibi magis opportuna videbantur, atque in libello illis tradita, ab iis poſteà fuiſſe duodecim excerpta, quæ à Legatis quoque communi conſenſu fuerant comprobata, communicata Cæſarianis, & ab iiſdem laudata. His confectis, cùm iam proponenda res erat, à Simonetta ſignificatum fuiſſe Muſotto, qui ſibi à ſecretis erat, periculum, quod ipſe formidabat in eo primo articulo, in quo de adhibendo remedio Paſtorum abſentiæ agebatur; id verò à collegis auditum, extra omnem expectationem ipſis accidiſſe, cùm illi, vtpote in illis argumentis ad Canones ſpectantibus, Romaniſque Tribunalibus magis experto, ab ipſis enixè commendatum anteà fuiſſet, vt eos omnes articulos maturè perpenderet, is verò cunctos comprobaſſet. Hîc narrabat conſilium, ex eo inopinato monito à Legatis initum illius capitis omittendi, & obſtaculum Cæſarianorum, in quod offenderant; tum concordem idcircò conſenſum, vt idem cum reliquis proponeretur, & quo pacto Patribus in conuentu propoſitum fuerat; dein ſententiam Granatenſis, nimirum, nullâ aliâ ratione poſſe melius conſuli manſioni, quàm vbi à Deo præcepta eſſe declararetur; tum varietatem, prolixitatem, confuſionem ſententiarum, conſilium à Legatis ſuſceptum, ſeu vnanimi conſenſione, ſeu ipſorum nemine diſertè repugnante, vt ad preſſam interrogationem deueniretur. 1562.

2 Audiri à ſe, tria Romæ ab aliquibus aduerſus Legatos obiecta in huiuſce rei ſerie.

Primum: Cùm ſuffragia declarationi aduerſantia maiori iam numero potirentur, illam omitti potuiſſe abſque noua ſuffragatione. Ad quod reſpondebat; Maiorem illum capitum numerum haud liquidò patere propter indicatam confuſionem; & ex aduerſo liquido conſtare maiorem numerum magis conſpicuum nationum.

3 Alterum, non ſecundam ſolùm, ſed primam etiam ſuffragationem de huiuſmodi argumento incuſabat, arguebatque Legatos, quòd Guerrero & aſſeclis permiſiſſent eam diſputationem aggredi, quæ extra res propoſitas euagabatur, & ad dogma non ad diſciplinam attinebat. Super hoc modeſtè ille indicabat; Haud ſuas futuras fuiſſe partes rationem de eo reddere, ſed primi dumtaxat Præ-

ſidis,

1562. ſidis, cuius erat, minores Patres regere in rebus ambiguis, & quæ improuiſo accidiſſent. Arbitrari ſe tamen, non deeſſe Mantuano perquam probabilem defenſionem: à Guerrero eam quæſtionem fuiſſe concinnè coniunctam cum articulo propoſito, cùm contenderet, illud eſſe poſſe remedium vnicum morbo, cuius curatio proponebatur. Quòd res ad dogma ſpectaret, non ideò prohiberi potuiſſe, quò minùs tunc ſub conditione de ea diſſereretur; ſed ſolùm effici, ne illius examen minoribus Theologis committeretur, quos omnes aiebat ille affirmanti parti adhærere. Sed præthereà id quod potiſſimè primum Præſidem purgabat, videri ſibi ſitum in eo, quòd Pontifex per Borromæum ipſis anteà ſignificarat, vbi caput illud euitari pacificè non poſſet, Patrum libertati expendendum relinqueretur; adeoque cùm tam multi illius trutinæ cupidiſſimi conſpicerentur, id ſatis eſſe, vt Mantuanus exiſtimarit ſe voluntati Pontificis obſtiturum, ſi per imperium torrentis impetum retineret.

Quod tertio loco obiectabatur, non ſolùm improbabat nouam ſuffragationem, & antecedentem permiſſionem dicendi ſententias, num eſſet articulus declarandus, ſed ipſam argumenti propoſitionem; propterea quòd manſioni iam Pauli Concilium proſpexerat. At Seripandus: Viſum iri nimis debile huiuſmodi fundamentum ad nouam tractationem obturbandam. Etenim in comperto erat, vincula pœnaſque tunc impoſita, nimis imbecilla euaſiſſe, quando fuerat iam excogitata ratio eas leges eludendi reſidentibus Paſtoribus per breuiſſimum anni ſpatium, ſed abſentibus per interruptas moras ſex menſibus breuiores, adeoque impunitas. Quare de fortioribus catenis, nexibuſque arctioribus cogitandum erat. Sincerè ſe fateri, in ea quæſtione affirmantem ſententiam ſibi probari, & in votis fuiſſe, vt reſidendi obligatio Iuris eſſe diuini declararetur, vt qui exiſtimabat redundaturum id in gloriam Dei ac Pontificis, cuius tempore Synodus deciſionem ederet adeò ponderoſam ac memorabilem, & tam ardenter à quamplurimis viris optimis expetitam, vtpote quæ ſperabatur Eccleſiam reformatura; atque idcircò ſibi eos placuiſſe, qui partem illam tuebantur. Sibi numquam in mentem incidiſſe, inde detrimentum inferri Apoſtolicæ Sedis auctoritati; quod ne mutire quidem ſenſerat illius ſententiæ fautores, ſed ſolùm aduerſarios, quò ſe Pontificis ſtudioſos oſtentarent, cuius commodis longè meliùs ſtuduiſſent, vbi huiuſmodi rationem, etiamſi ipſorum animos permouiſſet, obuoluiſſent oris ſilentio, quippe quæ Pontificem ſummæ inuidiæ, nec minoribus calumniis exponebat. Ceterùm, ſibi nequaquam diſplicuiſſe eos qui contro-
uerſæ 4

uerſæ declarationi reſtiterant, cùm probabilibus nixi rationibus, ſuo ipſorum iudicio ſatisfeciſſent; ſed alterum poſteà ſibi vulnus inflictum ab iis fuiſſe, qui per ſententiam ſub conditione prolatam controuerſiâ tam moleſtâ Pontificem implicauerant. 1562.

5 Poſtquam ſe defendit in cauſa collegis communi de re geſta, & in ſibi propria de ſua ſententia, tacitè progreſſus eſt ad ea quæ ſibi à nonnemine imputabantur, quòd nimirum huiuſmodi opinionem promouiſſet per immoderatam animi affectionem, per peculiarem ipſius cum primo Legato communicationem, & per officia penè violenta apud Epiſcopos amicos; ſimulque ad obiecta generatim fautoribus declarationis, vtpotè parum beneuolentiæ reuerentiæque in Pontificem exhibentibus. Idcircò pergebat dicere; Se numquam cum Mantuano ſeorſim collocutum fuiſſe, vt occultam cum eo communicationem cuipiam ſuſpicari liceret: ægrè ſibi eſſe, inſimulari Romæ Patres aliquos egregiâ probitate, quaſi protuliſſent ſententiam minùs reuerenter in Apoſtolicam Sedem; ac præſertim rogari ſe à Senogallenſi, & obſtringi ab ipſa rei veritate, ad teſtificandam huiuſmodi calumniæ in eum Præſulem falſitatem; & tamen dolere ſe, quòd variæ litteræ circumferrentur, ſeu veræ ſeu fictæ, tamquam à viris primariis Româ miſſis, quæ gratiam ac remunerationem iis qui obſtiterant pollicebantur, & alienationem ab iis, qui conſenſerant propoſitæ declarationi, præ ſe gerebant. Vbi iam ſibi Pontificis conſilium innotuerat, nimirum, vt ſi citra perturbationem poſſet, aut diſputatio in perpetuum præcideretur, adhibito aliunde remedio Paſtorum manſioni per grauiores pœnas violatoribus impoſitas, aut transferretur in tempus opportunius, quo animi tranquilliores euaſiſſent; omni ſe ſtudio conaturum illi obſecundare, ſed cauſam eò iam eſſe redactam, vt liceret ſibi quidem induſtriam polliceri, non item effectum.

6 Ita ſe purgare ſtuduit Seripandus: nec affectata fuit purgatio, quaſi non quæſita. Etenim Amulius Cardinalis, intimus Pontifici, & hinc Borromæo, hinc etiam Seripando, ea de re aliquid non obſcurè illi [a] ſignificarat; & ab eodem, poſt huius epiſtolæ miſſionem, alteram Seripandus acceperat [b], in qua ex mandato Borromæi, cui percharus erat, admonebatur diſertè, ipſum accuſari nominatim quaſi auctorem concurſus in eam ſententiam: & quamquam Amulius reſpondiſſet, originem rei ſermoni Granatenſis eſſe tribuendam, addidiſſe Borromæum, fuiſſe priùs de re monitum Seripandum, & tamen eumdem voluiſſe vt articulus proponeretur. Quæ litteræ reliquis coniecturis additæ [c], in ipſo & in Mantuano diffidentiam

a 9. Maij 1562. inter ſcripta as Burgheſiorum.

b 16. Maij ſignatam, apud ſcripturas Barberinorum.

c Muſotti narratio.

1562. in Simonettam auxere, non quidem tamquam in liuidum, ſed tamquam in trepidum credulumque; adeoque in eum, qui plenus formidine ac ſuſpicionibus, ipſi per aures immiſſis ab iis qui declarationem auerſabantur, eas imprudenti ſtudio Romæ diffuderat, ſuâque auctoritate confirmarat, collegarum actionibus in ancipiti collocatis.

Nec horum dubitatio erat ex vano. Præter ea quæ ſuprà tetigimus, de adhibitis apud Pontificem officiis Simonettæ vt noui Legati adderentur, binas eius litteras ad Borromæum nactus ſum, quarum ſententiam hîc recenſendam ſepoſui. 7

Prima epiſtola paulò poſt celebrem cœtum diei 20. Aprilis ſcripta conſpicitur, ibique oſtendit ille, ſe pariter admonitum à Pontifice fuiſſe ad collegarum coniunctioni ſtudendum, adeò neceſſariæ proſperis rei communis ſucceſſibus. Ad quod reſpondet: In reliquis omnibus ſe coniunctiſſimum cum illis perſtitiſſe, & in hoc dumtaxat ab iiſdem ſeiunctum, ne ab emolumentis Apoſtolicæ Sedis ſeiungeretur: ſe non promptum modò, ſed cupidum eſſe legationis deponendæ, ſibi non laborioſæ minùs quàm moleſtæ: à Borromæo ſe petere, vt ipſe fieret intimè certior, num in ea diſſenſione quidquam ipſe peccauerit. Culpam (ſi quid tamen peccatum erat) ab impudentia ſtudij, non certè ab æmulatione auctoritatis fuiſſe profectam. Quoſdam, qui manſionem volebant eſſe Iuris diuini, velle, cuncta etiam ad Epiſcopatum ſpectantia Iuris eſſe diuini; adeò vt ne liceret quidem Romano Pontifici Eccleſias ad penſionem obſtringere: quæ conſecutio ſuo quidem iudicio falſa erat, ſed nihilominùs periculoſa, vbi ea ſubderetur Epiſcoporum iudicio, quorum illa intererat: & eò progreſſus eſt, vt diceret per amplificationem, (quæ nimis veritatem excedebat, tametſi perſuaſionem ipſius nequaquam excederet) Tranſmontanos, præter quatuor ex Hiſpanis, conſpiraſſe *aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius*. Hi quatuor erant Petrus Conſaluus Mendoza, Martinus de Corduba, Bartholomæus Sebaſtianus, & Petrus Xaquius, Epiſcopi Salmanticenſis, Dertuſenſis, Pactenſis, Nioquenſis inter Cycladas. 8

In altera epiſtola, die decimo quarto Maij ſignata, quo die celebrata fuerat tertia Seſſio, narrat ſtudia à ſe adhibita, & à nobis memorata, apud Aualum, inflammatos Mantuani ac Seripandi animos in ea definitione cupienda (de quibus alioqui reuerenter loquitur) & turbulenta quorumdam Epiſcoporum ſenſa, præſertim Mutinenſis. Quod forſitan in cauſa fuit, quòd Moronus aliquid ea de re ſignificarit Mutinenſi, & quod ille purgarit[d]: &, quantum arbitror, 9

d 25. Maij.

arbitror, Simonettæ ſuſpicio veri fines tranſcendebat, maximè de 1562.
eo Præſule, quem comperio multò anteà [e] ſcripſiſſe ad Moronum, e 30. Maij 1562.
in Epiſcoporum obligatione reſidendi ſuam ineſſe moderationem; cùm arctior illa non ſit, quàm quæ ineſt patribus reſpectu liberorum, & in viris reſpectu coniugum, quibus licet ab illis abeſſe varias ob cauſas: atque idcircò nec erraſſe S. Paulum in reuocando Timotheo ab Epheſina illius Eccleſia, nec S. Ambroſium, cùm ad ſuos inuiſendos Romam adiuit. Et fortaſſe nihil aliud complures illius ſententiæ tenaciores reddidit, quàm quòd ea tamquam Sedi Apoſtolicæ aduerſa accuſaretur; proinde quaſi illius impoſterum deſertio ſpeciem habitura eſſet cuiuſdam confeſſionis, quà præteritа fidelitatis pietatiſque penuria pateſieret: vt proinde inter alios Archiepiſcopus Bracarenſis veritus non fuerit in quodam conuentu pronuntiare [f], hæreticum eſſe affirmare, quòd per eam declarationem Iuris diuini, detrimentum pati poſſet auctoritas à Deo conceſſa Romano Pontifici. Et quantum mea fert opinio, ſi quis arguebat ex illa opinione corollaria minùs recta, non tamen à Simonetta fuerat id indiſcriminatim adſcribendum earum fautoribus, viris ferè omnibus probitate doctrinâque præclaris; neque pariter adeò illi trepidandum erat illius definitionis metu, cùm poſteà conſtiterit experimento, ſententiæ huiuſmodi communiter recentiores Theologos patrocinari, nec eam tamen ſeditioſam euadere, nec iniquas illas enuntiationes ex ea confici. Quòd ſi oporteret eâ nos vti cautione, neceſſe foret diuinas Litteras tamquam oracula Fidei haud comprobare, cùm inde tot hæretici ſuorum omnium errorum impietatem deducant. Sed tandem excuſatione, imò laude dignus eſt quicumque adminiſter, qui quod exiſtimat ſatius, id operatur; quemadmodum inclytus ille Cardinalis præſtitit.

f In cœtu 6. Iunij, vt in Actis Paleotti.

Itaque collegæ, non certo quidem ſed ſuſpicioſo in eum animo, vt hominem periclitarentur, narrationem illius rei geſtæ conſcripſere, quam nomine communi mitterent ad Pontificem: ſed cùm ille mutationes quaſdam in ea depoſceret, & propoſitum euanuit, & inualuit ſuſpicio. Vſque adeò varietas iudiciorum in agendi modo, etiam poſitâ tum conſimili finium intentione, tum conſimili animorum probitate, potis eſt horum fiduciam beneuolentiamque diſiungere. Coniunctio ſiquidem, quippe diuiſioni contraria, indiuidua forma eſt, & niſi in re qualibet inſit, in re nulla perdurat.

1562.

CAPVT X.

Aduentus Lanſaci & collegarum, Galliæ Oratorum. Solemnis exceptio. Mandata quæ is defert. Diſſenſio de potiori loco inter ipſum & Hiſpanum Oratorem; & inter Venetos ac Bauaros. Priores illius ſenſus ad Gallicum Romæ Oratorem ab eo ſcripti. Expenditur quoddam illius dictum, Spiritum Sanctum tabellarij manticâ incluſum aduenire Tridentum, *quod poſteà famoſum euaſit.*

INter hos animorum ac negotiorum turbines die decimo octauo Maij Lanſacus [a], poſt honorificum ſupra quinquaginta Præſulum occurſum, ingreſſus eſt, medius equitans inter Oratorem Luſitanum, & tres Patriarchas. Duo illius collegæ tardiùs Pariſiis diſceſſerant, adeoque vnà cum eo non peruenere. De ipſius miſſione Regina certiorem fecerat Ferdinandum [b]; & per ſuum Oratorem Rhemenſem Epiſcopum ſignificauit, Lanſacum, pro eo quod Cæſar poſtularat, habere in mandatis, vt in quouis negotio cum Cæſareis Oratoribus coniunctim ſe gereret: ſtuderet peruincere in Synodo duritiem in relaxandis legibus, Eccleſiæ per ſe ſubiectis, ſicut Cæſar optabat, quò per huiuſmodi laxamenta aberrantes reduci poſſent, & ipſa Eccleſia rurſum in vnum coaleſcere. Ad huiuſce tenoris ſonum, & de ſententia hominum politicorum, qui ſæpè non ſatis intelligunt quidnam ſit Religio, & quæ vnica baſis, quâ illa nixa non vacillet, legationis libellus Oratoribus confectus fuerat. 1

[a] Diarium, & litteræ Legatorum ad Borromæum, 21. Maij 1562.

[b] Epiſtola Reginæ ad Epiſcopum Rhemenſem, 9. Aprilis 1562.

Dicebatur ibi, in pacificatione firmata inter Henricum & Philippum conueniſſe, vt vtraque pars curaret, promoueretque Concilium Oecumenicum ad concordiam ſalutemque fidelium. Henrico autem morte prærepto, Franciſcum Secundum, illius filium, legationibus ad Pontificem ac Cæſarem, & officiis apud Hiſpaniæ Regem opus amplexatum fuiſſe, ita vt inter Principes Chriſtianos primus dici poſſet qui rem prouexerat. Verùm quò Synodi fructus voto reſponderet, eo pacto celebranda erat, quo ad eam confluerent qui ab Eccleſia ſeceſſerant; adeoque libertas ipſis indulgenda, vt quando vellent accederent, & facultas vt audirentur in cuiuſuis argumenti diſputatione, & ad ea conſequenda quæuis ampla ſecuritas. Idcircò fuiſſe oſtenſum Pontifici, hanc Synodum celebrandam eſſe non tamquam continuationem illius, quam priores Pontifices habuerant, & in qua eorum damnatio lata fuerat, quorum 2

nunc

nunc reconciliatio quærebatur; ſed tamquam nouam conuocationem: fuiſſe tamen promulgatam à Pontifice per eas formulas, quæ oppoſitum ſonabant; vt proinde poſt ſucceſſionem Caroli IX. ſuperſtitis, regij Conſiliarij perdifficiliter diplomati conſenſerint; idque quò pleniorem obſeruantiam erga Pontificem exercerent, poſitâ (id neutiquam verum fuit, vt alibi narrauimus) Pontificis promiſſione, quòd Concilium noua conuocatio fuiſſet. In primis igitur inſtarent Oratores, vt id diſertè declararetur; & vbi ſeu repulſam, ſeu ambiguitatem, ſeu dilationem offendiſſent, abſtinerent ſe à conuentibus, atque ab omni publica functione, Regem de re geſta admonentes, eiuſque noua mandata præſtolantes. 1562.

3 Dein nouam Concilij ſtationem poſtularent, cùm ſpoponderit Pontifex, vbi Synodus Tridenti fuiſſet, eam à ſe tranſlatum iri in aliam ſedem, quæ communiter accepta foret: huiuſmodi non eſſe vrbem illam, non ſolùm ſpectatis hæreticis, ſed compluribus etiam Catholicis; quare transferendam Oratores curarent aut Conſtantiam, aut Spiram, aut Wormatiam.

Prætereà, publicam ſecuritatis fidem, ampliſſimam, maximeque vniuerſalem, & ad omnem hominum frequentiam accommodatam, abſque vlla conditionum circumſcriptione, per formulas magis diſertas, magiſque indubitatas, quàm quæ vulgatis in tabulis continebantur.

Nec ſegniùs poſcerent, vt Synodus eſſet libera, adeoque nec Pontificis nec Legatorum ſententiæ ſe remitteret: nec liceret Pontifici mutare aut relaxare Synodi Decreta; quin vt ipſe Synodo ſubiiceretur, pro eo ac ſtatuerant ſanctiones Conſtantienſis & Baſileenſis.

4 His capitibus ita firmatis, palàm facerent, religionis detrimenta à corrupta in eius miniſtris diſciplina eſſe profecta. Quapropter eam tum in capite tum in membris reformandam eſſe; ſicuti in Conſtantienſi Synodo dictum fuerat, ſed infectâ re, & ſicuti ſubinde in Baſileenſi inceptum fuerat, ſed non peractum. Proponebantur in libello plures articuli, qui omnes eò redigebantur, vt auferretur Pontificii iuriſdictionis vſus in aliorum Epiſcoporum Diœceſibus, niſi vbi illi deſides forent; poteſtas relaxationum tum in coniugiis, tum in reliquis prohibitionibus, per anteacta Concilia ſancitis; Sacerdotiorum collatio; penſionum retentio; ſoluendarum pecuniarum exactio; & omnino vt tolleretur ſplendor & imperium Aulæ Romanæ.

5 Monebantur prætereà Oratores, ne quid permitterent quod

1562. quidquam detraheret Eccleſiæ Gallicanæ, aut Regalibus priuilegiis. Palàm illis fiebat Ferdinandi petitio; & quò ſe ad eam accommodarent, iniungebatur ipſis communicatio cum Cæſaris adminiſtris, officiorumque coniunctio, ad obtinendam relaxationem legum, per quam reuocarentur qui deſciuerant. Darent operam, vt deciſiones proſcriptioneſque ſuper Fidei dogmatis retardarentur vſque ad extrema Concilij, ne exaſperarentur ij, quos deliniendos curabant.

Vbi ſocietas inter Principes Chriſtianos ad auertendos hæreticos agitaretur, Oratores oſtenderent, illorum potentiam ſic eſſe communitam, vt pars Catholica, dum impetum in illam faceret, frangi potiùs poſſet, quàm eam frangere. Si querimonias acciperent, quòd ab ipſorum Rege ſuis ſubditis hæreſis permitteretur, reſponderent, Repertam ab illo fuiſſe eam hominum multitudinem nouis ſectis inhærentem, vt per ætatem adhuc teneram, eidem minimè liceret vim in eos experiri abſque graui Sceptri diſcrimine; adeoque remedium exiſtimari, vt congruentius charitati, quam nos docuerat Chriſtus, perinde tutius & vtilius, conſpicuam communemque Eccleſiaſticorum correctionem, atque aſſiduam ac ſtudioſam Epiſcoporum Curionumque prædicationem. Verùm cùm Oratores Tridentum peruenere, iam in Gallia rerum conditio alia erat, quod ſpectabat ad hoc mandatorum caput, prout lectores meminerint.

Denique admonebantur Oratores, Hiſpani Regis adminiſtros 6
voluiſſe in controuerſiam reuocare gradum, quem Oratores Galliæ ſemper apud Oratores Cæſareos tenuerant: idcircò nec in Concilio nec alibi locum alium acciperent, neque ſinerent hoc ipſum ibi in quæſtionem adduci; ſed vbi id non obtinerent, extemplò diſcederent, præmiſſâ conteſtatione, nec Regem nec regnum Galliæ velle vlla in re eam Synodum comprobare, & Gallis Præſulibus feſtino reditu iniuncto.

His inſtructus mandatis Lanſacus, cùm primùm Legatos inuiſit, 7
cœpit [c] de poſtremo capite cum iis agere, quod primum in eius animo erat, & primum reipſa exercendum, & tradita ad id ſibi mandata ipſis expoſuit; qui difficiles inter anguſtias coniecti ſunt. Etenim Aualus cùm diſcederet, declarauerat, ſe minimè paſſurum ſecundos honores, non tamen obfirmatâ ad primos habendos voluntate patefactâ, ſed ad temperamenta procliui; quorum vnum ab ipſis Legatis fuerat excogitatum, eiuſque exemplar Romam miſſum, alterum ab Oratore Luſitano propoſitum [d], in quod poſteà propen-

[c] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 21. Maij 1562.

[d] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 6. Aprilis, & 14. Maij 1562.

propenſionem Hiſpanus præ ſe tulerat. Mihi verò libet illud diſtinctè recenſere, cùm exiſtimem publico emolumento conſuli, cùm innoteſcunt quædam agendi rationes, à viris prudentibus, bonique publici ſtudioſis excogitatæ, ad amouendos obices ſæpè interiectos ſummorum virorum commercio, maximis mortalium commodis neceſſario, dum de vmbra fumoque litigatur; in quo litigio prudentia, quippe paucorum, cogitur ſe conformare dementiæ, quippe innumerabilium. Conſilium erat huiuſmodi[e]: Decreto ſanciretur, ne quiſquam ex Oratoribus Conuentus aut Seſſiones adiret, niſi à Concilij præconibus accerſitus; quòd ſi quis vellet non vocatus adeſſe, intelligeret, eo die omnes qui accerſiti fuerant, ſupra ſe conſeſſuros. Et quoniam auctoritati tum Synodi, tum Catholicorum Principum, & eorum qui Principum perſonam gerebant, plurimum intererat, vt in Actis Concilij nominatim ſemper fieret mentio Oratorum, qui Tridenti degebant, ij omnes nominarentur (in quo, vt opinor, ordo aduentus, non dignitatis ſeruandus erat) quamuis illi functioni non adeſſent, iis tamen qui reipsâ interfuerant, peculiari capitulo recenſitis. Atque hac ratione quæuis contentio euitaretur, numquam ad eumdem conſeſſum aduocatis binis competitoribus. 1562.

e Extat in Archiuio Vaticano.

Sed fieri non poterat, vt vlli temperamento Galli acquieſcerent: cùm enim temperamenta eò tenderent, vt anceps pro vtroque æmulo prærogatiua relinqueretur, Galli certam pro ſe poſtulabant, ne victoriâ quidem per litem contenti, quippe quaſi partem detrimenti ac iacturæ ipſam diſputationem exiſtimantes. Verumtamen Auali abſentia reſpirandi ſpatium Legatis concedebat, ſpem collocantibus in beneficio temporis, quod nexus conſilio inextricabiles ſæpè diſſoluit.

8 Grauiùs in præſentia coarctabantur ab iis, quæ Bauariæ Dux Oratori ſuo reſcripſerat[f]; nimirum, niſi ſupra Venetos is collocaretur, confeſtim diſcederet: hinc verò neceſſitas ad duo maxima incommoda afferebatur. Si Duci ſatisfieret, iacturam paſſuri erant Oratorum eiuſmodi Reipublicæ, quæ præcipuum erat Religionis propugnaculum in Italia, & vnicum illius columen in Græcia, & parens præclariſſimorum hominum, qui cum laude laborarunt eâ tempeſtate ad eam conſeruandam vniuersè in Orbe Chriſtiano, cuiuſmodi erant Aleander, Contarenus, Lippomanus, Delfinus, Commendonus, præter Nauagerum, de cuius opera iam tum cogitabatur. Contra verò ſi Venetis ſatisfieret, deperdebantur Oratores eiuſmodi Principis, qui Religionis pariter columen erat in Germania; quin fortaſſe deperditi ſimul fuiſſent per illud exemplum

f Dux litteræ Legatorum ad Borromæum, 21. Maij 1562.

Ora-

1562. Oratores omnium Principum Germanorum, etiam Eccleſiaſticorum, eo nomine, quòd aliis ſuæ nationis honores debiti denegarentur: & tunc quidem accidit, non quo tempore Suauis affirmat, vt Legati ſpatium petierint, quo Pontificem ea de re certiorem facerent; quod per celerrimum tabellarium præſtitere, ſuggerentes Pontifici, vt certum hominem mitteret, qui ſuis verbis Ducem rogaret, ne grauaretur hoc indulgere Chriſtianæ Reipublicæ commodo, expoſitis ad eum permouendum rationibus. Significarunt quoq́ue, opportunitatem ad id conſequendum adeſſe, quoniam Bauariæ Dux Pragam iturus erat medio Iunio, vbi ſororis ſuæ maritus Rex Bohemiæ coronandus erat; adeoq́ue potuiſſent illum flectere Cęſaris hortamenta, à Pontifice per Delfinum Nuntium ſollicitata.

In ſpem venio, per huius Hiſtoriæ lectionem, vbi alius ex ea fructus haud carperetur, ablatam iri quamdam offenſionem, in quam ſatis communiter incidunt homines religionis ſtudioſi, ſed negotiis ciuilibus inexperti, & huiuſce ſæculi Politicæ parum periti; quòd ſcilicet Pontifices ætate noſtrâ Synodos cogendas haud curent, ſicuti per alia tempora fieri ſolebat, ſicuti Canones præſcribunt, & ſicuti poſtulare videtur reparatio ſemper lubricæ caducæq́ue diſciplinæ. Profectò ſtatim ac huius poſtremi Concilij euenta legerint, etiam in eo de quo mihi cum Suaui diſſenſio non eſt, animaduertent, in myſtico Eccleſiæ cælo ſyderum coniunctionem concipi non poſſe ſeu difficilioris concurſus, ſeu, facto concurſu, periculoſioris defluuij, quàm Synodus Oecumenica. Quamobrem dum res humanæ ita procedunt, perinde foret illam tentare (niſi vrgeret extrema neceſſitas) ac Deum planè tentare, & congregationem cogere, vnde periculum immineret ne in diſſipationem Eccleſiæ peruerteretur. 9

In quo riſum ſimul ac ſtomachum mihi mouet Suauis malignitas, vbi enarrans euentus, qui præ manibus hîc ſunt, affirmat, Pontificem Mantuano ſuccenſuiſſe, quòd ex lite de Continuatione inter Hiſpanos ac Cæſarianos, opportunitatem non captarat Synodi diſſoluendæ. Verum quidem eſt, Pontificem poſtulaſſe, vt Mantuanus eâ opportunitate vteretur ad declarandam Continuationem, quando ad id ſemel præſtandum obſtringebatur ab Eccleſiæ dignitate, ab integritate fidei, à promiſſionum nexu; nec illi viſum eſſe tempus aptius ad id incidere potuiſſe, quàm vbi impenſiſſimè poſtulabatur ab Oratore præſente Philippi Regis, & nondum Galli peruenerant, à quibus vehementiſſima contentio expectanda erat. At quòd Pontifex optaſſet, vt eâ ratione Synodus ſolueretur, 10

retur, eſt verè mendax calumnia, vt quæ apertam faciem oſtendit abſque vlla veritatis laruâ. Perinde quaſi vbi Pontifex id ex animo cuperet, opus illi fuiſſet aut Legatorum aut propriâ ipſius operâ; cùm perſpicuum omnino ſit, ad huiuſmodi horologium exonerandum, ſatis eſſe aſſiduam illi operam non impendere ponderibus attollendis, rotiſque ad curſum aptandis: quod ipſa Suauis narratio, quamuis alia intendat, poteſt ob oculos ponere cuiuis mediocriter intelligenti. 1562.

11 Sed ſermonem de legatione Gallica proſequamur. Venit Lanſacus, non quidem cum iis opinionibus quas ipſe Româ in Galliam attulerat, admodum Pontifici propitiis, quippe ab ipſius experimento profectis; ſed cum aliis, quas illi callide politici ipſi ingeſſerant, Pontifici, ſeu potiùs Pontificatui aduerſantibus, & in mandatorum libello contentis, quæ ille magis in animo quàm in paginis impreſſa geſtabar. Quare difficile non fuit, vt aliæ conſimiles opinationes illi adhæſerint, quas comperit in quibuſdam Epiſcopis tranſmontanis, recentes diſſenſiones ac moras de manſione permoleſtè ferentibus. Proinde [a] proximo poſt ſuum aduentum die, magis credulus quàm cautus, litteras ſcripſit ad Oratorem Galliæ Romæ degentem, quarum hæc erat ſumma. a 19 Maij 1562.

12 Duo ad proſperum Concilij progreſſum opus eſſe; alterum (& hoc tolerabilius erat, ſecum allatum ex Gallia, non Tridenti ſuſceptum) ne præcipitarentur Decreta, ſed retardarentur, donec remotiores Patres aduenirent: etenim Galli præcipue intra duos tréſve menſes illic adfuturi erant, qui tumultibus in præſentia detinebantur. Alterum, vt Pontifex libertatem Synodo relinqueret, idemque fieri à Legatis iuberet. Hîc verò dictum ille protulit, quod poſteà per ora vulgi percrebuit; hoc eſt, *ne Pontifex mitteret Spiritum Sanctum in tabellarÿ mantica.* Similiter, ne ſineret Romæ calumniis peti quod in Synodo fuiſſet propoſitum ac ſancitum, quemadmodum audierat contigiſſe articulo manſionis, qui ſole clarior patebat.

13 Iam verò quò palàm fiat, quàm animosè nonnumquam exterorum Principum miniſtri damnent res geſtas Romanorum Pontificum, expendamus huius epiſtolæ ſententiam, quæ typis edita legitur [b]. Volebat hinc Lanſacus, ne Synodus ad ſancienda Fidei dogmata progrederetur, expectato per aliquot menſes Antiſtitum tranſmontanorum aduentu: hinc, vt in præſentia pronuntiaretur dogma Fidei tanti ponderis, quodque ſupra cetera ſingulos Epiſcopos onerabat premebatque. Præterea, quo pacto illic affirmabat Orator, b In citato libro Gallico.

1562. maiori fiduciâ quàm auſus fuiſſet ſummus Sorbonenſis Theologus, eam ſententiam ſole clariorem patere? Haud ignota ſunt Scholis teſtimonia rationeſque illuſtrium Scriptorum, qui aliter ſentiunt; quin liceret mihi Suauem ipſum illi obiicere, qui pari fiduciâ, ſed minori tandem audaciâ, quippe qui ſcribit de iis quæ legerat, oppoſitum omnino affirmat, nimirum, *per libros, qui poſteà conſcripti ſunt, magnam fuiſſe illatam hominum generi offenſionem; adeoq; patuiſſe, diſputationem ſolo partium ſtudio fuiſſe ſuſceptam. Nam quod ſpectat ad Scripturam & Patres, ea ſunt ad perfectionem hortamenta, neque quidquam ſolidi eſt præter Canones, qui leges Eccleſiaſticæ ſunt.* Quod ſanè mirum accidet cuipiam, cui Suauis cauſæ præuaricator videbitur, dum in articulo tam exagitato tribuit ſententiæ, quæ fauere Pontifici credita eſt, maiorem claritatem, quàm illi concedatur ab vllo ſcriptore Pontifici obſequioſo. Sed hoſtium dona ſemper ſuſpecta. Tradiderat Suauis ſeditioſam illam doctrinam, à nobis alibi reiectam, videlicet, ex inſtitutione Chriſti Epiſcopatum eſſe vnum, communem cunctis Epiſcopis, atque ita in primæua Eccleſia fuiſſe exercitum, ſed poſteà diuiſionem per humanas leges inductam. Hoc poſito, non poterat ab eò agnoſci manſio Epiſcopis à Chriſto iniuncta, cùm vellet, Epiſcopos fuiſſe à Chriſto inſtitutos ſolùm vagantes, priuatoſque peculiari ac certâ ſede, in qua reſidendum ipſis eſſet. Atqui ſi loqui libeat pro veritate, & non pro partium ſtudio (quod pace tum Oratoris tum Suauis dictum ſit) neque extra dubitationem quæſtio eſt, ſicut alter exiſtimat, neque ſeueriori opinioni deſunt fundamenta, ſicut alter affirmat; quin etiam poſt Concilium longè plures, & exiſtimatione potiores ſunt qui hanc partem tuentur. Idque clarè demonſtrat quàm ſincerè ſe geſſerint in eo Pontifices, quibus nihil facilius fuiſſet, quàm in diſputatione adeò ancipiti efficere tacitè, vt complures poſteà pro ſententia laxiore, pauci pro ſtrictiore conſcriberent.

Nunc ad celebre ſcomma memoratæ epiſtolæ tranſeamus, *quòd Spiritus Sanctus in mantica deferretur ad Concilium.* Hoc dictum per ora vulgi poſteà celebratum eſt, cùm Epiſcopo Quinque Eccleſiarum tribueretur, quaſi contentum in illius ſcripto ad Maximilianum II. cuius dicti pars, tamquam digna & impudentiſſima tanti frontonis frons, appoſita eſt in facie Operis Suauiani, ab eo qui viuente Suaui illud latinè vertit. Verum ſi non extima facies pro more vulgi, æquè ignari ac maligni, ſed intima ſoliditas illius repetiti dicterij conſideretur, ægrè poterit inanius quidquam eâ ſoliditate reperiri. Id enim quod apponitur, neque vbi verum eſſet 14

vllam

vllam contineret vmbram mali, neque in hoc caſu vllam continet 1562.
vmbram veri; atque ad vtrumque diſpiciendum opus cuiquam non eſt vt ſit aquila, ſatis eſt, ne ſit talpa.

15 Quod ſpectat ad priorem partem, cùm S. Leo ſcripſit ad Flauianum Patriarcham in Concilio Chalcedonenſi memorabilem illam epiſtolam, quæ incipit, *Lectis dilectionis tuæ litteris*, adoratam & comprobatam à ſexcentis ac triginta Epiſcopis ibi coactis, tamquam vocem plane S. Spiritus, fuitne illa delata in mantica tabellarij, an diuinitus admirabili quodam modo deportata? Compertum cunctis eſt, cùm Deus inſtituerit, vt Fides per ſermonem diſſeminetur, ſermo vero duplici ratione habeatur, locutione & ſcripturâ; cumque hæc poſterior communior ſit, vtpote abſentibus, qui abſque comparatione plures ſunt, accommodata; & cùm hæc ſcriptorum litterarumque communicatio fiat per commeantes geſtores mercenarios, hoc eſt per tabellarios, qui traditas ſibi ſcripturas manticis deferunt, nihil indecorum interuenit, quòd Spiritus Sancti lux in manticis deferatur. Huiuſmodi inſtrumento non ſemel Concilia & Pontifices lumen acceperunt ad S. Spiritus verbum interpretandum. Etenim cùm is voluerit humano modo, & non diuinitus agere, inſtituit, vt Concilia & Pontifices, antequam definiant, adhibeant humani ſtudij ſolertiam; quod non ſolùm proprij cuiuſpiam ingenij operâ nititur, ſed communicatione pariter cum abſentibus, quam in Synodi quæſtionibus, & etiam anteà diu habuit Ceruinus Legatus cum Guillelmo Sirleto, vt conſtat ex volumine litterarum, de quo longè ſuprà mentionem feci; poſteà verò cum Sirleto Seripandus, vt patet ex altero volumine, vtroque in Vaticana Bibliotheca aſſeruato; & qualem habent complures Epiſcopi cum Theologis, qui ab ipſorum nationibus diſtant. Ipſi etiam Romani Pontifices, ſicuti dicebam, tametſi agnoſcant in ſe certam Sancti Spiritus cuſtodiam; tamen cùm adſtringantur ad humanam diligentiam, pro eo ac par eſt, præmittendam, atque ad non ferendam cæco modo ſententiam, dedignati non ſunt exteriorem S. Spiritus lucem ſibi quærere per manticas tabellariorum, ſtudentes non præſentium modò Theologorum ſententiam coràm audire (quo pacto à Leone, & Innocentio X. peractum eſt; ab illo in Senatu, ab hoc in peculiaribus cœtibus, antequam proſcriberentur opiniones Lutheri ab altero, ab altero Ianſenij;) ſed etiam interdum à doctiſſimis Academiis longinquis, antequam ad ſanctiones deueniretur.

16 Dixi, *lucem exteriorem Spiritus Sancti*; quoniam præter hunc ſen-

1562. ſibilem ſermonem, qui ab aliorum linguis ſeu calamis ad nos immittitur, altero nobiliore & efficaciore opus eſt, qui ſolùm ab illo Diuino Spiritu nobis afflatur, & ab Auguſtino dicitur, *Vox alta & ſecreta in ea parte, in qua nullus homo efficere poteſt vt proximè audiatur:* & ſine quo nihil valeret virtus ſeu verborum ſeu ſcriptorum, pro eo quod idem S. Doctor oſtendit aduerſus Pelagium. Sed Deus, qui plerumque operari non vult mirabili quodam modo, tunc ſolet mentibus inſpergere ſuum hoc interius eloquium, cùm illæ excitantur per naturalem ſenſus viam ab exterioribus monitis aut linguarum aut paginarum: atque hic interior ſermo, eſt verus ac proprius S. Spiritus aduentus, quippe qui ſola ipſius operatio eſt, nec ab vlla re creata præſtari poteſt. At verò motiones illæ extrinſecùs excitatæ à prædicationibus, à colloquiis, à ſcripturis, non modò ſunt effecta naturalium cauſarum, ſed interdum cum peccato coniuncta, vt euenit, cùm illarum auctor rectas quidem doctrinas profert, ſed animo minimè recto, exempli causâ, merâ gloriolæ mortalis gratiâ. En difflatas vaniſſimas illas laruas, deformem ſpeciem præ ſe ferentes, quam rudiorum oculis exhibere poterat ea ſcommatis forma, *Spiritus Sanctus tabellariorum manticâ defertur.*

Secundo loco affirmaui, id quod eo dicto carpitur, nullam in hoc 17
veritatis vmbram habere. Etenim certa cuſtodia Sancti Spiritus addicta Conciliis, reſtringitur ad Fidei dogmata, & ad ea quæ cum ipſis dogmatibus connectuntur; atque in his certum eſt eamdem etiam cuſtodiam haud permiſſuram, vt quidquam falſi definiatur, non tamen ne quidquam veri prætereatur: id, & nihil ampliùs certæ cuſtodiæ à Spiritu Sancto præſtandæ Oecumenicis Conciliis tribuunt Catholici. Porrò ne vnum quidem articulum Suauis ipſe proferre poſſet, qui pro Suauianæ hiſtoriæ tenore definitus Tridenti fuerit ex vnius partis ſententia potiùs quàm alterius, volente, perſuadente, mouente Pontifice. In hoc ipſo manſionis articulo, in quo ille videbatur poſſe aliquo affici ſenſu, neque narratur, indicatam vmquam ab eo voluntatem, vt ea definiretur eſſe iuris Eccleſiaſtici, neque vmquam aſſenſus fuit, vt ſibi committeretur à Concilio illius declaratio; quin aperte Legatis ſcripſit, vt videbimus, vt id omni ratione præpediretur.

Perge porrò: Numquam comperietur, à ſummis Pontificibus, 18
etiam in legibus, quibus non tam certò promiſit Deus ipſis aſſiſtendum eſſe, adeò vt ſemper illæ ſint opportunæ, adhibita fuiſſe vlla ſtudia, vllamque curam, vt certa aliqua ſancirentur à Synodo; ſolùm interdum Synodum remouendam curarunt, ne ſtatueret aliquam

quam legem, quæ minimè profutura Eccleſiæ videbatur. Atque hoc ipſum præſtiterunt modo longè remiſſiore, magiſque illæsâ Concilij libertate, quàm adhibuerint Principes laici, iis legibus repugnantes, quas ciuili ipſorum poteſtati noxias arbitrabantur. Ita id quod quaſi ſal videbatur, vulgo lambenti ſapidum, deprehenditur cibus marcidus, cuius putredo, vt fieri ſolet, inſperſo veluti ſale fuit occultata. 1562.

CAPVT XI.

Oratio Guidonis Fabri in generali cœtu. Reſponſum illi redditum. Noua Pontificis ſenſa de Concilij turbamentis; & illuc miſſus Carolus Vicecomes, Epiſcopus Vintimillienſis.

1 SI animum quidem ex parte corruptum à Politicis Galliæ Tridenti geſſerat Lanſacus, etſi magis illic malè affectorum ſuſurris deprauatus fuerat; longè corruptiores animos geſſerunt illius collegæ. Paulò pòſt peruenere Tridentum Ferrerius & Faber [a]. Prior miſſus fuerat [b] ad Pontificem à Carolo Rege, altero poſt obitum Franciſci II. die, ad Synodi celeritatem inculcandam; ſed valdè ſuſpectæ erat religionis, vtpote qui auctor fuerat in Conuentu S. Germani, vt hæreticis templa concederentur; quod tamen ille, cùm ad Concilium deſignatus fuit, excuſauit in Gallia apud Legatum [c], affirmans, Velle ſe in antiqua Fide viuere & mori, ac ſperare ſe iterum ad Pontificis pedes acceſſurum; ſed eam protuliſſe ſententiam in cœtu iam dicto, quòd ibi ſolam incolumitatem Galliæ, bonumque ciuile regni ſpectauerat: quamquam poſteà continuata in religione illius opera [d] huiuſmodi verbis minimè reſponderint. Grauiùs laborabat Faber ſiniſtrâ religionis famâ: ſed is modicâ auctoritate inſtructus aduenerat, & potiùs vt politâ peroraret facundiâ, quàm vt politicâ res pertractaret prudentiâ. Statutùm fuit, vt ij in cœtu die vigeſimo ſexto Maij exciperentur. Orationem habuit Faber. Eius tenorem refert Suauis, ſed nec integrè nec fideliter. Narrat, cùm illa viſa fuiſſet auditoribus aculenta, à Promotore hæſitabundo redditum eo die pro more reſponſum non fuiſſe. Prætereo errorem dicentis, & hîc & alibi reddita fuiſſe à Promotore reſponſa, cùm reuerà redderentur ab eo qui erat à ſecretis, cuius miniſterio, non Promotoris, congruunt & adnectuntur hæc officia vrbanitatis cum iis qui ab exteris Principibus legantur. Sed in hoc peculiari euentu rem ipſam, quæ geſta fuit, ignorat. Sic ergo ea ſe habuit.

a 19 & 21. Maij, ex Diario.
b Extat in oratione Ferrerij.
c Litteræ Ferrarienſis Card. ad Borromeum, 23. Aprilis, miſſæ 28. 1562.
d Narratio Veneti Oratoris apud Synodum ad Rempublicam, & epiſtola Iadrienſis Archiepiſcopi, 28. Maij 1562.

1562.

Conſueuerant[e] Oratores, antequam perorarent, orationem ſuam 2
aut oculis aut auribus eius qui à ſecretis erat, communicare, vt ab illo conſentanea reſponſio concipi poſſet. Iam verò eam Galli luſtrandâm Maſſarello conceſſerant, ſed in ea tantummodò parte magis temperata; Faber verò illam recitauit cum adiectis appendicibus, quæ ſatyras in anteacta Concilia ſapiebant: quapropter egreſſis pro more Oratoribus, habitoque de reſponſione conſilio, Petrus de Xaque Hiſpanus, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Nioquenſis, commotior dixit, eos Oratores in Seſſione excipiendos non eſſe; alij verò eam orationem nonniſi emendatam in Acta Synodi eſſe referendam. Et reipſa aliqua illi emendatio adhibita eſt, vt conſtat ex volumine typis edito Louanij anno 1567.[f] vbi nec ea quæ ſunt propoſita, nec quæ reſponſa, cum exemplari illic recitato plenè concordant: ſed prudentius communiuſque conſilium fuit, ne vllum tunc certum conſilium ſuſpiceretur, adeoque tempus ipſum conſiliarium aduocandum, re protractâ vſque ad proximè futurum conuentum.

[e] Eſt in Actis Paleotti, & in Diario Seruantij, ac fuſiùs in epiſt. Archiepiſcopi Iadrenſis. 4. Iunij 1562.

[f] Apud Petrum Zangrium Titelamum.

Orationis igitur à Fabro habitæ, ac poſteà per varios libros vul- 3
gatæ, huiuſmodi fuit ſententia[g]. Amplificauit Franciſci Primi & Henrici Secundi merita in Eccleſiam, eorum inflammata ſtudia, quò celebraretur Concilium cunctis liberum, & in loco conuocatis Patribus haud moleſto, in quo Concilio religionis controuerſiæ agitarentur, & Eccleſiæ concordiæ conſuleretur. Hos eoſdem in animo ſenſus fouentem Carolum Nonum, tunc ſuperſtitem, ſolium aſcendiſſe; quorum teſtes ac narratores eſſe poterant ipſi Oratores, Fabri collegæ, Ludouicus à S. Gelaſio, Lanſaci dominus, & eques S. Spiritus, & Reginaldus Ferrerius Pariſienſis Præſes, vterque regiâ legatione apud Pontificem functus, quò, tametſi Pontifex ſponte curreret, ipſorum tamen poſtulationibus incitaretur ad neceſſariam conuocationem, detectis ipſi Galliæ vulneribus; quæ, niſi huiuſmodi vnguentum feſtinaretur, nec ſanari poterant, nec coaleſcere; quin potiùs dilatarentur, innumeris hominibus ab Eccleſia ſecedentibus non modò cum ciuili regni perturbatione, ſed cum ſummo eorum detrimento atque infamia, ad quos curatio ſpectabat, vbi eam neglexiſſent. Nec ſolùm apud Pontificem, ſed apud Cæſarem ac Regem Catholicum ad rem promouendam ſtudio præferuido ſuam operam à Rege impenſam fuiſſe.

[g] In dicto libro Gallico, impreſſo anno 1613. & in altero libello, impreſſo Ripæ Tridenti eodem anno 1562.

Dein ſermone ad Patres conuerſo, dixit: Nobiliſſimum ac penè 4
Diuinum eſſe opus, quod ex ipſis expectabatur, hoc eſt, Religionis ſanitatem, tot in partibus vulneratæ, non humanâ vi, ſed afflatu

S. Spi-

S. Spiritus afferendam: deducerent in portum Eccleſiam, quinquaginta iam annos ventis tam aduerſis agitatam; ſtatuerent quid eſſet credendum in tanta opinionum varietate; reſtituerent diſciplinam, collapſam miniſtrorum aut negligentiâ, aut imprudenti ſtudio religionis. Negari non poſſe, quædam effluxiſſe, digna alia quæ deleentur, alia quæ corrigerentur. Quemadmodum ipſe ſemper cenſuerat, eſſe retundendos eos, qui abſque ſuperiorum Decreto, & pro ſua libidine audebant ab Eccleſia remouere vniuerſum rituum ordinem, qui Religionis comes eſt & miniſter, aliaſque cæremonias inducere; ita fortaſſe peccari poſſe nimiâ duritie in retinendis cunctis priſtinis inſtitutionibus, nequaquam expenſis iis, quæ rerum inclinatio, temporum conditio, & Reipublicæ tranquillitas poſtulabant. Hoſtem humani generis Patres aggreſſurum eſſe, pro eo ac ſolet, intimis prælijs, obiecturumque illorum animis, nihil ipſos ex tot laboribus conſecuturos, niſi vitæ rigorem, iacturamque earum commoditatum, & illius ſplendoris, quibus ante reformatam diſciplinam fruebantur. Vbi ſe ſinerent his irritamentis capi, ipſorum ſe operam, exiſtimationemque Conciliorum deperdituros, quæ in Eccleſia primæua ingens fuit, & ingens foret, vbi Chriſtiana Reſpublica componeretur. Ipſorum ac maiorum ætate varias Synodos coactas fuiſſe, & à maximis Epiſcopis varios conuentus habitos in Germania & Italia, ſed fructu aut minimo, aut nullo. Nolle ſe rei cauſas ſubtiliùs indagare, neque rumores populares exquirere: taceri tamen à ſe non poſſe cauſam, quæ fortaſſe potiſſima erat; dici, ea Concilia legitima ac libera non fuiſſe, proptereà quòd ij qui aderant, loquebantur, ſeu propriùs conſentiebant pro alterius voluntate, quo nullum peſtilentius in Tribunali vitium eſt. Illic Patres non ſolam Conſiliariorum, ſed Iudicum quoque perſonam gerere, cum poteſtate ipſis à Chriſto abſolutè conceſſa, & in veteribus Concilijs exercita. Ad eam tuendam vbi reliqua deeſſent auxilia, ſuas omnes vires offerri à Rege Chriſtianiſſimo, & huius rei gratiâ eos tunc Oratores ab eodem legari. 1562.

5 Hîc Orator poſt grauiſſimam caſtigationem, quâ inuectus eſt in ſeruos togatos, & iudices mercenarios, qui non in cauſis fundorum ſtillicidiorumque, ſed rerum maximarum, maximeque Diuinis vocem impendebant in commercanda gratia potentiorum, adiecit, id conqueſtam fuiſſe præteritam ætatem. Cauerent proinde proferre ſententias ad conciliandos ſibi animos Regum, Cæſarum, aut Pontificum: quod ſi id committerent, præuideri à ſe Europæ Eccleſiæque perniciem. Et quoniam Tridentino Concilio

fortaſſis

1562. fortaſſis officiebat ſiniſtra de anteactis exiſtimatio (Conſtantienſe indicabatur) palàm facerent, libertatem in eo poſſideri, fidem haud violari, rationes non flammas adhiberi, diſceptari ſtudio veritatis conquirendæ, non animo ab opinionibus peruicaciter præoccupato. Ad hanc ſecundam ipſorum famam, nobiliſſimam Germaniæ nationem, cuius potiſſimùm gratiâ Concilium celebrabatur, è ſomno quaſi excitandam eſſe, illuc ſuos delegatos miſſuram, venturamque ad rem amicè tranſigendam; atque vniuerſam Rempublicam Chriſtianam, tunc in tam contrarias voces factioneſque diuiſam, in vnum labium vnumque cor coalituram. Ad tam ſublimia tamque ardua molimina, quò ſe generoſiùs compararent, in animum inducerent, Carolum Nonum ſe habituros fideliſſimum ſocium, & fortiſſimum adiutorem; qui ſicuti libenter ipſe per ſe intereſſet, ſi per ætatem teneram ſibi liceret, ita ſtatutum habebat, ſuorum Oratorum operâ ſuam abſentiam compenſare, oblatis in Eccleſiæ commodum ipſi Concilio non modò ſuis cunctis theſauris ac ditionibus, ſed vitâ ſimul & ſanguine.

Suauis ſummam Orationis recitans, narrat, Fabrum dixiſſe, debere Patres palàm facere, Spiritum Sanctum nonniſi è cælo eſſe inuocandum: Synodum illam non eam eſſe, quæ Pauli & Iulij ætate fuerat habita inter tumultus & arma, ac diſſoluta, *nullâ bonâ re confectâ*. Sed in primis ipſum quod proferri poteſt orationis teſtimonium non ita dicit: dicit, *abſque præclaro opere*. Præterea adducti loci fides mihi dubia eſt, quamquam ille in aliquo recentiori libro legatur [b]: nam in oratione per typos impreſſa Ripæ Tridenti eodem anno quo fuerat recitata, & vbi reliqua verba mordacia continentur, quæ in impreſſa poſteà Louanij non habentur, hæc particula non adeſt: & mirum videretur, ſi dicta ea fuiſſet, Hiſpanos, quippe continuationis ſtudioſiſſimos, eam abſque conſonante reſponſione præterituros fuiſſe. Quare voces illæ ſcripto fortaſſe fuerant à Fabro appoſitæ, ſed non ore prolatæ, ne rumor intempeſtiuus cieretur. Archiepiſcopus Iadrenſis ſcripſit, in exemplo, poſt recitationem tradito, nouum aliquem aculeum fuiſſe adiectum: ſed forſitan illi memoriâ fallente ita viſum eſt. Veriſimilior, tum ex ingenio rei, tum ex notitia narratoris, eſt Paleotti narratio; nimirum, à Gallis ad abſtergendam ab animis diffuſam amaritiem, fuiſſe Patrum oculis exhibitam orationem alteram longè modeſtiorem eâ, quâ eorum aures læſerant, affirmantibus illam eamdem eſſe; quapropter pacis ac manſuetudinis gratiâ decretum eſt in conuentu die tertio Iunij [i], tametſi non ſine aliqua ſententiarum diſcrepantia,

b In libro Gallico ſæpius citato, impreſſo an. 1613.

i Diarium, 3. Iunij.

pantia, vt res haberetur pro infecta, mitiſque illis redderetur reſponſio die poſtero in Seſſione. 1562.

7 In hac reſponſione, aui, parentis, ac regis ſuperſtitis pietate collaudatà, continebatur; A quouis hominum, qui animi perturbatione vacaret, cognoſci poſſe, quàm iniquè Synodus, quæ tunc extabat, eâ ſiniſtrâ famâ oneraretur, quæ ex Oratorum dicto recentes Synodos premebat. Certum eſſe, Concilia fuiſſe congregata & terminata ab eo qui legitimam obtinet poteſtatem, & ſemper agnita pro legitimis ac liberis, & ſemper conducibilia iis qui Spiritui Sancto non obſiſterent. Sinceram Oratoris admonitionem, quæ à Patribus in eam ſententiam trahebatur, quaſi eos hortaretur ad laicorum Principum voluntati minimè obſecundandum, ne cogerentur minùs manſuetum quàm cuperent & conſueuerint reſponſum reddere, ſibi gratam fuiſſe, quamuis ſuperuacaneam. Intelligerent igitur & qui aderant, & qui adfuturi erant, à Patribus poteſtatem dignitatemque Concilij ſemper antehabitum iri voluntati cuiuſuis Principis, & cuilibet humanæ rationi, cuius rei Oratores ipſi teſtes ac ſpectatores forent in proximo experimento. Polliceri ſe quidquid poſſent, ſaluo Religionis & Eccleſiæ bono, commodis regni de vtraque tam benemeriti, cuiuſmodi erat Gallia, eoque largius id offerri Oratoribus, quòd confiderent, eos nonniſi quæ meritò concedi poſſunt petituros. Hæc fuit reſponſio.

8 Fluctuante inter hos motus Concilio, non minùs fluctuabat Pontifex, adhuc anceps de noua Legatorum miſſione. Nondum acceperat id temporis poſtremam Seripandi purgationem, cùm ſtatuit miniſtrum ſibi fidum eò mittere, cui coràm ac voce liberè ſuum ipſe animum aperiret, & à quo notitia de rebus Tridentinis redderetur certior eâ quam accipiebat per contrarias narrationes ab aliis, vtpote in factiones diſtractis, & animorum affectione occupatis. Elegit ad id Carolum Vicecomitem, Borromæi Cardinalis conſanguineum, aliâ tempeſtate Mediolani ſuæ patriæ Senatorem, eiuſque apud Philippum Regem Oratorem, tunc verò Antiſtitem Vintimillienſem, & poſteà honore purpuræ ab eo donatum.

9 Iniunxit illi [k], vt per ditionem Vrbinatem iter faceret, ageretque ibi cum Duce Guidobaldo, ſocero Frederici Borromæi, ipſius ex ſorore nepotis; ac primò quidem cum eo colloqueretur de quibuſdam negotiis ad rem noſtram minimè ſpectantibus, hoc eſt, vt illi patefaceret ſuppetias, à Pontifice Regi Galliæ deſtinatas in hugonottos, trecenta videlicet ſcutorum millia, quæ partim præſenti pecuniâ erant numeranda, partim militibus impendenda. Significaret

[k] Mandata, & volumen litterarum Vicecomitis extant in ſcripturis Barberinorum.

1562. ret etiam, nauaturum ſe operam apud Hiſpaniæ Regem, quâ ipſum impelleret ad opem ferendam vxoris fratri pupillo: quod ſi fieret, curaturum ſe, vt Guidobaldus ſummam armorum præfecturam gereret, tametſi Philibertus Sabaudus ad eamdem aſpiraret. Dein ea proſequeretur, quæ ad illius miſſionem pertinebant, indicaretque, Mantuanum ac Seripandum voto Pontificis haud reſpondiſſe, non quidem quod ad eorum voluntatem, ſed quod ad ipſum opus ſpectabat, [l] dum importunè permiſerant, vt ea flamma in manſionis quæſtione ſuccenderetur. Conquereretur de Senogallenſi Epiſcopo, in quem criminationes, quas diximus, irreuerentiæ erga Sedem Apoſtolicam venerant Romam, & de Hieronymo Triuigiano Epiſcopo Veronenſi, de Antonio Scarampo Antiſtite Nolano, qui omnes Guidobaldo erant addicti. Nihil in Piſaurenſem dicebatur, quoniam auditum non fuerat, eum in ferenda ſententia fines reuerentiæ prætergreſſum fuiſſe.

l Apparet ex mandatis, & meliùs ex epiſt. Vicecomitis ad Borromæum, 27. Maij 1562.

Tum iubebatur Vicecomes Tridenti cum Altempſio Cardinali communicare Pontificis conſilium de mittendo in Galliam milite, & illius animum explorare, an ipſe copiarum adminiſtrationem titulo Legati ſuſciperet. Significaret Oſio & Simonettæ, ab ipſis plenè ſatisfactum Pontifici, & Simonettæ potiſſimùm fideret. Exponeret liberè Mantuano ac Seripando quæ ipſorum operæ obiectabantur: Mantuano ſupra reliquos Legatos honorem deferret. Controuerſiam de manſione aut obuoluendam ſilentio, aut ad Synodi finem reiiciendam, aut ad tempus diuturnum protrahendam curaret. Obſeruaret, inueſtigaretque, quo pacto animi Legatorum inter ſe affecti eſſent, quid agerent Epiſcopi, & quo loco res ſe haberent, ac de iis omnibus feſtinam exactamque narrationem mitteret. 10

Hîc in tranſitu duo Suauis errata perſtringam: alterum, dicentis, auxilia tunc Galliæ decreta, fuiſſe ducenta ſcutorum millia, cùm, vt vidimus, trecenta millia fuerint: alterum, affirmantis, Pontificem poſt Seſſionem habitam decimo quarto Maij, & poſt moleſtiam illic à Mantuano ſibi illatam, quòd Continuationem declarandam non curauerat, tediiſſe ad conſilium addendi Synodo nouos Legatos: &, ne primas partes auferret Mantuano Cardinali, habuiſſe in animo illum in ordine Cardinalium Epiſcoporum collocare per opportunitatem demortui tunc in Gallia Turnonij Cardinalis: nam ex oppoſito conſtat [m], in Senatu Vaticano, die decimo octauo Maij habito (cùm difficulter poterant Romam perueniſſe nuntij Seſſionis die decimo quarto celebratæ) fuiſſe diſtri- 11

m Acta Senatus.

diſtributos aliis Purpuratis cunctos ſex Epiſcopatus, qui Cardinalibus deſtinantur. 1562.

12 Vrbini nactus eſt Vicecomes Ducem Guidobaldum, de Tridentinis diſcordiis probè conſcium [a], animaduertitque, illum opinari, Mantuanum inducturum animum ad alios collegas excipiendos ex voluntate Pontificis, tametſi primas ipſe amiſſurus eſſet, ſed non abſque intimo animi dolore: quare auctor erat, ne Cicala mitteretur. Et ſanè videtur Mantuanus primarum partium haud ambitioſus fuiſſe, quando legationem [b] accepit vnà cum Puteo qui præceſſiſſet, & vt hic veniret operam dedit. Quocircà putabatur in collegarum acceſſione ægrè paſſurus fuiſſe non ſecundum locum, ſed deſcenſum ad ſecundum locum.

[a] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 19. Maij 1562. Piſauri.

[b] Litteræ Vicecomitis ad Borromæum, 9. Iunij 1562.

13 Guidobaldus, quippe curioſus & intelligens, luſtrare voluit commentariolum Alfonſi Salmeronis, quem ſecum gerebat Vicecomes, pro ea parte, quæ manſionem exiſtimabat eſſe Iuris Eccleſiaſtici, plurimâ mutuatum à Catharini commentario, & quem poſteà Vicecomes ad Borromæum miſit, quò, vbi placeret, per typos ederet, ſicuti effectum eſt. Ceterùm dixit Dux, Fuiſſe iam à ſe adhibita officia cum Veronenſi, obtulitque, cum Senogallenſi eadem ſe impenſurum.

14 Venetiis iter habuit Vicecomes, ibique apud Nuntium egit tum de cauſa Patriarchæ Grimani, in qua Pontifex propendebat ad ipſum Romam vocandum; ſed verebatur, ne Reſpublica, quæ Grimanum impensè amabat, id offenſioni ſibi duceret: tum de rebus à Mantuano geſtis, cui ille Nuntius erat intimus, adeoque per amicam libertatem poterat ipſum monere aliqua de re, quæ fortaſſe non ita in eius animum deſcendiſſet in colloquiis Vicecomitis, in quibus Principis obiurgatio viſa fuiſſet: cùm interdum libenter accipiamus ab inferiori, pro beneficio tamquam notitiæ tributum, id quod moleſtum accideret à Superiore profectum, tamquam onus ab exprobrante.

1562.

CAPVT XII.

Grauis Cæſarianorum repugnantia declarationi Synodi continuandæ, vehementer ab Hiſpanis efflagitatæ. Poſtulatio Gallorum, vt è contrario noua celebratio declararetur. Firma Pontificis mandata ad promiſſam Hiſpanis declarationem habendam; ſed poſteà mitigata. Seſſio quarta ſeu vigeſima, die quarto Iunij celebrata, cum prorogatione vſque ad decimumſextum Iulij; ibique Oratores Heluetij, Galli, ac Procuratores Archiepiſcopi Saliſburgenſis ſolemniter excepti.

VIcecomes Tridentum peruenit primo poſt quartam Seſſionem die, cuius incertus exitus Legatorum animos ſuſpenſos palpitanteſque tenuerat. Inter eos conuenerat de continuatione [a] declaranda, quemadmodum Hiſpanienſi Oratori promiſerant, & Pontifex quoque recèns mandauerat, cùm reſponſio reddita eſt per tabellarium à Cæſarianis miſſum ad Cæſarem; qui [b] non modò non aſſentiebatur, & libellum rationibus refertiſſimum mittebat ad illam obturbandam; ſed, quantum Legatis per Nuntium innotuit, iubebat Oratores, vbi ea declararetur, extemplo diſcedere, quod Synodi ſolutionem parere potuiſſet: præterquam quod Madruccius in dubium Legatis reuocabat, tutáne, abeuntibus Cæſaris Oratoribus, ea ſedes foret: quamquam reuerà Cæſaris mandata ad Oratores miſſa, ipſis non imponebant vt in eo caſu diſcederent, ſed vt abſtinerent ſe à cœtibus, cunctiſque publicis functionibus, idemque ab Epiſcopis regionum Ferdinando ſubiectarum efficiendum curarent. Videbatur præterea per eam declarationem Gallorum quoque iactura ſubeunda, qui à Legatis edocti de iis quæ recenter ſuperuenerant ex parte Cæſarianorum, ingentem lætitiam præ ſe tulerant, quippe qui ſtudebant in primis memoratam declarationem impedire. Quocircà cùm vſque ad præſcriptum Seſſioni diem non ampliùs quàm octo dies ſupereſſent, Legati tabellarium per ſummam feſtinationem ad Pontificem miſerant cum huiuſmodi nuntiis, ſimul ipſi proponentes, opportunam ſibi videri nouam Decretorum prorogationem vſque ad alteram Seſſionem, poſt medium Iulium habendam. Etenim litteræ ad Aualum ſcriptæ à Comite Lunenſi, deſtinato, vt indicatum eſt, ad eam legationem, ſpem faciebant, Regem interim ipſos in gratiam 1

[a] Litteræ Legatorum ad Borromæum, 26. Maij 1562.

[b] Litteræ Cæſaris ad Oratores, 22. Maij, Tridenti redditæ 26. Maij 1562.

gratiam Cæſaris datâ fide ſoluturum; tametſi, pro eo ac poſtulat miniſtri cautio, ne vmquam ſuo Principi ſucceſſum incertum ſpondeat, illi etiam prorogationi ſcribebant dura obſtacula à ſe præuideri, iniicienda ab Hiſpanis & ab Italis, auidiſſimis vt articulus de manſione decideretur, de quo ob diuturnum tempus elapſum non licebat ampliùs excuſationem afferre, quaſi reſponſum Pontificis expectaretur. 1562.

2 Nec Oratoribus Gallicis ſatis fuit paratam declarationem perturbare; ſed iidem omnem lapidem mouerunt, quò declararetur, nouum eſſe Concilium, & non veteris continuationem. Verumtamen ſe tandem flexerunt, eo contenti, quò ſimul Cæſarianis ſatisfieret, hoc eſt, vt nihil declararetur. Quare Præſides id non opportunum modò, ſed neceſſarium rati, ad obtinendum Piſcarij conſenſum perſcribi ad eumdem curarunt ab eius adminiſtro Brugora, ob oculos ipſi poſitâ, ſi res aliter fieret, imminente diſſolutione Concilij. In quo negotio perfectam poſteà veluti ſerenitatem adepti fuerant, cùm Piſcarij reſponſa moram indulgentia veniſſent. Ad quod faciliùs obtinendum, polliciti fuerant Legati, in altera Seſſione inde inchoatum iri dogmatum ſanctionem, vbi ea deſierat in Iulij Synodo, adeoque operis continuatio videretur. Verùm hæc ipſa ſerenitas in tenebricoſum turbinem Legatis verſa eſt. Rediit tabellarius [c] ad Pontificem miſſus, cum diſertis mandatis [d], vt Continuatio declararetur. Velle ſe ſatisfacere ſine vlla ampliùs mora tum plurimis promiſſis, quæ ipſe dederat Hiſpaniæ Regi, quæque regius Orator Vargas in poſtremo ad ſe acceſſu vehementiùs ardentiuſque quàm vmquam repetierat, tum dignitati ſuperioris Concilij; quòd ſemper habuerat in animo, continuandum eſſe cum eo à ſe conuocato, idque ſe profeſſum ſæpiſſimè fuiſſe palàm in Senatibus, cœtibuſque Cardinalium, & coram Principum Oratoribus, ac præcipuè Cæſaris, cui etiam communicarat promiſſiones ſcripto traditas Philippo Regi: nullum Diuinæ gloriæ commodum in illius declarationis dilatione reperiri; quò ampliùs ea protraheretur, eo in maiores difficultates impingi. Quando hæretici reſtitui non poterant, Catholicos quidem certè conſeruandos eſſe. Nihil huic negotio aduerſari ſecuritatis fidem Proteſtantibus datam, cùm adhuc illi excipi audirique poſſent Synodo continuatâ, vbi reliqua dogmata agitarentur. Confidere ſe, nequaquam tam graui moleſtiæ id Cæſari futurum, poſtquam effectum eſſet, quàm in præſentia ille oſtendebat, ratus per idipſum à ſe obſtaculum inici.

c Acta Paleotti, narratio Muſotti, & litteræ Legatorum ad Borromæum, & in ſcriptura 4. Iunij, & in litteris Archiepiſcopi Iadrenſis, 11. Iunij 1562.

d Litteræ Pontificis ad Legatos, 30. Maij.

1562. Ad hanc inopinatam denuntiationem attoniti mutique hæſere 3
Legati, ſolum oculis colloquentes, quos in ſui quiſque collegæ vultu figebat. In comperto ipſis erat, per illius iuſſionis effectum non modò diſſolutum iri Concilium, ſed totius inuidiæ onus caſurum in Pontificem, quippe in integram & vnicam cauſam, quando Hiſpanici Regis miniſtri iam conquieuerant; quamobrem in eum redundaturum graue odium aliorum Principum, ac præcipuè Cæſaris & Regis Gallici, ingentemque vituperationem vniuerſalem apud Chriſtianos populos, præter irreparabile detrimentum Eccleſiæ. Generoſum itaque conſilium ſuſcepere, reuocandi potius in diſcrimen Pontificis erga ſe gratiam, quàm ſalutem Chriſtianæ Reipublicæ, ipſiuſque Pontificis dignitatem, adeoque Pontifici deſeruiendi haud illi parendo. Atque vt initum ab illis conſilium excuſaret, ſtatuit Romam contendere Altempſius Cardinalis, aptior quàm reliqui tum ad ferenda itineris incommoda ob iuuentam, tum ad conſequendam fidem & gratiam apud Pontificem ob ſanguinis coniunctionem, tum etiam ad diſſimulandam publicè acceſſus cauſam ob pendens adhuc negotium ſuæ legationis in Galliam ad ferendas illò ſuppetias. Sed quemadmodum tempus non minùs mentis conſilia quàm terræ fructus ad maturitatem deducit, pridie quàm Seſſio celebraretur, & Altempſius abiturus eſſet, alter tabellarius ſuperuenit cum recentioribus gratioribuſque Pij litteris[e] ad Legatos.

[e] Poſtremo Maij 1562.

In his dicebatur: Vbi ſatiùs putaſſent, in ea Seſſione diſertam 4
Continuationis vocem non vſurpare, liberum ipſis eſſet eam prætererire; ſed oportuiſſe priùs ſuam antegreſſam iuſſionem obtegi ſilentio, & non per eius vulgationem excitari obices & tricas, quæ cernebantur. Vt tamen reipſa Continuationem omnino exercerent, progredientes valido greſſu ad ea tum definienda tum præſcribenda, quæ conficienda ſupererant Iulio ſedente, repoſito illius vocis vſu ad opportunitatem quæ Legatis ac ſibi viſa fuiſſet. Cum hac Pontificis epiſtola ſimul altera Borromæi delata eſt, quâ ſubitam illam Pij mutationem quodammodò excuſabat; à Legatorum tabellario ſtimulatum fuiſſe Pontificem ad tam præſentaneam reſponſionem, quò ante Seſſionem imminentem Tridentum perueniret: & cùm vellet abſque mora hominem remittere, adeoque abſque ſpatio ad rem perpendendam, exiſtimaſſe ex improuiſo, Continuationem eſſe omnino declarandam, ob rationes ſuperioribus litteris à ſe allatas: ſperauiſſe etiam, grauem illam ægrimoniam, quæ tunc à Cæſare oſtendebatur, ad ſpeciem præferri, cùm id ipſi condu-

conduceret Proteſtantium gratiâ; ſed eumdem rei peractæ acquieturum, perinde ac diplomati conuocationis, cui numquam anteà voluit aſſentiri, ſed promulgatum comprobauit. Verumtamen Pontificem, re per eam noctem iterum expenſâ, reique conditionibus diſpectis, mutaſſe conſilium, ne anſam malignis præberet ipſum calumniandi, quidquid tandem accidiſſet, quaſi perturbationem aliquam aut ſchiſma in ea Synodo excitauiſſet. 1562.

5 Remiſſus tabellarius ſolatij angelus Legatis viſus eſt, eam promeritis laudem immortalem, quòd animo non ſeruili Principi deſeruierant, palamque fecerant, ſummum cui aſpirabant præmium, eſſe Reipublicæ bonum. Cùm igitur conuentus haberetur tertio Iunij, cui proximè ſuccedebat conuentus indictæ Seſſionis, primùm lecta & comprobata fuit reſponſio, de quâ diximus, Gallorum orationi reddenda, deinde excepti ſunt Martinus Hercules Rettinghet Epiſcopus Lauentinus, & Tobias Dominicanus, tamquam Procuratores Archiepiſcopi Saliſburgenſis; mox Seripandus, qui ob Gonzagæ morbum primas eo die partes agebat, Decretum huiuſmodi ſententiæ proponi iuſſit.

6 A Synodo ob varias difficultates, & quò res conuenientiùs conſultiuſque procederent, ſimulque decreta dogmatum cum ſanctionibus diſciplinæ coniungerentur, prorogari Seſſionem, quâ ſuper vtroque argumento ſtatueretur ad diem decimum ſextum Iulij, retentâ ſibi poteſtate contrahendi protrahendive termini etiam in generali cœtu. Hoc Decretum ab aliis comprobatum, primum offendit obicem in Leonardo Marino Archiepiſcopo Lancianenſi, cui poſtrema pars non placuit, obucienti, nequaquam permitti, vt contrahatur terminus iam denuntiatus ſolemnis iudicij, cùm poſſit in detrimentum tertij id cedere; ſed permitti vt protrahatur, quippe quod nulli noxium eſt: poſſe tamen id ſuapte naturâ æquè fieri in Seſſione aut in conuentu; quin *Seſſionis* nomen eſſe nouum, cùm antiquitus *Actiones* dicerentur: quapropter cenſere ſe, eas voces eſſe delendas. Verùm ipſas alij voluere, diſſentientes ab illius ſententia in quæſtione legali, ob rationes quas alibi adduximus, & arbitrati ſi non neceſſarium, certè cautum eſſe, retinere ſibi poteſtatem ad omnem quæ inſurgeret dubitationem abſtergendam.

7 Plures contenderunt, ne omitteretur articulus de manſione; cui tam fortiter adhærebant Hiſpani, vt die vigeſimo quarto Maij, per opportunitatem vnà conueniendi ad ſolemnes veſpertinas preces ſanctiſſimæ Triados, cui dies ille ſacer erat, ſtatim poſteà [f] cœtum

[f] In monumentis Epiſcopi Salmanticenſis.

1562. tum habuerint ſuper ea re. Ab huiuſmodi priuatis congreſſibus, quaſi aut ſeditioſis, aut exempli mali, abhorrebat Salmanticenſis Epiſcopus, vir ex ingenij manſuetudine pronus ad pacem, & qui ex natalium præſtantia minimè dignabatur ſui propenſionem animi ſubmittere ſuorum ciuium ſenſibus, adeoque nec cum reliquis Hiſpanis conuenire conſueuerat: ſed hac ipſa de cauſa Præſides, paratum illud conſilium ſubodorati, Præſulem rogarunt vt intereſſet, acrimoniam mitigaturus; quod ipſe re præſtitit. Nam cùm reliqui amplificatis emolumentis, quæ collatura eſſet Eccleſiæ manſionis declaratio, Diuinâ lege præſcriptæ, cenſerent, in cœtu generali conteſtationem ſuper ea communi nomine ab ipſis habendam; ille moderatâ quidem, ſed efficaci ratione eos dehortatus eſt: Incommoda longè grauiora proſpici in hoc tam turbulento remedio, quàm commoda in eo ipſo, ad quod adhiberetur. Nullâ re vehementiùs abiici conuentuum auctoritatem, quàm apertâ diſcordiâ non ſolùm capitum, ſed partium. Quàm validum telum hæreticorum manibus traditum iri, quos ſuarum diſſenſionum haud ampliùs puderet; quin inſultaturos, vociferantes, adeſſe ibi non poſſe Spiritum Sanctum, qui Spiritus coniunctionis eſt, vbi erat diuiſio. Pleroſque Patrum voluiſſe ne res definiretur, niſi quæſitâ & auditâ Pontificis ſententiâ: quo pacto igitur nunc licere conteſtari, vt ſtatim ad deciſionem deueniretur, cùm de ſententia Pontificis nondum apertè conſtabat? Potiùs ad ipſum eſſe ſcribendum, eumdemque rogandum, vt celeriter reſponſum redderet, enumeratis commodis, quæ per huiuſmodi Decretum Eccleſia conſequeretur. Cur tam grauiter eum Pontificem ab ipſis lædi, qui & in conuocando & in retinendo Concilio, & in Aula ſua, prout inceperat, reformanda tam rara ſtudij erga religionem exempla prodiderat? quò acrius eâ tempeſtate auctoritas Apoſtolicæ Sedis ab hæreticis quatiebatur, eò ſtudioſius à probis Catholicis ſuſtinendam. Hæc eſſe documenta ipſis tradita à Philippo religioſiſſimo Rege, eos cohortante, vt eo pacto ſe gererent, quo reliquæ nationes in Hiſpanis Præſulibus agnoſcerent peculiarem quamdam, & quæ filios deceat, obedientiam erga Romanum Pontificem, & Regis ſimul, & Hiſpaniæ vniuerſæ.

Siue memoratis Mendozæ ſuaſionibus, ſiue aliis rationibus Hiſpani permoti, à concepta denuntiatione abſtinuerunt; haud ita tamen, quin poſtremo conuentu viginti quinque Patres ex ipſis aliiſque exoptatam definitionem poſtulauerint. Præter hos ferè decem petiere, vt Continuatio declararetur; reliqua ſuffragia propoſito 8

poſito

1562.

poſito Decreto conſenſere. Sed [g] quoniam aliqui diſcordantium in ferenda ſententia conquerebantur, cauſam huiuſce cunctationis ſibi patefactam anteà non fuiſſe, Seripandus poſtremò dixit: Optabile quidem eſſe, ne quis ferret iudicium niſi de eo quod ipſe experimento cognouerit; ſe Deum orare, vt ſua ſuorumque collegarum vota tam euaderent fortunata, quàm erant recta: quînam poſſe cum eo cœtu communicari plura negotia grauiſſima, ſolùm adumbrata, quorum proſperi ſucceſſus ab arcano magna ex parte pendebant, quando non anteà res ibi referebantur, quàm per officinas plateaſque perſtrepuiſſent? Haud latere Patribus eorum querelas ac monita, qui Principum perſonas agebant, aduerſus pernicioſiſſimam illam linguarum intemperantiam. Si cui libuiſſet eas cauſas pernoſcere, is priuatim ac ſolus adiret Legatos, à quibus ipſi fieret ſatis: ſed vniuerſè ita cautè ſe gererent, vt pauca ex ipſorum ore prodirent, ſi vellent, vt plurima in ipſorum aures intrarent.

[g] In epiſtola Archiepiſcopi Iadrenſis, 4 Iun 1562.

9 Die poſtero [h] Iunij quarto Seſſio celebrata eſt. Rem Diuinam ſolemniter fecit Epiſcopus Salmanticenſis: latinè dixit, multa cum laude, ob præſtantiam tum dictionis tum actionis, quæ illius corporis quaſi anima eſt, Hieronymus Ragazzonus Venetus, Epiſcopus Nazianzi, ac poſteà Famaguſtæ. Admiſſa fuere mandata Oratorum Heluetiorum, Gallorum, & Procuratorum Archiepiſcopi Saliſburgenſis; & loco Maſſarelli ægrotantis, eius munere functus eſt Bartholomæus Serigus, Græcus, Epiſcopus Caſtellanetenſis, qui poſteà collegit ſuffragia ſuper Decreto quod Epiſcopus celebrans propoſuerat. Reſponſum eſt ab omnibus, *Placet*, abſolutè, præter triginta ſex, partim Hiſpanos, partim Italos, excepto Pariſienſi, quorum alij ſchedulas tradidere, alij voce ſuam ſententiam explicarunt, eorum pleriſque eadem confirmantibus, quæ dixerant in cœtu poſtremo; illa verò redigebantur vel ad conſenſum ſub conditione, hoc eſt, vt ſtatim poſteà de manſione ageretur, vel ad poſtulandam diſertam huiuſce rei promiſſionem in Decreto, vel ad Continuationis declarationem exigendam.

[h] Præter Acta extat in litteris iam dictis Archiepiſcopi Iadrenſis.

10 Scribit Muſottus, qui Seripando à ſecretis erat [i], Caſtellanetenſem in rogandis ſingulis ſententiam ſolitum eſſe dicere: *Alij plerumque Continuationem volunt, tu verò Domine quid vis?* hoc autem fuiſſe aliquos interpretatos tamquam Simonettæ conſilium, qui ſtuderet per eam ſuggerendi artem, ab illo imperatam, pleroſque in eam ſententiam trahere, & per huiuſmodi Decretum alicui

[i] In narratione citata.

1562. alicui mandato, ſibi clàm à Pontifice tradito, ſatisfacere. Sed neque id habetur in vlla ex reliquis omnibus exactis liberiſque narrationibus eorum, quæ tunc acciderunt, neque interpretatio vllam veri ſpeciem accipit à rerum hominumque conditionibus. Ac primò quidem credibile non eſt, Setigum coram duobus ſcribis, ipſum proximè comitantibus in ſuffragiis colligendis, auſum eſſe cunctis Epiſcopis, quos ſententiam rogabat, rem falſam obtrudere, & quæ ipſis etiam ſcribis pro falſa liquidò agnoſcebatur; vnde ſatis animaduertebat, poſſe ſibi non parum odij atque infamiæ gigni. Præterea, vir animo tam ſincero, & honoris ſtudioſo, cuiuſmodi erat Simonetta, quo pacto eò deueniſſet, vt eiuſmodi opus iniungeret, per quod ſe periculo dedecoris exponeret, non modò apud homines, qui tunc erant, ſed qui futuri eſſent in poſterum, quaſi fraudulentum corruptorem Synodi, quæ vnica Chriſtianæ Reipublicæ ſpes tunc ſupererat? Perge porrò. Aut Simonetta in Pontificis mandatis habebat, vt huiuſmodi declarationem conquireret, & ſumma fuiſſet impudentia in Pontifice, hoc ipſum reuocare ſimul reliquis Legatis, numero, gradu & exiſtimatione Simonettam ſuperantibus, qui concordes in ſententia contraria cernebantur; adeoque eorum officiis vnà cum opera Cæſarianorum Gallorumque coniunctis, & amoto iam obſtaculo Hiſpani Oratoris, nulla poterat à cordato Principe ſpes euentus concipi. Aut nulla ſuper eo iuſſa acceperat Simonetta, & vecors in illo fuiſſet temeritas, ſi quid egiſſet aduerſus id quod collegæ ſtatuerant, quorum communi iudicio Pontifex per poſtremum tabellarium rem commiſerat. Huc accedit, quòd cùm animaduertiſſet anteà Simonetta, perpaucos eam ſententiam in Conuentu complexos fuiſſe, ſibique experientiâ compertum eſſet, diem Conuentus eſſe diem criticum Seſſionis, nec ad eam vſque horam vmquam fallacem; quînam ſperare poterat, maximum ſuffragiorum numerum repente mutatum iri? Denique ſi hoc planè accidiſſet patefactâ fraude, pro eo ac neceſſe erat, vt quando ea tam multis innoteſcebat, euulgaretur, potuiſſet per optimam rationem obiici, Patrum ſententias fuiſſe ſeductas, vbi communis collegarum auctoritas, ipſorum ſingulis falsò propoſita, eoſdem ad eam ſequendam induxiſſet, adeoque Decretum irritum futurum fuiſſet. Quod Simonettæ, vtpote Iuris optimè perito, non poterat in mentem non venire: quare & ſibi & executori ſola vituperatio ex ea fraude, non victoria expe-

expectanda eſſet. Arbitror idcircò, quemadmodum omnis vmbra ab aliquo corpore proiicitur, ita verbum aliquod à Serigo in ſuffragiis colligendis, caſu prolatum alicui ex Epiſcopis ſibi familiaribus de dicta à vicinis ſententia fuiſſe, poſtmodum amplificatum Scripando, & per eam formam explicatum quâ Miſottus expoſuit; cùm famelicus nemo ſit, cui familiares tanto ſtudio cibos afferunt, quanto ſuſpicioni; neque vllus Chamæleon, qui quauis aurâ pluſquam ſuſpicio veſcatur, & augeatur. 1562.

11 Studet hîc obliquè Suauis pice ſuâ Pontificem inſpergere, ſed per apertiorem falſitatem. Etenim poſtquam lapſus eſt in iis qui repugnauerant numerandis, dicit, *Eorum de Continuatione poſtulatum homines fuiſſe interpretatos tamquam prolatum ad aliquem excitandum tumultum, qui diſſoluendæ Synodi cauſa foret; illi ſiquidem Romanis rebus maximè addicti erant, adeóq; ipſos pœnituerat, à ſe imprudenter nimis liberè depromptam fuiſſe opinionem ſuam de manſione, Aulæ tam odioſa.* Mera fabula. Pauci illi Præſules, qui petierunt nullâ interiectâ morâ Continuationem, fuere aut Hiſpani, aut alij, nihil ab Aula Romana pendentes; quæ vbi ſuam operam impendiſſet ad conſequendam illius partis victoriam, & tamen in tanta fautorum inopia deſtituta fuiſſet (nam exceptis Hiſpanis vix tres quatuórve eam ſecuti ſunt) certè viſa fuiſſet valdè decepta ab ea quadraginta fermè Epiſcoporum cohorte, quibus triginta aut quadraginta ſcutorum ſubſidium ſingulis menſibus Româ ſuppeditabatur, quò præſtò illi eſſent quæcumque imperanti, ſi credimus iis, quæ ſuprà Suauis depinxit. Enimuerò vti ſæpè contingit in duobus mendaciis, alterum ab altero reuinci, ita narratio Suauiana conſecutionem traheret è regione oppoſitam vniuerſali hiſtoriæ ſuæ propoſito, hoc eſt, Synodum non ſolùm ſuæ plenè libertati fuiſſe relictam, ſed ne eiuſmodi quidem fuiſſe Romæ poteſtatem, vt etiamſi voluiſſet, illam potuiſſet huiuſmodi libertate ſpoliare.

12 Perfectâ ſuffragatione, Scripandus elatâ voce dixit, Deo[k] grates plurimas perſoluendas, ob comprobatum Decretum; quod quàm conſentaneum eſſet temporum conditioni, ſatis explicari non poterat: triginta tres diſſenſiſſe, ſed rationibus ac poſtulatis inter ſe variantibus, ac repugnantibus. Sperare ſe, hos pariter, qui modica Conuentus pars erant, in reliquorum ſententiam venturos, conſilio in melius commutato, Deo fauente,

[k] Verba Scripandi extant in Diario.

1562. te, qui ex ſacrarum Litterarum oraculo facit *concordiam in ſublimibus.*

Tam grande bonum interdum exiſtimatur, poſt grauia diſpendia, plurimoſque labores ad ingentia molimina, ſe diu continere in nihilo; quod nihilum reuera plus eſt quàm ipſum multum, quippe eos impetus vincens, quos prudens cautio ſuſtinet tum ab intima cupiditate grandia moliendi, tum à cauillis populi, qui grandium importunus exactor eſt.

FINIS SECVNDÆ PARTIS.

SYL-

S Y L L A B V S

Errorum Hiſtoriæ Suauis, de veritate facti; qui errores certiſſimis teſtimoniis euidenter hoc Opere conuincuntur.

1. Congreſſus generales, vti habiti fuere ad Decretum reformationis ſanciendum, aliò ſpectaſſe, contrà quàm Acta produnt. *Lib.9. cap.1.*

2. Primum de reformatione congreſſum fuiſſe accitum die proxima Seſſioni: accitus fuit biduo pòſt. *Ibid.*

3. Motam dubitationem fuiſſe, num Patres pergerent decernere de Eccleſiæ auctoritate, an de capitibus Sacramenta complectentibus. Hoc multò antè ſtatutum fuit. *Ibid.*

4. Dominicanos plurimum exarſiſſe aduerſus Franciſcanos ſuper Sacramentis; ac Legatos Romam perſcripſiſſe, ad cohibendam Cœnobitarum ſeu Fratrum licentiam. Contrà in Concilio hoc veluti certum ſeruabatur, nequid decerneretur aduerſus vllam ſententiam, cui aliqua Catholicorum nobilis Schola faueret. *Lib.9.c.4.*

5. Eſſe S. Bonauenturæ & Scoti illam ſententiam, Durandi & Maioris, quæ docet, neminem poſſe delegare facultatem adminiſtrandi Sacramenta illis, quibus per ſe facultas huiuſmodi non competat. *Lib.9 c.7.*

6. Fuiſſe parata quinque Decreta de conuenienti adminiſtratione nonnullorum Sacramentorum, de quibus multæ diſputationes habitæ. De hoc nullum verbum extat in Actis, aliiſque Concilij monumentis. *Lib.9.c.9.*

7. A Pontifice miſſum fuiſſe ad Legatos Diploma, quo reformationis curas ad ſe auocabat; atque hos, cùm animaduertiſſent pleroſque repugnare, haud cenſuiſſe illud publicandum. Diplomata id temporis à Pontifice ad Legatos miſſa nihil minus quàm iſtam auocationem continebant. *Lib. 9. cap.10.*

8. Martiranum cùm Latinè Oratio ipſi habenda eſſet in Seſſione ſeptima, ſimulaſſe raucitatem, quòd erubeſceret publicè dicere, paulò antè in Congregationibus à Legatis caſtigatus. Reuerà Martiranus voce laborabat; & falſum eſt, eum fuiſſe à Legatis caſtigatum, vti coniici poteſt ex Actis, ephemeridibus, omnibuſque aliis tabulis. *Lib.9.c.12.*

9. Pontificem clàm mandaſſe Legatis, vt Concilium Bononiam transferrent; eoſque id executos prætentâ Tridentinâ lue. Id apertè reuincitur vt fictitium opinamentum, proditurque rei veritas. *Lib.9.c.13.*

10. Plures Epiſcopos peſtis metu petiiſſe à Præſidibus atque impetraſſe abeundi veniam. Hi ad Pontificem ſcribunt, nonnullos Epiſcopos abiiſſe facultate non petitâ, & aliquos non impetratâ. *Ibid.*

11. Facultatem à Pontifice Legatis conceſſam transferendi Concilium, fuiſſe lectam in prima Congregatione 9. Mart. ac poſteà inter Patres contentionem ſecutam. Hæc facultas nonniſi 11. Martij in Seſſione aperta fuit poſt ſententias expoſitas, & ſuffragia collecta. *Lib.9.c.16.*

12. Inter eos qui diſceſſuê repugnarunt fuiſſe Marcum Vigerium Senogallienſem Epiſcopum, & Claudium Guiſcam Epiſcopum Mirapicenſem. Acta id falſum reuincunt; inſuper

Guiſca Addenſis Epiſcopus, non Mirapicenſis erat. *Ibid.*

13. Inter eos qui tranſlationi aſſenſere,nullum numeratum Cæſari ſubditum, niſi Archiepiſcopum Mateianum. Inter eos fuere quatuor Mediolanenſes, duo Neapolitani, aliique complures,qui Diœceſibus Cæſari ſubjectis præerant. *Ibid.*

14. Diploma tranſlationis, quamuis videretur ſignatum die 22. Februarij anni 1545. tamen à compluribus recentius exiſtimatum eſſe,per eam occaſionem miſſum; ſiquidem ibi affirmabatur,duos Legatos poſſe hac actione fungi, tertio vel præpedito vel abſente; atque id quidem tum ob Poli abſentiam contigiſſe: ſed Polanus ex ſuis notis colligit, Diploma biennio antè fuiſſe confectum, & miſſum ad Legatos decem & octo menſibus antequam eueniret, nempe menſe Auguſto 1545. E contrario, legationis Diploma cum hac cautione ſignatum fuit eâdem die,quâ legatis Crucis inſigne traditum. Et paucos poſt dies ad eoſdem miſſum eſt aliud Diploma, quo omnes facultates vni ſoli Legato committebantur, cùm hic ſolus, nec præpeditus, adeſſet. Diploma verò, quod ipſis Auguſto miſſum eſt, anno 1546. datum fuit, non anno 1545. quemadmodum Polanus ſupputato oſtendit. Eò autem afferebatur transferendi Concilij cauſa, nempe periculum diſſolutionis ob belli metum, quamquam ad alia, quæcumque futura eſſet cauſa, extenderetur. *Ibid.*

15. Franciſcum I. Galliæ Regem 21. Martij obiiſſe,tranſlationis Concilij ignarum. Is obiit 31. eiuſdem menſis, conſciuſque factus fuit tranſlationis. *Lib.9.c.18.*

16. Pontificem ſollicitum de Cæſaris potentia ob victoriam de Proteſtantibus ab eo relatam,legaſſe Caputferreum in Galliam, quo ſe muniret aduerſus Cæſaris arma. Legatus Româ diſceſſit 6. Aprilis, & prælium 24. eiuſdem menſis confectum fuit. *Lib.10.c.1.*

17. Ob modicum numerum Theologorum Bononiæ commorantium, res fuiſſe difficulter tractatas. Conſtat, vni congregationi Theologos ex omni natione interfuiſſe planè ſexaginta, & alteri ſeptuaginta, atque inter hos fuere nonnulli apprimè inſignes. *Lib. 10. cap.2.*

18. Tractationem de moribus reformandis, vt Pontifici odioſam, fuiſſe prætermiſſam, Concilio in Pontificiam ditionem deportato. Continuata eſt ibi reformatio morum, & eorum omnium quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem, & ad alia reſidentiæ impedimenta tollenda ſpectabant. *Ibid.*

19. Quod Cardinalis Sfondratus apud Cæſarem egerat de Anglia inuadenda, non eò inſtitutum, vt regnum Fidei Catholicæ adiiceretur, ſed vt difficili negotio Imperator implicaretur. Aliter res habuit: cùm Cæſar de ea cauſa repulſam omnino dediſſet, Legatus illam omnino ſilentio inuoluit, ne fruſtrà de ea ſecundò laboraretur. *Lib.10.c.3.*

20. Seſſionem vndecimam fuiſſe prorogatam, & quidem more priuato, ad ſignificandam contractam ex Petri Aloyſij Farneſij morte mœſtitiam, intermiſſis hac de cauſa omnibus Concilij functionibus, vnde per ſingulas hebdomadas Pontifici moleſtia binis litteris afferenda fuiſſet. Sed reuerà multò ante Farneſij necem Legati decreuerant Seſſionem prorogare tum ex propria ſententia, tum ex Pontificis mandato, Mendozâ poſcente; & Concilij actiones continuatæ fuere, ſine vlla intermiſſione, Pontifice, vti ſolebat, conſcio. *Lib.10.c.4.*

21. In

21. In documentis, quæ Cæſar Romam ad Madruccium miſerat, haberi, dandam operam vt decerneretur, num ſi Pontifex Concilio aperto occumberet, ſucceſſor ei ab eodem Concilio, an vel à Cardinalium Senatu ſufficiendus eſſet. Hæc in ijs documentis continentur non quaſi dubitata, ſed aſſerta, & ex promiſſione Cæſarea Cardinalibus liberè relicta. *Lib.* 10. *c.* 6.

22. Cæſarem voluiſſe inde obliquè Pontificem monere de ætatis grauitate, proximoque funere, adeoque ne tanti Principis iram conſanguineis infenſam relinqueret. Contrà eo documentorum capite habetur, hanc difficultatem ſæpius Cæſareis propoſitam à Pontificiis, conſideratâ ibi ex æquo poſſibilitate præcedentis obitus ipſius Caroli Quinti. *Ibid.*

23. A Madruccio expoſita in Senatu mandata 9. Decemb. Expoſita fuere multò ante diem 9. Decemb. nec in Senatu, ſed in priuato cubiculo. *Lib.* 10. *c.* 8.

24. Pontificem cœpiſſe tempus deliberandi; ac poſteà Madruccium, cùm ſæpiùs eum adiens nihil opportunum referre poſſet, diſceſſiſſe, mandatis Mendozæ commiſſis. Verùm conſultatio de ea re dilata fuit à Senatu, habito 9. Decemb. vſque ad alterum Senatum, habitum 14. die, in gratiam Madruccij; poſt quem Senatum & priorem Mendozæ conteſtationem Româ diſceſſit. *Ibid.*

25. Mendozam fuiſſe conteſtatum in publico Senatu, in quo Guiſius pileo Purpureo fuit ornatus. Guiſius pileum acceperat in Senatu publicè habito 24. Octobris, & Mendoza obnuntiationem ſuam expoſuit in conuentu Cardinalium ſecreto, 14. Decemb. *Ibid.*

26. Hic fuiſſe Mendozæ reſponſum, Pontificem velle rem communicare cum Concilio Bononienſi, eiuſque rationes audire. Reſponſum eſt, Pontificem de re conſilium capturum; ſed poſteà, Mendozâ egreſſo, rogatiſque Cardinalium ſententiis, decretum eſt, Bononienſium Patrum ſententiam eſſe audiendam. *Ibid.*

27. Pontificem propoſuiſſe non reſpondere minacibus litteris Eccleſiaſticorum virorum, qui ad Auguſtana Comitia conuenerant; ſed ex libero agendi modo, quo Mendoza vtebatur, veritum, ne inimicitiam Cæſaris contraheret, noluiſſe à ſe viros illos abalienare: cùm tamen reſponſi mora ex eo orta fuerit, quòd Cardinalis Tridentinus nondum Romam venerat, qui Cæſaris iuſſu eam ob rem illuc iturus erat. Quare Pontifex per Legatum Sfondratum ſeſe excuſauit apud eoſdem Eccleſiaſticos, qui & excuſationem approbarunt. *Lib.* 10. *c.* 10.

28. Ceruinum cum Cardinali Montano interfuiſſe generali Congregationi Bononiæ 16. Ianuarij. Ille ante duos menſes diſceſſerat, nec reuerſus eſt ad Concilium, niſi 22. Ianuarij. *Lib.* 10. *cap.* 11.

29. Cæſarem, cognito reſponſo quod Mendozæ Romæ redditum fuerat, miſiſſe Bononiam duos Fiſci Procuratores, qui conteſtarentur. Hi Procuratores multò antè aduenerant, nempe 5. Nouembris, & reſponſum Mendozæ redditum fuit 27. Decembris. Inſuper tabulæ eorum procuratoriæ leguntur ſignatæ à Cæſare Auguſtæ 22. Auguſti, adeoque quatuor menſibus ante reſponſum. *Ibid.*

30. Pontificem, cùm præuideret promulgationem Edicti, quod *Interim* nominant, futuram ſolùm Cæſari, non Sedi Apoſtolicæ pernicioſam, leuiter illud oppugnaſſe. Et tamen Pontifex Nuntium miſit, vt huiuſmodi Edictum retardaret, pollicitus, quamprimùm ſe miſſurum Præſules cum opportunis

portunis

portunis facultatibus, à Cæſare poſtulatis; atque interim cognoſcendam dedit Edicti formam, vt aliqua eius tolerabilis emendatio proponi poſſet. *Lib.* 10.*c.* 18.

31. Pontificem Cæſari per Legatum ſignificaſſe, à ſe libellum illum non improbari; ſed pro certo haberi, illud Edictum à Cæſare more ſolùm permittentis euulgatum, quo Lutheranos cohiberet, ne in grauiora præcipites agerentur. E contrario Pontifex acerbiſſimè de eo conqueſtus fuit, & coràm apud Mendozam Romæ, & litteris apud ſuum in Hiſpania Nuntium. Neque ars eius fuit, vti Polanus fingit, eum libellum ad permiſſionis, non comprobationis normam reuocare, cùm Cæſar à principio ſic reſpondiſſet Catholicis Principibus, eidem libello reclamantibus. *Ibid.*

32. Legatum diſceſſiſſe ante eius promulgationem, ne factum illud ſuâ præſentiâ confirmaret. Porrò Legatus 26. Maij, videlicet vndecim diebus poſt eius vulgationem, nondum digreſſus, perſcripſit ad Cardinalem Farneſium prolixas litteras, plurima de eodem Edicto expendens: & Farneſius 5. Iunij ipſi Legato ſignificauit, quàm grauiter Pontifex de eo apud Mendozam expoſtulaſſet. *Ibid.*

33 Bertanum fuiſſe cum poteſtate Nuntij in Germaniam allegatum causâ quarumdam legum, quas Cæſar ad componendum Eccleſiaſticum Ordinem 16. Iunij in Conuentu propoſuerat. Bertanus Româ diſceſſit ad Nuntij partes agendas die 9. Iunij, & Bononiâ tranſiit die 17. *Lib.* 11.*c.* 1.

34. A Pontifice non fuiſſe Nuntios miſſos cum facultatibus à Cæſare poſtulatis, ſed cum aliis ſibi conducentibus, nempe cum ampla poteſtate multas gratias largiendi, in quo præcipuum momentum eſſe videretur ad ſuam auctoritatem in iis partibus tuendam. Cùm tamen facultates, quibus Nuntij vſi ſunt, conceſſæ illis fuerint conſentaneæ ad petitiones iteratas Cæſaris, ſuper qua re ingens diſſenſio inter Pontificis Conſiliarios fuit. *Lib.* 11.*c.*2.

35. Nuntios, quamuis ſollicitè nominati fuiſſent, tamen eorum profectionem dilatam fuiſſe vſque ad ſequentem annum; ſiquidem Cæſari non ſatisfecerat ea ratio, per quam non ſignificaretur probari ea quæ ipſe ſtatuerat. Nuntij ſtatim Româ profecti fuere; & decem ac ſeptem ab electione diebus iter Bononiâ fecit Pighinus, cuius litteræ mox in Germania datæ extant. Diſſenſio autem ſuper facultatibus, continuata poſt ipſorum in Germaniam aduentum, aliàm originem nacta fuit. *Ibid.*

36. Concilium Bononiæ permanſiſſe vſque ad Pauli mortem; & tunc, cùm Legatus Comitiorum Pontificiorum causâ inde diſceſſiſſet, Epiſcopos etiam ad ſuas Sedes rediiſſe. Ex legitimis Concilij Actis, & ex eius ephemeride patet, Synodum fuiſſe ſuſpenſam, & Epiſcopos dimiſſos à Paulo ante mortem. *Lib.* 11 *c.* 4.

37. Iulium III. poſt ipſius electionem mandaſſe Balduino à Monteferrato, vt adoptaret adoleſcentem, quem beneuolentiâ complexûs erat, dum Bononiæ Præſul ageret. Adoleſcens hic adoptatus fuit ante Iulij Pontificatum. *Lib.* 11.*c.*7.

38. Cæſarem cœpiſſe à Iulio petere, vt Concilium Tridenti rurſum ſtatueret, per Aloyſium Auilam, quem ad exhibendam electo Pontifici obedientiam miſerat. Auila ne vnum quidem verbum ea de re fecit, ſed tantùm vrbanitatis & obſequij formulas exhibuit: & antequam hic adueniret, Pontifex generatim ſpē Cæſari de ea re fecerat, vti liquet ex documentis traditis Toletano,

tano, quem Iulius decimo poſt electionem die ad Cæſarem miſit. *Lib.* 11. *c.* 8.

39. Pontificem, à Mendoza acriùs ſtimulatum, ſtatuiſſe Cæſari gratificari, atque idcircò delegiſſe cœtum Purpuratorum, qui ad Cæſarem penè omnes propendebant, quò rem ad ſuum libitum pertraheret, adiectis etiam quibuſdam familiaribus, quò ceteri in officio continerentur. At ephemeris tradit, cœtum illum conſtitiſſe ex iiſdem Purpuratis, qui ſub Paulo III. eidem rei intererant. *Ibid.*

40. Pontificem, cùm exiſtimaret ſui nominis dignitati opportuna ea mandata, quæ de Concilio tradiderat Nuntiis, apud Reges ſeruanda, curaſſe vt Iulius Cæſar Cananus, ſibi à ſecretis, ea communicaret amicis titulo familiaritatis, atque ita poſteà euulgarentur. Verùm id ſuſpicari non poterit qui leget commentarium mandatorum Triuultio exhibitum; ſiquidem ibi de Cæſaris mente tam malè ſentitur, deque eius potentia tam infensè ſcribitur, vt ſatis conſtaret, non potuiſſe id ſcriptum publicari ſine indignatione Cæſaris. *Lib.* 11. *c* 9.

41. Diploma à Pontifice promulgatum de Concilio Tridenti repetendo multum diſplicuiſſe Cæſari, Religioniſque ſtudioſis Catholicis, quippe illo aperto continuatio exprimebatur; adeoque præcidebatur Proteſtantibus ſpes omnis recognoſcendi priora Decreta, quâ deſtituti, in Concilium haud acceſſiſſent. In Diplomate tamen nullus ſermo habetur de continuando, ſed de reſumendo & proſequendo Concilio. Inſuper Cæſar ipſe in denuntiationibus Bononiæ ac Romæ editis, huiuſmodi Continuationem poſtulauerat, commendans ac comprobans Concilium Tridenti habitum, adeoque Decreta ibi ſancita, & rationem agendi ibidem ſeruatam. *Lib.* 11. *c.* 11.

42. Cùm Pontifex Diploma illud inconſulto Cæſare euulgaſſet, ab hoc viciſſim euulgatam fuiſſe ſententiam Cæſarei Conuentus; quod vulgò habitum ſit eo animo factum, vt par pari Pontificiæ Bullæ reponeretur. Et tamen Suauis ipſe paulò antè iſtius ſententiæ verba referens ait, eâ Conuentus ſententiâ clarè decerni, vt omnes ſubiicerentur Concilio à Pontifice antè impetrato, & per memoratum Diploma indicto. *Ibid.*

43. In Seſſione duodecima fuiſſe Tridentino Cardinali locum, Epiſcopis Præſidibus ſuperiorem, attributum. Porrò hi in cunctis Concilij functionibus ſederunt ſimul cum Legato, quemadmodum tres Legati ſederant, & Tridentinus ſubſellium obtinebat ſeorſim, atque ab Epiſcopis ſeparatus. *Lib.* 11 *c.* 14.

44. Futuram Seſſionem fuiſſe indictam ad 9. Octobr. cùm fuerit indicta ad 11. eiuſdem menſis. *Lib.* 11. *cap.* 15.

45. Vltimam Regis Galliæ proteſtationem fuiſſe Romæ pronuntiatam à Paulo Thermes. Ab alio fuit pronuntiata. *Lib.* 11. *c.* 16.

46. Præſides, acceptis litteris, ab Henrico Secundo ad Concilium miſſis, ſeparatim conueniſſe cum Principum Oratoribus, ſed ſine Epiſcopis, atque inter ſe ſtatuiſſe vt epiſtolæ legerentur; & poſteà iuſſiſſe reddi huiuſmodi reſponſum nomine Concilij, cum Patribus anteà nequaquam communicatum; vnde prudentibus viris ſermonum materiam præbitam. Sed contrà Præſides ſeſe ſeorſim ſubduxere populo, qui in templum conuenerat, ſed ſecum omnes etiam Epiſcopos cum Oratoribus duxerant. *Lib.* 11. *c.* 17.

47. Archiepiſcopum Moguntinum in templo publicè liberam ea de re ſententiam tuliſſe. Id tamen accidit in

priuata conſultatione, habiſa in ſacrario, cui interſuit ipſe tamquam vnus ex Patribus. *Ibid.*

48. Thomiſtas & Scotiſtas in rebus ad Fidem ſpectantibus operam dediſſe, vt ab Eccleſia peculiares ipſorum ſententiæ declararentur veræ; adeoque in Concilio ſancirentur tamquam Fidei dogmata, non tam oracula à Deo reuelata, quàm opinamenta ab hominibus aſſerta. Sed hac de re nullum exſtat verbum in Actis, in quibus copioſè leguntur etiam minorum Theologorum ſuffragia. *Lib.* 12. *cap.* 1.

49. Nonnullis ex iis Theologis haud placuiſſe, vt decerneretur tamquam Fidei dogma, Chriſtianos debere Euchariſtiam die Chriſti Reſurrectioni ſacrâ accipere, cùm nouum ſit, Eccleſiæ præceptum ſtatui tamquam Fidei oraculum. At omnes conſenſere, vt contrarium pronuntiatum anathemate adiecto damnaretur, exceptis duobus, qui ſolùm popoſcere, vt id aliquâ adiectâ declaratione fieret, cùm præceptum eccleſiaſticum eſſet, non diuinum. *Ibid.*

50. Italis non placuiſſe, vt Theologi ſententias firmarent teſtimoniis ſacrarum Litterarum & Patrum; perinde ac eorum Theologiæ, in gratiam Germanorum & Belgarum, inde nota inureretur. Hæc tamen ratio doctrinæ examinandæ haud noua potuit videri, quippe ſeruata in rebus ſub Paulo ſancitis. Ad hoc inter viros totius cœtus erudiriſſimos fuere Seripandus & Catharinus Itali; & Eccleſiæ antiquitatis peritiſſimi fuerant Aleander & Contarenus Cardinales, qui paulò antè huiuſmodi negotiis occupati fuerant. Et in Concilio habito ſub Iulio, præter Germanos & Belgas, adfuere Canus, Lainius, Salmeron, Hiſpani ſummâ eruditione ornati. *Ibid.*

51. Proteſtantes miratos, quòd Synodus affirmaret, ipſos cupere, vt ſuper ſolis quatuor de Euchariſtia capitibus audirentur; cùm ſæpiùs in conuentibus teſtati eſſent, ſe nullum ex præteritis Decretis recipere, ſed velle de omnibus à capite audiri. Id autem nullam ipſis admirationem parere potuit, cùm toties Pontifices Cæſari denuntiaſſent, ſe nolle vt antecedentia Decreta in controuerſiam vocarentur. Et Cæſar, Eccleſiaſticus Ordo, pleruſque Imperij Conuentus, non obſtante huiuſmodi denuntiatione, vehementiſſimè Concilium à Pontifice poſtulauerant, atque ipſi obtulerant totius Germaniæ, ſeſe Concilio ſubiicientis, obſequium. *Lib.* 12 *c.* 8.

52. Concilium in reſponſo, quod Brandeburgico Oratori reddidit, ſtipulatum ab eo eſſe pluſquam illi offerebat. Cùm è contrario non poſſet offerri Synodo pluſquam Oratoris mandatis contineretur, in quibus agnoſcebatur Iulius tamquam Eccleſiæ vniuerſalis Pontifex, & Concilium Tridentinum Oecumenicum. *Lib.* 12. *c.* 9.

53. Louanienſes & Colonienſes Theologos plura oppoſuiſſe in eo, num inter Fidei dogmata referendum eſſet caput de caſibus reſeruatis. Hac de re ne verbum quidem legitur in Actis. *Lib* 12. *c.* 11.

54. Eoſdem Colonienſes reprehendiſſe, damnari Canone decimo relatam ibi interpretationem verborum Chriſti, *Quæcumque ligaueritis*; namque aiebant, eam interpretationem eſſe Theophylacti: & tamen hic Auctor expreſsè contrarium de hac re ſcribit. *Ibid.*

55. Franciſcanos ægrè tuliſſe, ſtatui, Sacerdotem verè abſoluere, & non potiùs declarare abſolutos pœnitentes ob antecedentem contritionem. At ille qui vnicè id propugnauit, non modò

dò non fuit Franciſcanus, ſed ita propugnauit, vt tamen firmum eſſet peccata remitti per Sacramentum. *Lib.* 12. *cap.* 12.

56. Patres delectos primùm poſuiſſe, Sacramentum Extremæ vnctionis fuiſſe à Chriſto inſtitutum, Marc. 6. & poſteà, quodam Theologo monente, pro voce, *inſtitutum*, repoſuiſſe *inſinuatum*; quam vocem ait Polanus ibi multum diſconuenire, vti reliquo Canoni non benè accommodatam. Et tamen in Theologorum minorum congreſſibus, habitis 22. & 23. Octob. adeoque vno menſe ante conformationem Canonum & Decretorum, doctrinam complectentium, non modò vnus, ſed complures ex iis animaduerterunt, huiuſmodi Sacramentum non fuiſſe inſtitutum, ſed delineatum & inſinuatum iis verbis quæ habentur Marc. 6. eadem prorſus ratione quâ id Synodus declarauit. *Ibid.*

57. Oratores Cæſaris & Ferdinandi numquam interueniſſe generalibus Congregationibus. Hoc reuincitur vti falſum ex omnibus Concilij Actis. *Lib.* 12. *c.* 15.

58. Cardinalem Martinuſium fuiſſe ex Ordine S. Baſilij Monachum. Fuit ex Ordine S. Pauli primi Eremitæ. *Lib.* 13. *c.* 1.

59. Hunc fuiſſe inter Purpuratos relatum, Cæſare eum in gratiam Ferdinandi nominante. Porrò hic Purpuram accepit ſolo Ferdinando id à Pontifice petente. *Ibid.*

60. Iulium auxiſſe Senatum aliis Senatoribus tempore conſueto feriarum natalitiarum. Ex Actis Senatus liquet, 20. Nouembr. id à Pontifice geſtum. *Ibid.*

61. Cùm id temporis Senatus conſtaret octo & quadraginta Purpuratis, viſum fuiſſe Pontificem plus iuſto Purpuræ prodigum, adiectis tribus & decem ſupra morem eorumdem temporum: ac à Pontifice hunc colorem obtentum, ne Gallica Purpuratorum pars excederet. Hic tamen Purpuratorum numerus haud immodicus fuit, neque illi qui purpurâ ornati ſunt, eius generis fuerunt, vt vniuerſus Senatus non conſenſerit: ac Pontifex hanc cauſam attulit, ſe egere prudentibus & fidelibus Conſiliariis, cùm plurimi Purpurati ob diuerſas cauſas Româ abeſſent. *Ibid.*

62. Ab Epiſcopo Montis Faliſci perlatum ad Pighinum quoddam Pontificis mandatum, quod ita à Suaui refertur, vt veritati multum repugnet. *Ibid.*

63. Cæſarem Pontifici ſolemnes denuntiationes minatum, niſi iuberet Seſſioni ſuperſederi; atque hac de cauſa ab eodem Cæſare certum hominem miſſum Romam & Tridentum. Contrà Cæſar leniter & per accuratas preces id egit, adeò vt Pontifex & Patres ei indulſerint. *Lib.* 13. *c.* 2.

64. Necem Cardinalis Martinuſij fuiſſe communiter Ferdinandi iniquitati imputatam, ac Pontificem ſatis imbecillem ſe præbuiſſe in eo abſoluendo. Atqui Suauis non ignorabat quidquid contrà ſcriptum fuit à Paulo Paruta, Venetæ Reipublicæ Hiſtoriographo, & harum rerum ſcientiſſimo. *Ibid.*

65. Præſides Synodi Romæ fuiſſe reprehenſos, quòd in Decreto quo Concilium ſuſpendebatur, Chriſtiani extimulabantur ad ſeruanda ea quæ per Concilium ſtatuta fuerant, haud reſeruatâ antecedenti Pontificis comprobatione; atque adeò ab aliquibus dictum, Præſides omneſque Epiſcopos qui Decreto conſenſerant, in ſacras Cenſurarum pœnas incidiſſe. Sed reuerà in Decreto legitur, fuiſſe Pontificis conſenſum, & auctoritatem

Pontificis, Sediſque Apoſtolicæ reſeruatam. *Lib.*13.*c.*3.

66. Concilij ſuſpenſionem vſque ad biennium ſtatutam, decem annis continuatam culpâ Pontificum. At primum illud temporis ſpatium (vti & Suauis ipſe refert) cum conditione præſcriptum fuit, ſi videlicet interim diſcordiæ inter Chriſtianos componerentur, quæ, ſicut habet eius Hiſtoria, durarunt vſque ad Pij IV. Pontificatum, quo tempore rurſum capta & decreta Concilij inſtaurandi tractatio fuit. *Lib.*13.*c* 4.

67. Rem inuſitatam, & myſterij plenam fuiſſe factam à Marcello II. dum Pontificatum adeptus, antiquum nomen retinere voluit. Et tamen paulò ante Adrianus VI. idem egit, ſuadente Oratore Cæſareo, ob præſtantiam Pontificum eius nominis. *Lib.*13. *cap.*11.

68. Morem mutandi nominis ortam ex Pontificum ſuperbia. Baronius tamen docet, primùm fuiſſe nomen Chriſtianæ modeſtiæ ergò mutatum à Pontifice, qui cùm Petrus vocaretur, haud auſus fuit in ea Sede tanti Apoſtoli nomen retinere. *Ibid.*

69. Marcellum poſuiſſe multum fiduciæ in arte Genethliaca, qua fretus, Pontificatum ſibi ſpoponderat, palàm hoc profitens; ſed citò deceptum, quantum pertinuit ad vitæ diuturnitatem, & rerum, quas meditabatur, ſucceſſum. Hoc omiſſis aliis rationibus reuincitur vti falſum, ex Seripandi teſtificatione. *Ibid.*

70. A Paulo Quarto exceptos fuiſſe Britannicos Oratores in primo quem publicè habuit Senatu. Primus Senatus habitus fuit 30. Maij, & Oratores excepti ſunt in alio Senatu die 21. Iunij. *Lib.*13.*c.*12.

71. In eodem publico Senatu fuiſſe regni titulo Hiberniam ornatam. Id tamen factum eſt in ſecretiore Senatu die 7 Iunij. *Ibid.*

72. Pontificem diſſimulaſſe, Hiberniam ab Henrico Octauo in regnum euectam. Pontifex tamen hoc expreſsè in eo Senatu commemorauit. *Ibid.*

73. Hoc fuiſſe arcanum Aulæ ignotum, ob cuius ignorationem plurimos ſermones agitatos. At è contrario verba, quæ de hac re à Pontifice pronuntiata fuere coram Cardinalibus, poſita fuere in publico diplomate, eâdem die ſignato, & edita in Annalibus Bzouianis. *Ibid.*

74. Bellum inter Paulum Quartum Pontificem, & Regem Hiſpaniæ Philippum Secundum, ortum ex ſola cupiditate Pontificis, profanæ ditionis incremento inhiantis. Contrarium conſtat ex *lib.*13.*c.*14.

75. Cardinalem Lotharingum Româ diſceſſiſſe antequam conueniret inter Pontificem & Gallum de fœdere. Hoc tamen fœdus ſancitum, & ſubſcriptione firmatum fuit ab eodem Cardinali antequam Româ diſcederet. *Lib.*13 *c.*15.

76 Pontificem & Cardinales multum inter ſe altercatos de quibuſdam in Senatum ab ipſo adſcitis. Ex Actis Senatus patet, hos fuiſſe ad Purpuram euectos, omnibus planè Cardinalibus conſentientibus. *Lib.*13.*c.*16.

77. Futurum fuiſſe vt Dux Albanus Romam caperet; eiuſque animi vilitati communiter imputatum regreſſum ab Vrbe. Huius rei nulla fit mentio in narratione Nauageri Oratoris Veneti, in qua variæ de hoc Albani facto ſententiæ accuratiſſimè narrantur. *Lib.*14. *cap.*3.

78. Ducem Guiſium Româ diſceſſiſſe deſerto ante ſancitam pacem Pontifice. Hic tamen moratus fuit vſque ad 19. Septemb. quâ die, nempe quintâ

poſt

poſt pacificationem, Romam Albanus ingreſſus fuit, Pontificem veneraturus. *Ibid.*

79. F. Guillelmum Petum accepiſſe Crucem & inſignia ſuæ legationis in Anglia, ſed modeſtiæ causâ ſe ab ea exercenda continuiſſe, eamdemque Polo commiſiſſe. E contrario Petus ne Purpurati quidem dignitatem accepit, tantum abfuit vt Legati ornamenta acciperet; cùm Regina retinuiſſet Diploma, quo illi vtraque ſimul dignitas deferebatur. *Lib.* 14. *cap* 5. & *lib* 15 *c*.7.

80. Ob Imperium à Carolo Quinto tranſlatum in fratrem, Pontificem arrogaſſe ſibi poteſtatem eligendi pro arbitratu Cæſarem. Pontifex tamen hoc tantum voluit, vt ea tranſlatio non eſſet legitima, quòd ſine Pontifice præſtita eſſet, adeoque Imperium nonniſi per Cæſaris obitum transferri poſſe. *Lib*.14.*c* 6.

81. Pontificem Guzmanno dixiſſe, ſe velle mittere Nuntium ad Carolum Quintum. Porrò hic Nuntius deſtinatus fuit non ad Carolum, ſed ad Ferdinandum, ad quem paucis diebus poſt hunc ſermonem cum Guzmanno habitum, pro Nuntio miſſus eſt Legatus. *Ibid.*

82. Nepotes à Paulo fuiſſe ab adminiſtratione remotos 26. Ianuarij 1558. Id accidit 27. Ianuarij 1559. *Lib*.14.*c*.7.

83. Eodem tempore recuſatum à Pontifice Ferdinandi Oratorem. Hic tamen recuſatus fuerat anno 1558. quo Carolus vitâ conceſſit. *Ibid.*

84. Pium Quartum ſtatim atque Pontifex creatus fuit, ſignificaſſe Franciſco à Turre, Ferdinandi adminiſtro Romæ, ſe paratum Ferdinando reddere Cæſareos honores; ac à Ferdinando, auditâ Pontificis mente, eumdem Turrium Oratorem deſignatum. Turrius tamen Orator à Cæſare nun cupatus & approbatus fuerat multò antè; namque is & in Comitiis Pontificiis erga Cardinales, & eâ die quâ Pontifex coronatus, partes Oratoris erga eumdem Pontificem egerat. *Lib*.14. *cap*.11.

85. Carolum Quintum animam efflaſſe in manibus Conſtantini Pontij, cuius, tamquam hæretici, ſimulacrum combuſtum. Pontius nullas in Caroli Quinti anima moderanda partes egit, ſed tantùm apud eum Concionatoris officio: neque eodem vſque ad eiuſdem mortem functus fuit. *Ibid.*

86. Fuiſſe propoſitum Antonio Nauarræ Regi, vt ſe per diuortium ab hæretica coniuge ſepararet, nuberetque Reginæ Scotorum viduæ: atque hunc idcircò, Angliæ & magnæ Britanniæ regno inhiantem, cepiſſe ſeſe exhibere alieniorem ab vxore. Hoc vti falſum refellitur à Famiano Strada. *Lib*.15.*c*.1.

87. Hiſpanos ſuper Concilij diplomate mouiſſe Pontifici difficultates, quòd recèns offenſi fuiſſent ob Antonium vti Nauarræ Regem acceptum. Hoc tamen patet falſum, cùm Hiſpani, quantumuis ſeſe ſuper Antonij negotio placatos oſtendiſſent, tamen in iiſdem difficultatibus perſtiterint. *Lib*.15. *cap*.2.

88. A conuentu Nauburgenſi fuiſſe Nuntiis remiſſas litteras Pontificias poſtridie quàm ij auditi fuere. Hoc tamen præſtitum fuit poſt horæ quadrantem. *Lib*.15.*c* 3.

89. Nuntios fuiſſe in conuentum accitos, atque ibi redditum iiſdem reſponſum. Reſponſum tamen ad eos fuit per decem Conſiliarios miſſum in ædes vbi morabantur. *Ibid.*

90. Cardinali Puteo, qui ad Concilium Præſes deſtinatus fuerat, ægrotanti, fuiſſe Seripandum ſuffectum.

Non ſolus Seripandus, ſed vnà Oſius & Simonetta Præſides in eodem Senatu renuntiati ſunt, non tamquam aliis ſuffecti, ſed tamquam collegis adiecti. *Lib.* 15.*c*.6.

91. Simonettam & Altempſium fuiſſe ſimul Legatos Concilij nominatos. Simonetta tamen nominatus fuit multis antè menſibus vnà cum Oſio & Seripando. *Lib* 15.*c*.13.

92. Contentionem Archiepiſcopi Bracatenſis de prærogatiua, fuiſſe ortam in primo generali congreſſu, cùm Diploma recitatum fuit, quo edicebatur, vt antiquiores Primatibus præcederent. Hæc tamen contentio excitata & compoſita fuit multò antè; neque vlla eius mentio in dicto congreſſu habita fuit: quin Diploma illud non cauſa, ſed effectus & finis eius litis fuit. *Ibid.*

93. Cùm Pariſienſis Cancellarius nollet ſuâ ſubſcriptione confirmare facultates Cardinalis Ferrarienſis Legati, loco ipſius ſubſcripſiſſe Reginam Mariam, Regem Nauarræ, & primarios regni adminiſtros Et Cardinalem, quò eam ſubſcriptionem obtineret, ſeorſim per libellum ſpopondiſſe, ſe iis facultatibus non vſurum, ac Pontificem conſulturum abuſibus qui Romæ contingebant in Sacerdotiis deferendis, eorumque tabulis ſeu Diplomatibus conficiendis. Hæc omnia patet eſſe falſa ex litteris eiuſdem Legati ad Cardinalem Borromæum. *Ibid.*

94. Cardinalem Ferrarienſem, quò compenſaret beneficium acceptum, eò adductum, vt Pontificem extimularet ad Communionem ſub vtraque ſpecie concedendam. Litteræ tamen hac de re à Ferrarienſi ſcriptæ fuere die 31. Decembris, quo tempore eius facultates approbatæ nondum fuerant. Nec modò his litteris eiuſmodi conceſſionem non promouebat, ſed querebatur de iis Gallis Catholicis, qui illam Reginæ repræſentabant, tamquam à rationibus Pontificis non abhorrentem. *Ibid.*

95. Etiam Gallicum Oratorem à Pontifice, vt id concederet petiiſſe, ac Pontificem primò ſe pronum exhibuiſſe, & poſteà in Senatu 10. Decemb. in aliam ſententiam à Cardinalibus deflexum. Sed contrà, nullus Senatus habitus fuit 10. Decemb. Et Pontifex valdè conqueſtus eſt cum Oratore, huiuſmodi petitionem afferente. *Ibid.*

96. Cardinalem Simonettam, vbi Tridentum attigit, nactum fuiſſe Pontificis mandatum, quo vetabantur Legati Concilium aperire, abſque noua Pontificis ſignificatione. Simonetta nullum de mora iniicienda mandatum reperit, neque mora quæ contigit, Pontificis iuſſio, ſed ſola permiſſio fuit. *Lib.* 15.*c*.15.

97. Pontificem voluiſſe illam moram petente Oratore Cæſareo. Ea mora contigit ex ſolo Legatorum conſilio. *Ibid*

98. Contentionem Archiepiſcopi Granatenſis de declaranda Concilij Continuatione, contigiſſe in primo generali congreſſu. Ex Actis & litteris patet, eam controuerſiam ſedatam ante illum congreſſum. *Ibid.*

99 Hiſpanorum petitioni interceſſiſſe Commendonum Zacinthi Epiſcopum, cùm Cæſaris contrariam mentem noſſet. Ex Catalogo eorum Epiſcoporum qui primæ Seſſioni interfuerunt, liquet, Epiſcopum Zacinthi id temporis Tridenti non fuiſſe, ſed poſteà illuc veniſſe, vti patet. *Ibid.*

100. Compoſita per concordiam in congregatione formulâ de re diſputata, mox itum ad Decretum concinnandum. Decretum tamen concinnatum fuit ante congregationem, & ante-

antequam conueniretur cum Hiſpanis, quibus vrbanitatis cauſâ oſtenſum fuit id temporis quo conuentio ſancita, & antequã in congregatione coirent. *Ibid.*

101. Legatos poſt primam congregationem generalē, habitam ſub Pio IV. aggreſſos fuiſſe conformare Decretum, ſed tali arte, vt adimeret Epiſcopis proponendi libertatem, idque occultum eſſet, vixque intelligi poſſet: quocircà poſt multum ſtudij adieciſſe illa verba, *proponentibus Legatis.* Sed contrà, Decretum, conformatum cum laudatis omninò verbis, lectum fuit triduò antè, publicè in congregatione; & prout libuit, licuit vnicuique illud expendere, antequam ſuam de eo ſententiam in Seſſione proferret; & reipſa quidam ſe illi obiecere. *Lib.* 15. *c.* 17.

102. Hiſpanos, à quibus hoc Decretum improbatum, fuiſſe quatuor. Duo dumtaxat fuere. *Ibid.*

103. Archiepiſcopum Rhegienſem, qui in ea Seſſione Latinè perorauit, ſic locutum quo modo minimè locutus conuincitur ex authentico eius Orationis exemplo, quod extat. *Ibid.*

104. Quamdam opinionem circa tria capita, à Legatis in generali congreſſu, præuio ſecundæ Seſſioni, propoſita, fuiſſe Gregorij Auguſtinianorum Eremitarum Præſidis. Horum Præſes nec huiuſmodi ſententiam tulit, nec Gregorius, ſed Chriſtophorus à Patauio vocabatur. *Lib.* 15. *c.* 19.

105. Legatum Altempſium Tridentum aduentiſſe die 5. Februarij. Aduenit 30. Ianuarij. *Ibid.*

106. Ex Patribus plures promoniſſe quamdam ſententiam de Indice librorum. Hanc tamen ſententiam vnicè propoſuit ac ſuſtinuit Petrus Contarenus Epiſcopus Paphenſis, cuius Suauis hoc loco mentionem non facit. *Ibid.*

107. Vnà cum Archiepiſcopo Granatenſi, petente exceptionem in primo ſecundæ Seſſionis Decreto, conſpiraſſe Calaritanum & plerosque Hiſpanos. Granatenſis hac in re ſolus fuit, & Archiepiſcopus Calaritanus eâ die Seſſioni non interfuit. *Lib.* 15. *c.* 21.

108. Varias conſultationes habitas de Græcis, Anglis, & Scotis, nominandis in publicis fidei litteris. Huius rei nulla mentio in minutiſſimis Actorum illorum monumentis habetur. *Lib.* 16. *cap.* 1.

109. Legatos, iam compertos Pontificem aliud velle de venia offerenda ijs qui ad Tribunal fidei delati erant, negotium eò promouiſſe, quo ipſi Pontifici obſecutum ſpectabant: ſed antequam id comperirent, inter ſe diſcordes opinione fuiſſe. Et tamen illis nondum vllo pacto comperta erat Pontificis mens. Neque ſolùm in hoc non diſcordabant, ſed omnes litteris, communi nomine ſcriptis, indulgentiam comprobantes, teſtati ſunt, hoc eſſe commune Patrum votum. *Ibid.*

110. Pontificem iratum fuiſſe Gallis, quaſi malè ab illis acceptus contemneretur. Sed ex plurimis monumentis contrarium apparet. *Lib.* 16. *c.* 3.

111. Legatos, quò Pontificem certiorem facerent de ſententijs, pronuntiatis in capite de Epiſcoporum reſidentia, miſiſſe Camillum Oliuum poſt congregationem habitam 20. Aprilis, ac ab eo conſilium in ea re petijſſe. Ad hanc rem delectus fuit non Camillus Oliuus, ſed Federicus Pendaſius. Et Legati, quò præuenirent maiorem Patrum æſtum, miſere eum 10. Aprilis. *Lib.* 16. *cap* 4.

112. Eos qui interceſſere ne ſtatueretur, reſidentiam ad ius Diuinum pertinere, fuiſſe tres ſupra triginta. Hi fuere octo aut ſeptem ſupra triginta. *Ibid.*

113. Quoſdam mediæ ſententiæ, quorum aliqui dixerunt, placere ſibi

eam

eam declarationem, ſi Pontifici placeret: alij, ſibi non placere, ſi Pontifici non placeret, fuiſſe triginta. Hi fuere quatuor ſupra triginta. *Ibid.*

114. In Seſſione celebrata 14 Maij, fuiſſe receptos Heluetios Oratores. Ex omnibus eius temporis monumentis patet, eos receptos in Seſſione 4. Iunij. *Lib.16 c.7.*

115. Bauari Ducis Oratores tardius ſeſe in conſpectum dediſſe, quòd Legati ſpatium cepiſſent Pontificis monendi de lite, quæ inter eos & Venetos Oratores de prærogatiua orta erat. Cauſa eius tarditatis fuit tabellarius miſſus ad Bauarum ab eius Oratoribus, quò cognoſcerent eius mentem de ea cum Venetis contentione. *Ibid.*

116. Epiſcopos ſtrepuiſſe, quòd in ea Seſſione, de manſionis capite non ſtatueretur. Id nec verum fuit, nec fieri potuit, quandoquidem iam ex totius Conuentus voluntate litteræ ad Pontificem datæ fuerant, eiuſque reſponſum expectabatur. *Ibid.*

117. Cæſareos Oratores denuntiaſſe, ſe ſtatim diſceſſuros, ſi declararetur, Concilium eſſe continuationem. Sed huius rei nullum veſtigium extat in tot legitimis monumentis. Præterea Cæſar de hac re mandata dedit non niſi poſt tempus de quo Suauis loquitur, videlicet, acceptis litteris 26. Maij quæ 22. datæ fuerant, quibus Oratores iuſſi non ab vrbe diſcedere, ſed à functionibus abeſſe. *Ibid.*

118. Piſcarium, ob hunc diſceſſum à Cæſareis denuntiatum, & rogatum à Cardinali Mantuano, eò propendiſſe, vt languidius Continuationem promoueret. E contrario Piſcarius voluit, vt Legati per libellū teſtificarentur, Continuationem in proxima Seſſione declaratam iri. *Ibid.*

119. Cardinalem Mantuanum, quò Cæſari gratificaretur in protrahenda Seſſione, vſum litteris Lanſaci, quæ allatæ opportunè idem petebant. Porrò dilatio à Lanſaco petita, decreta fuerat die 30. Aprilis, adeoque decem diebus antequam petitiones Cæſareis ingratæ afferentur à Piſcario, qui Tridentum non niſi 10. Maij attigit. *Ibid.*

120. Concilij Promotorem maximè turbatum fuiſſe ob aculeatam Fabri Gallici Oratoris orationem, ideoque non reddidiſſe ei, vti mos erat, reſponſum. Sed Suauis hac in re vel ignorat, vel celat facti veritatem, quæ habetur *Lib.16.c.11.* Adde, quòd non Promotor, ſed qui erat à Concilij Secretis, reſponſa dabat. *Ibid.*

121. Pontificem deſtinaſſe Galliæ opem, aureorum ducentorum millium ſummâ conſtantem. Hæc conſtabat aureis trecentum millibus. *Ibid.*

122. Pontificem, ſuccenſentem Mantuano ob Concilij continuationem non declaratam, deſtinaſſe Tridentum alios Legatos; & ne primum locum ei adimeret, cogitaſſe eum cooptare in ordinem Cardinalium Epiſcoporum, extincto id temporis in Gallia Cardinale Turnonio, Cardinalium antiquiſſimo. E contrario conſtat, ante hoc, in Senatu habito 18. Maij, fuiſſe alijs imperitos ſex Epiſcopatus Cardinalium proprios. *Ibid.*

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM,
Quæ his octo Libris continentur.

A.

ABbas Mannenſis mittitur à Franciſco Secundo Romam ob Concilij conuocationem.lib.14.cap.12. num.14 15.16.*eius reditus in Galliam*.l.14.c.16.n.1.

Abbas Nichettus, à Secretis Ferrarienſi Cardinali, proficiſcitur in Galliam cum diplomate Synodum conuocante.l.15.c.1.n.5.

Abbas Roſſettus mittitur à Iulio III. ad Regem Galliæ, eiuſque mandata l.11.c.7.n.2.& 3.& c.8.n.2.

Abſolutiones delictorum ſibi à Pontificijs reſeruata.l.12 c.11.n.1.2.3.& 4

Achilles Graſſius. Eius reditus Tridentum ſub Iulio.l.13.c.1.n.10. *it Nuntius ad Cæſarem ob plenam reconciliationem cum Rege Galliæ*. l.13.c.5.n.6.

Ægidius Fuſcararius Epiſcopus Mutinenſis multa ſcribit de poſtremis Concilij rebus.l.15.c.13.n.4.*Calumnias immeritò patitur ob ſententiam ſuã de Manſione*.l.16.c.9.n.9.

Albertus Brandeburgicus Proteſtans moritur in Gallia poſt varios belli euentus.l.13.c.5 n.1.

Albertus Bauariæ Dux mittit Romam Conſiliarium ad negotia Religionis. l.16.c.1.n.5. *mittit Oratores ad Concilium ſub Pio*.l.16.c.6.n.1.*eius ſenſus de ipſorum loco reſpectu Venetorum & Heluetiorum*. ibid. Vide Oratores.

Alexander Cardinalis Farneſius. Res ab eo geſta in Comitijs Pontificijs poſt mortem Pauli III.l.11.c.6.n.6.*eius abſentia ab Aula, Iulio Pontifice*. l.11.c.16.n.3.& 4. *cupit ad Pontificatum euchere Polum Cardinalem, ſed fruſtrà*.l.13.c.11.n.8. *repugnat intrinſecùs electioni ad Pontificatum Ferrarienſis, optata à Rege Galliæ, & cur*. ibid. *varia adhibet ſtudia ad Paulum IV. creandum, & cur*.l.13. c.11.n.8.9.& 10.*beneuolentia in ipſum tepefacta; unde de ſua & fratrum conciliatione cum Hiſpanis, bellum gerentibus in Pontificem agit; quod euenit: & redditur Placentia Octauio Duci*.l.13.c.20.n.10.11. & 12.

Alexander Palanterus, Romæ Fiſcalis, morte punitur à Pio V. etiã ob iniuſtitiam in Caraffenſes.l.14.c.15.n.7.

Alexander Sfortia, Apoſtolicæ Cameræ Clericus, fugit ab indignatione Pauli IV. ob violentiam ab eo exercitam in portu Centumcellano.l.13. c.14.n.6.7.& 8.

Alexander Tomaſſonus Interamnenſis continet Parmam in obedientia poſt cædem Ducis Petri Aloyſij.l.10 c.4.n.5.

Alexander Vitellius, dux exercitus Pontificij contra Farneſios.l.11.c.16 n.11.

Alfonſus Caraffa promotus ad Purpuram & Archiepiſcopatum Neapolitanum à Paulo IV.l.14.c.1.n.7. *prærogatiua quam habet, dum alij Pontificis conſanguinei expelluntur*. l.14.c.7.n.5.& 6.*eius captiuitas, libertas, & mors Pio ſedente*.l.14.c.15 n.10.

Alfonſus Salmero Societatis Ieſu interuenit cunctis aperitionibus Concilij

Tridentini, & in qua conditione. l.12. c.1. n.1. & 6. diſputatio ab eo ſcripta de Manſione. l.16.c.11.n.13

Aloyſius Auila Orator obedientiæ pro Carolo V. apud Iulium III. & Suauis errata de ipſius mandatis. l. 11. c.8 n.1.

Aloyſius Cornelius magnus Commendator Cypri promouetur ad Purpuram à Iulio III. l.13.c.1.n.9.

Aloyſius Eſtenſis, filius Ducis Ferrariæ, creatur Cardinalis à Pio IV. l.14.c.6.n 4.

Aloyſius Lippomanus Epiſcopus Modonenſis, & adiutor Veronenſis, venit Romam Bononiâ ad cauſam tranſlationis defendendam. l.10.c.15.n.2. Mittitur à Paulo III. in Germaniam cum ampla facultate in rebus Religionis. l.11.c.2.n.6. Romam redit ſub Iulio III. l.11.c.8.n.6. Mittitur Præſes ad Concilium. l. 11. c.13. n. 1. & c. 14. n. 2. Mittitur Nuntius in Poloniam, & per viam agit cum Ferdinando Rege. l.13.c.3. n. 2. Ad Sedem Bergomenſem promouetur, & eligitur à Paulo IV. ſibi à Secretis. l. 14 c.7.n 4. Moritur. l.14.c.9.n.4.

Ambroſius Pelargus Dominicanus, Procurator Archiepiſcopi Treuirenſis, ut ad Concilium Bononiæ nouus Procurator Septemuiri Colonienſis. l.10. c. 2 n.6. Reuocatur à Treuirenſi, poſtulante Cæſare. l.10. c.4. n. 4 Venit cum eodem Tridentum; & quæ illi Suauis opponit de inſtitutione pœnitentia. l.2.c.12.n.7. & 8. Tumultus excitus inter hæreticos ob eius concionem. l 13.c.2.n.4.

Ambroſius Politus, appellatus Catherinus, Epiſcopus poſteà Minoritanus. Errores Suauis de illius ſententia allata in articulo prædeſtinationis, & de intentione neceſſaria ad efficaciam Sacramenti. l 9.c.6. pei totum. Varia eius opella de Manſione. l.16.c.4 n.2. Promouetur ad Eccleſiam Conſenſem. l. 13.c.1.n.10 Mors eiuſdem, & breue elogium. l. 13. c. 8. n. 8.

Andreas Dudicius Sbardellatus Epiſcopus Titiniensis venit Tridentum communi nomine Præſulum & Cleri Hungarici. l. 16. c.2. n.6 eius elegantiſſima Oratio. ibid.

Angelus Maſſarellus à Secretis Concilio, ſcribit prolixam narrationem de Concilio illius temporis. l.11.c.11.n.1 Redit Tridentum cum eodem munere ex ore Iulij. l.11.c.14 n.1. Obtinet à Paulo IV. Epiſcopatum Teleſinum. l.14 c.7.n.6. Remittitur ad Concilium in vltima apertione. l.15. c.11.n.2. Supplent nonnulli eius munus in varijs eius morbis. l. 16.c.12. n.9.

Anglia conuerſa ad Fidem. l.13. c.9. n.10 Eius Oratores excepti Romæ à Paulo IV. ibid.c.12.n 1. Prouentus eccleſiaſtici in eo regno reſtituti. l.13. c.13.n.1. Noua Religionis mutatio. l.14.c.8.n.2. & 3.

Antonius Auguſtinus, Auditor Rotæ, Nuntius Iulij III. in Anglia. l.13.c.10.n.6.

Antonius Borbonius Rex Nauarræ obedientiā profitetur Pio IV acceptam à Pontifice cum Hiſpanorum ægrimonia. l.15. c.1. n.1. & 2. Galliam adminiſtrat poſt mortem Franciſci II. ibid. n. 3. Studia Atrebatenſis Epiſcopi ad eum mitigandum. ibidem n.4. Agitata cum Pontifice. l.15.c.14.n 5.6.13. Eius opera in rē Fidei Catholicæ. l.16.c.3.n.5.6.7.

Antonius Caraffa Marchio Montiſbelli, quo pacto in eius oppidi poſſeſſionem immiſſus ſit. l.13.c.16.n.3. Diſcordiæ inter ipſum & Guiſium Ducem in obſidione Ciuitellæ l.14. c. 2. n.2. eius expulſio Româ. l. 14. c.7.n.4.

Anto-

Antonius Filolius Archiepiſcopus Aquenſis venit Bononiam. l. 10.c 4. n 4. *Excuſat ſe ab itinere Romano, ad tranſlationē tuendā.* l.10.c.15.n.2

Antonius Floribellus, à Secretis Creſcentio Legato, reſpondit ad Latinā Orationē, ſui heri nomine, in ingreſſu Tridenti. l.11. c.14. n.2. *Poſt mortem Creſcentij Polo Cardinali inſeruit, & ab eo mittitur ad Cæſarem propter Angliæ negotia.* l.13.c.7.n.6

Antonius Helius familiaris Paulo III. & Epiſcopus Polæ, & poſteà Patriarcha Ieroſolymitanus, mittitur à Ceruino Cardinali Bononiam. l.10.c.5 n.5.

Antonius Muglitius Archiepiſcopus Pragenſis, Orator Ferdinandi tamquam Cæſaris ad Synodum Tridentinam. l. 15.c. 20.n.1.

Antonius Perenottus Epiſcopus Atrebatenſis agit in Germania cum Sfondrato Cardinali de euentu Petri Aloyſij Farnéſij, & de anteacta tranſlatione Concilij. l. 10.c.5.n 3.5. 6. *eius indignatio in Caraffenſes.* l.13.c.15.n.2. *eius ſtudia ad conciliandum Nauarreum.* l. 15. c.1. n.4 *Ornatur Purpurâ.* l.15.c.6.n.4. *Agitata ab ipſo cum Commendono de cogenda Synodo* l. 15.c.7.n.5.

Antonius Sanſeuerinus Dux Summanus mittitur in Galliam à Paulo IV. ob fœdus. l.13.c.16 n.3.

Antonius Toletanus Prior Legionenſis mittitur in Galliam à Philippo Rege ad impediendos ibi tractatus Concilij Gallorum. l.14.c.16.n.8 9.

Antonius Triuultius Epiſcopus Tolonenſis, Nuntius Iulij III. in Galliam ad negotia Concilij. l.11. c.8.n.6. *eius mandata.* l. 11.c.9.n. 1.2. *Facilem comperit eam Aulam.* l.11. c.10.n.1. *Accipit Purpuram à Paulo IV.* l.14.c.1.n.6. *Legatio ad Regem Galliæ, quò ad pacem eum trahere cum Rege Hiſpaniæ.* l.11.c.4. n.5. & cap.5. n.1.7.

Archiepiſcopi. Vide *Epiſcopi.*

Arriuabenus, ex aulicis Mantuani Cardinalis, it obuiàm Federico Pendaſio, qui rediens Româ equo deciderat, vt ab eo litteras acciperet & mandata. l. 16. c. 6.n.2.

Aſcanius Corneus Iulij III. ex ſorore nepos, it in Galliam ob negotia Parmæ & Synodi. l.11 c.13.n.5.& ſeq. *Capitur ad Cluſium; ſed liberatur ab Henrico Rege in gratiam Pontificis, & quâ conditione.* l. 13. c.10. n.2. *Confirmatur vt Legatus Romæ Tranſtiberinæ, & cuſtos Comitij Sede vacante.* l.13.c.11.n.1. *Negatur illi à Paulo IV. facultas abeundi Româ.* l. 13.c.14 n.10. *Declaratur ibi ſupremus Dux Equitum.* l.13.c.17. n.4. *Fugit Neapolim ob Pontificem ſibi ſuſpectum.* ibid. n. 8. *Conſtituitur generalis campi Magiſter Albani Ducis.* l. 13. c.2.n.1. *Explorat ſtatum Romæ in furtina aggreſſione tentata.* l. 14. c.3.n.6. *Aduerſatur in Aula Philippi Regis commodis Caraffenſium.* l.14. c.5.n.11.

Aſtolfus Seruantius, Maſſarelli adiutor, exactum diarium ſcribit de poſtremis Tridenti euentis. l.15.c.13 n.4.

Auguſta. Vide *Confeſſio Auguſtana, Concilia.*

B.

B*Alduinus Balduini, medicus Borgenſis, teſtatur contagionem Tridentinam.* l.9.c.13.n.5.

Balduinus Montanus adoptat Innocentium in filium, qui poſtea fuit Cardinalis. l 11.c.7.n.4.

Balthaſar Limpus Epiſcopus Portuenſis ex Luſitania, ſe indifferentem oſtendit in tranſlatione Synodi.

edi. l.9.c.15.n.8. Recuſat Bononiam tranſire vſque ad nouum ſui Regis mandatum. l. 9.c.17.n 2. Mandatum ipſi delatum vt eò accederet. l.10. c. 5.n.2. Ipſius verba parum reuerentia in Pontificem. l 10.c.15.n.1

Baptiſmus an ſit neceſſarius in voto ad obtinendam gratiam, & falſitas Suauis. l.9.c.4.n.7.& 8. Eiuſdem ratiocinationes de charactere, de efficacia, & de materia ac forma quæ conſtituunt hoc Sacramentum. l.9.c.5.& c.6.per totum. Diſputationes de remedio, excogitate à Caietano pro filijs fidelium, qui matris in vtero moriuntur. l. 9. c. 8. n. 2. & ſeq.

Bartholomæus Caranza Dominicanus, qui poſteà fuit Toletanus Archiepiſcopus, dat operam vt Polus Cardinalis excipiatur in Anglia l.13. c.9. n. 4. Conycitur in carcerem in Hiſpania, hæreſis nomine. l.14.c.11. n.4.

Bartholomæus Caualcantus mittitur à Paulo III. ad Henricum II. Galliæ Regem ad grauia negotia tranſigenda. l.10.c.5.n.2.

Bartholomæus Cardinalis à Cueua, quo pacto propè acceſſerit ad Pontificatum. l.14.c.10 n.3.

Bartholomæus Guidiccionus Cardinalis cenſet Synodum Bononiæ proſequendam. l.10 c.6.n.10.

Bartholomæus de Martyribus Dominicanus, Bracarenſis Archiepiſcopus, venit ad Concilium in poſtrema conuocatione. l.15.c.11.n.4. Difficultas de ipſius prærogatiua, tamquam Regni Primatis; & error Suauis. l.15. c.13.n.7.8.& 10.

Bartholomæus Sergius Epiſcopus Caſtelanetenſis ſupplet abſentiam Maſſarelli infirmi in munere Secretarij. l. 16. c. 12.n.9. Quæ ipſe ſuggeſſerit, attributa illi à Muſotto. ibid. n.10.

Baſilea. Vide Concilium.

Bernardinus Cardinalis Maffæius miſſus à Iulio III. ad agendum de concordia cum Octauio Farneſio Duce. l.11.c.16.n.3.

Bernardus Nauagerus, Orator Venetus Romæ, pleniſſimam narrationem ſcribit de vita Pauli IV. l.13 c.11. n.12. Promouetur ad Purpuram à ſucceſſore. l.16.c 8.n.13. Conſilium de ipſius legatione ad Concilium. l. 16. c.8 n.13.

Bertanus. Vide Petrus.

Bloſius Palladius Epiſcopus Fulginatium, & à Secretis Paulo III. quodnam eſſet primum eius nomen. l.10. c.13.n.1. Reſpondet in Senatu conteſtationi Mendozæ de reditu Synodi Tridentum. ibid.n.2.

Bongianus Gianfigliatius Orator Coſmi Ducis ad Paulum IV. Validi cum eo ſermones aduerſus Caraffam Cardinalem eius fratris filium. l.14 c.7.n.3.

Bononia, electa pro Synodi domicilio in eius tranſlatione Tridento. l. 9. c.14. & c.15. per totum. eò Legatorum, & complurium Epiſcoporum aduentus. l. 9. c.17.n.1. & 2. Varij Pontificis ac Cæſaris ſenſus, vt id fieret. Vide Paulus III. Carolus V. & Didacus Mendoza. Securitas oblata à Pontifice vnicuique Bononiam venienti ad Concilij continuationem: eiuſdem mandata, ne procederetur in dogmatum deciſione. l.9. c.20.n.1.& 3. Nona Seſſio illic habita cum prorogatione Decretorum. l.9. c. 20. n. 4. Iuſta funebria illic perſoluta Franciſco primo, & gratiarum actio pro victoria Caroli V. l. 10. c. 2. n. 1. Studia Patrum ad retinendam exercendamque ſuam auctoritatem. ibid.n.1.3. & 7. Seſſio decima cum alia prorogatione Decretorum. ibid.n.4. & 5. Aduentus

inſignium quorumdam procuratorum, & Oratorum, Præſulumque Gallicorum. ibid. n.6.c.4.n.4.& c.7. n.2. *Prorogatio Seſſionis ad incertum diem*. l.10. c.5.n.1. *Variæ ſententiæ, inter eos qui Romæ ſelecti fuerant, de progreſſu aut ſuſpenſione Concilij, quæ Cardinalibus lectæ ſunt*. l.10.c.6.n.9 & c.8.n.2. *Cœtus Epiſcoporum de conteſtatione Oratoris Mendozæ in Senatu, & epiſtola ad Pontificem ſcripta*. l. 10.c.9 n 1. & ſeq. *Conteſtationes in Concilio duorum Fiſci Cæſariani Procuratorum, & reſponſum illis redditum*. l.10. c.11. per totum. *aliqui ex Patribus delectis Romã vocati, ad ſuam cauſam tuendam, ſuſpenſis interim ſolemnibus Synodi actionibus*. l.10. c.14 n.1.& c.15.n.1. & 2. *Hi ad Congregationem Cardinalium remiſſi, & Legati iuſſi abſtinere ſe à Cœtibus Patrum*. l. 10.c. 16. n.1. *Articuli propoſiti in cauſa tranſlationis*. l.11.c. 2.n. 3. *Suſpiciones proditionis Bononiæ*. l.10. c.14.n.1. & l.11.c. 3.n. 2. *Epiſcopi ex varijs Nationibus Pontificem adeunt ad nouam reparationem ſtatuendam*. l.11.c.4.n.2 *Suſpenſio Concilij*. ibid. n.4. *Sermones de ea, & falſa Suauis dicta*. ibid.n.5.& ſeq.c.5. per totum.

Braccius Martellus Epiſcopus Feſulanus ſuo ſcripto turbas ciet de auctoritate Epiſcoporum. l. 9. c. 2. n. 1. 2. *eius ambiguitas an Bononiam adiret, & quo modo adductus eſt*. l.9. c.17.n.1. *eius tranſlatio ad Epiſcopatũ Altinum*.l.13.c.1.n.10

Bruerius. Vide. *Martinus*.

C.

Calix permiſſus Proteſtantibus in ſcriptura Interim. l. 10. c. 17. n.1.2.& 6.& l.10.c.8.n.1. *Facultas ſuper hac tradita à Paulo III. Nuntijs Germaniæ*. l.11.c.2.n.11. *Cupido in populis Auſtriæ, Carinthiæ, & Cliuenſibus illius conceſſionis*. l. 14. c.6.n 6. l.15.c.5 n.9.

Camerinum à Iulio III. oblatum Octauio Parmenſi Duci vice Parmæ; ſed ab eo recuſatum. l.12.c.12.n.5.& 6. & c 16.n.3.& 4.

Camillus Oliuus. Calumniæ & errata Suauis de illo. l. 16.c.4 n.17.

Camillus Vrſinus miſſus à Paulo III. ad Parmæ cuſtodiam, & molimina Cæſarianorum ibi ab eo detecta. l. 10. c.17.n.3. & l.11.n.1. *Diſsidia inter ipſum & Farneſium Ducem*. l.11.c.6 n.2.3.& 5. *Traditio illius vrbis Duci Farneſio ob ſecreta Iulij III. iuſſa*. l.11 c.7.n.1. *Idem electus dux belli contra Farneſium*. l. 11. c.16.n.11.

Cancellarius Pariſienſis Caluiniſtis fauet. l.15.c 14.n.1.

Canonici. Vide *Capitula*.

Capitula Cathedralium, aliarumque maiorũ Eccleſiarum. Eorũ reſtitutio tempore Sedis vacãtis. l.9.c.11.n.13

Cardinales. Diploma Pauli III. de ipſis. l 9.c.1.n.3.& c.2.n 4.& 5. *Tridenti controuerſia, an in legibus diſciplinæ Cardinales eſſent nominandi; & falſitas Suauis*. l. 9. c. 8.n.8. & ſeq.

Carolus Borbonius Cardinalis quærit & obtinet à Pio IV. legationem Auenionenſem. l.16.c.3. n.5.

Carolus Borromæus donatus Purpurâ à Pio IV. l.14.c. 15.n. 1. *eius litteræ ad Mantuanum Cardinalem de propoſito mittendi nouos Legatos ad Concilium*. l.16.c.8.n.15.

Carolus Caraffa electus Cardinalis à Paulo IV. eiuſque conditiones. l.13. c.12 n.6. *Illius acrimonia in Hiſpanos, eiuſque ſtudia vt Pontificem cum rege Galliæ fœdere iungeret*. lib.13.cap.14. num.5. & 11. *Conuentiones*

uentiones ab eo ſollicitatæ inter eos duos Principes l.13.c.15.n.5. & 6. Eius legatio in Galliam ad id conficiendum, ſed ſpecie ob ſolam pacem vniuerſalem. l.13.c.16.n 6. Acta ab ipſo in ea Aula, eiuſq́ue Romam reditus cum auxilys. l.13.c.19.n.2. & ſeq. Colloquiū ab eo cum Albano Duce ſtatutum, & cur non peractum l.13.c.20.n.5. & 6. Alterum cum eo colloquium ad armorum ſuſpenſionem. ibid.n.11. & 12. Varia ab eo agitata cum Principibus Italiæ ad obtinenda pro eo bello auxilia. ibid.n.13. Eius conſilium aggrediendi regni Neapolitani. l.14.c.1.n.2. Concordia ab eo cōpoſita cum Albano Duce, & duæ pactiones ſtatutæ, altera priuata, altera publica. l.14 c.3.n.8. & c 4. per totum. eius legatio ad Regem Hiſpaniæ ad componendā pacificationem cum Gallia, & ad alia priuata negotia; cui parum ſatisfactum eſt. l.14.c.4.n.5. & c.5. per totum. Paulus IV. eum expellit ab Aula, & qua de cauſa. l.14.c.7. per totum. Obſequium ab eo & à ſuis oblatum Philippo Regi, ſed ſine effectu. l.14.c.9 n.3. Venit ad Comitia poſt mortem Pauli IV. & nouum Pontificem deprecatur pro populo Romano. l.14 c.10 n 1.4.7. & 8. Nuntij poſtulata in Hiſpania ad ipſius eiuſq́ue familiæ emolumenta. l.14.c.13.n.2. & c 15.n.5. & 7. Eius in Arcem Æliam coniectio, & mors illi illata. l.14.c.15.n.5. & ſeq.

Carolus Guiſius Gallus Cardinalis, Lotharingus appellatus, ad Purpuram prouehitur a Paulo III. l.10 c.5. n.11. Purpuram accipit in Senatu. l.10. c 8.n 4. Conficit fœdus inter Paulum IV & Gallos, in Hiſpanos: & eius ſtudia ad pertrahendos Italiæ Principes. l.13.c.17.n.7. & c.16.n.1. & 2. Eius conſilia ad hæreſim euitandam; & Suauis calumnia. l.14. c 8 n.5. & 6 Obiecta ab illo in Belliſontis conuentu hugonottorum poſtulatis. l.14.c.15.n.3. & 7.

Carolus Nonus Rex Galliæ ad regnum peruenit ætatis anno decimo l.15. c.1.n.3. Eius ſenſus, eiuſq́ue miniſtrorum, de diplomate conuocationis. ibid.n.5 6. & 7. Rhemis coronatur. l.15.c.14 n.2.

Carolus V. in Italia degens, mittit Oratores in Germaniam ad Concilij conuocationem. l.13.c.13 n.3. Pontificis offenſio, quòd bellum non continuaret in Proteſtantes. l.9.c.3.n.1. vſq; ad 9 eius quærimoniæ & preces apud Pontificem pro reditu Concilij Tridentum; & repulſa, ab eo graui animi ſenſu concepta. l.9 c.15.n.19. per totum. Inſignis victoria quam à Lutheranis reportat. l.10.c.1.n.3. Accedit ad Auguſtana Comitia, & per viam cum Sfondrato Cardinali agit. l.10.c.3.n.1. vſque ad 6. eius differentia cum Paulo III. Regis Galliæ cauſâ. ibid.n.11. Quæ cum eo & cum Octauio Farneſio egit in Petri Aloyſij caſu. l.10.[illegible].n.6. Eius ſenſa & ipſius ſtudia de adeptione Placentiæ. ibid.n.7 & 8. Acta cum Pontificijs ad eam reſtituendam. ibid.n.4.9. & 10. Madruccius ab eo Romam miſſus. lib. 10. cap. 6. n.4. vſque ad 8. Varia mandata ad ibi ac Bononiæ conteſtandum aduerſus Concilij legitimam vim. l.10. c.8. n.11. & 12. per totum. Eius ſenſus poſt reſponſum Pontificis Mendozæ redditū, & quæ cum eo egit per Ardinghellū. l.10.c.14.n.3. & c.14.n.1 Legatos poſtulat cum facultate in rebus Religionis: & interiecta à Rege Galliæ difficultates. ibid. & n.2. & 3. Publicatur Interim in Auguſtano Conuentu. l.10.c.17. per totum. Concilium eo poſtulante ſuſpenſum. l.11.

l.11.c.2.n.3.& 4. *Agitur de eo Tridentum reuocando ſub Iulio III.* l.12.c.8.n.1. vſque ad 4. *Conuentus iterum Auguſtæ habitus, eiuſque Decreta de ſubijciendo Concilio vniuerſa Germania.* ibid. n.6. & c.5. n.3. & ſeqq. *Stimulatur Pontifex contra Ducem Parmenſem.* l.11. c.13. n.5. *Purpura ab eo poſtulata pro multis Cardinalibus, & non obtenta.* l.13.c.1 n.3 *Concedit poſſeſſionem Archiepiſcopatus Neapolitani Tiatino Cardinali, cui diu denegauerat, idque in gratiam Iulij III.* l.13.c.11.n.10. *Fruſtrà tentat vt eligeretur ipſius filius Romanorum Rex.* l.14.c.15.n.1. *Varia eius opinamenta de concordia inter Pontificem & Galliæ Regem.* l.13.c.2 n.2. & 3. *Ipſius periculum, & fuga Oeniponto ob Lutheranorum impetum.* l.13.c.3.n.2. & 8. *Concordia cum illis Paſſauia conſtituta.* l.13.c.5 n.3.4.& 5. *Eius abalienatio à Germanis, & a Synodo; & de his euentibus conſideratio.* l.13.c.4.n.1. & 2. & c.5.n.1.& 2. *Studia illi adhibita à Pontifice pro pace vniuerſali; & graues conditiones ab illo propoſitæ.* l.13.c.5.n.6. & c.6. n.1.&.3. *Cogit Polum Cardinalem vt in via ſiſtat quâ in Angliam pergit.* l.13.c.7.n.7. & c.8.n.4.5.& 6. *Graues diffidentiæ cum Paulo IV.* l.13 c.14.n.1.vſque ad 6. *Regnis renuntiat, & filio tradit: & armorum ſuſpenſio cum Gallis firmata* l.13.c.16.n.4. *Rurſus Imperio renuntiat, ac Ferdinando Regi tradit.* l.14.c.6.n.5. *Eius mors; & malignitas Suauis.* ibid. n.12. & c.11.n.3. & 4.

Carolus Vicecomes, Epiſcopus Vintimilienſis, multa monumenta ſcribit de poſtremis Synodi euentis. l.15 c.13.n.4. *Mittitur Tridentū: & quæ per viam egit.* l.16.c.11.n.8.& ſeq.

Carthago. Vide *Concilium.*

Catharina Medicea, vxor Henrici II. Galliæ Regis, adminiſtrationi Regni præeſt viro demortuo. l.14.c.12.n.9. *Leniter cum hugonottis ſe gerit: & adhibita illi ſtudia à varijs Principibus pro Catholica Religione.* l.15. c.12.n.1.2.& 3. *De auctoritate contendit cum Antonio Nauarræ Rege.* l.15.c.14.n.1. *Eius animus in Concilium Tridentinum.* l.13.c,3.n.8.

Caualcantius. Vide. *Bartholomæus.*

Cæſar Spina, Calaber, à Caraffenſibus Romæ necatus, & cur. l.13.c.15.n.1. & l.14.c.15.n.1.

Character impreſſus à Sacramentis quid ſit; & Suauis error. l.9.c.5.per totum. *eiuſdem ratiocinatio de charactere immutabili in clericis gradu deiectis.* l.12.c.4.n.5. & 10.

Claudius Durfeus Orator Gallicus: eius Bononiā profectio. l.10.c.4.n.4.

Claudius à Guiſca Gallus, Epiſcopus Agathenſis, ac poſteà Mirapicenſis, ambigit prius de Synodi tranſlatione, ac de profectione Bononiam. l.4. c.15.n.8. & c.17. n.2. *Eius illuc acceſſus.* l.10 c.4.n.4.

Clemens Septimus. Errata Suauis de ijs quæ ipſe egit cum Cæſare de conuocatione Concilij. lib. 12. cap.15. n.12.

Clerici quo pacto ſubdantur Prælatis. l.9.c.12.n.16.l.12.c.5.n.1.vſque ad 6.c.13. per totum. *Suauis ratiocinatio de appellationibus ac degradationibus.* l.12.c.4 per totum.

Clerus Helueticus mittit Oratorem ſuum ad Concilium in poſtrema conuocatione. l.16. c.2.n.3.& 5.

Clerus Hungaricus mittit duos Epiſcopos ad Concilium ſub Pio. l.16. c.2.n.6.

Collegium Germanicum Romæ inſtitutum à Iulio III. l.13.c.8.n.9.

Colloquium Poſſiaci habitum inter Catholicos

tholicos & Calviniſtas. l. 15. c. 14. n.2.& 3.

Colloquium VVormatienſe inter Catholicos & Lutheranos, cum Pauli IV. moleſtia. l.14.c.6.n.1.2 3.& 4

Commenda. Ratiocinationes Suavis de ipſarum inſtitutione. l. 9. c. 9. n. 8. & ſeq.

Commendonus. Vide Joannes Franciſcus.

Concilium Baſileenſe quam facultatem conceſſerit hæreticis in publica fide. l.12.c.15.n.9. Declaratio ibi habita de prærogativa Conciliorum ſupra Romanos Pontifices; & quo pacto rejecta ſit à multis Patribus Tridentinis. ibid.n.12.& c.13.

Concilium Bononienſe. Vide Bononia.

Concilium Carthaginenſe Innocentium I. agnoſcit ut Eccleſiæ caput, contra id quod affirmat Suavis. l.12 c.9.n.4.5.6. & 7.

Concilium Conſtantinopolitanum ſecundum. Suavis mendacia de illius legitima vi. l. 11. c. 18.n.7.& 9.

Conciliũ Conſtantienſe quo pacto limitaret datam publicè fidem hæreticis, & quomodo in hoc denegatum eſt à Patribus Tridentinis. l.12.c.15.n 8 & 17. Ejus Decretum de prærogativa Conciliorum ſupra Romanos Pontifices, allatum Tridentum à Proteſtantibus, & reſponſum ad id Legatorum. ibid. n. 12.& 13.

Concilium Epheſinum I. Errores Suavis de ejus acceptatione. l. 11.c. 18. n.7.& 8.

Concilium Moguntinum, de Imaginum & Sanctorum adoratione: & falſa Suavis prolata. l. 11. c. 4 n.5. & 6.

Concilium Nationis deſtinatum in Gallia in Conventu Fontisbelli: & adhibita à Pio IV. & Philippo II. ſtudia ad illud præpediendum. l. 14. c.16. n.7. & ſeq.

Concilium Tridentinum. Varij memorantur, è quorum monumentis hanc hiſtoriam Auctor deſumpſit. l. 15. c. 13. n. 1. & 4.

Concilium Tridentinum ſedente Paulo III. Seſſio ſexta & ſeptima celebrata. l. 9. c.12. per totum. Morbi contagioſi Tridenti, & ſermones de tranſlatione l.9.c. 13.n. 2. & ſeq. Id in cœtu generali ſtatutum, & in octava Seſſione, Hiſpanis reluctantibus. l. 9. c. 14. & 15. per totum. Acceſſus Bononiam multorum Præſulum & Legatorum. l. 9. c. 27. n.1.& 2.

Concilium Tridentinum à Julio III. coactum; & falſa à Suavi dicta de Diplomate convocationis. l.11.c.11. n. 3. & ſeq. Adventus Tridentum Præſidum, & Oratorum Cæſaris. l.11.c.14.n.2. Ejus apertio, & Seſſio prima, ſive undecima, retardatis Decretis in gratiam Germanorum. l.11.c.14. n. 4. Tranſitus Tridento Hiſpaniæ Principis, ac Regis Bohemiæ. l.11.c.15.n.1.2.3 & 4. Adventus multorum Præſulum, & aliquorum Oratorum Regum, & trium Eccleſiaſticorũ Electorum. ibid.n. 5. & 6.& l. 12. c. 9. n.1. Seſſio duodecima; & iterum retardata Decreta. l. 11.c.15. n. 6. Litteræ & conteſtationes Regis Galliæ ad Concilium: Concilij reſponſa, & quid in ea re acciderit. ibid.n.7.& c.7. per totum. & l.12.c.9.n.7. à Suavi falsò dicta de hiſce rebus, & ejuſdem ſententia de Concilij vi legitima. c.17.n.2.& 3. & c.18.n.6. & ſeq. Ejuſdem auctoris calumnia de opera minorum Theologorum & Epiſcoporum in rebus Fidei. l.12.c.1. per totum. Aliquorum articulorum mora ad præſtolandos Proteſtantes. Fides publica ſecuritatis illis tradita, & correcta, & nova Suavis ratiocinationes expenſa. l.12.

l. 12. c. 8. per totum, & c. 15. n. 17. *Seſſio decima tertia. Obedientia oblata ab Oratoribus Brandeburgenſibus, & eiuſdem auctoris malignitas.* l. 12. c. 9. n. 2. vſque ad 7. *Obiecta ab eodem Seſſioni decimatertia.* l. 12. c. 14. per totum. *Aduentus quorū Oratorum hæreticorum.* l. 12. c. 15. n. 2. & 3. Vide *Oratores. Nouus tranſitus Tridento Regis Bohemiæ & vxoris.* ibid. n. 3. *Prorogatio Seſſionis, & poſtulatum Proteſtantium.* l. 13. c. 2. n. 4. 5. & 6. *Acceſſus Oratorum Luſitaniæ.* ibid. n. 9. *Diſcrimina Tridenti ob bellum à Lutheranis illatum, & complurium Epiſcoporum diſceſſus.* l. 13. c. 3 n. 2. & 3. *Agitur de ſuſpenſione, repugnantibus Cæſarianis.* ibid. n. 3. *Et concluditur in Seſſione decimaſexta; & conteſtatio ab duodecim Hiſpanis Epiſcopis obiecta.* ibid. vſque ad n. 8. *Suauis peruerſitas de hoc Decreto.* ibid. n. 10. & 11. *Eiuſdem calumnia in Synodi dilationem.* l. 13 c. 4. n. 1. & 2.

Concilium Tridentinum Pio ſedente conuocatum. l 14. c. 17. n. 2. & ſeq. *Legati electi.* l. 15. c. 6. n. 2. & 8. *Legatorum, Magiſtratuum, & multorum Patrum acceſſus Tridentum.* l. 15 c. 11. n. 2. 3. & 4 c. 12. n. 8. c. 13. n. 1. & 9. *Apertionis mora, & cur.* l. 15. c 15. n. 3. *Poſtulata Hiſpanorum vt declararetur Continuatio Synodi.* ibid. n 4. Vide *Continuatio. Obiecta ab illis particula*, Proponentibus Legatis, *poſita in primo Decreto.* l. 15. c. 16. n. 1. 2. & 3. Vide *Oratores. Petita ab iiſdem de Concilij titulo.* l. 15. c. 19. n. 15. Vide *Titulus. Seſſio prima, ſiue decimaſeptima, & apparatus ad ſequentem.* l. 15. c. 16. n. 3. & ſeq. & c. 1. & 19. per totum. *Varij Oratores excepti.* l. 15 c. 20. n. 1. vſque ad 8. l. 16. c. 2. per totum. c. 6. n. 1. & c. 10. n. 1. *Noua poſtulata à Cæſarianis de deciſione dogmatum Fidei, & varia de hoc Patrum ſententiæ.* lib 15. c. 20. n. 6. & ſeq. *Seſſio ſecunda ſiue decima & octaua.* l. 15. c. 21 n. 4. *Libertas Concilij quod ſpectabat ad Romanum Pontificem, quam etiam Suauis fatetur.* l. 16. c. 7. n. 9. Vide *Libertas. Seſſio tertia & quarta cum dilatione Decretorum.* l. 16. c. 7. n. 5. & c. 12. n. 6. & ſeq.

Concilia. Cur in præſentia non ſit in vſu eorum conuocatio. l. 16. c. 10. n. 9. & 10. *An hæc præcellant Romanis Pontificibus.* Vide *Pontifex.*

Concordia Paſſauienſis inter Cæſarem & Proteſtantes. l. 13. c. 5. n. 3. 4. & 5.

Confeſſio. Vide *Pœnitentia.*

Congregatio Pauli III. de rebus ad Concilium ſpectantibus l. 9. c. 1. n. 2. c. 17. n. 4. l. 10. c. 6. n. 9. c. 16. n. 1. 2. & 3.

Congregationes Iulij III. ad Synodum cogendam. l. 11. c. 8. n. 1. *Pro illius ſuſpenſione, & pro metu Proteſtantium.* l. 13. c. 3. n. 2. *Pro Eccleſia reformanda.* l. 13. c. 4. n. 3.

Congregationes Pauli IV. pro cenſu Neapolis, oblato ab Albano Duce belli tempore l. 14 c. 3. n. 1. *Pro renuntiato Imperio à Carolo V. fratri ſuo.* l 14. c. 6. n. 7. *Pro regimine ditionis Eccleſiaſticæ.* l. 14. c. 7. n. 5.

Congregationes Pij IV. de manſione in Eccleſiis. l. 16 c 8. n. 13.

Congregatio generalis pro transferenda Synodo. l. 9. c. 14. n. 1. & ſeq.

Congregationes Bononienſes de hoc litigio. l. 10. c. 9. n. 1. & ſeq.

Congregatio generalis, in qua conteſtantur Fiſci Procuratores Caroli V. l. 10. c. 11. n. 3.

Congregatio prima generalis, antequam Synodus aperiretur, tempore Iulij. l. 11. c. 14. n. 4. *Loca deſignata* *Theo-*

Theologis in ſententia dicenda in congregationibus earumque conuocationibus ſingulis diebus. l. 12. c. 2. n. 3. & c. 12. n. 18. *Congregatio generalis ſub eodem Pontifice, in qua decernitur de ſuſpenſione Concilij ob metum Proteſtantium.* l. 13. c. 3 n. 3.

Congregatio prima generalis ætate Pij, & eiuſmodi cœtuum ritus. l. 15. c. 15. n. 9. & ſeq. *Congregatio generalis de primis capitibus diſciplinæ.* l. 16. c. 4. n. 4. & ſeq.

Continuatio Concilij ætate Pij reſpectu conuocationum præcedentium, ardenter poſtulata ab Hiſpanis, & oppugnata à Cæſarianis & Gallis. l. 14 c. 12. n. 15. & 17. c. 13. n. 6. & 16. c. 17. n. 5. l. 15. c. 1. n. 5. 6. & 7. c. 2. n. 2. 6. & 7. c. 15. n. 4. vſque ad 8. l. 16 c. 6. n. 3. c. 7. n. 3. & 4. c. 10. n 2. *Deſiderium & iuſſa Pontificis pro hac declaratione, ſed poſteà mitigata.* l. 16. c. 10. & c. 12. n. 2. vſque ad 6.

Conuentus Proteſtantium Erfordiæ, eorumque in Auſtriacos agitata. l. 15. c. 8. n. 1.

Cornelius Ianſenius Epiſcopus Iprenſis damnatur ab Innocentio X. in ſuis Operibus de libero arbitrio, & alijs articulis. l. 15 c. 7. n. 13. & 14.

Cornelius Muſſus ex minoribus Conuentualibus Epiſcopus Bituntinus mittitur Nuntius in Germaniam pro extrema Synodi conuocatione. l. 14. c. 13. n. 7. & 8.

Coſmus Mediceus Florentiæ Dux Senas accipit à Rege Philippo ob matrimonium non acceptum cum Rege Galliæ. l. 14 c. 2. n. 1. *Eius diligentia vt pacem componeret inter Paulum IV. & Albanum.* l. 14. c. 3. n. 8. *Eiuſdem Pontificis in eum beneuolentia* l. 14. c. 15. n. 1. *Romam venit, ibique excipitur.* l 14 c. 17. n. 3. *Interuenit Pontificiæ ſupplicationi pro apertione Concilij, & error Suauis.* ibid. n. 2. & 3. *Eius Orator Tridentum miſſus.* l. 16. c. 2. n. 2.

Conſtantinus Pontius Concionator Caroli V. in cuſtodia obit hæreſis cauſà; & falſa à Suaui dicta de eo Principe. l. 14. c. 11. n. 2.

Conſtantinopolis. Vide *Concilium.*

Conſtantia: Vide *Concilium.*

Conſtitutiones Apoſtolicæ. Vide *Concilium.*

Confirmationis Sacramentum an poßit iterari ſecundùm veterem ſententiam Conciliorum & Doctorum; & Suauis mendacia. l. 9. c. 5. per totum. *Canones de ea ſanciti, & longa conſiliatio de ipſius miniſtris.* l. 9. c. 7. n. 10. & ſeq. Vide *Sacramenta.*

Chriſtophorus Cardinalis Madruccius, Epiſcopus & Princeps Tridenti, multa accipit beneficia à Iulio III. quamquam ante huius aſſumptionem aliqua inter eos turba contigerint in Synodo. l. 1. c. 6. n. 6. *Adit Cæſarem poſt tranſlationē Bononienſem, & falſa ipſi adſcribuntur.* l. 9. c. 19. n. 1. *Mittitur ob ea negotia ad Pontificem, & cum quibus mandatis.* l. 10. c. 6. n. 4. vſque ad 8. *quæ ipſe egerit, & errata Suauis.* ibid. n. 8. & 9. & c 8. n. 2. 3. 4. & 5. *Ardenter optat legationem Germaniæ; & oppoſita ſenſa Pontificis & Legatorum Synodi.* l. 10. c. 7. n. 4. & c. 16. n. 3. & 4. *Occurrit honorificè Legato & Præſidibus miſſis ad Concilium à Iulio III.* l. 11. c. 14. n. 2. *Dubitatio de loco ſupra duos Præſides Epiſcopos, & quo pacto deciſa.* ibid. n. 3. *lautiſſimè excipit Hiſpani Regis filium, Tridento tranſeuntem.* l. 11. c. 15. n. 3 *Eius ſententia de quibuſdam articulis Euchariſtiæ: & auctor eſt vt Calix concedatur Catholicis Germanis.* l. 12. c 2. n. 10. *Diſcrimen Tridenti ab eo ſignificatum Pontifici ob motum Lutheranorum.*

l. 13.

l. 13. c. 2. n. 3. *Suppetia ab ipſo data quibuſdam miniſtris Pontificÿs, in repentino eorum diſceſſu.* ibid. n. 9. *Renuntiat Epiſcopatum Ludouico Madruccio nepoti, & legatio Picena illi data à Pio IV.* l. 15. c. 6. n. 4.

Chriſtophorus Stratius primus Orator Brandeburgenſis, Concilio Tridentino obidientiam offere nomine ſui Principis; & malignitas Suauis in hoc. l. 12. c. 9. n. 2. vſque ad 6.

Comes Aliſanus, interfector coniugis Ducis Paliani ſororis ſua, capite plexus Roma. l. 14. c. 15. n. 9 & 15.

Comes Monfortius. Vide *Hugo.*

Comes Mirandulanus. Vide *Io. Thomas.*

Comes S. Flora. Vide *Sfortia.*

Comes Tendilia, Orator obedientia pro Philippo II ad Pium IV. eiuſq́ue acta in Caraffenſes. l. 14 c. 14. n. 5. & 7. & c. 15. n. 8.

Comitia Auguſtana anno 1547. conuocata propter negotia Religionis. l. 10 c. 3. n. 11. *Littera Eccleſiaſticorum ad Pontificem, qui eò conuenerant, de reditu Concilÿ Tridentum; & redditum illis reſponſum.* l. 10. c. 6. n. 1. 2. & 3. & c. 10. n. 2. & ſeq. *Decretum Comitiorum vt ſe omnes remitterent Decretis futuri Concilÿ.* l. 10. c. 6. n. 4. *Scriptum* Interim *vulgatum illic à Caſare, & ſenſus Catholicorum atque hereticorum de ipſo.* l. 10. c. 17. n. 6. & 7. *Clerus Germanus reformatus ab eodem Caſare: & Suauis conſiderationes ſuper hoc expenſa.* l. 11. c. 2. n. 1.

Comitia Auguſtana anno 1555. praſente Legato Apoſtolico. lib. 13. c. 10. num. 3. *Eius Decreta in detrimentum Religionis.* l. 13. c. 15. n. 4. & 5.

Comitia Auguſtana 1559. in quibus confirmatur pax Paſſauienſis. l. 14. c. 9. n. 3.

Comitia Badenſia ab Heluetÿs conuocata, & inuitatio ibi ad illos habita ad Concilium Tridentinum. l. 15. c. 9. n. 8.

Comitia Francofurti, in quibus Carolus V. renuntiat Imperio, traditq́ue Ferdinando Regi. l. 14. c. 6 n. 5.

Comitia Naumburgi coacta à Proteſtantibus. l. 15. c 2. n. 4. *Eò accedunt Nuntÿ Pontificÿ ad indicendum Concilium.* ibid. n. 9. & 10. & c. 3. per totum. *Decreta Comitiorum promulgata.* l. 15. c 4. n. 1.

Comitia Ratiſponenſia, coacta anno 1542. Suauis errata in narrationibus ad ea ſpectantibus. l. 14. c. 13. n. 8 & ſeq.

Comitia Ratiſponenſia anno 1556 & 1557. vbi decernitur colloquiū inter Catholicos & Proteſtantes habendum VVormatia. l. 14. c. 5. n. 1. 2. 3. & 4.

Coniunctiones beneficiorum Eccleſiaſticorum reformata à Concilio Tridentino; & Suauis diſſertationes ſuper his. l. 9. c. 9 n. 8. & ſeq. c. 11. n. 7. 8. 9. & 10. l. 12. c. 13 n. 13.

Conuentus habitus in Fontebello, vbi decernitur conuocatio Synodi Nationis l. 14. c. 16. per totum.

Conuentus recens habitus ab hugonottis ad idem efficiendum. l. 15. c. 14. n. 13. & 14. Vide *Comitia.*

Cruciata facultas tradita à Pio IV. ad Philippum II. l. 14. c. 13. n. 4. *agitatur de ipſius renocatione Tridentum; ſed difficultas ob obiecta ab Hiſpanis.* l. 14. c. 8. n. 5. & 6.

Curiones. Vide *Parochi.*

D.

D*Andinus.* Vide *Hieronymus.*

Dandolus. Vide *Matthaus.*

Daneſius. Vide *Petrus.*

Daniel Barbarus coadiutor Aquileienſis, eiuſque mores. l. 16. c. 4 n 22

Degradationes. Earum origo. Sermones Suauis de ea expenſi. l. 14. c. 4. n 9. & ſeq. *Decretum Concily ſuper hoc.* l. 12. c. 5 n. 4.

Didacus Lunez Theologus Societatis IESV *venit Tridentum tamquam Theologus Pontificius atate Iuly.* l. 12. c. 2. n. 1. & 6 *Publicè admonet Reginam Gallia in colloquio Poiſſiacenſi: & malignitas Suauis.* l. 15. c. 14. n. 3.

Didacus Mendoza Orator Caſaris apud Pontificem. l 9. c. 20. n. 3 *eius acta vt reponeretur Tridenti Synodus poſt tranſlationem Bononienſem.* l. 10. c. 1 n. 1. *eius poſtulata vt ibi prorogaretur Seſſio.* l. 10. c. 4. n 4. *Pactio ab eo inita, vt ea lis componeretur inter ipſum & Farneſium Cardinalem; ſed ſine euentu.* l. 10. c. 5. n 6. *Eius conteſtationes in Senatu Pontificio, & reſponſum acceptum.* l. 10. c. 8. n. 4. & 5. c. 10. n. 1. c. 12. n. 2. & ſeq. c. 13. per totum. *Colloquium cum Pontifice, vt mitterentur in Germaniam Legati cum ampla facultate in rebus Religionis.* l. 11. c. 1. n. 8. *Eius elatior agendi ratio in adminiſtratione Senenſi, & ibidem tumultus.* l. 13. c. 6. n. 1.

Diploma Iuly III. de emendatione, & de Concilio. l. 11. c. 12. n. 1. *ad reformanda Pontificia Comitia & Clerum, ſed non promulgatum ſolemniter, ob mortem Pontificis.* l. 13. c. 10 n. 1. & 2.

Diploma Pauli III de peculiari emendatione Collegy. l. 9. c. 1. n. 3. & c. 2. n. 4. & 5. *De conceſſione quorumdam Eccleſiaſticorum bonorum Caſari.* l. 10. c. 1. n. 2. *Pro facultatibus Nuntiorum Germania, in rebus ad Religionem ſpectantibus.* l. 12. c. 2. n. 8.

Diploma Pauli IV. quo ſtatuitur dies feſtus S. Cathedra ſancti Petri. l. 14. c. 1. n 5.

Diplomata Py IV. ad Concilium conuocandum. l. 14 c. 17. n 2 & 4. *Ad promulgandum Iubilaum ea de cauſa.* ibid. n. 2 *Ad reformandam Pœnitentiariam, & alia Tribunalia Roma.* l. 16. c. 7. n. 21. & ſeq.

Dominicani. Calumnia Suauis in eos de inſtitutione pœnitentia. l. 12 c. 13. n 7. & 8.

Dominus Ceuvreus. Vide *Carolus Guilielmus.*

Dominus Inſula, Orator Gallus ad Pium IV. Eius officia cũ Lotharingo Cardinali, contra Gualteriũ Epiſcopum Viterbienſem. l. 9. c. 9. n. 4. & 5.

Draſconizius. Vide *Georgius.*

Dux Albanus Prorex Neapolitanus varias habet cauſas diſcordia cum Paulo IV. qui etiam eius Actorem conycit in carcerem. l. 13. c. 15. n. 1. c. 17. n. 3. & ſeq. *Pax inter eos agitur ſine fructu.* c. 17. n. 9. & 10. & c. 18. per totum. *Bellum ab eo illatum, & loca ab eo capta prope Romam.* l. 13. c. 19. n. 1. & c. 20. n. 1. & 9. *Agitur de concordia, ſed fruſtrà.* l. 13. c. 20. n. 3. vſque ad 7. *Inducia prius ad decem, poſteà ad quadraginta dies.* n. 11. *Vectigal pro regno Neapolitano ab eo oblatum, ſed à Paulo reiectum.* l. 14. c. 3. n. 1. *Aduentus ipſius cum exercitu ad Soram.* ibid. n. 3. *Eius conſilium de capienda Roma, ſine effectu, & cur; & Suauis mendacia.* n. 5. & 6. *Colloquium Ducis cum Caraffa Cardinali.* ibid. n. 8. *Dua pactiones, altera publica, altera arcana, inter ipſos firmata; & Suauis malignitas.* l. 14. c. 4. per totum. *Romam venit, & excipitur à Pontifice.* ibid. n. 5. *Obſtacula ab eo interpoſita Bruxellis, iis qua Caraffa Cardinalis egerat.* l. 14. c. 5. n. 9. & 10.

Dux

Dux Aurelianenſis. Vide *Carolus.*
Dux Bauariæ. Vide *Albertus.*
Dux Cleuenſis. Eius & ditionis ipſius conditio de Fide. l.15.c.5.n.7. *Quæ ipſe agit cum Commendono Nuntio de Synodo cogenda.* ibid n.8. *Eius poſtulatio pro vſu Calicis, & matrimonio ſacerdotum.* ibid.n 9.
Dux Ferrariæ. Vide *Hercules.*
Dux Florentiæ. Vide *Coſmus.*
Dux Guiſiæ. Vide *Franciſcus Lotharingus.*
Dux Mantuæ. Vide *Guilielmus.*
Dux Nortumbriæ Anglus conſpirat vt promoueatur ad regnum Ioanna eius nurus. Declaratur regni proditor, ac poſteà capite truncatur. l.13. c.6.n.4.5.
Dux Paliani. Vide *Ioannes Caraffa.*
Dux Suffolci. Vide *Henricus Gray.*
Dux Vrbini. Vide *Guidobaldus.*
Dux Summanus. Vide *Antonius Sanſeuerinus.*

E.

ECcleſia quid ſignificet, quod ſpectat ad nomen. l.9.c.9. n. 4 *Suauis ratiocinatio aduerſus illius poteſtatem.* l.12.c.3. per totum.
Eccleſiaſtici: an recentiores deteriores ſint antiquis. l.9 c.9.n.8 9 10.& 11.
Eccleſiaſtici Germaniæ: eorum epiſtola ad Pontificem pro reditu Concilij Tridentum, & reſponſum acceptum. l. 10. c. 6. n. 1. & 2. & c 10. n. 2. & ſeq. *Eorum emendatio a Carolo V. habita in Conuentu Auguſtano.* l.11.c.2.n.1.
Eleonora Auſtriaca, filia Ferdinandi Cæſaris, venit Mantuam ſponſa Ducis Guilielmi, eiuſque Tridento tranſitus. l.15.c.11.n.3.
Eliſabetha, minor filia Henrici VIII. euecta ad ſolium Angliæ. l. 14. c.8. n.2. *Eius vana ſtudia, vt comprobaretur tamquam regina à Pontifice; & mutatio Fidei in Anglia.* ibid.n.3. *Inuitatur a Pio IV. vt conſentiat Concilio, ſed fruſtrà.* l.15.c.7.n.1.& 2
Epheſius. Vide *Concilium.*
Epiſcopi. Diſſertationes Suauis de primordijs & progreſſibus, & de exercitatione ipſorum iuriſdictionis. l. 12. c. 3. n. 1. vſque ad 8. & c. 4. n. 1. & 2. *Conceſſæ ipſis facultates à Concilio, vt ſubditos in officio continerent.* l.12 c.5. & c.15. per totum.
Epiſcopi Galliæ, qui veniunt ad Concilium Bononienſe. l. 10. c. 4. n. 4. & c. 7. n. 2. *Negligentia, quam præ ſe ferunt in adeundo Tridentum tempore Pij.* l.16.c.3.n.11.
Epiſcopi Hiſpani, qui erant in Concilio, ſe opponunt eius tranſlationi. l. 9 c 13. n. 7. c. 14. n. 5. c. 15. n. 4. *Toletani Oratoris operâ Tridenti perſiſtunt, & reſponſum non reddunt litteris Legatorum.* l. 9. c.17. n 1.c.20.n.2. *Diploma ad eos miſſum à Pontifice, vt aliquos deligerent eam cauſam defenſuros; & eorum excuſatio.* l.10.c.14.n. 2. & c.15.n.3.& 4 *Rurſum quatuor ex ipſis Romam vocantur ad emendationem conficiendam, ſed fruſtrà.* l.11.c.4. n.2. & 3 *Eorum diſceſſus poſt mortem Pontificis.* l.11.c.8.n.4. *Regreſſi ſub Iulio III. ad Concilium, conteſtantur contra ſuſpenſionē.* l.13 c.3.n.2.5.6. & 7. *Tridento fugiunt ob metum Lutheranorum.* ibid.n.8. *Sub Pio poſtulant epomium geſtare; & obſtacula in hoc ſuborta, ac ſuperata* l 15.c.13.n.5. & 6. *Eorum petitio vt Concilium ſub Pio declaretur Continuatio Concilij habiti ſub Paulo III. & ſub Iulio: & falſitas Suauis.* l.15.c.15.n.4. vſque ad 9.& l. 16. c. 6. n. 3. *Obſiſtunt dilationi Seſſionis, quò Galliæ Oratores expectarentur.* l.16.c.5. n.9. 10. & 11.

Conteſtatio ab ipſis digeſta, ſed non deducta in opus, quo manſionis articulus declararetur. l.16.c.12 n.7. & 8.

Epiſcopi qui Synodo Tridentina interfuerunt. Turba inter ipſorum complures, agentes de medio quo ſe deberent gerere in quibuſdam caſibus tamquam delegati Sedis Apoſtolicæ. l.9.c.2.n.1.2.& 3. *Difficultas in concedenda ipſis facultate in vltima connocatione, gerendi exemƴ; & de loco Primatum.* l. 15.c. 13.n.4. vſque ad 10.

Epiſcopi titulares; Reſtringitur ipſis à Concilio facultas in Ordinum adminiſtratione. l.12.c.13.n.3.

Euchariſtia. An in ea ſuſcipienda conficiatur peculiare Sacramentum. l.9.c.3. n.4. *Articuli de ea expenſi: & Suauis falſitas, præſertim de obligatione impoſita fidelibus vt eam ſumerent in Paſchate.* l 12.c.1.n.2. 4.& 5. *Varia ſuper hac re diſputationes.* l.12.c.2. per totum. *Quorumdam articulorum mora, vt Proteſtantes expectarentur.* l.12.c.8.n.1. 2.& 4. & c.15. n.1.& 17.

Euſtachius Bellaius, Epiſcopus Pariſienſis, venit ad Synodum primus ſuæ Nationis in vltima connocatione. l.16.c.3.n.11.

Extrema Vnctio. Arti culi examini expoſiti de ea. l. 12. c. 10. n 14. 15. 16. & 17. *Decreta ibi ſtatuta* ibid. n. 23. vſque ad 29. & n. 38. & ſeq. *Errata Suauis de inſtitutione huius Sacramenti.* l. 12. c.12.n.10. & ſeq. Vide *Sacramentum.*

F.

F*Aber.* Vide *Gu.do.*

Fabius Mignanellus pergit ad Cæſarem ob res Placentinas. l.10.c.8. n.1. *Demandatur ipſi cura ditionis Eccleſiaſticæ à Iulio III.* l. 11. c.1. n.4. *Creatus ab eodem Iulio Cardinalis.* l.13.c.1.n.9. *Mittitur Senas Legatus, ad componendas turbas.* l.13 c.6.n 2.

Fantuccius. Vide *Federicus.*

Federicus Borromæus, Pij IV. ex ſorore nepos, accipit in matrimonium filiam Ducis Vrbini. l.14.c.17.n.3.

Federicus Fantuccius, Bononienſis Duodecemuir, mittitur Nuntius in Hiſpaniam, acturus de pacificatione Philippi Regis cum Paulo IV. l.13. c.20. n.12.& l.14.c.1.n.1.

Federicus Pendaſius, ex familia Mantuani Cardinalis, eiuſque conditiones. l.15.c.13.n.3. *Mittitur ad Pontificem ob res Concilij: & errores Suauis de illo, & illius mandatis.* l. 16.c. 4.n. 17. & 18. *Infortunium quod ipſi accidit in reditu.* l.16.c.6. n. 2. *Mandata quæ ſecum defert Româ.* l.16.c.8.n.1. vſque ad 12.

Federicus, Septemuiri Brandeburgici filius, nominatur Epiſcopus Halberſtadenſis & Magdeburgenſis à duobus illis Capitulis; & confirmatur à Iulio III. ſecundùm Concilij ſententiam, ſed varijs adiectis conditionibus. l. 12.c.15.n.4.& 5. *Diploma ad eum ſcriptum à Pio IV. pro noua Synodi connocatione; & quæ ipſe ſuper his egit cum Commendono Nuntio.* l.15.c.4 n.6. & 11.

Federicus, Septemuir Saxoniæ, capitur à Cæſare in prælio. l. 10. c. 1. n. 3. *Reſpuit oblatam ſibi libertatem dum inuaditur Œnipontum.* l. 13. c.5 n.3.

Ferdinandus Franciſcus Aualus Aquinas, Marchio Piſcariæ, & Mediolani Gubernator, venit Orator Philippi Regis ad Concilium; & ſenſa Regis quæ ſecum affert. l. 16. c.2.n.1.4.& 7. *Se retrahit à deſiderio definitionis de articulo manſionis.*

l.16.c.7.n.1. & 2. *Poſtulat vt declaretur Continuatio; & difficultas in eo Ceſarianorũ.* ibid.n 3.&4. *eius aſſenſus vt res differatur.* l. 16. c. 12. n. 2.

Ferdinandus Gonzaga, gubernator Mediolanenſis, Placentiam occupat poſt cædem Ducis Petri Aloyſij. l.10.c.4.n.5. *Bellum idcircò excitatum in Octauium Farneſium, & induciæ confectæ vſque ad noua ſuorum Principum mandata.* l.10.c.5. n.3. *eius epiſtola, quâ factum purgat apud Cæſarem.* ibid.n.3. & 5. *Criminationes illi iniectæ.* ibid.n.6. *pactiones ab eo confectæ noxiæ Farneſiis, & moleſtiæ illata Montano Cardinali, qui poſteà fuit Iulius III.* l.10.c.17.n.3. *Beneuolentia ipſi exhibita à Iulio III.* l. 11. c. 6. n. 6. *Præficitur exercitui in Ducem Parmenſem, & loca ab eo capta in illa ditione.* l.11.c.16.n.4.& 11.& l.13. c.1.n.1. *eius opera parum ſatisfacit Pontifici.* l.13.c.2.n.1.

Ferdinandus, Hiſpaniæ Rex, conuentum Theologorum habet antequam moriatur, de reſtituendo regno Neapolitano Arragonenſibus ipſius conſanguineis. l.13.c.2.n.3.

Ferdinandus, Hungariæ Rex, carpitur à fama communi, ob id quod accidit Martinuſio Cardinali; de quo ſe purgat. l. 13. c. 1.n.4. & c. 2. n. 8. *Concordia Paſſauienſis ab eo ſtatuta cum Proteſtantibus nomine Cæſaris.* l. 13. c. 5. n. 3. 4. & 5. *Studia ipſi adhibita à Iulio III. ob res Religionis in Germania.* l.13.c.8. n. 9. *Decreta ab eo promulgata in Comitiys Auguſtanis; & Pauli IV. querimonia.* l.13.c. 13.n.2. & ſeq. & c.14 n.1. *Noua Pontificis ægrimonia propter colloquium ab eo coactum VVormatiæ, & propter alia ad Fidem ſpectantia.* l.14.c.6.n. 1. vſque ad 5. *Illi committitur Imperium à Carolo V. & diſſenſiones in hoc cum Pontifice.* ibid.n. 5.& ſeq. *Componitur controuerſia ſub Pio IV.* l. 14. c. 11. n. 1. *Varia cum eo eiuſque miniſtris aguntur, vt Synodus denuntietur.* l.14.c.12. n.1. vſque ad 6. c.13.n.9.& ſeq.c.14. n.8. & ſeq. & l.15.c.2.n. 3. vſque ad 9. *Eius Oratores miſſi Tridentum.* l.15. c.16.n.6.& c.20.n.1. *eius ſenſus de eo conuentu.* l.16.c.3.n.1. *Obſtacula iniecta ne ibi declararetur Continuatio.* l.16.c.12.n.1.

Ferrerius. Vide *Rinaldus.*

Ferruſius. Vide *Iacobus.*

Figueroa. Vide *Ioannes.*

Florentia. Vide *Reſpublica.*

Fiſcalis Caroli V. in Concilio Bononiæ conteſtatur. l.10.c.11. per totum.

Fiſcalis Romanus. Vide *Alexander Pallauterius.*

Fœdera diuerſa inter Principes. Vide ſub nominibus Principum.

Fonſeca. Vide *Ioannes.*

Foſſus. Vide *Gaſpar.*

Franciſcani. Obiecta quæ ab illis allata fingit Suauis de materia & partibus Sacramenti Pœnitentiæ, & de ſignificatione abſolutionis. l.12 c.12.n.1. vſque ad 7.

Franciſcus Blancus, Epiſcopus Aurienſis, ſe opponit primo Decreto Synodi, quod ſpectat ad particulam, proponentibus Legatis. l.15.c.16.n.5

Franciſcus I. Galliæ Rex. Eius obitus, & exequiæ illi celebratæ in Concilio Bononiæ. l.9.c.17.n.2.c.18.n.5.l.10. c.2.n.1.

Franciſcus II. Galliæ Rex, ætate puerili regnum ſuſcipit. l. 14. c. 9. n.2. *eius geſta in hæreticos.* l.14.c 11.n.1. *Coniuratio Hugonottorum in ipſum. Acta ab ipſo cũ Pontifice pro conuocatione Concilij: & difficultas de loco tandem euicta.* l.14.c.12.n.8. & ſeq. c. 16. n. 12. *Adhibita erga ipſum officia*

officia Pontificis & Philippi Regis, vt præpediretur Concilium Nationis, deſtinatum à conuentu Fontisbelli. l. 14. c. 16. per totum. *Eius mors.* l. 15. c. 1. n. 3.

Franciſcus GonZaga creatur Cardinalis à Pio IV. l. 15. c. 6. n. 2.

Franciſcus Lancius, Epiſcopus Firmanus, Nuntius ad Regem Galliæ pro vltima Synodi conuocatione. l. 14. c. 13. n. 7.

Franciſcus Lotharingus, Guiſia Dux, hortatur Henricum II. ad fœdus cum Paulo IV. l. 13. c. 15. n. 7. *Venit cum exercitu Romã.* l. 14. c. 1. n. 1. 2. 3. & 4. *Obſidet Ciuitellã, ſed fruſtrà.* l. 14. c. 2. n. 2. *Eius grauis diſcordia cum Marchione Montiſbelli.* ibid. *proponit reditum in Galliam & cur.* ibid. *Cum copijs Tybur contendit.* l. 14. c. 3. n. 3. *Vrgetur ad reditum, vt Regem ſuum defendat; & falſitas Suauis.* l. 14. c. 3. n. 7. & c. 4. n. 5. *Loquitur cum Pontifice aduerſus eius ex fratre nepotes.* l. 14. c. 7. n. 1. *Caleſiorum vrbem capit.* ibid. *Obtinet ſupremam regni adminiſtrationem.* l. 14. c. 12. n. 12.

Franciſcus Pacecus Cardinalis creatur à Pio IV. quorundam Principum precibus. l. 15. c. 6. n. 4.

Franciſcus Toletanus, Orator Cæſaris, ad Concilium Tridentinum tempore Pauli III. redit Tridentum, poſt habitam tranſlationem, & præcipit Epiſcopis Cæſarianis ne Tridento diſcedant. l. 9. c. 20. n. 2. *eius aduentus Tridentum tempore Iulij III.* l. 11. c. 14. n. 2.

Franciſcus Turnonenſis Cardinalis, Archiepiſcopus Lugdunenſis, nuntiũ mittit Venetijs ad Concilium, cum litteris & conteſtationibus Henrici II. l. 11. c. 16. n. 16. *Venit Romam, acturus de libera permiſſione, vt Farneſij Gallicam militiam Parmæ habeant.* l. 13. c. 2. n. 1. & 3. *in Galliam mittitur à Pio IV. quò ibi impediat Synodum nationis.* l. 14. c. 16. n. 11. & 12.

Franciſcus à Turri, Ferdinandi Cæſaris Orator Romæ: & Suauis errata de tempore quo electus fuit. l. 14. c. 11. n. 2.

Franciſcus Torres Hiſpanus, Theologus Pontificius in Concilio ætate Pij IV. oſtendit ſuum Opuſculum de Manſione: & contentiones idcircò Tridenti obortæ. l. 16. c. 4. n. 2.

Franciſcus Vargas, Fiſcalis generalis Caſtellæ, pergit Bononiam conteſtaturus contra legitimam tranſlationem Concilij. l. 10. c. 11. n. 3. & ſeq. *Officia ab eo adhibita Præſidibus ætate Iulij III.* l. 11. c. 14. n. 4. *Romam venit tamquam Philippum Regem repræſentans.* l. 14. c. 6. n. 10. *Sermo ab eo habitus coram Pontifice de conditionibus Conciliorum.* l. 14. c. 14. n. 7. *Acta ab illo in Aula Romana pro Caraffa Cardinali.* l. 14. c. 15. n. 5. & 8. *Eius litteræ ad Epiſcopos Hiſpanos, qui Tridentum venerant; & quo pacto ab illis exceptæ.* l. 15. c. 20. n. 8. 9. & 10.

Franſpergius. Vide *Georgius.*

Fulneus Corneus Cardinalis miſſus in cuſtodiam à Paulo IV. ob ſuſpiciones erga fratrem & Hiſpanos. l. 13. c. 17. n. 8.

Fuſcararius. Vide *Ægidius.*

G.

G*Abriel Paleottus Bononienſis, Romæ Duodecimuir, & alio tempore Cardinalis, quo fungatur munere in Concilio ætate Pij: & narratio ab eo ſcripta de illis euentis.* l. 15. c. 13. n. 4.

Gallia. Diſcrimina quæ illic acciderant de rebus Religionis: & Ferrarienſis Cardi-

Cardinalis eò miſſus.l. 14. c.12.n.8. 9.10.11.12.& 13 l.15. c.12.n.1.2. & 3. Colloquiũ Poiſſiacenſe habitum inter Catholicos & Caluiniſtas.l.15. c. 14. n. 1.2. & 3. Conuocatio noui conuentus. ibid.n.13. & 14. Melius ſe res habent in Aula.l.16.c.3.n.2. & ſeq. Suppetia habita à Pontifice. l.16.c.7.n 20.& c.11.n.10 & 11.

Garzias Laſſus, Actor Roma Philippi Regis, carcere concluditur à Paulo IV. l.13.c.17.n.5.

Gaſpar à Foſſo Archiepiſcopus Rhegienſis orat latinè in prima Seſſione Concilij ſub Pio: & obiecta illi à Suaui. l.15.c.16.n.3.& c.17.n.4.& 5.

Georgius DraſconiZius Croata, Epiſcopus Quinque Eccleſiarum, Orator Caſaris tamquam Regis Hungaria ad Synodum Tridentinam. l. 15. c.16.n.6. Litigiũ de loco inter hunc & Oratorem Luſitanum. l.15.c.20. n 1. vſque ad 5.& c. 21.n.1.& 2.

Georgius Martinuſius, Epiſcopus Varadinenſis, creatur Cardinalis petente Ferdinando; & errata Suauis in hoc.l.13.c.1.n 4. Ab eodem iubetur occidi, ob criminationes occulta conſpirationis cum Turca. ibid. Vide Ferdinandus.

Geronius Bertanus mittitur à Paulo III. ad Caſarem, inducturus illum ad pacem cum Rege Gallia. l.9. c.4. n.2. Qua hic egerit. ibid.n.9.

Gonzaga. Vide Cardinalis, & Ferdinandus.

Grannellanus. Vide Antonius, & Nicolaus Perenottus.

Grimanus. Vide Ioannes.

Guerrerus. Vide Petrus.

Guido Aſcanius, Sfortia Cardinalis Sanctaflora, miſſus Parmam à Iulio ad abducendum Ducem à belli conſilio l.11.c.16.n.3. Mittitur ad Florentia Ducem ob tumultus Senenſes. l. 13. c. 6.n.2. Mittit Lottinum ad Caſarem, vt ſe purget de electione Pauli IV. l. 13. c. 14. n. 4. Huius Pontificis ira in ipſum: & mittitur in cuſtodiam. ibid.n 6 7 8.& 11. Eſt Pacis ſequeſter inter Pontificem & Ducem Albanum. l. 14 c.3.n.4 & 8.

Guidobaldus Dux Vrbini affinitatem init cum Paulo III. l. 9. c. 3. n.12. Conſtituitur à Iulio III. generalis Dux Eccleſia, & Roma curam gerit eo abſente.l.13.c.6.n.2. Romam venit atate Pij IV. vt det in matrimonium Federico Borromao filiam ſuam.l.14 c.17.n.3. Agit cũ Carolo Vicecomite, Epiſcopo Vintimilienſi, miſſo ad Conciliũ à Pontifice.l.16.c.11.n.12.& 13

Guido Faber, Orator Gallia tempore Pij, habetur pro manifeſto hugonotto. l.16.c.11.n.1. eius oratio pungens; & accepta reſponſio.l.16.c.11. n. 2. vſque ad 8.

Guido. Vide Ioannes Franciſcus.

Guilielmus Gonzaga, Dux Mantua, adeſt prima Seſſioni Concilij ſub Pio. l.15.c.16.n.6.

Guilielmus Petus, ex Minoribus Obſeruantibus, eligitur Cardinalis & Legatus in Anglia à Paulo IV. & obſtacula interiecta à Maria regina. l.14.c.2. n. 5. Diligentia Pontificis vt is Romam veniret; & falſa Suauiana.l.14.c.5.n. 4. & l. 15. c. 7.n. 2

Guilielmus Pictauienſis, Orator Caroli V. tamquam Belgij Domini, ad Concilium Tridentinum atate Iulij III. l.11.c.15.n.5.

Guzmanus. Vide Martinus.

H.

HAnnibal Altempſius, Pij IV. ex ſorore nepos, mittitur ab eo in Hiſpaniam poſt ſuam electionem. l.14.c.13.n.1.

Hannibal Rucellaius, familiaris Caraffa Cardinalis, it in Galliam, ad

ſtabiliendum fœdus contra Hiſpanos. l.13.c.14 n.11.

Heluetij. Vide *Pagi.*

Henricus VIII. Angliæ Rex: eius mors, & elogium. l 9.c 3.n.14. *eius de Regni ſucceſſione diſpoſitio.* l.13. c.6. n. 4. *Malignitas Suauis in his narrationibus.* l.9.c.3.n.15.

Henricus Borbonius filius Nauarrei, à matre adducitur ad ſectam Caluini. l.16.c 3.n.7.

Henricus II. Galliæ Rex deſtinat ſuos Præſules ad Concilium Bononienſe, & matrimonium decernit cum Horatio Duce Farneſio. l 10. c. 2.n 6. *Poſtulat à Paulo III. ne mittantur in Germaniam Legati, quos petierat Carolus V.* l.10.c.6.n.3.& c.17.n.4 *Agit de ineundo fœdere cum Paulo, abſque concluſione : & eius conſilia oppoſita ſuſpenſioni Concilij.* l.11. c. 1. n. 3. & c. 2. n. 14. & c. 5.n.2. *Acta cum ipſo à Iulio III.* l.12.c.7. n.2. & c.8.n.2. *Rationes quibus adducitur vt aſſentiatur nouæ conuocationi Concilij.* l.11. c. 8.n.5. & 6. & c.9.n.1. & 2. & c.10.n.1. *Diſſenſiones inter ipſum & Pontificem ob res Parmenſes; & Synodus Nationis idcircò indicta in Gallia.* l.11.c.12. n.7. *Duæ conteſtationes eius iuſſu lectæ in conſiſtorio, & reſponſum acceptum.* l. 11. c. 16. n 9. & ſeq. *Litteræ, & aliæ conteſtationes ad Concilium miſſæ.* l. 11.c.15.n.7 & c.17.per totum. l.12.c 9.n.7. *Fœdus initum cum Proteſtantibus contra Cæſarem, & eius euentus.* l.13.c.5. n.1 *Varia belli euenta extra & intra Galliam* ibid. n.5. *Exercitus ab eo miſſus opem laturus Senis.* l. 13. c. 6. n. 1. *Studia Pontificis vt ipſum in concordiam cum Cæſare reuocaret; ſed ſine euentu.* l. 13 c. 5. n 6.& c.6 n.1. & 3. *Nouum fœdus cum Paulo IV. in Hiſpanos.* l. 13. c.15.n.5. & ſeq. *Induciæ cum ipſis, & ob eam rem Pontificis querimoniæ.* l.13.c.16.n.4.& ſeq. *Auxilia ab eo ſuppeditata Pontifici.* l. 13. c. 9. n.4. & ſeq *Pax cum Philippo rege ſtatuta Cameraci, & malignitas Suauis de quadam ipſius conditione vt ſeuerè ad extirpandam hæreſim agatur.* l.14.c.8.n.4. & 5.

Henricus Loffredus, Epiſcopus Caputaquenſis, iudicium profert moleſtum de Decretis emendationis. l. 9. c. 3. n.12. *Moritur.* ibid.

Henricus Peningus, familiaris Poli Cardinalis, mittitur ab eo ad Angliæ Reginam : & reſponſa inde delata. l. 13 c.7.n.1.& c.8.n.13.

Henricus Sueciæ Rex: eius conditiones. Inuitatur ad Concilium a Pio IV. l.15.c.8.n. 2. vſque ad 8.

Hercules Eſtenſis, Ferrariæ Dux, init fœdus cum Paulo IV. contra Hiſpanos. l.13.c.16. n. 2. *Conſtituitur exercitus imperator.* ibid. n. 3. & l.14 c.1.n.1. *Ab expeditione recedit, & qua de cauſa.* l.14 c.1.n.3.

Hercules Gonzaga, Cardinalis Mantuanus, proximus Pontificatui in Comitijs, in quibus electus eſt Pius IV. l.14. c.10.n.2. & 7. *Deſignatur ab hoc primus Præſes Synodi.* l.15.c.6. n 2. *Habiti ipſi honores, eiuſque acceſſus Tridentum.* l.15.c.11.n.3.& 5 *Quæ ipſe propoſuit de diſciplina.* l.16.c.1.n.16. *Ipſi adſcripta & Tridenti & Romæ in quæſtione de manſione.* l. 16. c.5. n.5. *Litteræ de hoc miſſæ ad ipſum à Borromæo Cardinali; & eius propoſitum abeundi, ſi noui Legati adderentur.* l.16.c.8. n.14: vſque ad 18. *Ipſe ſe purgat, & etiam Seripandus Cardinalis; eorumque ſuſpiciones de Simonetta.* l.16.c.9.per totum.

Hercules Seuerolus, Tridentinæ Synodi Promotor ſub Paulo III. Acta ab

ab eo confecta de morbo contagioſo Tridenti. l.9.c.15.n.1. *Romam venit ad defendendam tranſlationem.* l.10 c.15.n.2.

Hermannus de Vueda, Archiepiſcopus Colonienſis. Falſa à Suaui dicta de executione ſententia, in ipſum Archiepiſcopum lata à Carolo V. l.9. c.13 n 1.

Heſſelius. Vide *Ioannes.*

Hibernia conſtituitur Regnum à Paulo IV. & in hoc Suauis errata. l.13. c.12. n.1. vſque ad 6.

Hieronymus Ardinghellus mittitur à Paulo III. ad Cæſarem pro rebus Concilij & Placentiæ. l 10.c.16.n.1.

Hieronymus Capiteferreus Cardinalis mittitur Legatus ad Henricum II. Galliæ Regem pro reparatione Angliæ, alijſque negotijs; & errata in hoc Suauis. l 9.c.18.n.5. & l.10. c.1.n.3. *Noua eiuſdem legatio ad eumdem pro pace vniuerſali, ſed ſine fructu.* l.13.c.6.n 1. *Romam redit.* l.13.c.7.n.8. *eius obitus.* l.14.c. 10. n.2.

Hieronymus à Corregio concludit reconciliationem inter Philippum Regem & Octauium Ducem. l.13.c.20. n.11. *Ornatur Purpurâ à Pio IV.* l.15.c.6.n 4.

Hieronymus Dandinus, à ſecretis Paulo III. Galliam adit ob res Concilij, & fœderis causâ. l 11.c.1.n.7. *Præficitur negotijs Principum à Iulio III.* l.11.c 7.n.4. *Cæſarem adit Octauij Farneſij causâ, & pro apertione Concilij.* l.11 c. 13.n. 3. & 4. *Huius Princ[..]pis ſenſa, ab eo redeunte ſignificata Tridenti.* l.11.c.14.n.2. *Mittitur Bononiam à Iulio, proſpecturus ijs quæ opus erant ad bellum Parmenſe, & cum plena poteſtate acturus de concordia cum Octauio Duce; eiuſque tractatus.* l. 11. c.16. n.4. 5. 6. & 7. *Donatur Purpurâ* l.13. c.1.n.9. *Redit ad Cæſarem in Belgium pro pace vniuerſali.* l.13.c.6.n.1. *Mittit Commendonum in Angliam.* l.13 c.7 n.3. *Reuocatur Romam à Pontifice* ibid.n.8. *Diem obit.* l.14.c.10.n.2.

Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis, medicus Concilij, ſuum Tridento diſceſſum causâ contagionis conteſtatur. l 9.c.13 n.5.& c.15.n.1.

Hieronymus Martinengus mittitur à Pio IV. ad Angliæ Reginam pro Synodi conuocatione, & quo euentu. l.15.c.7.n.1. & 2.

Hieronymus Mozzarellus Dominicanus, Archiepiſcopus Coſſenſis, mittitur Nuntius à Iulio III. ad Cæſarem, congratulaturus de coniugio inter Hiſpaniæ Principem & Mariam Angliæ Reginam. l.13.c.8.n.8.

Hieronymus Roſſius priuatur Epiſcopatu Papienſi ob grauia delicta; & quid poſt longum tempus contigerit. l.10.c.17.n.3.& l.11.c.6.n 6.

Hieronymus Seripandus, Auguſtinianorum Præſes generalis, quo pacto defendat doctrinam Caïetani de ſalute filiorum, qui ex fidelibus naſcuntur, & ante partum moriuntur. l.9. c.8.n.1.& ſeq. *Creatur Cardinalis, & conſtituitur Præſes Synodi ſub Pio.* l.15.c.6.n.4. & 8.& c 11.n. 3. *Forma emendationis ab eo digeſta in Concilio.* l.16. c.11. n.12.13. & 14. *Accuſatur & admonetur ſuper negotio manſionis, & ipſe ſe purgat, & etiam purgatur à primo Legato litteris ad Borromæum ſcriptis.* l. 16. c.5.n.5.c. 8.n.15. c 9. per totum.

Hieronymus Verallus Duodecemuir, Epiſcopus Caſertæ, & Nuntius in Germania, loquitur cum Cæſare de renouando fœdere quod Pontifex recuſarat, & de pace cum Gallia. l.9.c.3 n.5. vſque ad 12. *Aſperum colloquium Cæſaris cum eo poſt tranſlatio-*

lationem Bononienſem. l.9 c.19. per totum. *Donatur Purpurâ*. l.11.c.16. n.3. *Acta inter ipſum & Octanium Farneſium, ac deinde cum Henrico II. de rebus Parmenſibus*. ibid. & l.13.c.1.n.6.& 10.

Hieronymus Zanchius, apoſtata Bergomenſis è Clericis Regularibus, habet ſecreta colloquia cum Delfino Nuntio, & quo exitu. l.15.c.10.n.1 vſque ad 13.

Hyppolitus Eſtenſis Cardinalis Ferraria. Mandata Regis Galliæ, tradita Farneſio Cardinali, vt illum eligendum curet Pontificem : animus Farneſij ab hoc auerſus, & cur. l.13 c.11.n.8. *Mittitur Legatus in Galliam pro rebus Religionis*. l.15.c.12. n.1. & 2. *Quid ibi egerit, & quo pacto ſe purgarit apud Pontificem de varijs ſibi adſcriptis*. l.15.c.14. n.5. & ſeq. & l.16. c.3. n.4. *Varia ab eo acta de Concilio*. l. 16. c. 3. n.8.& 9.

Horatius Farneſius Caſtri Dux vxorem ducit Dianam filiam nothiam Henrici II. l. 10.c.1 n.6. & l. 11. c.16.n.1. *Trahit Octanium fratrem ad illius Regis clientelam* l.11. c.12. n. 3. & c.16.n.2. *Quid egerit in bello in Pontificem*. ibid. n. 11. *Obit ictu bombarda in Belgio*. l.13. c.6.n.3.

Horatius Iuſtinianus, ex Congregatione Oratorij, Cuſtos Bibliotheca Vaticana, & poſtea Cardinalis, in lucem edit quædam Acta Concilij Florentini. l.11.c 11.n.13.

Huttenus. Vide *Viricus*.

I.

IAcobus Amiotus, Abbas Belloſanenſis, defert Concilio litteras & conteſtationes Henrici II. l. 11. c. 15. n. 7. & c. 16. n. 16. *Quæ in ea actione contigerunt; & falſa à Suaui dicta*. l.11.c.17. per totum.

Iacobus Ferrnſius Hiſpanus, Theologus Epiſcopi Segontenſis, verba facit eruditè de dilectione requiſita in Sacramento Pœnitentiæ. l.12.c.10. n.24.

Iacobus Gonea, ſecundus Orator Regis Luſitani in Concilio tempore Iulij III. l.13.c.2.n.9.

Iacobus Puteus, Romanæ Rota Decanus, promouetur ad Purpuram à Iulio III. l.13.c. 1.n.9. *Quo pacto à Pontificatu excludatur*. l.13.c.11. n.9.& 10. *eius legatio ad Concilium vltima conuocatione, præpedita ab ipſius morbo*. l.15.c.6.n.3.& 8.

Iacobus Sadoletus moritur. l. 10. c. 6. n 9.

Iacobus à Silua, primus Orator Regis Luſitani in ſecunda apertione Synodi. l.13.c.2.n 9.

Ianſenius. Vide *Cornelius*.

Ignatius Loyola, Societatis IESV *Fundator, præponitur à Iulio III. Collegio Germanico*. l. 13. c. 8. n.9. Vide *Societas*.

Imagines ſacra. Errata Suauis de ijs quæ ſtatuit Concilium Moguntinum. l.11.c.4.n.5.& 6.

Index librorum qui damnandi eſſent, formatus à Paulo IV. & propoſitus Concilio, vt ab eo reformaretur. l.15. c.18.n.1. *Patrum ſententia hac de re, & Suauis ſenſa de prohibitione librorum* ibid. n. 2. & ſeq. & c.19. n.1. vſque ad 10.

Innocentius X. damnat opinionem Cornelij Ianſenij de libero arbitrio. l.15. c.7.n.14.

Innocentius Montanus. Eius conditio & electio. l.11.c.7.n.4. *Ira Pauli IV. in ipſum*. l.15.c.7.n.2. *Mittitur in carcerem, & relegatur ætate Pij IV*. l.14.c.15.n 4.

Inquiſitionem, in Hiſpania vſurpatam,

tam, vellet Carolus V. Neapoli; & tumultus illic excitati. l.10.c.1.n.4.

Interim *ſcriptura vulgata à Carolo V. in conuentu Auguſtano,* l. 10. c. 17. n.6. & 7.

Ioachimus Abbas Valdenſis repræſentat in Concilio Præſules & Clerum Helueticum. l.16.c.2.n.3.& 5

Ioachimus Septemuir Brandeburgicus hæreticus varia miſcet colloquia cum Commendono Nuntio de conuocatione Concilij. l.15.c.4.n.2.& ſeq. *Diplomata delata à Nuntio vxori & filio Septemuiri.* ibid. n.6.& 12.

Ioanna Albretia, vxor Antonij Nauarræ Regis, adhæret hæreſi Caluini. l.15.c.1.n.2. *Colloquia ipſius cum Ferrarienſi Cardinali de Religione.* l.15.c.14.n.7. *eius diſceſſus ab Aula Galliæ.* l.16.n.3.c.7.

Ioanna proneptis Henrici VIII. trahitur ad ſolium Angliæ artibus Ducis Nortumbriæ; & miſerabilis vtriuſque exitus. l 13.c.6.n.4.& 5.

Ioannes ab Eyſemburgo, Archiepiſcopus Treuirenſis, venit Tridentum ſub Iulio III. l.11.c.15.n 6. *Diſcedit.* l. 13. c. 2. n.6. *Agit cum Commendono Nuntio de noua conuocatione, & de ineundo fœdere in Proteſtantes.* l.15.c.5.n.3.4. & 5.

Ioannes Aluarus Toletanus, Cardinalis S. Iacobi, ſe opponit nominationi Caraffæ Cardinalis in Epiſcopum Coſingenſem. l. 14. c. 18. n. 6. *Inducit tractationes induciarum inter Pontificem & Albanum Ducem.* l. 13. c. 20. n. 11. *Laudat Albanum de non tentata occupatione Romæ.* l. 14.c.4.n.4

Ioannes Angelus Medices, Archiepiſcopus Raguſinus, & Vicelegatus Bononiæ, mittitur Parmam & Placentiam, vt eas in fide contineat poſt occaſum Ducis Aloyſij. l. 10. c. 4. n.5. *Promouetur ad Purpuram à Paulo III.* l.11.c.16.n.3. *Mittitur à Iulio ad agendum de concordia cum Octauio Farneſio.* l. 11. c. 16. n.3. *Conſtituitur Legatus exercitus in bello contra Octauium Ducem.* ibid. n.11. *Creatur Pontifex.* Vide *Pius IV.*

Ioannes Baptiſta Bernardus, Epiſcopus Adiacenſis, loquitur de manſione aduersùs quàm illi apponit Suauis. l.16.c 4.n.8.

Ioannes Baptiſta Cicala, Epiſcopus Albergenſis, Bononiâ Romam adit ob tranſlationis cauſam l.10.c.15.n.2. *Creatur Cardinalis à Iulio III.* l. 13. c. 1. n. 9. *Habet in animo Pius IV. vt illum ad Synodum Legatum mitteret.* l.16.c.8.n.13.

Ioannes Baptiſta Conſiliarius, Præfectus Cameræ Apoſtolicæ, donatur Purpurâ à Paulo IV. l.14.c.1.n.5 *Moritur proximâ Sede vacante.* l.14.c.10.n.2.

Ioannes Baptiſta Montanus, filius fratris Iulij III. imperat exercitui contra Farneſios. l. 11. c. 16. n. 11. *Moritur in prælio.* l.13.c.2.n.3.

Ioannes Caluinus fouetur à Regina Nauarræ. l. 14. c. 16. n. 5. *Creſcit in Gallia illius falſa doctrina.* l. 14. c. 12.n.8. vſque ad 14.

Ioannes Caluus, Generalis Minorum Obſeruantium: eius conditiones, & obitus in Concilio. l.9 c.3.n.12.

Ioannes Canobius mittitur à Pio IV. Nuntius in Poloniam & Germaniam ob res Concilij. l.14.c.13 n.7. & l.15.c.8.n.2. *eius acta cum Cæſare, cum rege Poloniæ, cum Duce Pruſſiæ, & obſtacula vt pergeret ad Moſchum.* l. 15. c. 9. n. 1. vſque ad 5.

Ioannes Caraffa, Comes Monzonij, nepos ex fratre Pauli IV. celat Pontificem mandata à ſe tradita de triremibus Sfortianorum ad *Cen-*

Centumcellas. l. 13. c. 14. n. 3. Româ pellitur à patruo. l. 14. c. 7. n. 4. Creatur generalis armorum Gubernator S. Eccleſiæ. l. 13. c. 16. n. 3. Implorat ſine fructu opem Philippi Regis. l. 14. c. 8. n. 3. Grauis iracundia huius Principis in ipſum. l. 14. c. 15. n. 7. Mittitur in cuſtodiam, & capite plectitur ætate Pij IV. ibid. n 9. & ſeq.

Ioannes à Caſa, Archiepiſcopus Beneuentanus, & à ſecretis de rebus Principum Paulo IV. deſtinatur ab eo ad Purpuram; & quo pacto id impeditur. l. 13. c. 14. n. 11.

Ioannes Cauillonius, Theologus Societatis IESV, venit ad Synodum Tridentinam ſedente Pio, nomine Ducis Bauariæ. l 16. c 6. n. 1.

Ioannes Coloſuarinus Dominicanus, Epiſcopus Conadienſis, deſtinatur à Præſulibus, & Clero Hungariæ ad Concilium Tridentinū. l. 16. c. 2. n 6

Ioannes de Ajala, peculiaris Orator Philippi II. ad Pium IV. l. 15. c. 9. n. 2.

Ioannes Dominicus de Cuppis, Collegij Decanus, conſtituitur Legatus Romæ abſente Iulio III. l. 13. c. 1. n. 6 & c. 6. n. 2.

Ioannes Figueroa mittitur à Cæſare ad Octauium Farneſium, & ad Paulum Tertium, dolorem Principis ſignificaturus, ob cædem Petri Aloyſij. l. 10. c. 5 n 6. Deſignatur Orator à Philippo Rege ad Paulum IV. ſed reijcitur, & ex triſtitia moritur. l. 14. c. 4 n. 10.

Ioannes Fonſeca varias dicit ſententias de mora Decretorum in ſecunda apertione Concilij. l. 11. c. 14. n 4.

Ioannes Franciſcus Commendonus, eiuſque conditiones. l. 13. c. 7. n. 3. Secreta eius miſſio ad Mariam Angliæ reginam. ibid. Nuntius mittitur in Germaniam pro vltima Synodi conuocatione, & quid egerit cum Cæſare. l. 15. c. 2. n. 1. vſque ad 9. Adeunt ipſe & Delfinus Nuntius ad conuentum Proteſtantiū Naumburgi, & quo euentu. ibid. n. 9. & 10. & c. 3. per totum. Quæ egerit cum Septemuiro Brandeburgico, & quibuſdam Ciuitatibus liberis, alijſque Principibus hæreticis & Catholicis in Germania Inferiori. l. 15. c. 4. n. 2. & ſeq. c. 5. per totum. & c. 7. n. 3. & ſeq. Mandata illi tradita vt adiret regem Daniæ, ſed ſine effectu. l. 15 c. 6. n. 1. & c. 8. n 2. eius conſilia ad opprimendam doctrinam Baij & Heſſely. l. 15. c. 7. n 6. vſque ad 13. Deſtinatur ad regem Sueciæ, à quo ſecuritatis litteras obtinet; & quo pacto colloquium ipſi præpeditum fuerit. l. 15. c. 8. n. 2. & ſeq. Acta ab eo cum quibuſdam Principibus, eiuſque reditus Romam. ibid. n. 8. & 9.

Ioannes Franciſcus Guidus, Marchio Montisbelli, priuatur à Paulo IV. eo dominio. l. 13. c. 16. n. 3.

Ioannes Franciſcus Lottinus, à Secretis Sanctæ Floræ Cardinalis, mittitur ab eo ad Cæſarem vt ſe purgaret de electione Pauli IV. l. 13. c 14 n. 3. In cuſtodiam mittitur Romæ, & cur. ibid n. 8

Ioannes Franciſcus Sanſeuerinus poſitus in cuſtodia ab Octauio Duce Farneſio propter ſuſpiciones occultarum conſpirationum de ditione Parmenſi. l. 11. c. 12. n. 1 Studia Pontificis vt ille liberaretur. ibid. n. 5.

Ioannes Franciſcus Sfondratus, Archiepiſcopus Amalfitanus, ac poſteà Cardinalis, mittitur Legatus ad Carolum V. quò Anglia reducatur l. 9. c. 18. n. 3. Mandata illi per viam tradita de reducenda Tridentinum Synodo. l. 10. c. 1. n. 1. Difficul-

tas

tas quam offendit in Cæſare de duabus alijs rebus: eius ſententia Romam ſcripta. l. 10. c. 3. n. 1. vſque ad 10. Sermones ab eo habiti cum Cæſare, & cum Epiſcopo Atrebatenſi, de reſtitutione Placentiæ. l. 10. c. 5. n. 4. 5. 6. & 9. c. 8. n. 1 c. 17. n. 3. 4. & 5. Senſus illius de Decretis Auguſtanis, & de poſtulatis Cæſaris ad Synodum ſpectantibus. l. 10. c. 6. n. 4. & 9. & c. 7. n. 1. Diligentia ab eo adhibita ob ſtudium de præparata ſcriptura Interim, propoſita ab Cæſare. l. 10. c. 17. n. 2. eius reditus Romam. l. 11. c. 1. n. 5.

Ioannes Grimanus, Patriarcha Aquileienſis, nominatur ad Purpuram à Republica Veneta, & impeditur ob ſuſpicionem hæreſis. l. 15. c. 6. n. 5. 6. & 7. Audientia primò negata à Synodo. l. 16. c. 5 n 8 Voluntas Pontificis eum reuocandi Romam. l. 16. c. 11. n 14.

Ioannes Gropperus, Archidiaconus Colonienſis, reſpuit Purpuram à Paulo IV. oblatam. l. 13. c. 16. n 2. Ab eo Romam accerſitur, vt ad negotium emendationis incumberet. l. 14. c. 6. n. 11. Hortatur Pontificem vt excipiat Ferdinandum tamquam Cæſarem. ibid.

Ioannes Heßel ſpargit mala doctrinæ ſemina in Academia Louanienſi; & adhibita ſtudia à Pontificijs ad ea ſuffocanda. l. 15. c. 7. n. 6. & ſeq.

Ioannes è Marchionibus Brandeburgenſibus inuitatur à Commendono Nuntio ad Concilium Tridentinum; & quid acciderit in eorum colloquijs. l. 15. c. 4 n 7. 8. & 9.

Ioannes Maria Montanus, Epiſcopus Præneſtinus, ſermonem habet in varijs conuentibus de Decreto emendationis. l. 9. c. 1. n. 5. & ſeq. eius ſenſus de Concilio Bononienſi, & de poſtulatis Caroli V. l. 10. c. 6. n. 9. c. 7 n. 9 & ſeq. c. 9. n. 1. & 2. l. 11. c. 2. n. 4 5. & 17. Reſpondet conteſtationibus Fiſcalium Cæſaris; & falſa in hoc à Suaui dicta. l. 10. c. 11. n. 1. 4 & 5. Læditur à Gonzaga. l. 10. c. 17. n. 3. Eius ſententia de retrahendo Romã Concilio. l. 11. c. 1. n. 2. Legatio illi tradita vrbis Bononiæ. l. 11. c. 2. n. 2. eius ſenſus de ſuſpenſione. l. 11. c. 5. n. 1. Eligitur Pontifex. l. 11. c. 6. Vide Iulius III.

Ioannes Michaël Saracenus, Archiepiſcopus Materanus. Eius ſenſa de Synodi tranſlatione morbi cauſâ. l. 9 c. 15 n. 5. Romam adit ad defendendam tranſlationis cauſam. l. 10. c. 15. n. 2. Cardinalis creatur. l. 15. c. 1. n. 9.

Ioannes Mediceus, filius Coſmi Ducis, aſſumitur ad Purpuram à Pio IV. l. 14. c. 15. n. 1.

Ioannes Molucus, Epiſcopus Valentiæ in Delfinatu, loquitur pro hugonottis in conuentu Fontisbelli. l. 14. c. 16. n. 4.

Ioannes Moronus Cardinalis priuatur Legatione Bononienſi in gratiam Gallorum. l. 11. c. 2. n. 2. Venit Romam ſedente Iulio III. vt conſilium habeat de diplomate Emendationis & Synodi. l. 11. c. 11. n. 1. Adit Conuentum Auguſtanum, vnde citò redit ob mortem Pontificis. l. 13. c. 10. n. 4. & 7. Promouet concordiam inter Hiſpanos & Ducem Parmenſem, idque proſequitur, miſſo Gerio, à Secretis ſibi, ad Albanum Ducem. l. 13 c. 10. n 11. Ponitur in cuſtodia à Paulo IV. ob ſuſpiciones Fidei. l. 14 c. 2 n. 4. Liberatur in ſubſecutis Comitijs Pontificijs, & innocens declaratur à nouo Pontifice. l. 14 c. 10. n. 2. & c 15. n. 2. Commonet quoſdam Præſules amicos, qui contendebant Tridenti de manſione. l. 16. c. 9. n. 8.

Ioannes

Ioannes Paëz, tertius Orator Regis Luſitaniæ ad Concilium in ſecunda conuocatione. l.13.c.2.n.9.

Ioannes Petrus Caraffa Cardinalis. Falſum eſt, illum ſe oppoſuiſſe in conſiſtorio conteſtationi illic habitæ à Mendoza Cæſaris nomine, contra tranſlationem Bononienſem; quamuis à ſcriptoribus quibuſdam recentioribus id ipſi tribuatur. l.10.c.12. n.4. *Mirabiliter euehitur ad Pontificatum.* Vide *Paulus IV.*

Iannes Poggius, Collector Apoſtolicus in Hiſpania, nominatur ad Purpuram à Carolo V. l.13. c.1.n.3. *Ad eam promouetur.* ibid.n.9.

Ioannes Rex Luſitaniæ imponit Epiſcopo Portuenſi, vt eat in Concilium Bononiæ. l. 10. c. 5. n. 2. *Mittit Oratores ſuos Tridentum ſub Pio.* l. 13.c.2.n.9.

Ioannes Sleidanus interfuit Synodo Orator Argentorati. l.12.c.15.n.2.

Ioannes Strozzius, Orator Coſmi Ducis in Tridentina Synodo vltimò conuocata. l. 16. c.2.n.2. *Lis de loco inter ipſum & Oratores Heluetios.* l. 16. c.2.n.5.

Ioannes Suarius, Romanus Duodecimuir, creatur Cardinalis à Paulo IV. l.13. c. 16. n 2 *Quàm propè fuerit vt Pontifex eligeretur ſubſecutis Comitijs, & egregiæ ipſius dotes.* l.14. c.10.n.2.4.& 6.

Ioannes Thomas Sanfelicius, Epiſcopus Cauenſis: de eo inquiritur Romæ titulo hæreſis. l. 14. c. 5. n. 4. *Abſoluitur, & mittitur Tridentum vt Commiſſarius Concilij ætate Pij.* l.15.c.1.n.1.

Ioannes Vega, Orator Cæſareus, Romæ vrget Pontificem pro reditu Synodi Tridentum poſt tranſlationem Bononienſem. l 9.c.18.n.2. *Ad regendam Siciliam abit.* l. 9.c.20.n.3.

Ionius. Vide *Paulus.*

Iulius III. eiuſque electio. l.11.c.6.n.6. *Eius conſilia initio ſui Pontificatus, præſertim de reſtituenda Parma Octauio Farneſio.* ibid. & c.7. n. 1. *Quo pacto ſe geſſerit erga Principes & erga ſubditos.* ibid.n 2.& 3. *Purpura ab eo data Innocentio, adoptato in familiam Montanam.* l.11.c.7. n.4. *Eius rationes vt reponeret Tridenti Concilium: Nuntij idcircò miſſi ad vtrumque Regē, & falſa à Suaui dicta.* l.11.c 8.& c.9. per totum. *Varia ſtudia ab ipſo adhibita Cæſari, quò relinqueret Octauium Farneſium in pacifica poſſeſſione Parmæ; & ſigna beneuolentiæ erga eam familiam.* l.11.c.7.n. 3.c.9.n. 5.c.10. n.4.c.11.n.2. c.12. n.1. & 2. *Ab eo parata pro diplomate Emendationis & Concilij.* l.11.c.11.n.1. *Solemnis huius rei denuntiatio, & Suauis falſò dicta.* ibid.n. 3. & ſeq. *Adhibita ab eo diligentia ad impediendas tractationes Octauij Ducis & Regis Galliæ, & eius ægrimonia erga Regem.* l. 11. c. 12. n. 3. & ſeq. & c.16.n.1.2.3.8. & 9. *Mittit Bononiam Dandinum, ſibi ab epiſtolis ad Principes, cum facultate agitandæ & concludendæ concordiæ cum Octauio Duce; ſed pariter vt proſpiceret ijs quæ ad bellum opus erant.* l.11.c. 16. n. 4 5. 6. & 7. *Deſtinat Concilio Legatum & Præſides.* l.11. c 13.n.1. *Ducem in ius vocat: decernit arma ſumere; idque communicat cum Henrico II. & Carolo V.* l.11.c.13 per totum. *Reſponſum in Senatu redditum duabus conteſtationibus Henrici.* l.11.c.16.n.18. & ſeq. *Bellum ab eo ſuſceptum, & rationes ad id propter minus malum.* ibid.n.14.& 15. *Confutantur quædam in hoc Suauis ratiocinationes.* l.11.c.18.n.1.vſque ad 6. *Euentus huius belli.* l.13. c.1.n.1.& 2. *Poſtulatum*

latum Caſaris vt eligerentur octo Cardinales, ab ipſo nominati; & illius reſponſum. ibid. n. 3. 4. & 5. *Impetrat pro Io. Petro Caraffa Cardinali poſſeßionem Archiepiſcopatus Neapolitani, diu illi Cardinali negatam à Carolo V.* l. 13. c. 11. n. 10. *Agit pro concordia cum Caſare & Rege Gallia.* ibid. n. 7. 10. & 11. *Cardinales creat.* l. 13. c. 1. n. 8. *Epiſcopus Montisfaliſci ab eo miſſus Tridentum; & varia Suauis mendacia.* ibid. n. 9. *Armorum ſuſpenſio ab ipſo & à Caſare firmata.* l. 13. c. 2. n. 1. 2. & 3. *eius iterata mandata, vt Concilium ſuſpendatur.* l. 13. c. 4. n. 6. *Excipit Patriarcham Syrorum.* l. 13. c. 4. n. 6. *Nuntij ac Legati ad vtrumque Regem mißi pro pace vniuerſali* l. 13 c. 5. n. 6. & c. 6. n. 1. *Adhibita ab eo diligentia ad ſedandos Senarum tumultus.* ibid. n. 2. & c. 10. n. 1. *eius ſtudia ad recuperandam Angliam, & Germania Religionem.* l. 13. c. 7. n. 2. & c. 8. n 9. *Collegium Germanicum Roma inſtitutum.* ibid. *eius Diploma ad Clerum & Comitium Pontificium reformandum.* l. 13. c. 10. n. 1. & 2. *Nuntius ab eo miſſus ad Philippum II. eiuſq; vxorem, poſt Anglorum conuerſionē.* l. 13. c. 9. n. 10 & c. 10. n. 5. & 6. *Legatus miſſus ad Auguſtana Comitia.* l. 13. c. 10. n. 4. *eius obitus & elogium.* ibid. n. 7. & 8.

Iulius Vrſinus bis mittitur à Paulo III. ad Caſarem ob reſtitutionem Placentia l. 11. c. 3. n. 1. & 3.

Iuriſdictio Eccleſiaſtica. Primordia & progreſſus ipſius; & Suauis ſuper his ſermones expenſi. l. 12. c. 3. per totum.

L.

LAinius. Vide *Didacus.*

Lancellottus. Vide *Scipio.*

Lancius. Vide *Franciſcus.*

Lanſacus. Vide *Ludouicus.*

Lantgrauius. Vide *Philippus.*

Laurentius Platanus, à Secretis Madruccio Cardinali, excipit Oratione Legatum & Praſides Concilij, ſui Principis nomine. l. 11. c. 14 n. 2.

Legati Concilij tranſmigrant cum eo Bononiam. Vide *Concilium. Qui Pontifici ac Caſari ſignificant ad ſe purgandos.* l. 9. c. 17. n. 5. 6. & 7. l. 10. c. 4. n. 1. *Adhibita ab ipſis ſtudia vt Bononiam traherent Epiſcopos qui Tridenti manebant.* l. 9. c. 20. n. 1. & 2. *Eorum ſollicitudo vt retinerent in fide Parmam & Placentiam poſt caſum Petri Aloyſij Farneſij; & interim continuatio cœtuum in Concilio, aduersùs quàm Suauis ſcribit.* l. 10 c. 4. n. 5. & 6. *Dant Pontifici conſilium de ſuſpendendo Concilio, & auocanda ad ſe cauſa tranſlationis.* l. 10. c. 12. n. 1. & c. 13. n. 1. Vide *Ioannes Maria Montanus,* & *Marcellus Ceruinus.*

Legatus & Praſides electi in ſecunda Concilij conuocatione. l. 11. c. 13. n. 1. *Eorum aduentus, ac prima caremonia.* l. 11. c. 14. n. 2. *Mandata illis Româ perſcripta de facultate adhibenda Oratoribus Proteſtantium.* l. 12. c. 15. n. 2. *Difficultas ipſis obiecta de ſuſpenſione.* l. 13 c. 3. n. 3. Vide *Marcellus Creſcentius,* & *Sebaſtianus Pighinus.*

Legati Concilij Tridentini in poſtrema conuocatione. l. 15. c. 6. n. 2. *Epiſtola Pontificis ab ipſis delata ad Simonettam.* l. 15. c. 13. n. 1. 2. & 3. *Ipſorum conſilium de rebus primo loco proponendis.* l. 15. c. 15. n. 1. & 2. *Mittunt Pendaſium Romam, vt agat de emendatione, ac pracipuè de manſione, & quid hic retulerit.* l. 16. c. 4. n. 17. & 18. l. 16. c. 8. n. 1. vſque ad 12. *Littera quas ſcribunt ad Hiſpania Regem ſuper particula,* proponentibus Legatis, *poſita in primo*

Decreto. l.16.c.6.n 4.& ſeq. *Prolixa obiecta à Cæſareis & Hiſpanis ſuper hoc ſecundo articulo, & quo pacto res fuerit abſoluta*. l.15.c.16.n.1.2.& 5 *Studia Legatorum ad ſuperandas difficultates de litigio locorum inter varios Oratores; & mendacia Suauis*. l.16.c.10.n.7.8 9. & 10. *Ipſorum anguſtia propter mandatum Pontificis, vt declararent Continuationem, quod poſteà in ipſorum arbitrio reponitur: & ſe purgant apud Philippum Regem, quod ſpectat ad dilationem*.l.16.c.12.n.2.vſque ad 6

Legati miſſi ad Principes, & ad alia negotia. Vide ſub nominibus Cardinalium & Pontificum.

Leonardus de Cardine mittitur à Paulo IV. ad Carraffam Cardinalem in Belgium.l.14.c.15.n.4 & 9. *Particeps necis Ducissa Paliani*.l.14.c.15 n.9. *Capite plectitur*.ibid.n.15.

Libertas Patrum Tridentinorum erga Romanos Pontifices, quam Suauis fatetur.l.16.c.7 n.19.

Libri proſcribendi. Vide *Index*.

Lippomanus. Vide *Aloyſius*.

Loffredus. Vide *Pyrrus*.

Lotinius. Vide *Ioannes Franciſcus*.

Ludouicus Caſtelnetrius refugus ad hæreticos, quia non admittitur eius cauſa vt a Concilio iudicetur. l.15. c.10.n 15.

Ludouicus Lanſacius, Orator Caroli Noni apud Pium IV. l. 15. c. 14. n.15 *Deſtinatur ad Concilium Tridentinum*.l 16.c.3 n.8. *Eius litera ad Legatos, vt retardetur Seſſio: & Suauis mendacium*. l.16.c.5.n.9.& c.7.n.11.*eius aduentus & mandata*. l. 16. c. 10. n. 1. vſque ad 7. *Colloquium eius cum Præſidibus de loco*. ibid.n.7. *Prima conſilia ab eo ſcripta Romam ad Oratorem Galliæ; & expenditur eius dictum*, quod Spiritus ſanctus veniret Tridentum in mantica. l. 16. c 10. n. 11. & ſeq.

Ludouicus Madruccius Epiſcopus & Princeps Tridenti creatur à Pio Cardinalis.l.15.c.6.n.4.

Ludouicus Simonetta creatur Cardinalis a Pio.l.15.c.6.n.4. *& Legatus Concilij*. ibid.c.13.n.1. *Venit Tridentum*.ibid. *Scribit ad Pontificem de contentione ſuper manſione, vnde ſuſpicionem inycit duobus collegis; & conſilium illi dat vt addat nouos Legatos*. l. 16. c. 8. n. 12. & 13. & c.9.n.7.& ſeq.

M.

Macarius Chienſis, Archiepiſcopus Theßalonicæ, ritus Græci, quo pacto admißus ſit in cœtibus Synodi. l. 12.c.10.n.2.3.

Marcellus Capecius, conſanguineus Ducis Paliani, ab eo occiditur, & cur.l.14.c.15.n.9.

Marcellus Ceruinus Cardinalis, & Præſes Concily Tridentini, minas Cæſaris ſuſtinet ob procuratam ab eo Concily tranſlationem. l.9. c. 19. n.3. *Dat conſilium Pontifici, vt Synodum ſuſpendat*. l. 10. c. 4 n.2. & 3. *Se purgat apud illum, ac apud Cæſarem, ob Synodi tranſlationem*. l 9.c 17.n. 6. & 7. l. 10. c. 4. n. 1. *Committitur ipſi legatio Placentiæ poſt caſum Petri Aloyſij; ſed non exercetur*.l.10.c.5.n.1.& 2. *Romam adit, retentá facultate Legati Synodi*.l.10.c 6. n. 8. & 9.& c.11.n.1. *Redit Bononiam, & rurſus conſulitur à Pontifice*.l.10. c.12.n.1. *Iterum in Aulam redit propter* Interim, *propoſitum à Cæſare in Comitijs Auguſtanis*.l.10.c.17.n.2. *Dat conſilium vt Synodus continuetur*. l.11. c. 1. n.3. *Romam cauſâ morbi proficiſcitur*.l.11.c.8.n.1. *Reuocatur à Iulio III*. l.11. c. 11.n.1. *Sedet in Pontificatu breui tempore*.l.13.c.11 n.2.

n.2.vſque ad 8. Vide *Marcellus II.*

*Marcellus Creſcentius Cardinalis et Legatus Tridentum ſub Iulio.*l.11.c.13.n.1. *Honorificè excipitur.*l.11.c.14.n.2. *Eius monita in conuentu de quibuſdam articulis Euchariſtiæ.* l.12.c.2.n.9. *An auctoritate violentâ vteretur erga Patres, vt ſcribit Suauis.*l.12.c.12.n.9. *Notabilis nuntius ad ipſum miſſus à Pontifice.*l.13.c.1.n.10. *Calumnia Cæſarianorum in ipſum.*l.13.c.2.n.5. *Grauis eius morbus, & fuga Veronam, ob metum Proteſtantium.*l.13.c.3.n.1.& 9 *eius obitus.*ibid.

*Marcellus II. eligitur Pontifex, & citò diem obit; & falſa dicta a Suaui de ipſo.*l.13.c.11.n.2.vſque ad 8.

*Marchio Mariniani obſidet Senas, & Gallos fugat.*l.13.c.10.n.2. *Faciliorem reddit obitu ſuo Pontificatum fratri.*l.14.c.10.n.8.

Marchio Fontisbellis. Vide *Antonius Caraffa,* & *Ioannes Fräciſcus Guidus.*

Marchio Piſcariæ. Vide *Ferdinandus Franciſcus Aualus.*

Marcus Antonius Amulius Orator Venetus apud Pium IV. multos cum eo ſermones habet de conuocatione Concilij. l.14.c.14.n.1.vſque ad 8. *Per notabilem euentum donatur Purpurâ.*l.15.c.6.n.4.& ſeq.

Marcus Antonius Columna priuatur ſuis oppidis à Paulo IV. l.13.c.14.n.9. *Venit cum exercitu Albani Ducis contra ditionem Eccleſiæ.*l.13 c.20.n.1. *eius expeditiones prope Romã.*l.14.c.2.n.3.& c.3.n.2. *Acta ab Hiſpanis vt in gratiam Pontificis rediret.*l.14.c.4.n.1.& c.5.n.11. *eius reditus Palianum Sede vacante.*l.14 c.9.n.8. *Queritur ea de re Pius IV. cum Philippo Rege.*l.14.c.15.n.6. *Obſtat in Aula Philippi Regis rebus Caraffenſium.* l.14.c.5.n.11.

*Marcus Siticus Altempſius Epiſcopus Caſſanenſis mittitur Nuntius peculiaris ad Cæſarem, ad Concilium conuocandum.*l.14.c.13.n.7. *Creatur à Pio Cardinalis & Præſes Synodi.*l.15.c.6.n.4.& c.13.n.9.& 10. *Deſignatur Legatus in Galliam, ſed ſine effectu.*l.16.c.10.n.10. *Statuit Romam ire; & cur non adeat.*l.16.c.12.n.3.

*Marcus Vigerius, Epiſcopus Senogallienſis, adhæret tranſlationi Synodi; & falſa Suauis prolata.*l.9.c.15.n.7

*Margarita Auſtriaca Belgij Gubernatrix agit cũ Commendono Nuntio de conuocatione Synodi.*l.15.c.7.n.5.

Margarita Valeſia Nauarræ Regina Caluino fauet. l.14.c.15.n.1.& l.15 c.1.n.2.

Maria Henrici VIII. Regis Angliæ filia ſuccedit in regnum poſt obitum Eduardi fratris: & varij in hoc euentus. l.13.c.6.n.4.& 5 *Optat Angliæ conuerſionem.*l.13.c.7.n.1. *Agit cum Ioanne Franciſco Commẽdono, Pontificis cubiculario.*ibid. n.5 & 6. *Matrimonium inter ipſam & Hiſpaniæ Principem; & regni tumultus.* l.13.c.8.n.7. *Obſtacula quæ obijcit Poli purpuræ, & reuocationi Poli, Legati in Angliã.*l.14 c.2 n.4.& 5. *eius mors.* l.14 c.8.n.1.

Maria Scotiæ Regina, & vxor Delfini Galliæ, aſſumit titulum Reginæ Angliæ. l.14 c.18.n.2. *Diploma ad ipſam Pij IV. pro conuocatione Concilij.*l.13 c.3.n.9.

Martinengus. Vide *Hieronymus.*

Martinus Auila Epiſcopus Segouienſis quid opinaretur de manſione l.16.c.7.n.2.

Martinus Alfonſius Delrio mittitur Romam à Carolo V. ob res Placentinas. l.11.c.3.n.3.

Martinus Bucerus ſenſus concordiæ præ ſe fert in Comitijs Auguſtanis. l.10.c.17.n.6.

Martinus Guſman, miſſus Orator Romam à nouo Cæſare Ferdinando, non excipitur a Paulo IV. l.14.c.6.n.5. vſque ad 10.

Martinus Hercules Rettingerius, Epiſcopus Lauentinus, venit ad Synodum vt Procurator Archiepiſcopi Salisburgenſis, tempore Pij. l. 16. c.12.n.5.

Martinus Maſcaregna, Orator Luſitanus ad Synodum, litigat de loco cum Oratore Cæſaris tamquam Regis Hungariæ. l.15.c.20. n.1. vſque ad 6. & c. 21. n. 1. & 2. *Initum ab eo conſilium pro concordia Oratoris Hiſpani cum Gallo.* l.16.c.10 n.7.

Martinus Soria Velaſcus mittitur Bononiam a Carolo V. conteſtaturus contra Conciliũ. l.10.c.11.n.3.& ſeq.

Martinuſius. Vide *Georgius.*

Matrimonium clandeſtinum. Articuli de ipſo expendendi, & Theologorum dubitatio. l 16.c.1.n.13.& 14

Matrimonium Sacerdotum reputatur indulgendum ad retrahendos ad Fidem aberrantes, & permiſſio illius conceſſa à Carolo V. in ſcriptura Interim. l.10.c.17. n.1.2. & 6.& l.12 c.8 n.1. *Facultas de eo tradita à Paulo III. ſuis Nuntijs in Germania.* l.11.c.2.n.7.& l. 12. c.8 n.1. *Poſtulata Ferdinandi Regis, & Ducis Cliuienſis ad id obtinendum.* l.14.c 13.n.18.l.15.c.5.n.9.

Matthæus Dandalus Orator Venetus ad Concilium tempore Pij l.16.c.5. n.7. Vide *Oratores.*

Mauritius Septemuir Saxoniæ mittit Oratores ſuos ad Concilium Tridentinum. l. 12. c. 15. n. 2. *Bellum mouet in Cæſarem ad liberandum Lantgrauium* l. 13. c. 3.n.2.& 8. *Pacem init cum Cæſare, & moritur in alio prælio.* l.13.c.5 n.2.

Maximilianus Bohemiæ Rex, & Hiſpaniarum Gubernator pro Carolo V. it celeriter in Germaniam, & cur. l.11.c.15.n.1. *Tranſit Tridento primùm ſolus, poſtea cum regina coniuge.* ibid. n. 4.& l 13.c.15 n.3. *Permittit in Aula ſua Lutheranos prædicantes* l.14 c.6.n.4. *Studia Pij IV. vt ad bonam frugem ipſum traheret.* l.14.c.13 n.8.& 9.

Melchior Canus Theologus in Concilio Tridentino ſub Iulio, tuetur tamquam probabile, acquiri maiorem gratiam in ſumptione vtriuſque ſpeciei Euchariſtiæ quam in vnica: & curat ne damnetur vt hæretica ſententia affirmans, Confeſſionem non eſſe neceſſariam ad ſumendam Euchariſtiam. l.12.c.2.n.5.& 7.

Melchior Luſſius Orator Heluetiorum Catholicorum in Concilio Tridentino. l.16.c.2.n.3.& 5.

Mendicantes. Vide *Regulares.*

Mendozza. Vide *Didacus* & *Petrus Gonzaluus.*

Michael Baius, Doctor Academiæ Louanienſis, ſpargit quædam ſemina malæ doctrinæ de libero arbitrio, alijſque articulis; & diligentia miniſtrorum Pontificis ad ea ſuffocanda. l.15 c.7.n.6.& ſeq.

Michaël Giſlerius Dominicanus Alexandrinus, Epiſcopus Nepontis, & generalis Commiſſarius S. Inquiſitionis, creatur Cardinalis à Paulo IV. l.14.c.1.n.6. *Gratus eius animus in Carraffenſes cùm ad Pontificatum aſcendit.* l.14.c.15.n.16.& 17

Mignanellus. Vide *Fabius.*

Moguntia. Vide *Concilium.*

Monlucus. Vide *Ioannes.*

Montanus. Vide *Balduinus. Io. Baptiſta Io. Maria. Innocentius.*

Maſſarellus. Vide *Hieronymus.*

Muiottus. Vide *Philippus.*

Mutius Callinus Archiepiſcopus Iadrenſis multas litteras ſcribit de poſtremis Concilij rebus. l.15.c.13.n.4.

N.

NAuſea [Fredericus] Epiſcopus Viennenſis, Orator Regis Romanorum ad Concilium tempore Iuly III. l.11. c.15 n.5. & c.17.n.3.

Neapolis commonetur ob S. Inquiſitionem. l.10.c.1.n.4.

Nicheitus. Vide Abbas.

Nicolaus Perenotius Granuellanus agit cum Pighino Nuntio de Concily conuocatione ætate Iuly III. l.11. c.10.n.1.2. & 3.

Nicolaus de Ponte, Orator Venetus in Concilio tempore Py, conſuetam orationem habet cùm primò excipitur. l.16.c.5 n 7.

Nobilius. Vide Vincentius.

Nores. Vide Petrus.

O.

OCtauius Farneſius redit è Germania Romam, & ab itinere reuocatur ob cædem parentis. l. 10. c.4.n.5 Velitationes inter ipſum & Gubernatorem Mediolani, & induciæ inter eos vſque ad noua mandata ſuorum Principum. l.10 c.5.n 2 Mittit ad Cæſarem nuntium. ibid. n.6. Conatur in poſſeſſionem Parmæ redire; & ſuborta hinc diſcordia inter ipſum & patruum Paulum III. l. 11. c.6.n. 2. & 3 Reſtituitur ipſi Parma à Iulio III. l. 11. c.7 n.1. 2.& 3. Eius ſuſpiciones ob Cæſarianorum molimina: eius tractatus cum Gallis, & vana Pontificis ſtudia ad eos impediendos. l. 11. c. 12.n. 3. & ſeq. Pontifex eum monet & hortatur. l.11. c. 13. n. 2. c. 16.n.1.2.3. & 8. Omne obſequium exhibet Pontifici in excipiendo Parmæ Dandino, illius Secretario, qui illuc venerat nomine Iuly vt pacem conficeret, ſed ſine effectu. l.11. c. 16.n.4 5.6. & 7. euentus bellici. l.11.c.16.n.15. l.13.c.1.n.1.& 2. Concordia firmata cum prærogatiua Ducis. l.13.c.1. n.6.11.& 12. & c.2.n.1.2.& 3. Redit in gratiam Hiſpanorum, dum bellum gerunt cum Paulo IV. Placentia ab ipſis illi reſtituta; & Auctoris obſeruationes. l.13.c.20.n.10.11. & 12.

Odettus Caſtilionenſis Cardinalis incidit in hæreſim Caluini. l.15.c.14.n.1 Diſſidium inter ipſum & Nauarræ Regem, eiuſdemque diſceſſus ab Aula Gallica l 16.c.3.n.6.

Odoardus filius Henrici VIII. dominio Angliæ ſuccedit. l. 9.c.3.n.14. eius obitus præmaturus, & mala regni traditio. l.13.c.6.n.4.& 5.

Oliuus. Vide Camillus.

Orator Caroli V. Romæ. Vide Didacus Mendoza.

Orator Ducis Florentini ad Concilium ſub Pio. Vide Ioannes Strozzius.

Orator Ducis Florentini ad Pontificē. Vide Bongiannus Gianfigliatius.

Orator Luſitanus ad Concilium in vltima conuocatione. Vide Martinus Maſcaregna.

Oratores Caroli V. ad Concilium ætate Iuly III. l.11.c.14.n.2.& c.15.n.5 Eorum ſtudia ad continendum in pace Oratores Proteſtantium, & iniuſtæ querelæ aduerſus primum Legatum. l. 13. c. 2.n.4.& 5. Minæ eorum ob agitatam ſuſpenſionem. l. 13. c.3.n.2.& 3. Vide Guilielmus Pictauienſis, & Vgo Comes Monfortij.

Oratores aliquarum Ciuitatum liberarum Proteſtantium ad Concilium in ſecunda apertione, & difficultates ortæ ac ſuperatæ cùm primò excipiuntur. l.12.c.15 n.2 & 3. Eorum perturbatio, & ſtudia Cæſarianorum vt ipſis ſatisfieret. l.13.c.2.n.4.

Oratores Ducis Bauariæ ad Concilium in vltima conuocatione, decertant de loco cū Venetis. l.16.c.6.n.1. Man-

data ipſis tradita à Duce. l.16.c.10. n.8. *Excipiuntur : & error Suanis.* l.16.c.7.n.7.

Oratores Ducis VVirtembergici ad Concilium tempore Julij III. conueniunt priuatim in conuentibus antequam offerant mandata. l. 12. c.10. n. 13. *Excipiuntur : & propoſita ab ipſis in cœtu generali.* l. 12. c. 15. n.2.3.6.

Oratores Electoris Saxoniæ ad Concilium in ſecunda apertione l.12.c.15. n. 2. *Eorum poſtulata, & Legatorum reſponſa.* ibid. à n 7. vſque ad 16.

Oratores Ferdinandi & tamquam Cæſaris & tamquam Regis Hungariæ ad Concilium ſub Pio. l. 15. c. 16. n. 6. & c. 20. n 1. *Lis prærogatiuæ cum Luſitano, & cum Patribus.* l. 5. c 20. à n. 1. vſque ad 6. *Varia poſtulata, & præſertim cunctationis, in argumentis Fidei, & ſententiarum varietas* ibid.n.6. & ſeq. *Scriptura delata ad Legatos de inuitandis Proteſtantibus. & Germania reformanda.* l.10 c.1. n.11 & 12 *Emendationis capita ijſdem tradita.* l.16 c.1 n 15.& 16. *Poſtulata ne declararetur Continuatio; & ſuper hoc oppoſitio Marchionis Piſcariæ* l. 16.c 7. n. 3. & 4. & c.12.n.1.

Oratores Ferdinandi Romanorum Regis ad Concilium ſub Iulio III. l.11. c.15.n.5. *Lis inter ipſos & Oratores Luſitanos.* l.13.c.2.n.9.& 10.

Oratores Ferdinandi Cæſaris. Vide *Franciſcus a Turri, Martinus Guſmanus, Scipio ab Arco.*

Oratores Galli Romæ. Vide *Philibertus Naldus. Paulus de Termes, Allegrius, & Inſulanus.*

Oratores Galli eunt ad Concilium Bononiæ. l.10. c.4.n.4. *Eorum conſilia pro tranſlatione.* l.11.c.1.n.1.

Oratores Galli ad Synodum deſtinati in vltima conuocatione. l.10.c.5.n.9. *Decreta prorogata, vt ipſi expectarentur.* ibid. vſque ad finem. *Excipiuntur : & eorum mandata.* l.16. c. 10. n. 1. vſque ad 7. & c. 11. n. 1. *Oratio pungens; & reſponſio.* l. 16. c.11 n.2. vſque ad 8. *Eorum poſtulata vt Synodus declaretur noua celebratio* l.16.c 12. n. 2. *Solemniter excipiuntur in cœtu generali.* l.16.c 12.n.9.

Oratores Heluetij ad Concilium in vltima conuocatione; & contentio de loco cum Florentino. l.16.c. 2. n.3. & 5 *Mendacium Suauis de eorum admiſſione.* l.16. c.7. n 6.& c.13.n.9

Oratores Hiſpani ad Concilium tempore Pij. Vide *Ferdinandus Franciſcus Auala.*

Oratores Hiſpani Romæ. Vide *Comes Tendiliæ Franciſcus Vargas, Aloyſius de Auila.*

Oratores Luſitani ad Concilium ſub Iulio contendunt de gradu cum Oratoribus Regis Romanorum; & quo pacto lis compoſita. l. 13. c. 12 n. 9. & 10.

Oratores Marchionis Brandeburgici ad Concilium. l 12.c 9.n.1. *Ipſorum interuentus in Theologorum cœtibus.* l.12 c.10 n.23.

Oratores Veneti ad Concilium in poſtrema conuocatione. l. 16. c. 5. n 7. *Serius excipiuntur; & cur* ibid. *Contentio de gradu cum Bauarico.* l.16. c.6.n.1 & c.10 n.8.

Oratores Veneti Romæ. Vid *Bernardus Nauagerus, Marcus Antonius Amulius.*

Ordo an imprimat characterem in anima: & falſa Suauis dicta. l.9.c.5.per totum. *Varia Decreta firmata de collatione Ordinum.* l. 9. c.12 n.13. & 14.l.12.c.13.n.2.3.4.& 10.

Oſius. Vide *Ioan. Baptiſta.*

Otho Truxeſius Cardinalis Auguſtanus

nus quid egerit in creatione Pauli IV. l.13 c.11.n.11. Eius conſiderationes de conuocatione Concilij tempore Pij. l.14 c.13.n.19.

P.

PAcecus. Vide Petrus.
Pagi Catholici in Heluetia Oratores mittunt ad Concilium in poſtrema conuocatione. Vide Oratores.
Paleottus. Vide Gabriel.
Palianum oppidum ablatum Columnenſibus, & munitum à Paulo IV. l.13 c.17.n.3. Obſidetur à Marco Antonio Columna. l. 14. c. 3. n. 2. Ab eodem occupatur Sede vacante. l.14.c.9.n.8.
Pallauicinus. Vide Sfortia.
Parpalia. Vide Vincentius.
Patriarcha Armenus exceptus Romæ à Paulo III. & calumnia Suauis. l.13.c.4 n.4.
Patriarcha Aſſyrius obedientiam præſtat Iulio III. nomine Chriſtianorum illius regionis: & maligna animaduerſiones Suauis. l 13.c.4 n.4.
Paulus Gregorianus, Epiſcopus Zagabrienſis, Orator Ferdinandi Regis in Concilio ſub Iulio III. l. 13.c.2. n. 9.
Paulus Iouius, Epiſcopus Nucerienſis, calumnijs appetitur a Suaui de ipſius ſententia ſuper manſione. l.16. c.4.n.9.
Paulus Quartus quo pacto ad Pontificatũ aſcenderit. l.13 c.11.n.8 & ſeq. Excipit Oratores Anglos, & Hiberniæ dat Regni titulũ. l.13.c.12.per totum. Iraſcitur Ferdinando Regi ob decreta Auguſtana. l. 13 c.14. n.1. Suſpiciones inter ipſum & Cæſarem, auctæ ob ea quæ Romæ contigerunt in Sfortianis & Columnenſibus: & ſtudia Caraffæ Cardinalis, vt illum cum Gallo colligaret, ibid. n. 2. & ſeq. Graues eius ſuſpiciones in Cæſarem & Hiſpanos, & fœdus initum cum Henrico II. l.13. c.15. per totum. Militares cuſtodiæ ab eo conſtitutæ; & Cardinalium creatio. l.13.c.16.n.2. Eius querimonia ob inducias firmatas à Gallo cum Hiſpano; & duo Legati ad eos Reges miſſi. ibid. n.4. & 5.c.17.n.1.2. & 3. Variæ cauſæ inimicitiæ inter ipſum & Proregem Neapolitanum. l. 13. c.17.n.3. & ſeq. Conteſtatio à Fiſcali Romano habita in Senatu contra Cæſarem & Philippum Regem. ibid. n.6. & 7. Orator Cæſareus diſcedit; & ſine fructu agitur de concordia cum Prorege ibid. n. 9. & 10. & c.18. per totum. l.13.c 20.n.3. vſque ad 7. Prorex bellum infert; & Pontifex conqueritur. l.13.c.20.n.1. Eius ira in Farneſios. ibid.n.10.11.& 12. Suſpenſio armorum abſque confectione pacis, ad quam agendam cum Philippo, mittitur. ibid.n.13. & ſeq. Oppida Pontificia recuperata. l.14. c.1.n.2. Tribunal Audientiæ publicæ, & feſtum Cathedræ S. Petri ab illo inſtituta ibid.n.3.&4. Creatio Cardinalium: & varij Suauis errores. ibid.n.6.& 7 Eliguntur Iudices contra Cæſarem & Philippum. ibid. n. 8. & ſeq. Studia Pontificis ad abſtrahendum ab Hiſpanis Ducem Florentiæ. l.14 c.2.n.1. Vectigal Neapolitanum ab ipſo reiectum. l.14.c.3.n 1. Quæ egerit erga Heluetios, qui Romam aduenerant ad ipſius cuſtodiam. ibid.n.2. Adhibita diligentia ad ineundam concordiam, & quo pacto firmata. l.14.c.3. n.8. & c.4. per totum. Duo Legati ad duos Reges miſſi pro pace vniuerſali. l. 14. c. 4. n. 5. & c. 5. n. 1. vſque ad 7 Noua eius indignatio in Ferdinandum Regem ob negotia Religionis. l. 14. c. 6. n. 4. Difficultas ipſius

ipſius ne illum excipiat vt Cæſarem, poſtquam eius frater nuntium remiſit Imperij; & quid declaret in exequiis Caroli V. ibid. n. 5. & ſeq. *Suos Româ expellit.* l. 14. c. 7. per totum. *Tribunal erigit ad ditionem Eccleſiaſticam adminiſtrandam.* ibid. n. 5. & 6. *Cura, mors & elogium ipſius, & furores populi Romani.* l. 14 c. 9. n. 4. & ſeq.

Paulus Termeſius, Orator Gallicus Romæ, conteſtatur in Senatu ſuper negotia Parmæ & Concilij. l. 11. c. 16. n. 9. vſque ad 13.

Paulus Tertius euulgat diploma ad Cardinales emendandos. l. 9. c. 1 n. 3. & c. 2. n. 4. & 5. *Eius ſenſa de tranſlatione Bononienſi: varia ſuper hoc acta cum ipſis Synodi Legatis, cum Cæſaris Oratore, cum Madruccio Cardinali, qui Romam venerat: & quid ibi contigerit.* l. 9. c. 17. n. 4. & 5. & l. 10. c. 1. n. 1. & 2. c. 2. n 4. c 3. n 10 c. 4. n. 3. c. 6. n. 8 & 9. c. 8. n. 2. 3. 4. & 6. c. 10. n. 1. c. 13. per totum. c 14. n. 1 & 2. c. 15. n. 2. & 3. *Peruſium adit.* l. 10 c. 4 n 4. *Reſponſa reddita Eccleſiaſticis Germanis, qui ab eo poſtulant reditum Synodi Tridentum.* l. 10 c. 6 n. 1. 2 & 3. & c. 10. n. 2. & ſeq. *Eius diligentia vt Parmam & Placentiam coniungeret cum Eccleſiaſtica ditione poſt caſum Petri Aloyſij.* l. 10. c. 5. n. 1. *Acta cum Cæſare per Ardinghellum.* l. 10. c. 6. n. 1. *Mittit in Germaniam Proſperum Sanctacrucium.* ibid. n. 3 & 4. *Eius Conſilia ante ac poſt promulgationem* Interim; *& allucinationes Suauis.* l. 10. c. 17. & 18. per totum. & l. 11. c. 2 per totum. *Fœdus ad defenſionem agitatum ab ipſo cum rege Galliæ, ſed non confectum.* l. 1[illegible] c. 1. n. 4. & c. 2. n. 14. & c. 5. n. 2. *Nuntij miſſi in Germaniam cum ampla facultate in rebus Religionis.* l. 11. c. 2. n. 6. & ſeq. *Poſtremùm acta inter ipſum ac Cæſarem pro reſtitutione Placentiæ.* l. 11 c 3. per totum. *Studia adhibita ad pertrahendos in Aulam Præſules cuiuſque nationis, ibique ſtatuendam emendationem; ſed fruſtrà.* l. 11. c 1. n. 1. vſque ad 6. *Rationes cur Concilium ſuſpendat.* l. 11. c. 5. per totum. *Diſſenſiones inter ipſum & Octauium Farneſium de Parmæ reſtitutione.* l. 11. c. 6. n. 3. *Eius mors.* ibid. n 4. *Parma poſt cædem Petri Aloyſij retinetur in filij obedientia.* l. 10. c. 4. n. 5. *Cuſtoditur à Pontifice nomine Eccleſiæ: & molimina Cæſarianorum detecta.* l. 10. c. 17. n. 3. & l. 11. c. 6. n. 1. *Conatus irriti Octauij Ducis ad eam occupandam.* l. 11. c. 6 n 2. *Ipſi reſtituitur à Iulio III.* l. 11. c. 7. n. 1. *Varij euentus belli in ea ditione.* l. 13 c. 1. n. 1.

Pauperes. Quantum conducat vt prouentus Eccleſiaſtici ad illis ſubueniendum impendantur. l. 9. c. 9. n. 3. vſque ad 8.

Pendaſius. Vide *Federicus.*

Perenottus. Vide *Antonius* & *Nicolaus.*

Petrus Aloyſius Farneſius occiditur. l. 10. c. 4. n. 5.

Petrus Bertanus Epiſcopus Phanenſis accitur à Duce Vrbini. l. 9. c. 3. n. 13. *adit bis Cæſarem Nuntius.* l. 11. c. 1. n. 6. & 9 c. 2 n. 6. c. 8. n. 6. c. 12. n 1 & 2. *euehitur ad purpuram.* l. 13. c. 1. n. 3 & 9.

Petrus Camaianus Cubicularius ſecretus Iulij III. mittitur ad Octauium Ducem Farneſium, & ad Carolum V. acturus de negotio Parmenſi. l. 11. c. 12. n. 5. & 6. l. 13. c. 1. n. 7. & 11. *Promouetur ad Inſulas Feſulanas.* l. 13. c. 1. n. 9.

Petrus Caniſius Theologus Soc. IESV *venit ad Concilium Bononienſe.* l. 10. c. 1. n. 3

c. 1. n. 3. *Scribit perutilem Catechiſmum, euulgatum à Ferdinando Rege in ſuis ditionibus.* l.14.c.6.n.2.

Petrus Conſaluus Mendoza, Epiſcopus Salmanticenſis, multa ſcribit de Synodo in poſtrema conuocatione. l.15. c. 13. n. 4. *ſe opponit illic varijs conteſtationibus, quas Hiſpani parabant.* l.16 c.12.n.7.

Petrus Guerrerus, Archiepiſcopus Granatenſis, venit ad Concilium ſub Iulio III. & Pio. l.12. c. 10. n. 28. & l.15. c. 13. n. 5. *Varia poſtulat de continuatione, de titulo Concilij, de particula* proponentibus Legatis. l.15.c.15.n.4 vſque ad 8.c.16 n.1. 2. & 5. c. 19 n. 15. & c.20. n.14. *Differit de ſecuritatis tabulis pro hæreticis, & de vſu Calicis.* l.16.c.1. n. 4. *Sæpiùs excitat quæſtionem de manſione.* l.16 c.4.n 4.

Petrus de Nores, Auctor hiſtoriæ de bello inter Paulum IV. & Philippum Regem. l.13.c.11.n 12.

Petrus Paceeus Cardinalis varia opponit tranſlationi Synodi. l.9.c.13. n.7.c.14.n.2.& 5.c.15.n. 3. & 10. *Eius ſtudia cum Paulo IV. contra Caraffam Cardinalem.* l. 13. c 19. n. 6. & l. 14. c.7.n.2. *Propè eſt vt Pontifex creetur.* l. 14. c. 10. n. 3. & 5. *Eius mors* l.15.c.6.n 4.

Petrus Paulus Vergerius ſecretos habet ſermones cũ Delfino Nuntio. Scribit ad Mantuanum, Legatum Concilij; & quo euentu. l.15 c.10.n.13.& 15

Petrus Sotus Dominicanus agit cum Carolo V. vt excipiatur in Aula Poli Cardinalis Legatus. l,13.c.7.n.6

Petrus Strozzius, miles Regis Galliæ, defendit Parmam contra Pontificis & Cæſaris arma. l.13.c.1.n.1. *Prælio vincitur ab Hiſpanis in inſula Elba.* l.13.c.10.n.2. *Agit de fœdere in illos inter Paulum IV. & Henricum II.* l.13.c.17.n.3.

Petrus Taglianta Archiepiſcopus Panormitanus. Poſtulata Caroli V. vt ad Purpuram promoueatur. l. 13. c.1.n.3.

Petrus Toletanus, familiaris Burgenſis Cardinalis, mittitur à Iulio III. ad Cæſarem. l.11. c.7. n.2. & 3 & c.8. n.1 & 2.

Petrus. Vide *Guilielmus.*

Philibertus Naldus, Bordiſeræ dominus. Orator Regis Galliæ apud Pium IV. diſſuadet ſuo Regi, ne Synodum ſuæ nationis cogat. l. 14. c. 2. n. 13. *Purpurâ donatur à Pontifice.* l.15 c.6 n.4. *Eius conditiones, & conſilium Pontificis, vt ipſum adderet Legatum Concilio* l.16.c.8.n.13.

Philippus Archintus, Epiſcopus Salutienſis, aduerſatur moleſtè titulo Concilij repræſentans Eccleſiam vniuerſalem, *quem aliqui poſtulabant.* l. 9. c.1.n.7. *Venit Romam ad defendendam cauſam tranſlationis.* l. 10. c.15.n.2.

Philippus Hiſpaniæ Princeps tranſit Tridento; & quibus honoribus excipitur à Præſidibus & Epiſcopis Concilij. l. 11.c.15.n.1.2.& 3. *Vxorem accipit Mariam Angliæ Reginam.* l 13. c.8, n.7. *Agit cum Polo de facultate ſuæ legationis, & de modo ingrediendi Angliam.* l. 13. c.9 n. 4. & ſeq. *Scribit ad Pontificem de conuerſione Anglorum ad fidem* ibid.n.10. *Accipit Regna hæreditaria à Carolo V. & inducias conficit, ac poſtea pacem cum Rege Galliæ.* l. 13. c. 16.n.4.& l.14.c.8. n.4 *In graues diſcordias incidit cum Paulo IV.* Vide Paulum IV. *Perhonorificè excipit Caraffam Legatum; & quæ cum eo egit.* l.14. c.5. n.8. & ſeq. *Officia cum Pontifice vt Ferdinandum agnoſcat tamquam Cæſarem.* l.14.c.6.n.10. *Quæ egerit contra hæreticos in regnis Hiſpaniæ;*

& malignitas Suauis in his. l. 14. c.11. n. 2. & ſeq. *Iuriſdictio Eccleſiaſtica ibi reparata*. l. 14. c. 13. n. 5. & 6. *Eius ſenſa ante & poſt Synodi conuocationem*. l. 14. c. 12. n. 6. & 7. & l. 16. c. 2. n. 7. *Obſtacula ab eo inſecta Synodo nationis in Gallia deſtinata*. l. 14. c. 16. n. 8. 9. & 10. *Eius littera ad Pontificem, quibus inſtat vt declaretur Synodi Continuatio, & auferatur particula* proponentibus Legatis. l. 16. c. 6. n. 4. & ſeq.

Philippus Lantgrauius ſe dat in manus Caroli V. & quâ promiſſione. l. 10. c. 1. n. 3. *Violatio id ducitur, & idcircò Proteſtantium bellum in Cæſarem*. l. 13. c. 3. n. 2. *Liberatur Lantgrauius*. l. 13. c. 5. n. 3.

Philippus Muſottus a Secretis Seripandi Cardinalis, & eius conditiones. l. 15. c. 13. n. 1. & l. 16. c. 5. n. 1. *Multa ſcribit de poſtremis Concilij rebus*. l. 15 c. 13. n. 1.

Pictauia. Vide *Guilielmus*.

Pighinus. Vide *Sebaſtianus*.

Pius IV. eligitur Pontifex. l. 14. c. 10. n. 8. *Admittit tamquam Cæſarem Ferdinandum*. l 14 c. 11. n. 1. *Varia cum Principibus agit de conuocatione Concilij*. l. 14. c. 12. n. 1. vſque ad 6 n. 13. & ſeq. c. 13. n. 1. vſque ad 11. l. 14. c. 14. per totum. *Iubilæum: Diploma & Decreta ab eo vulgata ad hanc rem: electio Legatorum, & duæ Cardinalium creationes*. l. 14. c. 15. n. 1. c. 17. n. 2. & ſeq l. 15. c. 6. n. 2. & ſeq. l. 15. c. 13. n. 11. *Suppeditata ab eo auxilia Galliæ, & eius diligentia ad impediendam illic Synodum nationis*. l. 14. c. 16. n. 11. & 16. l. 16 c. 7. n. 20. c. 11. n. 10. & 11. *Eius & Aulæ ſenſus ob euentus Tridentinos de manſione. Mittit eo Epiſcopum Vintimilienſem, & quid egerit in hoc genere*. l. 16. c. 17. n. 1. c. 8. n. 11. vſque ad 18. c. 11. n. 8. 9. & 10 *Mandatum Legatis traditum de declaranda Continuatione, de prerogatiua inter Oratores duorum Regum, de modo procedendi in Concilio; & Præſidum reſponſa*. l. 16. c. 12 n. 2 3 4. & 5.

Placentia occupatur à Cæſareis poſt cædem Petri Aloyſij Farneſij. l. 10. c. 4. n. 5. *Propenſio populorum ad redeundum ſub Eccleſiæ poteſtatem, & littera ciuitatis ad Pontificem, quibus factum excuſat*. l. 10. c. 5. n. 1. *Vana ſtudia Pontificis & Octauij Farneſij ad eam recuperandam*. ibid. vſque ad finē. c 8 n. 3. c. 17. n. 3. l. 11 c. 3. per totum. *Reſtituitur Octauio tempore Pauli IV*. l. 13. c. 20. n. 10.

Pœnitentia. Articuli de ipſa traditi ad expendendum. l. 12. c. 10. n. 1. vſque ad 14 n. 18. & n. 22. vſque ad 38. *Obiecta à Suaui verbis* Quodcumque ligaueritis, &c. *ad imponendas pœnitentias, & ad ſignum exterius requiſitum in confeſſione*. ibid. n. 5. & ſeq. *Argumenta ab eodem allata aduerſus materiam ac partes huius Sacramenti, enumeratas à Concilio, & aduerſus eius inſtitutionem, ac ſignificationem abſolutionis*. l. 12. c. 12. n. 1. vſque ad 9. *Alia argumenta ab eo adducta ſub perſona hæreticorum Germaniæ de articulis in hac re firmatis*. l. 12. c. 19. per totum.

Pœnitentiaria Romæ reformata à Pio IV. & falſa a Suaui dicta. l. 16 c. 7. n. 21. & ſeq.

Poggius. Vide *Ioannes*.

Polonia. Vide *Sigiſmundus Auguſtus*.

de Ponte. Vide *Nicolaus*.

Pontifices. Ratiocinationes erroneæ Suauis de diſcrimine inter Pontifices Romanos & Sedem Apoſtolicam. l. 11. c. 18. n. 10. & 11. *Eiuſdem ſenſus de principijs & incrementis illius auctoritatis*. l. 12. c. 3. n. 4. 8. & ſeq.

vt

vt *Romani Pontifices ſubdantur Concilijs*.l.12.c 15 n.12.vſq; ad 16

Poteſtas Eccleſiaſtica. Vide *Eccleſiaſtici, Pontifices* & *Epiſcopi*.

Prædeſtinatio. Vide *Iuſtitiæ collatio*.

Prærogatiua quam ſibi aſſerunt Epiſcopi & Theologi.l.15.c.13.n.7.8.& 10

Primatus Romani Pontificis. Vide *Pontifex Romanus*.

Procurator Concilij oblatus à Septemuiro Moguntino ſub Iulio III. ſed non exceptus.l.11.c.15.n.5.

Procuratores Archiepiſcopi Salisburgenſis in vltima Synodi conuocatione.l.16.c.12.n.5.& 9.

Procuratores Præſulum & Cleri Hungariæ in Concilio ſub Pio.l.16.c.2.n.6

Proſper Sanctacrucius, Epiſcopus Chyſamenſis & Duodecemuir, mittitur à Paulo III. Nuntius ad Regem Romanorum, & agit cum Legatis Concilij tranſiens Bononiâ.l.10.c.16.n.3 & 4.c.17.n 1.& 7. *Mittitur Nuntius in Luſitaniam, & per viam loquitur cum Philippo Rege*.l.14 c.15 n.8.& 11. *Redit cum eodem munere in Galliam; ibique varia agit de Synodo excipienda, & de prærogatiua Oratoris*.l.15.c.1.n.4.

Proteſtantes. A Cæſare grauiter prælio victi.l.10.c.1.n 3. *Ipſorum conſenſio Auguſtæ, ne ſe remittant futuri Concilij Decretis*. l. 10. c.6.n.4. & ſeq. & c. 11. n.2.l.11.c.11.n.3. *Tabulæ publicæ ſecuritatis illis conceſſæ à Patribus Tridentinis ſub Iulio III. & quo euentu*. l.12.c.8. n.2. & ſeq. Vide Oratores. *Arma capiunt in Cæſarem*.l.13.c.3.n.2.& 8. *Fœdus ab ipſis initum cum Rege Galliæ, & varij belli euentus in Germania*.l.13 c.5.n.1. *Iterum inuitantur ad Synodum generalem ſub Pio, & quid acciderit cum Nuntijs*.l.15 c.2.n.4.9.& 10.& c.3.per totum. *Eorum conuentus Erfordiæ, & quæ decernunt in Auſtriacos*.l.15.c.8.n.11

Prouocationes Clericorum ſæcularium ad Summum Pontificem, num damnari debeant, ſicuti ratiocinatur Suauis.l.12.c.4.n. 3. vſque ad 9. *Decreta ſuper his ſtabilita*.l.12.c.5 n.1.2 3 5

Pyrrhus Loffredus mittitur Romam à Prorege Neapolitano, acturus de concordia cum Paulo IV.l.13.c.18. n.2.& 3. *Retinetur captiuus in Arce Ælia*.l.13.c.19.n.1.

Q.

Quæſtores pro Indulgentijs promulgandis. Diploma Pij IV. & Decretum Concilij, quo huiuſmodi miniſtri ab Eccleſia tolluntur. l.16. c.7.n 24.

Quena. Vide *Bartholomæus*.

R.

Reformandi ratio. Eccleſiaſtici Germaniæ reformati à Campeggio Cardinali & Carolo V. l.11. c.2.n.1. *Libertas à Romanis Pontificibus relicta Concilij Patribus de moribus reformandis*. l. 9. c.10. per totum. *Acta Bononiæ pro reformanda diſciplina, aduersùs quàm narrat Suauis*.l.10.c.2.n.7.

Reginaldus Ferrerius, Orator Regis Galliæ in Concilio in poſtrema Conuocatione, & ſuſpicionis de Religione. l.16.c.11 n.1.

Reginaldus Polus, Cardinalis Anglus, reſponſum format conteſtationi Mendozæ contra Synodum Bononienſem; eiuſq; ambigua ſententia de ipſius proceſſu. l.10.c.6.n.7. & c.13. n. 2. *Noua ſtudia adhibet ad Angliam reducendam. Mittit nuntium cum litteris ad Reginam*. l. 13. c.7. n.1.& 2 & c.8.n. 2. *Se in viam dat ad eam legationem, & in itinere agit* de

de pace cum vtroque Rege.l.13.c.7 n.2.& 8.c.8.n.7.c.9.n.1. Varia obſtacula ſuperata cũ Carolo V. Perhonorificè excipitur Londini,& mira ab eo confecta.ibid.n.7.& c 8.& 9 per totum. Studia Farneſij Cardinalis,vt illum ad Pontificatum eueheret.l.13.c.11.n.8. Eligitur Archiepiſcopus Cantuarienſis. l.13.c.13. n.1. Remouetur à legatione, & Romam reuocatur à Paulo IV.ob fidei ſuſpiciones;& obſtacula ad id iniecta à Regina Maria.l.14 c.1.n.8.& c.2 n.4.& ſeq. Comburit apologiam pro ſe ſcriptam cum aculeis in Pontificem; & noua Pontificis diligentia, vt illum Roma haberet. l.14. c.5. n.2.& 3. Moritur.l.14.c.8.n.1.

Regulares. Argumenta Suanis de prohibitione,qua Regulares prohibentur prouocare ad iudices extraneos: de exemptione ipſornm à iuriſdictione Ordinariorum,& de obligatione gerendi habitum celatum, impoſita à Paulo III. ijs qui permittebantur manere extra clauſtra. l.11.c.2. n.12.& l.12.c.4.n.5.c.13.n.7.& 8. Decretum ipſis propitium Synodi, vt ſacerdotia vnius Ordinis regularis vacantia dentur ijs qui ſunt eiuſdem Ordinis.l.12.c.13.n.14.

Requeſenius. Vide Aloyſius.

Reſidendi obligatio in Epiſcopis & Curionibus inferioribus, quæſtio an ſit de iure Diuino.l.10.c.2 n.7. Noua, prolixa & difficilis correctio, excitata tempore Pij de eiuſmodi quæſtione, & quo pacto tandem concluſa fuerit.l.16 c.1. per totum.c.5. n.1. vſque ad 7.c.6.n.2.c.7.n.1.c.8. n.11.vſque ad 19.

Rex Daniæ,eiuſque conditiones.l.15. c.16.n.1.& c.8.n 1.vſq; ad 8. Nuntius ad eum deſtinatus a Pio IV.pro conuocatione Synodi, ſed ab illo non exceptus.ibid.

Rio. Vide Martinus Alfonſius.

Rodulfus Pius Carpenſis, Epiſcopus Fauentinus, ac Cardinalis, deſtinatur à Iulio III.ad geminum Regem pro pace vniue[illegible], ſed morbo impeditus non it.l.13.c.1.n.5.& 8. Acta in Comitijs ad ipſum eu:hendum poſt mortem Pauli IV. & moderatio animi in eo.l.14.c.10 n.3.& 5.

Roſſettus. Vide Albertus.

S.

SAcerdotia curam animarum habentia. Varia Decreta ætate Pauli III. de ipſorum collatione & adminiſtratione.l 9.c.11. n. 4. vſque ad 12. Acta Bononiæ de reuocandis præteritis conceſſionibus plurium huiuſmodi Sacerdotiorum in vno eodemque capite.l.10.c.2.n.7. Sacerdotia Patronatus quo pacto ſint acquirenda legitime l.12.c. 13.n.16.

Sacerdotia Eccleſiaſtica, & ratiocinationes Suanis de origine & conditionibus eorum.l.9.c.9.n.1. & ſeq. Decreta ſtabilita in Synodo de eorum collatione & adminiſtratione. l.9. c.11.n.1.& ſeq. & c.12.n.6.

Sacramenta Chriſtianorum. Obiecta à Suani illorum numero,ac diſcrimini à Moſaicis.l.9.c.14.n.1.& ſeq. Expenduntur ea quæ differit Suauis de Charactere,impreſſo à tribus Sacramentis.l.9.c.5. per totum. Falſa ab eodem dicta de materia ac forma, & de intentione requiſita ad virtutem Sacramenti.l.9.c.6.per totum. Varia obſeruata in Canonibus de hoc argumento.l.9.c.7.per totum. An Sacramenta inſtituta fuerint ſtatim ac Adam peccauit.l.9.c.8.n.1.

Salmeron. Vide Alfonſius.

Saluator Alepius, Archiepiſcopus Saſſaritanus, obſtat diuturnæ prorogationi Decretorum in ſecunda Synodi apertione.l.11.c.14.n.4.

San-

Sanctacrucius. Vide Proſper.

Sancti. Errores Suauis de definitionibus Concilij Moguntini, ſpectantibus ad ipſorum imagines. l. 11. c. 4. n 5. & 6.

Sanfelicius. Vide Ioannes Thomas.

Sanſeueriñ. Vide Ioannes Franciſcus.

Saracenus. Vide Ioannes Michaël.

Satyricus libellus editus poſt primam editionem huius hiſtoriæ contra narrationem ſpectantem ad Paulum IV. & cur Auctor ne vllam quidem eius partem legere aut audire voluerit. l. 13. c. 11. n. 12.

Scipio de Arco, Orator obedientiæ Ferdinandi Cæſaris ad Pium IV. Eius Poſtulata de Synodi conuocatione; & errata Suauis. l. 14. c. 12. n 2. vſque ad 6.

Scipio Lancellottus Romanus, Aduocatus Conſiſtorij in Concilio ſub Pio. l. 15. c. 13. n. 4.

Scipio Rebiba Epiſcopus Mutulanus, Romæ Gubernator, creatur à Paulo IV. Cardinalis. l 13. c. 16. n. 2. Mittitur Legatus in Belgium pro Concilio & pace. ibid. n. 6. & c. 17. n 1. & 2. Redit in Aulam antequam ad Cæſarem peruenerit. l. 13. c. 14. n 7. Deſtinatur Legatus ad Cæſarem & ad Regem Poloniæ. l. 14. c. 6. n. 9.

Scriptura ſacra cur non debeat edi ſermone vulgari. l. 14. c. 16. n. 5. & 6

Sebaſtianus Gualterius, Epiſcopus Viterbienſis, & Nuntius in Gallia, tollit difficultatem Diplomati Synodum denuntianti. l. 15. c. 1. n. 5. Reuocatur Romam, & cur. l. 15. c. 14. n. 4.

Sebaſtianus ab Haunſenſtain, Archiepiſcopus Moguntinus, habet in animo mittere Procuratorem ad Concilium: ſed ipſi non conceditur à Præſidibus. l. 11. c. 15. n. 5. Idcircò ipſe venit Tridentum. ibid. & n. 6. Abit l. 13. c. 2. n 6.

Sebaſtianus Luſitaniæ Rex ſuum Oratorem Tridentum mittit ætate Pij. l. 15. c. 20. n. 11.

Sebaſtianus Pighinus Duodecemuir, Romam tranſit ad defendendam cauſam tranſlationis. l 10. c. 15. n. 2. Mittitur Nuntius in Germaniam; & ampla illi facultates traditæ. l. 11 c. 2. n. 6. Eius iter, & agitata cum Cæſare. ibid. n. 16. Romam vocatur ætate Iulij. l. 11. c. 8. n. 41. Noua eius miſſio ad Cæſarem. ibid n. 6. Mandata ipſi tradita de Synodi conuocatione, & negotio Parmenſi; & Suauis malignitas. l. 11. c. 9. n 3. & 4 Obices in quos offendit in ſecundo negotio. l. 11. c. 10. per totum. Eligitur Concilij Præſes. l. 11. c. 13. n. 1. Tridentum peruenit. l. 11. c. 14. n. 2. Nuntius illi delatus à Pontifice de declaratione concedendæ illi Purpuræ. l. 13. c. 1. n. 10. Prærogatiua quâ fungitur ægrotante Creſcentio. l. 13. c. 13 n 2. & 3.

Secretarij Hiſpani Tridenti. Vide Martinus Gaſtelus.

Secretarius Synodi. Vide Angelus Maſſarellus.

Securitatis tabulæ Baſileenſis Concilij quas facultates conceſſerint hæreticis. l. 12 c. 15. n 9.

Securitatis tabula conceſſa hæreticis in ſecunda Synodi conuocatione, & quo pacto reformata ad poſtulatum Proteſtantium. l. 12. c. 8. n. 3. & ſeq. c. 15 n. 8. 9. & 17. & l. 13. c. 2 n. 4.

Securitatis tabula data à Synodo Tridentina ſub Pio IV. Obiecta illis ab Hiſpanis & Luſitanis propter inquiſitos, & eorum reformatio. l. 15. c. 18. n. 1. c. 19. n. 12. & ſeq. c. 21. n. 4 & 11. l. 16. c. 1. n. 1. vſque ad 11.

Securitatis tabula Pauli III. pro quocumque accedente ad Concilium Bononienſe. l. 9. c. 20. n. 1.

Sedes Apoſtolica in quo differat à Romano Pontifice. l. 11. c. 18. n. 10. & 11

Eius auctoritas praeſeruata in fine Concilij, & alibi, poſt varias diſputationes inter Patres. l. 9. c. 11. n. 2.

Senenſes contra Hiſpanos rebellant; & ſtudia Iulij III. ad eos ſedandos. l. 13. c. 6. n. 2. & c. 10. n. 1. *Se dedunt Caeſari,* l. 13. c. 11. n. 4. *Conceduntur Duci Florentiae.* l. 14. c. 2. n. 1.

Septemuir Brandeburgicus. Vide *Ioachimus.*

Septemuir Colonienſis inuitatus ad Concilium à Pio IV. l. 15. c. 5. n. 4. *Status quem Coloniae offendit Nuntius.* ibid. n. 6.

Septemuiri Eccleſiaſtici praeſentes Concilio ſub Iulio III. l. 11. c. 15. n 5. & 6. & l. 12 c. 9. n. 1. *Quae cum ipſis egerit Pontifex,* l. 13. c 1. n 10. *Eorum diſceſſus Tridento.* l. 13. c. 2. n. 6

Septemuir Moguntinus. Vide *Albertus.*

Septemuir Treuirenſis. Vide *Ioannes Eyſemburgus.*

Seſſio. Vide *Concilium.*

Seuerolus. Vide *Hercules.*

Sfortia Pallauicinus & Sfortia ſanctae Florae retinent Parmam in fide Octauij Farneſij poſt caſum Petri Aloyſij. l. 10. c. 4. n. 5. *Comprehenduntur in inducijs inter Octauium & gubernatorem Mediolani.* l. 10. c. 5. n. 2. *Pallauicinus adit Caeſarem ob reſtitutionem Placentiae.* ibid. n. 6. & 10. & c. 8 n. 1.

Sigiſmundus Auguſtus Poloniae Rex probat conuocationem Synodi ſub Pio, & remouet Canobium Nuntium ne adeat Moſcouiam. l. 15. c 9. n. 4.

Sigiſmundus Tonus, Baro Tridentinus, declaratur Orator Caeſaris in Concilio in vltima conuocatione. l. 15. c. 20. n. 5.

Sotus. Vide *Petrus.*

Spina. Vide *Caeſar.*

Staniſlaus Oſius Polonus, Epiſcopus Varmienſis, & Nuntius Pij IV. ad Ferdinandum Caeſarem, agit cum eo de Synodi conuocatione. l. 14. c. 13 n 9. & ſeq. *Inſignitur Purpurâ, & eligitur Praeſes Concilij.* l. 15. c. 6. n. 3. & c. 13. n. 5. & 6.

Stella Vide *Thomas.*

Strozzius. Vide *Ioannes Petrus.*

Sturmius. Vide *Zacharias Delfinus.*

Suauis. Vide *Petrus.*

Suſpenſio. Vide *Concilium.*

T.

Taglianía. Vide *Petrus.*

Termes. Vide *Paulus.*

Theologia Scholaſtica & Poſitiua in quo differant: & error in hoc Suauis. l. 12. c. 10. n. 19. & 20.

Theologi Concilij Tridentini. Malignitas Suauis de ipſorum ſapientia. l. 12. c. 10. n. 21. & 22. *Modus, locus, & tempus ipſis praeſcripta in ſententijs dicendis; & quo pacto non fuerit ſtruatus hic ordo [illegible]atus tempore Pij.* l. 12. c. 1. n. 3. c. 10. n. 18.

Theophylactus quo modo explicet verba Chriſti Quodcumque ligaueritis, &c. *& errores Suauis.* l. 12. c. 11. n. 5.

Tobias Dominicanus, Procurator Archiepiſcopi Salisburgenſis in Concilio Tridentino. l. 16. c. 12. n. 5.

Toletanus. Vide *Franciſcus. Petrus.*

Thomas Campeggius, Epiſcopus Feltrienſis, eunlgat Apologiam pro tranſlatione, & Romam venit eam cauſam defenſurus. l. 9. c. 10. n. 4 l. 10. c. 15. n. 2.

Thomas Crammerus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, flammis damnatur haereſis causâ. l. 13. c. 13. n. 1.

Thomas Stella Dominicanus, Epiſcopus Salpenſis, poſteà Lauellenſis, ac poſtmodum Iuſtinopolitanus, conciona- tur

tur multos menſes in Concilio Bononienſi de Iuſtitia infuſione. l. 10. c.2. n.7.
Thomas de Vio Cardinalis Caietanus. Remedium ab eo excogitatum pro filijs fidelium, qui moriuntur in matris vtero, poſitum in diſputatione in Synodo. l.9 c.8. n.2 & ſeq.
Torres. Vide *Franciſcus*.
Tranſlatio. Vide *Concilium*.
Tridentum ciuitas Cæſarea. Concilium ibi coactum tempore Iulij, & cur. l.11. c. 8. n. 5. & c.11. n.3. *Varia Principum ſententia de hoc loco eligendo tempore Pij, & quomodo res confecta*. l.14 c.12. n.15. & ſeq. c.13. n.14 c.14. n.4.5.6. & 9. & ſeq. c.16. n.8. & ſeq. c.17. n.1.2.3. & 4.
A Turri. Vide *Franciſcus*.
Truxeſius. Vide *Otho*.

V.

VArgas. Vide *Franciſcus*.
Vega. Vide *Ioannes*.
Veneti negant fœdus inire cum Paulo IV. contra Hiſpanos. l.13. c 16. n. 2. c. 19 n. 5. & l 14. c. 1. n. 2. *Student concordia inter ipſum & Proregem Neapolitanum*. l.14. c.3. n. 8. *Comprobant conuocationem Concilij Tridentini tempore Pij, eoque Oratores mittunt*. l. 14. c. 17. n.2. l.16 c. 5. n.7 *Poſtulant vt promoueatur Grimanus Patriarcha; & quæ ſuper hoc acciderunt*. l.15. c.6. n. 5. & ſeq. Vide *Ioannes Grimanus*.
Verallus. Vide *Hieronymus*.
Vergerius. Vide *Petrus Paulus*.
Vgo Boncompagnus Bononienſis venit Romam ad cauſam tranſlationis defendendam. l.10. c. 5. n. 2. *Deſtinatur Nuntius ad nouum Cæſarem Ferdinandum; ſed non it*. l. 14. c.6. n.9. *Ponitur à Paulo IV. in quodam tribunali de regimine ditionis Eccleſiaſticæ*. l. 14. c.7. n.6.
Vgo Comes Monfortius, Orator Cæſaris in Concilio ſub Iulio III. petit cuiuſdam deciſionis moram quò Proteſtantes expectentur. l.11. c.15. n.5. & l.12. c.8 n.1.
Vgonotti. Eorum origo & coniuratio in Franciſcum II. Regem. l.14. c.12 n. 8. vſque ad 14. *Eorum poſtulatio in conuentu Belliſontis, vt ipſis templum concederetur*. l. 14. c. 16. n. 2. *Nouus conuentus ab ipſis habitus ad eamdem rem*. lib. 15. c. 14. n. 13. & 14.
Vicecomes. Vide *Carolus*.
Vigerius Vide *Marcus*.
Vincentius Nobilius, Iulij III. ex ſorore nepos, imperat in bello contra Farneſios. l 11. c.16. n 11.
Vincentius Parpalia, Abbas S. Saluatoris, mittitur Romam à Polo Cardinali ob Angliæ negotia. l.13. c.7. n.1.2. & 6.
Vitellotius Vitellius, Apoſtolicæ Cameræ clericus, & Epiſcopus Tifernatium, donatur Purpurâ, & promouetur ad præcipuos Magiſtratus à Paulo IV. l 14 c 1. n.6 *Incidit in ſuſpicionem parum fidentis in animo Caroli Cardinalis Caraffæ*. l. 14. c. 7. n. 3.
Vniuerſalis Eccleſia, ſiue Synodus. Vide *Catholica*, & *Oecumenica*.
Vrſinus. Vide *Camillus*.

Z.

ZAcharias Delfinus nobilis Venetus, Epiſcopus Leſinenſis, mittitur Nuntius à Iulio III. ad Ferdinandum Regem, ob negotia Religionis. l. 13. c. 8. n.9. *Romam vocatur à Paulo IV. & remittitur ad ſuum munus exercendum*. l. 13. c. 13. n. 6. & c. 14. n. 1. *Redit ſub Pio*

Pio ad eumdem Ferdinandum, iam Caſarem, allurus de Synodi conuocatione. l. 14.c.14.n 8. & ſeq. *Varia colloquia habet cum Caſare, ſimul cum Commendono Nuntio, de illis rebus. Vterque Nuntius adeunt conuentum Proteſtantium, Naumburgi habitum.* l. 15. c. 2. & 3. per totum. *Quæ ipſe proponit in Germania Superiore varijs Vrbibus Proteſtantium; & earum reſponſa.* l. 15.c.9. n. 5. & ſeq. *Admittit Sturmium ad ſecreta ſecum colloquia, ac poſteà Vergerium, apoſtatas a Fide Catholica.* l. 15. c. 10. per totum.

Zozimus Pontifex Romanus agnoſcitur tamquam Caput à varijs Concilijs Africanis. l. 12. c. 9 n. 6.

FINIS.

A01 1470060